Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Iuris vtriusque traditio methodica, : omnem omnium titulorum, tam pontificii, quam caesarei iuris materiam & genus, Glossarum item & Interpretum abstrusiora uocabula scienter & summatim explicata: postremò & iudiciarij ordinis modum, ad practicam forensem accommodatum, complectens.

https://hdl.handle.net/1874/433534

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board


Lagius.

Juris utr.

trad. meth.

L. fo.
239 1/

6




L. fol. 239 2/

L. fo.
239 2/

IVRIS VTRIVSQVE
TRADITIO METHODICA,

OMNEM OMNIVM TITVLORVM, TAM PONTIFICII, QVAM CAESAREI IVRIS MATEriam & genus, Glossarum item & Interpretum abstrusiora uocabula scienter & summatim explicata: postremò & iudiciarij ordinis *modum ad Practicam forensem accommodatum, complectens. Ex ore Doctissimi uiri* D. CONRADI LAGI *Iureconsulti annotata, atq; in gratiam & singularem utilitatem studiosorum, iterum excusa, & emendatius ædita, una cum Summarijs & Scholijs* IVSTINI GOBLERI *Goarini, Iureconsulti.*


Adiecta sunt Doctorum aliquot uirorum opuscula, de ratione docendi, discendiq; iuris Ciuilis, quorum Catalogum uersa pagina reperies.



Ex Donatione Hilberti à Buschel.

Cum Gratia & Priuilegio Imperiali.

FRANC. Apud Chr. Egenolphum.



QVAE HVIC OPERI recens acceſſere:

Claudij Cantiunculæ Iuriſconſulti de ratione ſtudij legalis, Parenesis ad amicum anonymum. 601

Chriſtophori Hegendorphini de Compendiaria diſcendi iuris ciuilia ratione, ad Mauricium Breuilerum conſilium. 616

D. Franciſci Duareni ad Andream Guillartum, clariſsimi uiri Andreæ Guillarti, libellorum in Regia magiſtri, filium, De ratione docendi, diſcendiq; iuris conſcripta Epiſtola. 622

Eguinarius Baro Iureconſultus, De ratione docendi diſcendiq; iuris ciuilis, ad iuuentutem. 631

D. Andreæ Alciati iudicium, quos legum interpretes potiſsimùm parare ſibi ſtudioſi debeant. 633

GENEROSIS AC NO

BILIBVS ADOLESCENTIBVS, IOANNI, Ludouico, Adolpho & Henrico fratribus, illustris Domini Guilhelmi comitis à Nassaw, Catzenelnbogen, Vianden & Dietz filijs, Dominis suis colendissimis, Iustinus Goblerus Goarinus Iureconsultus

S. P. D.

QVVM, Generosi adolescentes, permulti ueterum præstantissimorum hominum, & in primis philosophorum, doctrinam omnem, quæ ad formandos mores, adq; conseruandam ciuilem societatem, ac felicem Reipublicæ statum gubernandum spectabat ac pertinebat, diligenter literis complexi fuerint & persecuti, ac quæ ipsi agnoscebant esse optima etiam posteris excolenda reliquerint: tum uerò id omnium dexterrimè atque absolutissimè Romani illi iureconsulti fecisse mihi uidentur. Et fuit ea quidem tunc eius urbis summa felicitas, ut cùm alijs rebus plerisque, tum autem legibus optimè constitutis ad occasum usque suum unicè floruerit. Quare frustra est, ut quis in hac grauissima disciplinæ ueteris inclinatione, horumq; temporum confusione ac perturbatione meliora ciuiliùm rerum præcepta, conuenientioremũe Reipublicæ statum sibi proponat uel expectet constituendum fore, quàm ab illis priscis laudatissimis legum & latoribus & interpretibus iam antea & constitutus sit, & in ipsorum libris ac monumentis hodiedum descriptus comperiatur.

Cuius rei facilis uel hæc potest esse demonstratio. Etenim cùm naturæ hominum, & communi societati, uitæq; ciuili nihil sit neq; aptius neque commodius, quàm legitimo & æquabili imperio homines contineri, leges suas prudentissimi illi uiri, qui & uirtute & ingenio & doctrina maximè antecelluerunt, ex æquo & bono ita moderati sunt, ut naturæ ductu ad mediocritatem atq; iustitiam tanquam ad gnomonem & perpendiculum præscripta omnia referrent. Legum enim omnium scopus esse debet iustitia & æquitas, finis uerò pax & tranquillitas. Defuncti autem illi multis grauissimis negotijs publicis, & instructi plurimarum rerum scientia, tum & uarijs causis longoq; usu in amplissimo Romano imperio exercitati, Pandectas, Institutiones, Constitutiones, Authenticas, Nouellas, aliaq; Regni iudicijq; sui sempiterna monumenta, quæ ab omni posteritate meritò suspiciantur, amentur, & conseruentur, post se reliquerunt.

Itaque cùm optima administrandæ Reipublicæ ratio in his Imperatorum sanctionibus ac iureconsultorum disputationibus elaborata sit & contineatur, prudenter faciunt atq; ex utilitate publica, qui & in

Scholis ea iuuentuti discenda, penitiusqũe cognoscenda proponunt, & in foro magistratibus atque iudicibus tractanda præcipiunt, & in gubernatione atque imperio principibus ubique sequenda & custodienda suadent.

Atqui uerò cũm in his ipsis permulta sanè & perplexa sint & abdita, quæ propter uetustatem, ac rerum antiquarum ignorationem, uel uicissitudinem temporum, si qui obscurioribus illis sua interpretatione lucem adferre, & iuuentutem ceu manu ac indice in ea mysteria perducere conantur, an ne laudandi uiri illi atque amandi sunt obsecro? Ego uerò laudandos eos summopere ante alios atque amandos existimo, tantum abest, ut uoluntatem eorum atque studium quouis nomine calumniandum aut reiiciendum putem. Quid enim in uniuerso terrarum orbe præstantius est iustitia, quam uirtutem nobis ut bonum maximè publicum atque πολιτικὴν, & uitæ communi necessarium cumprimis traditam atque commendatam uolunt. De qua equidem quid potuit magnificentius dici, quàm quod Megarenses quondam ille uates cecinit:

Εμ δὲ δικαιοσύνη συμπάλλω πᾶσ' ἀρετ' εἶσι;

Eos autem, qui propagandæ iustitiæ, ac prouehendæ iuris disciplinæ curam atque sollicitudinem susciipiunt, quiqũe sua ad communem Reipublicæ piè beneqũe gubernandæ utilitatem studia conferunt, præclarè de hominibus mereri, rectè iudicauerimus.

Inter quos isto quidem tempore doctissimum uirum Conradum Lagum piæ memoriæ, qui hanc Methodicam iuris doctrinam superioribus annis suis discipulis dictabat, omnes literati meritò reponent, atque connumerabunt. Quam Methodum, cũm typographus iam sub incudem reuocare ac denuo edere uellet, quòd prior editio obualde mendosum at deprauatè scriptum exemplar, quod non ab ipso autore Lago, sed ab aliquo eius auditore fortè nactus esset, non satis ex animo, feliciterqũe cecidisset, operam meam in emendando ac corrigendo sibi poposcit, rogauitqũe ut manum ipse apponerem. Quoniam autem uidebam meditata dictataqũe Lagi non iuuenibus modò, uelut hæc iuris sacra primũm ingredientibus, sed & prouectioribus legum Ciuilium, Canonumq; candidatis haud mediocriter conferre, non odiosè reluctatus sum fateor, id oneris mihi iniungi. Ast nominatim interpellatis amicis quibusdam, abeunde mihi optabam correctius aliquod scriptum exemplar, si quod uspiam forte apud auditorem Lagi delitesceret, dari, quo adiutus hoc à me postulatum officium & rectius præstare & facilius potuissem.

Quod ubi denegari mihi uiderem, feci, quòd potui, & quantum in hac re facere permissum est, uidelicet, utranque editionem & Egenolphi priorem, & huius æmulam Gryphij alteram postea subsecutam, priore nihilo meliorem ab innumeris mendis repurgaui, quem-

admo-

admodum ex collatione utriusque lectori facilè apparere constareq̃ poterit.

Adieci præterea in singula capita summulas quasdam, quæ materiam cuiusque breuiter indicarent, & festinanti occupatoq̃ Lectori ceu Elenchi uice essent. Locos item obscuriores aliquot, sed paucos, & parcissimè explicaui, ne commentaria commentarijs assuere uelle uiderer: ut nunc adiutos hac opera nostra qualicunque adolescentes hunc librum maiori cum fructu ac utilitate, quàm antea, lecturos esse non dubitem.

Porrò autem cùm his suis commentarijs Lagus non ad Institutiones Imperiales tantùm percipiendas, uelut prima Legum cunabula, elementaq̃, sed ad Pandectas quoque ipsas, totumque Ius Ciuile, & Pontificium rectè cognoscendum tractandumque iuuenibus Methodum hanc locupletem iuxtà & artificiosam præscribere, ac ceu uiam quandam sternere uoluerit, minimè opus fore putauero, ad eorundem Commentariorum Lectionem accuratiore aliqua nostra commendatione iuuentutem inuitare, cùm utilitas per sese intelligentibus pateat, sitq; in confesso.

Si quis adolescens tamen præterea, cùm uaria frequensq̃ hodie, ac multa de iuris Methodo quæstio sit, fortè quid expetere uidebitur, subiunximus in calce libri appendicis loco, quorundam doctissimorum uirorum huius ætatis diserta scripta, de ratione docendi, discendiq̃ Iura, quò & minus in hac editione, doctrinæq̃ genere desiderarent adolescentes, & suorum studiorum rationem tantorum hominum sententijs atque iudicio magis conformarent ac stabilirent.

Quicquid autem operæ seu laboris in hunc librum à nobis pro ingenij nostri tenuitate ac ocij incertitudine atque angustia est impensum, id totum uobis Generosi adolescentes perpetuæ commendationis ergò nominatim, & officiosè inscribere ac dedicare libuit, cùm quòd & ipsi in bonis, rectisq̃ studijs iam educamini, tum quòd & usui aliquando uobis literaria hæc & forensia futura existimem.

Præclarè apud Xenophontem pronunciat Socrates, Generosum esse, & omni fauore dignum ingenium, cui sunt cordi politicæ disciplinæ. In eas autem potissimùm hac ætate uestra erudiendi atque educandi artes uos estis, καὶ ἀρετὰς, quæ uitæ uestræ decoræ, Reiq̃ publicæ salutares fore iudicantur, nimirum, quæ uos ad pietatem, iustitiam atque mansuetudinem traducant. Ad quas uirtutes omnes domesticum in patre præstantissimo exemplum habetis, quod si intueri uobis diligenter ac sequi libeat, amabitis proculdubio pietatem, ueritatem, iustitiam, mansuetudinem, & doctrinam. Quas qui-

dem ingenuas uirtutes cùm cernitis in patre ſublimes eſſe, & cumulatas, non poteſtis uos eius filij atque hæredes abſque dedecore olim neglexiſſe uideri: quinimò præcipua uobis cura ſit oportet, ne quid à paternis ornamentis degeneretis, uosque magis ad uirtutum paternarum ſucceſſionem paretis, præſertim cùm hæc ſtudia uobis ad illas comparandas & retinendas magno ſemper adiumento, præſidióque eſſe poterunt. Et ut certè poſsint, monitores ueſtros in doctrinæ præceptis Schnepfium & Scæuolam, magna ſolicitudine atque diligentia in hoc incumbentes, reuerenter audire, ac uos obtemperantes illis atque dociles præbere debetis. Bene ualete. Ex Dillenberga ueſtra. Calendis Februarijs, Anno M. D. LII.

ORDO

ORDO CAPITVM SIVE TITVLORVM HVIVS METHODI de doctrina Iuris Ciuilis.

CAPITA PARTIS PRIMÆ, quæ est Philosophica.

I. Argumentum doctrinæ iuris fol. 1
II. Consilium tractandi argumenti doctrinæ iuris per expositionem & distinctionem Titulorum 2
III. De priore parte doctrinæ iuris 3
IIII. Quomodo instituatur ius autoritate publica 4
V. Ex cõsuetudine quomodo ius oriatur 6
VI. Differentiæ iuris, quas ex uarietate causarum accipit 7
VII. De obligatione iuris 8
VIII. De interpretatione legum & statutorum 19
IX. De interpretatione legum atque statutorum restrictiua 21
X. De interpretatione legum & statutorum extensiua 23
XI. De fictione iuris 27
XII. De uaria legum allegatione 29
XIII. De Ratione legis habenda 31
XIIII. Inter probabiles opiniones quæ sit præferenda ibi.

CAPITA SECVNDAE partis, quæ est Historica.

Præfatio secundæ partis 37
I. Consilium & ratio tractandæ secundæ partis 38
II. Capita rerum secundæ partis 39
III. De iure personarum ibid.
IIII. Diuisio potestatum, quæ dantur personis in personas 42
V. De potestate patria 43
VI. Quibus modis patria potestas acquiritur 44
VII. Quibus modis patria potestas amittatur 47
VIII. De patronorum potestate in libertos 48
IX. Quibus modis acquiratur ius patronatus in libertos 51
X. Quibus modis patroni ius suum amittant 52
XI. De ecclesiasti, iure patronatus 54
XII. De tutelaria potestate 55
XIII. Quib. modis acquiratur tutela 58
XIIII. Quib. modis tutela finiatur 62
XV. De curatoria potestate 63
XVI. De dominica potestate 65
XVII. De sublata seruorum differentia 67
XVIII. Quibus modis quis in seruitutem ueniat 69
XIX. Quibus modis quis euadat seruitutem ibid.
XX. De priuata dignitate, & utilitate personarum 71
XXI. De publica personarum potestate & dignitate 76
XXII. De politica potestate personarum 77
XXIII. De mutatione imperij Romani 78
XXIIII. De rerum communione & proprietate 80
XXV. De differentia iuris tenendi res 84
XXVI. Diuisio rerum iuxta ius acquirendi eas 86
XXVII. De occupatione rerum 89
XXVIII. De inuentione rerum 90
XXIX. De captiuitate 92
XXX. De Natiuitate ibid.
XXXI. De alluuione 93
XXXII. De specificatione 94
XXXIII. De accessione ibid.
XXXIIII. De confusione & commixtione 95
XXXV. De ædificatione 96
XXXVI. De cultura & satione 97
XXXVII. De traditione 98
XXXVIII. Quibus modis dominia rerum iure gentium amittantur 99
XXXIX. Quibus modis possessio rerũ acquiratur & amittatur 100
XL. Per quas personas nobis dominium, possessio, & obligatio acquiratur 104
XLI. Quibus modis res acquirantur iure Ciuili 105
XLII. De usucapione 106
XLIII. De præscriptione 108

XLIIII. De interruptione præscriptionis 109
XLV. De præscriptione rerum incorporalium 111
XLVI. De longissimi temporis præscriptione 112
XLVII. De Amissione 113
XLVIII. De donatione 115
XLIX. De Arris, Sponsalitia largitate, Dote, & Donationibus propter nuptias 119
L. De donatione inter uirum & uxorem 125
LI. De donationibus causa mortis 129
LII. De successione ex testamento 131
LIII. Quibus modis testamenta confirmentur, aut infirmentur 141
LIIII. De Codicillis 146
LV. De Legatis 149
LVI. De fideicommissis 155
LVII. Quæ conditiones, causæ, aut modi uitient dispositiones uoluntatum, uel non 157
LVIII. De interpretatione dubiorũ in dispositionibus uoluntatum 161
LIX. Historia emendati iuris de successione ab intestato 164
LX. De successionibus quæ deferuntur ex necessitudine ciuili 171
LXI. De iure deliberãdi in adeunda, uel omittenda hæreditate 174
LXII. De delationibus successionũ, & iure accrescendi 177
LXIII. De seruitutibus 179
LXIIII. De usufructu, usu, & habitatione 182.

CAPITA TERTIAE partis, De Contractibus.

Præfatio. An Christiano liceat uti cõtractibus, qui iure ciuili probantur 187
I. De obligationibus, earumq; differentijs ibid.
II. Vnde oriantur obligationes 192
III. Quibus modis tollantur obligationes 196
IIII. De Pactis 200
V. De Mutuo 205
VI. An liceat pacisci Vsuras 209
VII. De commodato & precario 211
VIII. De deposito & sequestratiõe 212
IX. De pignore & hypotheca 214
X. De Indebito 216
XI. De uerborum obligationibus 218
XII. De fideiussoria obligatione 221
XIII. De Constituti obligatione 223
XIIII. De expromissione & intercessione 224
XV. De pollicitationib. & uotis 225
XVI. De literarum obligatione 226
XVII. De obligatiõib. ex cõsensu 228
XVIII. De emptione & uenditio. ib.
XIX. De locatiõe & cõductione 234
XX. De Emphyteusi 236
XXI. De societate 238
XXII. De nuptijs 240
XXIII. De mandati obligatione 251
XXIIII. De prepositis negotiorũ 253
XXV. De obligationibus, quæ ex quasi contractu oriuntur. 255
xxvi. De contractib. innominatis 257
xxvij. De rerum permutatione 258
xxviij. De transactionibus 259
xxix. De obligationibus, quę ex delicto oriuntur 261
xxx. De furto ibid.
xxxi. Qui obligentur ex furto suorum 262
De furto quo aliena materia in ædificium translata est. 263
xxxij. De statu libero hæreditatẽ non aditam depopulante ibi.
xxxiij. De Sacrilegio & peculatu ibi.
xxxiiij De expilatoribus 64
xxxv. De plagiarijs 265
xxxvi. De falsarijs ibidem
xxxvij. De calumniatoribus, præuaricatoribus, & tergiuersatoribus 267
xxxviij. De captatorib. munerum 268
xxxix. De incantatorib. & ariolis ibi.
xl. De ui publica & priuata 269
xli. De crimine læsæ maiestatis, & seditiosis 270
xlij. De hæreticis & apostatis, atq; schismaticis ibid.
xliij. De conuenticulis 271
xliiij. De sicarijs & ueneficis ibi.
xlv. De parricidijs 272
xlvi. De adulteris, stupratoribus, incœstuosis, lenonib. & raptorib. 273
xlvij. De prædonibus, & direptorib. atque incendiarijs 274
xlviij. De uiolatorib. sepulchrorũ 275
xlix. De termino moto ib.
L. De concussione 276

LI. De effractoribus carcerum ibid.
LII. De receptoribus ibid.
LIII. De iniurijs ibid.
LIIII. De damno iniuria, uel culpa dato 278
LV. De extraordinarijs criminibus 279
LVI. De crimine Stellionatus 280
LVII. De dolo malo ibidem
LVIII. Quatenus ex delicto eorũ, qui in nostra sunt potestate obligemur 281
LIX. De obligationibus, quæ ex quasi delicto nascuntur 282
LX. De obligatione ex lege 283

CAPITA QVARTAE partis, De Actionibus.

I. Quid sit actio 286
II. De differentijs Actionum 287
III. De Accessionibus & imminutionibus Actionum 294
IIII. De causis agendi 300
V. Quo ordine tractetur actiones 304
VI. Quibus actionibus ius patriæ potestatis conseruatur 305
VII. Quę actiones dentur pro iure patronatus 308
VIII. Quomodo agatur pro iure patronatus Ecclesiastico 311
IX. De Actionibus, quæ dantur pupillo contra tutorem, uel tutori iure pupillorum 312
X. Quibus actionibus inter puberes & curatores agitur 316
XI. Quibus actionibus de libertate inter dominum & seruum agatur 317
XII. De rei uendicatione 319
XIII. De actionibus adipiscendę, retinendæ, & recuperandæ possess. 322
XIIII. De concursu petitorij & possessorij iudicij 326
XV. Qua actione uendicantur res à non domino nobis traditæ, & nondum usucaptæ 330
XVI. Cur rei uendicationi reliquas actiones in rem non proxime subiũgat 332
XVII. Ex modis acquirendi iure gentium 333 (334
XVIII. Ex modis acquirẽdi iure ciuili
xix. Ex usucapione, & prescriptiõe ib.
xx. Ex donatione 335
xxi. De donationib. sponsalitijs 337
xxij. Ex donatione inter coniuges, interrarentes & liberos, & causa mortis facta. 340
xxiij. Ex iure successionis ã testato, & intestato 341
xxiiij. Ex iure successionis à testato, uel intestato, iuxta ius prętoriũ 346
xxv. Ex fideicommisso uniuersali 350
xxvi. Ex necessitudine ciuili 351
xxvij. De collatione bonorum inter hæredes 352
xxviij. Ex testamento pro legatis 354
xxix. Quib. actionib. seruitus uendicetur, aut constitui prohibeatur 357
xxx. De communi diuidundo, & finium regundorum actionibus 360
xxxi. Ad exhibendum 361
xxxij. De generalib. actionib. ex diuersis obligationib. cõpetentib. 364
xxxiij. Ex pacto 367
xxxiiij. Ex mutuo ibidem
xxxv. Ex commodato & precario 369
xxxvi. Ex deposito & sequestrat. 370
xxxvij. Pro pignore et hypotheca 371
xxxviij. Pro indebito soluto 374
xxxix. De uerborum obligatione 375
xl. Ex fideiussoria obligatione 376
xli. Ex constituto ibid. (ne 377
xlij. Ex intercessione & expromissio-
xliij. Ex pollicitatione & uoto ibid.
xliiij. Ex obligatione literarum 378
xlv. Ex empto & uendito 379
xlvi. Ex conducto & locato 380
xlvij. Ex emphyteutico contractu 383
xlviij. Ex iure societatis 384
xlix. Pro matrimonio conciliando aut dissoluendo 385
L. Ex obligatione mandati 387
Li. Quib. casib. conueniat, aut nobis in alios det actio ex alieno cõtractu,
lij. Ex quasi cõtractu 393 (seu pacto 389
Liij. Ex contractibus innominatis ib.
Liiij. Quando contra obligationem conuentionis & solutionum detur actio 396
Lv. De obligatione delictorum 399
Lvi. Ex obligatione furti 403
Lvij. Ex obligatiõe factę uiolẽtię 405
Lviij. De obligatiõe factę iniurię 407
Lix. Ex obligatione facti, quo damnum uel iniuria uel culpa facientis datum est 408
Lx. De subsidiarijs actionibus 411
Lxi. De actione in factum 412

LXII. Speciales actiones in factum ex legibus 413
LXIII. Speciales in factum ex edictis ibid.
LXIIII. Speciales in factum ex interdictis ibid.
LXV. Actiones in factum generales 416
LXVI. Actio in factum generalissima 417
LXVII. Quid petatur actionibus in factum 418
LXVIII. Ex obligatione legis 419
LXIX. Quãdo officium iudicis loco actionis imploretur 420
LXX. De cessione actionum 421
LXXI. De exceptionibus 423

QVINTÆ PARTIS capita, De iudicijs.

Præfatio. An iudiciorũ tractatio homini Christiano conueniat 434
I. De iudicijs, eorumq; differentijs 435
II. Apud quos iudices quæq; causæ agi possint 439
III. De citationibus 442
IIII. Quomodo procedatur aduersum eos, qui in iudicium uocati non ueniunt 447
V. De excusatione eius, qui absque contumacia in iudicium non uenit 453
VI. Qui suo uel alieno nomine uersari in iudicio possunt, uel non 455
VII. De infamibus 455
VIII. De procuratoribus & syndicis 457
IX. De aduocatis 461
X. De reo cõparente per se uel per procuratorem 464
XI. De dilationib. & feriis 466
XII. De satisdationibus 470
XIII. De libellis, quib. actiones proponuntur 475
XIIII. Quando quæque exceptiones opponi in iudicio possint 484
XV. De mutuis petitionib. 486
XVI. De ordine cognitionũ 487
XVII. De litis contestatione 489
XVIII. De coërcẽda malitia litigãtiũ religione iurisiurandi 493
XIX. De probationibus 496
XX. De euidentia facti 499
XXI. De confessione ibid.
XXII. De fama & communi opinione 501
XXIII. De testibus 502
XXIIII. De tabellis: 511
XXV. De præsumptionibus 517
XXVI. De expediendis litib. per delationem iuramenti 518
XXVII. De disputationibus 521
XXVIII. De conclusione 527
XXIX. De consultatione iudicũ in proferenda sententia 528
XXX. De sententia 529
XXXI. De re iudicata 541
XXXII. De executione rei iudicatæ 543
XXXIII. De præsidijs, declinandæ iniuriæ iudicum 548
XXXIIII. De appellationibus 549
XXXV. De criminalib. iudicijs 563

CAPITA PARTIS SEXTÆ, De priuilegijs.

I. An priuilegia inter leges publicas habenda sint 566
II. De differentijs priuilegiorũ 569
III. De priuilegijs imperatoriæ maiestatis 572
IIII. De priuilegijs pontificiæ potestatis 573
V. De priuilegijs potestatum inferiorum ab imperatore & pontifice 577
VI. De priuilegijs priuatarum potestatum 578
VII. De priuilegijs personarũ, quæ illis propter dignitatem conditionis, aut officijs competunt 581
VIII. De immunitate 591

INDEX RERVM ET VERBORVM HOC OPERE MEMORABILIVM. Prior numerus paginam, alter certum aliquem paginæ locum ostendet.

A

Abigei qui sint 274.3
Absens pro contumaci habetur 560.65
Absens quis 376.3
Absentes defendendi 255.2
Absentes qui 168.7.
Absentes reip. causa non grauentur muneribus ciuilib. 596.20
Absenti sine dolo exceptio tribuitur 459.28. 454.3
Ad Absentiã excusandã nũcius uel procurator mittendus 454. 5
Absq; figura iudicij quid fieri intelligatur 438.14
Absurda multa iure ciuili pro cõmuni utilitate recepta 163.20
Acceptilatio extinguit obligationem iam existentem, non futuram 123.34
Acceptilatio quid sit 197.5
Accessio 94
Accessio fraudulenta non agnoscit ius 25.6
Accessio in pactis duplex 202.11
Accessio possessionis 109.12
Accessiones actionum 29.4
Accessiones ex causis quæ 299.27
Accessiones naturales & interesse petuntur condictione Triticiaria 368.13
Accessiones possessionum 432.52
Accessionũ in realib. restitutio fit per officium iudicis 342.9
Accessionum ratio habetur in cõdictione furtiua 404.13
Accessorium permissum uidetur, principali concesso 30.8
Accessorium sequitur principale 95.3
Accrescendi ius 135.27. 177.3.
Accrescendi ius legatarijs etiam concessum 178.5
Accrescere nemini illorum portio potest, quorum dies petendi non cessit. 178.4
Accusandi formæ uariæ 402. 22
Accusare qui non possunt 401.15
Accusari de crimine non possunt, omnes qui in ius uocari possunt 402,16
Accusati latitantes & fugientes 564.12
Sine Accusatore iudicium exercere quando liceat 402.21
Accusatorum latitantium inuentariũ bonorũ describatur 564.13
Accusatus quãdo uinciendus, aut custodiendus 564.10
Acquirendi iure ciuili modi 334.1
Acquirendi iure gentium modorũ uis duplex 333.1
Acquirendi iure gentium modus quilibet per se præbet causam agendi rei uendicatione 333 4
Acquirendi per alios ius unde discendum 104.2
Acquisitio rei præcedit seruitutem eius 105.3
ἀκρεῖβοδίκαιον 8.5
Acta inter alios, alijs non nocent 540.9. 543.14
Acta inter alios alijs non prosunt, nisi eadem causa pariter multos contingat 543.14
Acta iudicialia in probandum publicorum instrumentorum habent 513.11
Actio ad exhibendum 334.9
Actio ad exhibendum an sit Realis, aut personalis 363.10
Actio ad exhibendum quare dicatur anomala 364.11
Actio ad exhibendũm quare dicatur præparatoria 362.4
Actio ædenda 474.1
Actio alia per aliam an tollatur 478.22
Actio bonorum possessionis contra tabulas liberti 309.3
Actio commodati 369.1
Act. cõmuni diuidũdo 96.5. 360.1
Act. confessoria et negatoria ab interdictis differunt 359.10
Actio confessoria per quo, & contra quem detur 357.2
Actio de constituta pecunia quæ 376.1
Act. de cõstituto quãdo locũ habe
Actio de dolo 398.11 (at 376.2
Actio de pastu pecoris 413.2
Actio de peculio 478.21
Actio de peculio perpetua est & Annalis 391.8
Actio de pluuia arcenda 413.1
Actio de rationibus distrahendis 314.15
Act. de ui bonorũ raptorũ 289.17
Actio depositi 370.1
Actio est facultas & ius conueniendi aliquẽ in iudicio 476.17
Actio est legitima petitio à legibus constituta 478 19
Actio est solennis quædam formula 477.16
Actio & crimen stellionatus 417.11
Actio ex stipulatu 375.2
Actio ex stipulatu contra promittentem conferre datur 354.16
Actio ex stipulatu pro dote est bonæ fidei 339.15
Act. ex stipulatu, qua dos repetitur transit in hæredes 338.13
Actio ex stipulatu quando fiat arbitraria 375.4
Actio ex stipulatu quare pro singulari habita sit 375.3
Actio ex testamento est bonæ fidei 356.13
Actio ex testamento locum habet, cùm agnita est hæreditas 255.9
Actio familiæ herciscundæ 360.3
Actio familiæ herciscundæ quando competat 345.25
Actio famosa neutri coniugum datur in alterum 410,22
Actio Fauiana et Caluisia. 310.10
Actio Fauiana & Caluisiana, quãdo detur 311.14
Actio finium regundorum 360.2. 361.5
Actio furti 479.22
Actio furti manifesti 404.15
Actio furti nõ manifesti ibidem
Actio in factum ædilitia quando datur 380.12
Actio in factum Caluisiana 413.2
Actio in factum competit domino materiæ 94.4
Actio in factum de dolo 417.9
Actio in factum ex edicto quando datur 355.5

Actio in

Act. in factũ ex re iudicata 413.3
Actio in factum generalissima 417.1
Actio in factum generalissima cur dicta 418.4
Actio in factum generalissima & subsidiaria quando competat 302.10
Actio in factum loco interdicti 307.11.
Actio in factum præscriptis uerbis est subsidiarium auxilium 394.1
Actio in factũ quãdo datur 333.7. 412.5
Actio in factum quare dicatur subsidiaria 411.6
Actio in factum reuocatoria 310.9
Actio in factũ subsidiaria 409.9
Actio in factum unde nascatur, & ad quid detur 412.1
Actio in genere quid 287.14
Actio in personam 289.10
Actio in rem 289.9
Actio in rem præiudicialis 305.3 306.8
Actio in rem præiudicialis pro iure patronatus quibus & contra quos competat 308.1
Actio ingratitudinis 307.15.
Actio iniuriarum de contumelia 291.8 479.23
Actio iniuriarum ex l. Cornelia 290 29
Actio iudicati 545.13 413.3
Actio iudicati extraordinariũ auxilium est 545.16
Actio l. Aquiliæ 300.31: 479.23
Actio l. Aquiliæ ad quid detur 406 3
Actio l. Aquiliæ crescit duplicatione contra inficiantem 410 19
Actio l. Aquiliæ marito datur in uxorem 410 21
Actio l. Aquil. nõ infamat 410 20
Actio l. Cornel. de iniurijs 407 2
Actio l. Corneliæ de iniurijs an sit perpetua 407 7
Actio litiscontestatione contrahitur & perpetuatur 291 37
Actio locati 479 23
Actio mandati 388 1.479 22
Actio mixta 289 16
Actio negatoria pro quibus reb. detur, quibus personis, & contra quos 358.5
Actio negotiorum gestorum utilis quãdo & quibus detur 316 2
Actio non perit propter libelli ineptitudinem 482 35
Actio noxalis 363 6
Actio omnis cur instituatur 301 4
Actio oneris auersi 362 15
Actio ordinaria, extraordinaria 286 6. ibid. 8
Actio perpetua fit litis contestatione 493 22
Actio personalis 286 3. 291 33
Actio personalis & realis quomodo ponenda 500 6
Actio præiudicialis contraria 319 35
Actio præscriptis uerbis 378 5. 416 2
Actio præscriptis uerbis in re precario data cum pacto reddendi 370 12
Actio pro socio ab actione communi diuidundo in quo differat 385 4
Actio subsidiaria non una sola actio est, sed plures 411 3
Act. talis datur, qualis est causa, unde ea oritur 401 12
Actio tributoria cũ domino 478 22
Actio tutelæ 313 1.579 9
Actio quando proponi dicatur 287 12
Actio quanto minoris 380 7
Actio quid 286 2. 420 4
Actio quod metus causa 398 11
Actio redhibitoria 288 5
Actio repetendi datur circumscripto 224 38
Actio utilis 292 50
Actione ad exhibendum tenetur, qui sciens rem alienam suis miscuerit 96 7
Actione de ædendo instrumenta petuntur 1752
Actione ex stipulatu donatum peti 335 3
Actione facti conuenitur, qui alienos nummos dedit, non qui eos in solutum acceperit 96 9
Actione in factum donata repetuntur 336 5
Actione incerti quando res soluta repetatur 374 3
Actione præscriptis uerbis quid petatur 418 1
Actione reali petuntur res propriæ 580 18
Actione utra magis expediat pro re præsenti experiri, dispicendum 391 10
absq; Actione nemo experiri potest 477 18
in Actione de dolo iurare in litem licet 417 10
in Actione familiæ herciscundæ iudicis officium nihil indiuisum relinquat 345 31
Actione l. Aquiliæ quando fiat æstimatio 410 17
in Actione l. Corneliæ de iniurijs quõuitetur infamia 407 8
Actionem cedere quando et quib. non liceat 421 3
Actionẽ cedere quis dicatur 421 2
Actionem in iudicio alieno nomine suscipientium satisdationes tres 472 11
Actionem quæ cum alio est, quõ in nos conferamus 410 16
Actionem qui habet, multò magis exceptionem habebit 424 16
Actionem temporalem quamlibet litis contestatio facit perpetuam 214.3
Actiones absq; cessione non acquiruntur 422 10
Actiones arbitrariæ 293 59
Actiones bonæ fidei 209 22
Actiones ciuiles 288 2.399 2
Actiones ciuiles primum proditæ 304 5
Actiones contrariæ 292 45
Actiones criminales 399 2
Actiones datiuæ 294 59
Actiones de dolo 292 44
Actiones deponentis & depositarij contra se inuicem 292 46
Actiones directæ 292 45: ib. 49
Actiones duæ, ciuilis & criminalis simul proponi non possunt 487 3
Actiones duæ in eodem libello pariter proponi possunt
Actiones duæ propter idem delictum dantur 400 6
Actiones duplices 293 57
Actiones ex accidenti uariari 390 5
Actiones ex delicto an cedi possint 422 12
Act. ex ipsis causis natæ 293 53

Actiones

INDEX.

Actiones ex iure defuncti ad hæredem transeuntes 290 32
Actiones ex priuatis delictis 291 34
Actiones ex uarijs causarum figuris dari 417 2
Actiones famosæ 291 40
Actiones generales 293 53
Actiones hæreditariæ 290 30
Actiones in factum 471 18
Actiones in factum ex interdictis oriri 324 12. 414 1
Actiones in factum generales 416 1
Actiones in factum, quæ loco interdictorum proponuntur, quæ extraordinariæ dicantur 323 9
Actiones in factũ speciales 413
Actiones incerti quare dicantur 418 2
Actiones inter pupillos & curatores quæ 316 1
Actiones l. Aquiliæ quibus dentur, & contra quos 409 14
Actiones l. Aquiliæ tres, directa, utilis, & in factũ 409 10
Actiones mixtæ 289 11
Actiones natiuæ 293 59
Actiones omnes, quæ ex contractibus oriuntur, perpetuæ sunt 391 7
Actiones perpetuæ 290 27. 311 15. 319 16
Actiones personales & reales ubi proponantur 440 6
Actiones personalissimæ 387 1
Actiones plures ex eodem facto quandoque competere 302 8
Actiones plures propositæ, nisi fuerint contrariæ, simul cognoscuntur 487 2
Actiones pœnales 289 13
Actiones pœnales in hæredes non transeunt 405 17
Actiones populares ex facto 401 14
Actiones prætoriæ 288 6. 390 5
Actiones quibus soluta ex uiolentis pactis repetuntur 396 2
Actiones quo ordine tractentur 304 1
Actiones quomodo augeantur, uel imminuantur 295 2
Actiões rei persecutoriæ 289 12
Actiones rerum 286 5
Actiones rescindentes obligationem 396 1
Actiones si plures eiusdem rei nomine occurrant, actor eligat, qua experiri malit 478 21
Actiones simplices 293 57
Actiones singulares 293 55
Actiones sortiri diuersas appellationes 332 3
Actiones speciales 293 54
Actiones stricti iuris 290 25
Actiones subsidiariæ 304 4. 411 2
Actiones subsidiariæ quæ propriè dicantur 411 5
Actiones temerariæ in iudicijs non ualent 418 5
Actiones temporales 290 28
Actiones tres pro pignore & hypotheca 371 1
Actiones uniuersales quatuor tantùm 293 52
Actiones utiles 306 8
Actionibus certi fines temporũ sunt constituti 288 8
Actionibus duabus simul, quæ sunt eiusdem rationis, experiri quis nõ potest 407 6
Actionibus in factum quid petatur 418
Actionibus tuemur res & iura 38 5
in Actionibus personalibus causa obligatiõis ædẽda 477 12
Actionis causa inter contractus quærenda 302 7
Actionis cessio 579 8
Actionis cuiusq; modos & causam tenere plurimùm refert 500 5
Actionis in factũ forma latiss. patet 416 34
Actionis l. Aquiliæ æquitas 409 13
Actionis nomen in libello an debeat exprimi 477 14
Actionis pro socio proprietates 385 9,10,11,12,13
Actionis quo genere delinquẽs magis sit persequendus, uidendum 399 1
Actionis uerbum generale & speciale 286 1
Actionis uocabulum uariè accipitur 477 15
Actionum acceßiones & imminutiones 294
Actionum alternatio 483 39
Actionum arbor 307 15
Actionum arbor Ioan. Glossat. 419 8
Actionum auxilia 304 4
Actionum catalogus 304 3
Actionum causæ obseruandæ 477 8
Actionum differentiæ 288 1
Actionum explicandarum ordo 332 1
Actionum l. Aquiliæ utilis & in factum distinctio 409 12
Actionum subsidiariarum enumeratio 411 4
Actor & Syndicus in quo differant 458 5
Actor forũ rei sequatur 440 4
Actor nonnũquam depellitur, cùm non quidem negantur narrata, aut petita, sed ius quoddam allegatur, quod ei opponitur 491 15
Actor si reconueniatur 473 13
Actore nil probante Reus absoluitur 498 15. 519 8
contra Actorem contumacem quomodo procedatur 448 5
Actori onus probãdi incumbit 485 9
Actoris cautio de sistendo in iudicio 448 6
Actoris non satisdantis pœna 472 9
Actoris recusatio 466 12
Actoris reuocatio 461 13
Actoris satisdatio de prosequenda lite, & iudicato soluendo 466 15
Actus continuus 220 13
Actus legitimi qui 57 20
ἀκυρολογίαι reddit orationem obscuram 151 21
Adæ lapsus 3 2
Adam ante lapsum non agnouit nuditatem 88 13
Addictio bonorum 174 8
Ademptio hæreditatis 144 19
Adiectio temporis 109 12
Adiectum paulæ im nostro solo nostrum censetur 93 2

Administrare res suas qui non possint 580 16
Administrare res suas ipsi qui uel nolũt, uel nõ possunt, per alios possunt 454 1
Administratio libera ad litigandum 252 16
Administratoria potestas 42
Adoptio aui filium patris potestate liberat 48 8
Adoptio & arrogatio quibus effectibus differant 45 6
Adoptio fœminis negatur 45 5
Adoptio quid 171 1
Adoptio quid, & eius diuisio 45 2
Adoptiui inter liberos numerantur 139 46
Adoptiuorum successio quousq; extendenda 172 2
Adoptiuus pater admittitur cũ naturalib. & legitimis 173 7
Aduenæ 599 27
Adulter quis dicatur 273 2 ibi. 4
Adulterij pœna quando capitalis 273 8
de Adulterij crimine transigere non licet 260 13
Adulterium à stupro quid differat 273 2
Adulterium an cõmittatur in solutis matrimonio 525 32
Adulterum patri aut marito occidere quando liceat 273 9
Aduocati, causarum patroni, & causidici uocantur 461 2
Aduocati colluſores 267 5
Aduocati officium 462 7
Aduocati protestatio, quòd nihil præter rẽ clientis sui sit dicturus 463 21
Aduocati recusatio 466 12
Aduocatis partium quæ desunt, iudices suppleant 531 5
Aduocatis salaria promissa soluantur 284 10
Aduocatis licet de honorario pacisci 463 17
In Aduocato petulantia morũ et uerborũ reprehẽditur 462 4
Aduocatorum commendatio 435 8
Aduocatorum errata Iudex suppleat 464 24
Aduocatorum & procuratorũ functio necessaria 435 7
Aduocatorum iuramentum de non suscipienda causa improba 462 8
Aduocatum, si de iure dubitet, non pudeat libros consulere, & peritiores 463 13
Aduocatus à procuratore differt 462 3
Aduocatus esse qui non possit 457 16
Aduocatus quis dicatur 461 1
Aedere actionem quid 476 2
Aedificando si quis materia nostra utatur 405 20
Aedificans in alieno solo, quid consequatur à domino soli 296 14
Aedificanti in alieno non datur actio repetendorum sumptuum 97 6.
Aedificatio 96
Aedificia spacio xv. pedum à publicis horreis non remota destruenda 96 3
Aedificiorum uenditio ruta cæsa non complectitur 290 21
Aedificium quando cedat solo 96 4
Aedilitia actio de redhibendo 392 13
Aedilium edicta pro iure prætorio haberi 288 7
ex Aequipollentibus alio pro alio uti possumus 479 25
Aequitas naturalis pariter omnibus insculpta 187 5
Aequitas nõn scripta 8 6
Aequitas quando præferenda rigori 15 24
Aequitas stricto iuri præferenda 28 1
Aequitas scripta rigori præferenda 33 13. 91 5
Aequitatis, inter bonos bene agi 290 23.
Aërem inficere nemini licet 87 10
Aestimandi affectio 537 41
Aestimatio rerum, & precium 339 14
Aetatis beneficio non gaudet annos xviij. natus, si contra ll. naturæ faciat 584 29
Aetatis priuilegia 584 22
Affectio & interesse singulare in actione l. Aquiliæ non admittitur 410 18
Affectio naturalis inter parentes & liberos 306 9
Affectionem propẽsio & benignitas unde colligenda 163 13
Affectus quomõdo mouendi, rhetores docent 527 4
Affectuum commotio 527 3
Affectuum impẽtus 4 12
Affectus uitia & impetus 15.23
Affines post quartum gradum, sicut cognati, ad nuptias admittuntur 245 38
Affinitas quousq; matrimonium impediat 245 30
Affixa alieno solo, uel bona uel mala fide, cedunt solo 96 2
Agendi causa 476 6
Agendi causæ exponendæ 301 3
Agendi ius alienari posse 421 1
Agendi ius ex qua causa competat, perspicere difficile est 480 27
Agẽdi modi cuiusq; iuris 504.8
Agens prius, prius audiatur 329 17. 487 4
Agnati 165 5
Agnationis & cognationis oĩs sublata est differentia 59.15 168 34. 348 14
Agrum alienũ bona fide colenti reddantur impensæ 97 4
Agrum alienum mala fide colens, perdit operam & oleum 97 5
Alea ludentes in domo uerberati 424 14
Aliena conuentione quatenus obligemur 389 1
Alienæ rei, quæ reposci possit, translatio nulla est 258 5
Alienata in fraudem patroni quomodo reuocentur 310 8
Alienatæ res à liberto si restitui non possunt, in litem iurat actor 311 13
Alienatio iudicij mutandi causa facta 415 29
Alienationem ætas, conditio & crimen personæ quandoq; prohibent 116 10
Alieno scelere non ditescendum 291 36

ex Alieno contractu actiones 389 3
ex Alieno contractu agendi æquitas 389 2
ex Alieno contractu & pacto quando agamus 391 12. 392 15
de Alieno lucrum nemo sentiat 388 3
Allegare leges quid 30 1
Allegatio legum directa à collectitia distinguenda 40 2
Alluuio quid. 93 1
Alternatio actionum 483 39
Alternatiua conuentio 202. 12
Alternatiua stipulatio serui 24 2
ex Alternatiuis unum præstitisse sufficit 202 13
in Ambigua oratione uerbis non recedatur 252 5
in Ambiguo scripto uoluntatis colligendæ ratio 152 25
in Ambiguis humaniorem sententiã sequenda 163 14
Ambitus crimen 268 1
Amissio 113
Amittendi res legitimi modi pariunt exceptionem aduersus agentem de iure suo 99 2
Amittuntur res iisdẽ modis, quibus acquiruntur 99 1
Amphibolia orationem obscurat 151 21
Amphibolia uitiat stipulationem 220 15
ἀναπεφαλαίωσις 527 3
Anastasij constitutio de uendendo frumento 195 24
Ancillæ partus in fructu non est 93 3
Angariæ 68 7. 594 11
Angliæ consuetudo in iure primogenituræ 6 7
Animal non mansuetum damnum dans 281 4
Animalia inter pecora quæ numerantur 279 6
Animantia seruis æquiparantur 281 3
Animantium fœtus habentur loco fructuum 93 4
Annalis exceptio 36
Annonam grauantes 280 6
Annulus excussus in profluentem 409 11
Anomalum subsidium 323 3
Antidora quæ 116 6. 189 8
Antipherna quid 122 19
Antiquitate rerum precia augeri 74 17
Antoninus Pius 573 9
ἀποχαὶ 226 2. 426 26
Apocha acceptilationis speciem habet 198 6
Apostatæ in Ecclesia, quod seditiosi in Repub. 271 1
Apostatæ qui 271 4
Apostoli cõuentionales 557.46
Apostoli refutatorij 556 46
Apostoli testimoniales 557.46
Apparitor mittitur ad condemnatum ex actione reali, ut rem restituat 544 8
Appellando à definitiua, causa appellationis non debet exprimi 555 37
Appellando à definitiua, sufficit dicere, quòd appelletur ab iniusta sententia 555 38
Appellando ordo inter Iudices obseruandus 552 17
Appellans cogitur adire iudicẽ, ad quem appellauit, ut declaret se appellasse 557 49
Appellans intra terminũ non petens apostolos, deinceps non auditur 453 26
Appellans prior, prior agat 329 16. 470 20
Appellanti error quando non obstet 552 20
Appellanti præfigat Iudex terminum prosequendæ appellationis 557 50
Appellantiũ difficultates 551 2
Appellantium temerè pœna 557 47
Appellare absq; rationabili causa nõ potest confessus 556.41
Appellare à nolẽta & executione num liceat 546 22
Appellare à quolibet actu iudiciario an liceat 554 33
Appellare ab infimo ad superiorem iudicem, Canones permittunt 552 19
Appellare ab Interlocutoria sententia an liceat 554 34
Appellare ad quem iudicem liceat 552 18
Appellare alius pro alio potest 502 74
Appellare de futuro grauamine quando liceat 554.31
Appellare licet non solùm ipsis condemnatis in iudicio, sed & omnibus alijs, quorum interest 562.75
Appellare quibus ex causis liceat 554.30
Appellari ab omnibus iudicibus potest, præterquàm à priuilegatis 553 23
Appellatio 548.2
Appellatio à subdelegato fit ad subdelegantem 553 22
Appellatio ab Interlocutoria plus attendenda 556.44
Appellatio ab Interlocutoria scripto exhiberi debet, & causa prouocationis reddi 555.35
Appellatio absentibus iudicib coram Notario intimari põt, nec est necesse partẽ aduersam præsentem esse 552 16
Appellatio causam prius in iudicio motã respicit, & non mouet alienam 560.63
Appellatio commune est subsidium medicandi incommodis litigantium 549.11
Appellatio est eiusdem causæ, non diuersæ ad superiorem translatio 551.7
Appellatio in delegatis iudicib, quomodo facienda 553.21
Appellatio propter inquietationẽ iudiciorũ onerosa 553 26
Appellatio quando denunciada 552.15
Appellatio quid, secundum Hostiensem 551.4
Appellatio quomodo impugnetur 559.60
Appellatio quomodo recipiatur 556.45
Appellat ubi fieri debeat 552.14
Appellatione iudex palam iniustitiæ accusatur 551.3
Appellatione pendẽte, iudici, à quo appellatũ est, non licet quicquã nouare 558.51
de Appellatione ab interlocutoria & grauamine quomodo iudicandum 561.69

In Appellatione opponi quæ poßint 551.8
In Appellatione quod ſit Iudicis officium 556 43
In Appellatione ſunt opponenda non oppoſita, & probanda non probata, ſi cohæreant priori cauſæ 551 5. 552 11
Appellationem non admittens Iudex mulctatur 50. libris auri 557.48
Appellationi unuſquiſq; poteſt renunciare 553.24
In Appellationibus iudex non poteſt tempus x. dierũ prorogare 468.5
In Appellationibus principis reſcripto non datur locus 558.52
Appellationis beneficiũ occurrit iniuſtitiæ iudicũ 554.29
Appellationis cauſa 486
Appellationis cauſa adferenda 556.42
Appellationis cauſa exprimenda in ſententia 535.23
Appellationis cauſa nondum deciſa ſi res pereat, de qua eſt contentio, aut unus ex litigatoribus moriatur 562.77
Appellationis cauſa per alium exerceri in iudicio poteſt 562.76
Appellatiõis exhibendæ & proſequendæ ſtatuta tempora loco peremptoriæ citationis ſunt appellatori 358.56
Appellationis expenſæ 298.20
Appellationis non recipiendæ caſus qui ſint 555.39
Appellationis proceſſus obſeruandus 559.62
Appellationis proſequendæ tempus eſt annus, & item alius annus 553.28
Appellationis ſtatuta tempora incidente cauſa uariantur 559.58
Appellationis tempus x. dierũ utilium 553.27
Appellationum remißiones à ſuperioribus ad inferiores fiunt, cùm temerè appellatũ eſt 529.8
Appellationum uſus neceſſarius 551.3
Appellatorius libellus 555.36
Appellatorius libellus eſt loco libelli 560.64
Appellator in appellatiõe proſequẽda quid aduerſat 559.59
Aquæductus quomodo conſtituatur 7.13
Aquiliæ l. Actio 300 31. 406 3
Aquiliæ legis actio cur prodita 279.5
Aquiliæ legis actio infamat conuictos 406.9
Aquiliæ legis actione hæredes & ſucceſſores conueniri nõ poſſunt 406.7
Aquiliæ legis duo capita 279.4
Aquiliæ legis interpretatio extenſiua 409.6
Aquiliana ſtipulatio quæ 260.17
Aquilius 409.2
Arbiter non poteſt iudicare de cauſa, in quam litigatores non cõpromiſerunt 486.5
Arbiter non ſuſcipiat aliud agendum, quàm in quod compromiſſum eſt 25.11
Arbiter ſententiam interlocutoriã reuocare poteſt 540.67
Arbitrariæ actiones 293. 59
Arbitri de ſuſpicionis cauſa cognoſcunt 466.9
Arbitri ex compromiſſo quales ſint iudices 442.13
Arbitri pronũciatio non per omnia ſententia eſt 456.10
Coram Arbitro reconuentio non habet locum 486.4
Arbor actionum Ioan. Gloſſatoris 307 14. 419 8
Arbor eius manet, qui eam plantauit 97.2
Arbores alienas ſuccidẽtes prædones haberi 274.4
Arboris alienæ radices reſcindere uicinus an poßit 97.3
Argumenta ex forma iuris ducta magis probant 523.13
Argumentatio uitioſa omnis in forma, aut in materia 526 38
Argumenti uitium dupliciter diſcernendum 526.41
Argumentorum in iure inueniendorum ratio paucis non poteſt commodè tradari 524.22
Argumentorum tractatio ab artificibus dicendi petenda 498.19
Argumentum à particulari ad uniuerſale affirmatiuè ductũ non eſt neceſſarium 470.17
Argumentum ab ultimis uoluntatibus ad contractus ualidum in iure 157.2
Ariolorum atrox pœna 289.1
Ariſtocratia 78.1
Arma non moueri, Reipub. intereſt. 270.6
Arra & ſponſalitia largitas differunt 121.14
Arra quando repetatur, & quibus caſibus ceſſet ibi.9
Arra quid 120.3
Arræ acceptæ reddũtur in duplum 283.2
Arræ datæ à ſpõſis nõ ſecutis nuptijs, repeti poſſunt 337.1
Arræ datio emptionis eſt accidẽs, ideo eã nõ diſſoluit 233.32
Arræ teſtimonij gratia dantur 231.17
Arram minor xxv. annis in ſimplum reddit 121.10
Arras quæ perſona amittat 337.3
Arreſtare bona & corpus 446 20
Arreſtatio 546.23
Arreſtatio fit per interpoſitionẽ interdicti publici 446.22
Arrogati ex neceßitudine ciuili ſuccedunt 352.1
Arrogatio inter quas perſonas eſſe poßit 45.3
Arrogatori tantùm uſusfructus datur in rebus arrogati 172. 2
Arrogatus ibidem
Arrogatus & arrogator pari iure gaudent inter ſe 352.2
Ars quæq; tantò eſt difficilior, quantò magis uerſatur circa ſingularia
In Arte ſua quilibet præſumitur peritus 34.21
Artes ingenia excolentes 75.28
Artes odioſæ ſordidæ ibi.29
Articuli probationis, & poſitiones idem ſunt 504.9
Articuli probationis ex media cauſa depromendi 503.3

Articula-

INDEX.

Articulorum capita seu Rubricæ faciendæ 508.37
Articulorum copia parti facienda 504.13
Articulos probationis ponere quid sit ibi.6
Artificum privilegia. 591.86
Artium pulchra differentia secundum Aristotelem 75.32
Artium ratione personæ excellunt & uilescunt 574.24
Ascendentes quemadmodum succedant descendentibus 167.26
Ascriptitij 67.4
Asinus surreptus postea uectisus, dupliciter uindicatur 400.8
Assem faciunt tot unciæ, quot testator uoluerit 135.26
Assertio libertatis 36
Assertor libertatis quis olim fuerit 318.11
Assessores & auditores recusari posse sicut iudices 466.10
Assessores iudicum 595.18
Assignatio libertorum 51.5
Astrologus non tenetur iniuriarum propter professionem 298.6
Attentatorum causa separata à causa appellationis 558.54
Attilianus tutor 68.19
Aurea bulla Caroli quarti 572 4. 577 2
Aureorum annulorum ius 533
Aureus apud Romanos didrachmus 208.14
Authenticæ 2.13
Authenticum quid 1.1
Autor delicti puniendus 265.3
Autorem fieri quid 57.19
Autoritas & institutio uiolenta irrita pronunciatur 312. 4
Autoritas publica 5.10
Auus & auia cum fratribus & sororibus utrinq; coniunctis ad hæreditatem admittuntur 168.28
Auxilia extrema, uiolenta 112.1
Auxilium triste 540.69

B.

Bannitus 565.19
Bannum 564.14
Bannum æquiparatur interdictis, quibus Romani soliti sunt sceleratis interdicere honoribus aut ciuitate &c. 565 20
Bannum aliud exilij, aliud personæ, aliud pecuniæ 566.25
Bannum est coërtio iudiciaria, & proscriptio 564.15
Bannum quid 565.22
Baptismus 13.22
Βάσανος quid 294
Belli non legitimi uis, latrocinium est 92.4
in Bellis multa inania 501.4
Bellum legitimum 92. 3 & 5
Beneficia ciuium inæqualitatem iuris non adferunt 568.18
Beneficia in Ecclesias collata, memoriam et gratitudinem merentur 54.1
Beneficia iuris uocantur priuilegia 567.5
Beneficia plenissimè interpretanda 568.12
in Beneficijs iuris minima quæq; non curantur 585.10
Beneficio adiuuari nos, non decipi oportet 369.6
Beneficio Iuris concessa, iuri cõmuni derogant 142.8
Beneficio non abutendum 53.6
Beneficium diuisionis 313.10
Beneficium diuisionis tutorum 579.7
Beneficium ordinis tutorum ibid.6
Beneficium personæ de personam non egreditur 422.7
Beneficium S.C. Macedoniani 218.15
Beneficus esse de proprio nemo cogitur, si nolit 210.2
Bis factum frequenter factum dicitur 7.13
Bis idem exigi bona fides non patitur 542.7
Blasphemiæ 12.19
Bona fide rem à non domino acquirens 102.21
Bona fides non patitur, ut idem bis exigatur 542.7
Bona utrinq; acquisita pariter in uiriles portiones obueniunt 168.30
Bonæ fidei actiones 290. 22
ad Bonam fidem quæ requirantur 107.13
in Bonis nostris quæ sint, & ex bonis nostris 406.6
Bonorum addictio 174.8
Bonorum possessio, eiusq; agnitio 309.6
Bulla Caroli Quarti 572.4
Bulla Papæ Pij secundi 577.6

C.

Caduca legata 153.35
Cæcus testari quomodo possit 132.7
Cædem expetere turpe 258.10
Caluisiana actio 310 10. 311 14
Caluisiana in factum actio 413.2
Calumnia euidens pœnam meretur 267.2
Calumniæ & detractiones 15.23
Calumniæ iuramentum 494.1 450.10
Calumniari quis dicatur 267. 1
Calumniatoris pœna legitima 267.3
Canis doctus inueniendi thesauri 91.9
Canon 593.7
Canon quid 8.3
Canones & leges mutuas omnes tradunt in processu 439.19
Canones mitius iudicant de dirimendis matrimonijs 250.74
Canonica purgatio 520.9
Canonis publici emptio prohibita 230.9
Capio mortis causa 119.2
Capitatio 594.13
de Capite ciuis nihil statuendum, nisi in centuriatis comitijs 567.4
Capitis diminutio 47.3
Capitis diminutio triplex 62.4
Capitis diminutione quomodo testamenta infirmentur 143.2
Captatoriæ scripturæ 152.26
Capti à Christianis non fiunt serui 133.13
Capti ab hostibus censentur in aliena potestate esse ibid.12

Captiosi homines odiosi 580.22
Captiuitas 92
Captum legitimo bello fit capientium 92.1
Captus amittit rès cum libertate 103.34
Carboniana bonorum possessio quid sit 347.5
Carceris subeundi pactum non ualet 546.25
Carcerum effractores 276.1
Caroli quarti aurea bulla 572.4
Carolus dux Burgundiæ dicitur in Germania sub mẽ dicantis persona uagari 501.2
Castratus libertus prohibitus uxorem ducere 22.1
Casus cum regula conferendi 523.16
Casus non possunt ullis legibus comprehendi 38.1
Casus omissus manet in dispositione iuris communis 24 6. 524 24
Casus semper est ad communes rerum & generũ summas reuoluendus 523.19
Casuum magna uarietas 420.1
Casuum relatio & accommodatio ad generales iuris formas collatione Dialectica facienda est 524.26
Καδίζειν uerbum, 1. Cor. 6. 434.4
Cato Vticensis 217.2
Catoniana regula 151.18
Cauillationes legum non admittendæ 20.6
Cauillosi & rixosi reijciuntur à fideiussione 222.6
Caupo si furtum commiserit 263.3
Cauponæ negligentia 278.3
Causa falsa legatum non uitiat 157.5
Causa petendi in qualibet actione exponenda 301.3
Si causa committatur appellatione remota 27.27
Causæ constitutio apud Rhetores, quod apud Iurecoss. litis contestatio 492.20
Causæ fauorabiliores sunt, libertatis, testamenti, matrimonij 532.10
Causæ inter accessiones rerum ponuntur 299.26
Causæ lucratiuæ duæ in eundem hominem, eandemq; rem concurrere non possunt 153.31
Causæ quæq; apud quos iudices agi possint 439
Causæ spirituales 494.7
Causam propositi qui allegare non potest, in iudicio nõ audiatur 301.1
Causas cognoscendi ordo duplex 539.61
Causidici 461.2
Cautio de damno infecto 103 36. 415 24
Cautio de damno præstando rei euictæ 345.32
Cautio de euictione 379.3
Cautio iuratoria quando admittatur 471.4
Cautio Mutiana 160.19
Cautio rem ratam haberi 472.12
Cautio usufructuaria quæ, & à quo exigatur ibi.7
Cautiones inter satisdationes censeri 474.22
Si Cedat bonis obæratus 412.2
Cedere bonis extremum refugium 446.23
Cedere actionem quis dicatur 421.2
Cedere diem quid dicatur 52.27
Cedere iure suo nemo prohibetur 484.40
Centauri non sunt in rerum natura 151.10
Ceremoniæ 13.22
Certi condictio cur prodita 366.11
Certi cõdict. ex stipulatu 380.9
Certũ ex stipulatione frequentius condicitur 375.1
à Cessante præstare id, quod per sententiã iussus est, pignus capitur 544.11
Cessatio alterius, hæredem non tuetur 159.14
ex Cessatione incommodum rependi 381.2
Cessio actionis 579.8
Cessio actionum 421
Cessio actionum ex quibus causis fiat 422.11
Cessio simulata & insidiosa quando præsumatur 421.4
ad Cessionarium non transit personale priuilegiũ 422.6
Cessionarius per cessionem omne ius acquirit, quod habuit autor suus 421.5
Chirographa personæ publicæ aut priuatæ differunt : 226.3
Chirographi obligatio 189.12
Christi regni reuelatio extat in sacris literis 574.3
Christi regnum non est de hoc mundo 574.4
Christi solius passio meretur remissionẽ peccatorũ 576.23
Christi uicarij in terris non debent capiare dominia mundi 574.5
Christiana charitas in quibus consistat 82.9
Christiana iustitia nõ consistit in externa politiæ obseruatione ibi.6
Christiana perfectio est remissio peccatorum ibi.8
Christianorum innocentia maior esse debet, quàm reliquorum ibi.7
Christianus Christianum captum non redigit in seruitutem 92.2
Christus Ecclesiæ claues, non sceptrum dedit 574.6
Circumscripto datur actio repetendi 124.38
Circumstantiarum ratio in iure obseruanda 9.3
Circumueniatur nemo 281.2
Circumuenire sese inuicem contrahentibus licet 233.37
Circumuentio hominũ imprudentiã & supinitatem excitans ll. toleratur, ut discant cautius mercari ibi.40
Circumuentio in uenditione, contractib. & actibus 580.21
Circumuentus actione, de dolo agere potest 281.4
Citandæ personæ uerecundiæ parcendum 445.15
pro Citando reo Iudex adeundus 443.3

Citari denuo non est necesse eum, cui indictus est terminus ad recipiendos testes 470.16
Citatio an fieri possit ad domũ 445.14
Citatio est æquitatis naturalis 443.1
Citatio facta die feriata est inualida 444.10
Citatio fit tripliciter, denunciatione, scripto & re 446.12
Citatio fundamentũ iudicij 443.2
Citatio generalis contra omnes creditores quando fieri possit 447.24
Citatio in causa appellationis num requiratur 558.55
Citatio quando omittenda à iudice 559.57
Citatio realis dicitur, quando quis ducitur ad iudicẽ 446.17
in Citationibus omnis obscuritas cauenda 447.25
Citationis denunciatio quomodo fit scripto 445.16
Citationis finis est uenire in iudicium 443.5
Ciuem quid faciat 599.26
Ciues 599.27
Ciuiles actiones 288.2:304.5
Ciuiles actiones à criminalibus quid differant 399.4
Ciuiles ordinationes approbari à Deo 187.2
Ciuiles ordinũ gradus inter personas esse debere 40.1
Ciuilia ciuilibus, non naturalia tolli 190.23
Ciuilis necessitudo distinxit iura 583.7
Ciuilis obligatio manet sublata naturali 199.18
Ciuis bonus id custodiat, quod moribus & consuetudine introductum est 84.18
Clandestina sponsalia 243.14
Clarigatio iustum bellum præcedit 489.1
Clausula contrahentium, ut ualeat omni meliore modo & forma &c. 252.13
Clausula, Non obstante tali lege 560.66:572.6
Clausulæ, Appellatione remota, quæ uis 553.25
Clerici 588.62
Clerici ad subeunda sordida munera cogi nõ possunt 588.64
Clerici falsum dicentes in causa criminali 589.69
Clerici in primitiua Ecclesia omnia habuere communia 81.4
Clerici non possunt trahi in iudicium Laicorum 588.66
Clerici non tenentur ad onera extraordinaria 195.27
Clerici quibus de rebus possint testari 133.11
Clericorum priuilegia 571.7:588.63
Clientes aduocatis salaria promissa soluant 284.10
Codicillaris clausula 146.3
Codicillaris clausula ad quid adijciatur 156.7
Codicilli à testamentis in quib. discrepent 147.6
Codicilli confirmantur quatuor modis 148.9
Codicilli & in scriptis & sine scriptis fieri possunt 146.4
Codicilli infirmantur ijsdem modis, quibus testamentum 148.10
Codicillorum origo 146.2
Codicillos Augustus Cæsar permisit 146.1
Codicill. facere qui possint 147.5
circa Codicillos fœmina testis adhiberi potest 147.8
per Codicillos relinquere tutius quàm per testamentũ 148.12
Codicillus quid 59.9
Codicis tres ultimi libri 285.15
Cœlibatus utilis quomodo 12.18
Cœnobia 81.4
Cœtib. homines scelerati utuntur pro malitiæ suæ officinis 271.2
Cœtus facere sine magistratus autoritate non licet 271.3
Cognatio sanguinis impedit matrimonium 245.28
Cognatiõis & agnationis omnis sublata est differentia 168.34
Cognat. ius ex matre oriri 69.41
Cognationum gradus unde discendi 245.29
Cognitio Dei quid 11.15
Cognitio summaria quando sufficiat 436.8
Cognitionum ordo 487
inter Cohæredes quæ res diuidantur 345.26
Collaterales quomodo succedant 168.32
Collatio bonorũ quando & inter quos hodie locum habeat 353.9
Collatio dotis 354.17
Collatio fit duobus modis, re & cautione 354.15
Collatio inter liberos hodie postulari potest 354.13
Collatio nulla actione petitur nisi officio iudicis 354.14
Collatio rerum in diuisione hæreditatis 346.35
Collatio specierum eas magis perspicuas facit 120.2
Collationes 594.13
Collationi quoties locus sit, aut non 353.12
Collationis ius in collateralibus non habet locum 353.10
Collecta 594.13
Collegia facere sine magistratus autoritate non licet 271.3
Collegium quod sit licitum 271.2
Colonarius cõtractus quis 194.14
Coloni conditionales 67.5
Comites 595.18
de Commentarijs scribendis in leges & constitutiones 27.26
Commercium rerum facit diuersitatem iuris 150.7
Commiscери quæ dicantur 95.3
Commiscери res quid 95.2
Cõmissoria lex in emptione 231.19
Commissoriæ legis pactum 215.16
Commixtio 95
in Commixtione bonam fidem requiri 96.6
Commodata res si deterior facta sit 269.2
Commodatarius abutens commodato, obligatur ex delicto 212.7
Commodatarius ad dolum & culpam tenetur 369.3
Commodatarius impensas repetere potest 369.8
Commodatarius tenetur leuissima culpa 212.8
Commodatæ rei precium quando reddendum 542.5
Commodati actio ad quid detur 369.1
Commodati actio contraria 369.7

Commodati et precarij obligatio quomodo tollatur 212.9
Commodato & precario quibus dari posit 212.6
Commodator in litem iurat, quanti rem æstimet 369.5
Commodatum & precarium in quibus conueniant 212.3
Commodatum quid 212.1
Commodum sentiat is, cui onus est ferendum 179.8
Commune cum multis minus onerosum est 26.19
Communi diuidundo actio datur pro rebus confusis 96.5
Communi diuidundo actio mixta est realis & personalis 360.1
Communibus rebus non abutendum aliorum incommodo 87.11.
Communio rerum 3.1:10.11: 80.1
Communio rerum Hierosolymis ab Apostolis quare instituta 83.13
Communio rerum non est mandata expresso uerbo Dei 84.19
Communio scelerũ fœda 240.14
Cõmunionem rerũ ciuilis necessitas cauendarum turbarum non patitur 81.5
Communis rei uenditio 230.8
Communis res quomodo legari posit 151.15
Compensandi facultas odio delictorum denegatur 198.14
Compensatio delictorum 452.22
Compensatio etiam in delictis & pœnis permissa 300.35
Compensatio in quibus obligationibus locum habeat 198.13
Compensatio quid 198.11
Compensatio quomodo fiat 198.12
Compensatione deduci impensas in rem cõmodatam factas 369.9
Conatus quando punitur 270.6
Concessum iure communi, precib. frustra impetratur 247.45
ad Concilia principes seculares admitti 576.21
Conciliorum primatum an habeat Papa 575.10
in Conclusione petitio non omittenda 528.6
Conclusionis loci 527.3
ex Concubina natis beneficium legitimationis conceditur 250.76
Concubinam suam ducens, requiritur ut instrumentis matrimonium testetur propter liberos 247.54
Concubinatus iure ciuili licitus 46.11
Concubinatus speciem coniugij habet 250.75
Concussores qui 276.1
Concussorum pœna 276.2
Condemnatis pluribus in omnium bonis fit executio 547.35
Condemnatis tempus quadrimestre concedi à lata sententia 373.18
Condemnato in causa notoriè manifesta appellare non licet 554.32
à Condemnato cautio exigenda ad præstandam litis æstimationem uictori 544.9
Condemnatus ex actione personali habet quatuor menses ad soluendum 544.10
Condemnatus nomine alieno nõ fit infamis 456.13
Condemnatus ob quodlibet crimen non fit infamis 456.11
Condicere quid 404.5
Cõdicere rẽ suã nemo põt 404.4
Condici res quæ posint 365.8
Condictio causa data, causa non secuta 337.2:394.5
Condictio certi, generalis 365.4
Cõdict. certi specialis 368.1:375.1
Condictio certi specialis à generali quomodo uariet 368.2
Condictio ex lege 419.1
Condictio ex lege quando detur 303.12
Condictio ex lege quare sit subsidiaria 411.7
Condict. furtiua cui detur 404.11
Condictio indebiti 374.1:397.8
Cõdict. indeb. qñ cõpetat 398.10
Condictio indeb. quib. detur 374.5
Condictio ob causam 397.8
Condictio ob causam datur illi, qui uolet repetere quod tradidit 203.20
Condictio ob causam quæ 395.13
Condict. ob turpem causam 397.8
Condictio ob turpem causam quatenus permittatur, & quando locum habeat 396.3
Condictio quid 286.3
Condict. sine causa 397.7:398.11
Condictio Triticiaria 323.2
Condict. Tritic. generalis 365.4
Condictione ex Canone petuntur, quæ iure Canonico proditæ sunt 419.4
Condictione ex lege agitur ad nouas constitutiones, cõsuetudinem uel statutum 334.11
Condictione ex lege petitur, quod moribus obseruatur 419.2
Condictione petitur pœna dupli 300.32
Condictiones non infamant 366.15:374.7
Condictiones sunt actiones personales 364.1
Condict. unde dicantur 364.2
Condictiones uocantur actiones personalissimæ 367.1
Conditio casualis 158.8
160.20
Conditio implenda de iure 159.17
Conditio impossibilis quæ 158.11
Conditio in pactis efficax 202.10
Conditio mixta 158.8
Conditio pluribus imposita, si ab uno præstetur, an liberentur reliqui 159.18.
Conditio potestatiua 158.8
Conditio quid dicatur 157.3
Conditiones in futurum conceptæ dupliciter 158.7
Conditiones possibiles 158.8
Conditiones potestatiuæ in quibus consistant 159.13
Conditiones tacitè subintellectæ, legata non faciunt conditionalia 160.21
Cõductio emptioni cognata 234.1
inter Conductionem & emptionem differentia 234.2
ex Conducto & locato actiones 381.1
Conductor domus impensas repetere potest 97.5
Conductor non soluens mercedem seu pensionem 381.4
Conductor tenetur de dolo & lata culpa 235.6
Conductores partiarij 234.4
Conferendi ius æqualitatis seruandæ causa proditum 352.2
Conferendi necessitatem inter liberos Iustinianus ad successionem transtulit 353.6

Conferre bona quis dicatur 352.1
Cõfessio aduersariæ partis 499.1
Confessio errans reuocari potest 500.12
Confessio quæ fit ad principalem intentionem discernenda ab ea quæ fit ad positiones eiusdem 496.1
Cõfess. sua quatenus cuique in sua causa donat præiudiciũ 496.4
Confessione eius fit notoria 500.7
Confessoria actio unde dicta sit 357.3
Confessoria actio ut detur quæ requirantur 359.9
Confessus appellare nõ potest, absque rationabili causa 556.41
Confessus in iudicio habetur pro iudicato 496.2
Confiscandorũ bonorum 565.17
In Confitentes nulle partes sunt iudicantis 496.3
Confundi res quid 95.1
Confusio ibid. (185.18
Confusio extinguit usumfructum
Confusione tollitur obligatio 199.15
In Confusione bona fides requiritur 96.6
In Confusione rerum spectatur uoluntas dominorum 334.10
Coniecturæ 522.2
Coniecturæ à rerum circumstantijs colligendæ 523.12
Coniecturæ sunt fallaces 33.15
Coniecturæ ut adhibeantur perplexitas rerum sæpe exigit 522.7
Coniecturas iurecoss. non magno pere curant 522.3
ad Coniecturas confugimus legitimis documentis destituti 522.2
Coniecturis doctis nebulas quæ rebus offunduntur depellere posse multum in foro refert 523.10
Coniuge ab hostibus capto, an liceat alteri contrahere alias nuptias 249.67
Coniuges citati si fiant contumaces, actio publicetur 387.16
Coniuges maximo affectu coniuncti sunt 127.10
Coniugium est contractus ex consensu 228.6
Coniugum alter si per quinquennium ignoretur ubi sit, licet alteri alias nuptias cõtrahere 249 68
Coniugũ unus altero repugnante religionem se addicere non potest 248.58
Conniuens in alterius delicta, consensisse uidetur 579.14
Consanguinei qui 169.36
Consanguinitas matrimonium impedit 386.9
Consanguinitatis ultra quartum gradum testimonium non recipiendum 33.12
Conscientiæ trepidatio unde 3.3
Conscij eadẽ pœna plectẽdi 272.6
Consensio tacita 202.6
ex Consensu contractus gignunt actionem 228.7
ex Consensu obligationes quid à uerborum obligationibus differant 228.4
Consensus est finalis causa contractus 228.1
Consensus morum facit consuetudinem 7.13
Consensus quomodo accipiatur in iure 201.2
ad Cõsequentias nõ trahatur quod diuersum est à ratione iuris communis 568.16
ex Cõsilio neminẽ obligari 252.12
Consilium quando punitur 60.21
Consolidatio contractus 377.3
Consolidatio extinguit usumfructum 185.18
ad Constituendum quæ requiratur uerborum aptitudo 224.5
Constituere qui possint 224.3
Constituere quid 224.6
Constituere quis potest per literas uel nuncium 224.5
Constitutio à fideiussione quomodo differat 223.2
Constitutio alia per aliam subinde correcta 588.67
Constitutio Friderici 588.67
Constitutiones 8.4
Constitutiones ad æquitatem naturalem reuocantur 187.4
Constitutiones congerere longi operis esse 284.12
Cõstitutiones nouæ ad mitigandas Pandectarum leges proditæ 283.6
Constitutionum obligatio 16.27
Constitutionũ uarietas propter diuersitatem iuris sæpe fallit 353 8
ex Constituto obligatio alij non quæritur, nisi constituens uicẽ eius, cui promittimus solutionem, tanquàm tutor aut administrator sustineat 224.4
ex Cõstituto obligatione ex nudo pacto datur actio 377.4
Constitutum in omni debito fieri posse 223.1
Consuetudinarium ius 5.11 18.31
Consuetudine longa malè cœpta non firmamur 32.6
Consuetudines urbium conditione ex lege peti 419.3
Consuetudinis autoritas 1.7
Consuetudinis definitio secundum Hostiensem 7.14
Consuetudinum iniquitas propter bonum publicum dissimulanda 6.8
Consuetudo decennio inducitur 7 13
Consuetudo ius gignit 6.1
Consuetudo mala pro iure non ferenda 6.4
Consuetudo non ab exemplis, sed ex consensu morum colligenda 6.11
Consuetudo opt. legum interpres 20.6
Consuetudo praua frustra allegatur 31.1
Consuetudo quomodo pro iure habeatur 6.10
Consuetudo uiolenta 6.1
Consumptio mutui obligationem conciliat 207.10
Contempti in Ecclesia qui 434.5
Contemptum iurisdictionis suæ iudex uindicare potest 452.23
Contestatio litis 489
Continuus actus 220.13
Contractibus dominium non transfertur 188.2
Contract. res fiunt tantũ debitæ, traditione fiunt nostræ 98.5
ex Contract. innominatis competit actio præscriptis uerbis 394.3
in Contract. bus innominatis pœnitentiæ locus est 394.6
in Contractibus tempus inspici 130.7
ex Contractu alieno actiones 389.3

ex

ex Contractu aliorum quando nobis detur actio 391.12
Contractus ciuiles an Christianis sint liciti 187.1
Contractus esse de iure gentium 189.9
Contractus est legitima conuentio 193.8
Contractus ex delictis, & quasi delictis descendentes qui sint 194.16
Contractus ex solo consensu 193.9
Contractus fit quando uera & iusta causa obligationis interuenit 517.30
Contractus innominati quando contrahentes obligent, uel non 257.1
Contractus iure agendi transferri possunt 422.9
Contractus legem accipiunt ex cõuentione 213.3
Contractus loco uariat 208.12
Contractus magis testibus & instrumentis, quàm ex euidentia facti probantur 499.6
Contractus nomen generale 258.1
Contractus nominati ab innominatis quomodo differant 394.8
Contractus nominati & innominati 193.10
Contractus omnis duorum testimonio confirmatur 208.13
Contractus pactis cõstitui 367.2
Contractus species in actione quærenda 302.7
Contractus stricti iuris dolo inniti 204.37
Contractus traditione confirmantur 106.8
Contractus traditione ualidantur & perficiuntur 98.6
Contractuum causa finalis sit honesta 258.9
Contractuum innominatorum cõditiones 257.2
Contractuũ obligationes quatenus naturales, seu ciuiles 189.9
Contrahentibus licet se inuicem circumuenire 233.37
Contrahentium electio, utrum præpositos, an qui eos præfecerunt conuenire uelint 390.6
Contraria allegare non auditur 328.5; 479.23
Contrariæ actiones 292.45
ex Contrarijs à priore rectè fit denominatio 105.5
in Contrarijs actionibus non agi de perfidia 292.47
à Contrario sensu inducti ll. 30.9
Contrariorum eadem ratio 239.7
Contrariorum uno posito alterum intelligendum 105.4
Contrariorum utrunq; defendere conans, secum pugnat 328.6
Contributoria 594.13
Controuersiarum de iure duo genera 2.1
Contumacia quæ 448.2
Contumacia sua cuiquam non debet esse lucro 545.20
Contumaciæ excusatio quomodo fiat 454.4
Contumaciæ pœna quæ sit 452.21
Contumaciæ purgatio quomodo fiat 453.27
Cõtumaciam excusant ualetudo, tempestas, auocatio reipublicæ, captiuitas 453.2
Contumacia inobedientiæ odium 555.40
in Contumacis possessionem missio facienda 545.19
Contumacium pœna 538.50; 566.24
Contumax quis 448.3
Contumax semper damnatur in expensas 452.19
Contumelia in iniuria æstimatur 277.2
de Contumelia iniuriarum actio 291.33
Contumelia rescindit donationem 118.28
Conuenire & consentire fit dupliciter, tacitè & expressè 202.6
Conuenticula 271.1
Conuentio alternatiua 202.12
Conuentio conditionalis 127.15
Conuentio legem dat contractib. 213.3
Conuentio seu contractus traditione confirmantur 106.7
ex Conuentione mercedis, locati obligatio nascitur 253.2
ex Conuentione omne pactum legem accipit 209.4
Cõuent. legitimæ quõ fiant 193.7
Conuentum quid 295.4
Conuicium 277.13
Copulatiuæ propositionis natura quæ sit 491.11
Copulatiuè si plura sint proposita generale responsum non est admittendum 491.12
Corinthius ciuis, qui nouercam lo cauxoris habuit 499.3
Cornelia lex de fãlsis 96.3
Cornel. l. de iniurijs actio 407.2
Corporis læsio cõtumelioſa 277.6
Corporum tria genera 95.2
à Correlatiuis fit ll. inductio 30.9
Corrupti serui pœna 265.4
Crates Philosophus pecuniam proiecit in mare 84.16
Crediti nomen omnibus contractibus commune 206.1
Creditor posterior quãdo ijsdem prærogatiuis fruatur, quib. prior Creditor quis 208.2 (or 372.12
Creditores posteriores num uendicare actione hypothecaria pignus possint ab emptore, si istud à priore creditore distractum sit 372.13
Creditores quõ mittantur in possessionẽ rerũ petitarũ 449.9
Creditori inuito aliud pro alio solui non potest 207.9
Creditori quando liceat pignus uendere 215.20
Creditoris prioris iure num gaudeat is, qui debitori eius mutuo dederit pecuniã, ut pignus ab eo redimeret 372.11
Creditorum inhumanitas iure nouissimo coërcita 275.3
Creditorum priuilegia 372.10
Crimen diuersis modis in iudicium deduci & persequi 399.1
Crimen in iudicio confessum, aut transactum, infamat 456.12
Crimen in iudicio per exceptiones nonnunquam deduci 402.23
Crimen inquirendũ antequàm ad pœnam progrediatur 403.24
Crimen tẽdere q̃diu liceat 402.17
Crimen notoriũ nõ requirit obseruationẽ iudiciarij ordinis 563.5
Crimina diffamans præmium consequitur 178.25
Crimina merè ecclesiast. 441.18
Crimina ne maneant impunita rei pub. interesse 276.2

Crimina sæpe aliud agendo in iudicium ueniunt 563.2
Criminales actiones à ciuilibus quid differant 399.4
in Criminali actione quantum nobis petere liceat 402.18
de Criminali causa transigere an liceat 260.11
in Criminalibus causis procurator non ualet, iniuriarum causa excepta 459.13
Criminalis accusatio non potest per procuratorẽ defendi 408.10
Criminaliter agere quando dicamur 399.3
Crimine publico damnatus fit infamis 291.41
de Crimine agere iudex sine accusatore non potest 402.20
Culpa aliorum alios prægrauari durum est 578.4
Culpa in rebus pupilli admissa 579.10
Culpa leuis & leuissima quæ 279 10
Culpa quid 278.2
ex Culpa incommodum rependi 381.2
Culpam admissam puer nõ fert impunè 584 27
Cultura & Satio 97
Cultus diuinus suprema lex 1.15
Curator in litem manet donec lis finitur 65.12
Curator inuentarium bonorum conscribere cogitur 64.7
Curator omnis à iudice datur 64.5
Curatore perpetuò egent Maniaci & Lunatici 65.11
Curatores ad bona, & in litem quando dentur 64.3
Curatores & tutores in quibus differant, et quib. dentur 64.1
Curatores plures quomodo conueniantur 316.3
Curatores quando dotem constituere debeant 122 27
Curatoris eadem pericula, quæ et tutoris 64.9
Curatoris iuramentum, & satisdatio 64.8
Curatoris potestas quando finitur 65.10
Curatorum beneficia 578.2
Curatorum confirmatio iudicis decreto fiat 64.6
Curatorum excusatio & remotio eadem quæ tutorum 65.13
Curatorum negligentia 578.3
Curatorum unus si damnum dederit 579.5
Curiositas in solennitate uerborum 151.20
Cursus uehicularis 594.11
in Custodiendis reis criminum atrocitas attendenda 564.11
Custodum negligentia euadentes carcerem 276.2
Cynus reluctatur Speculatori 378.9
Cynus uir iuris peritissimus 378. 2

D

Damna fatalia socij non præstant 239.11
de Damno infecto cauere nolens, quando amittat possessionem 103.36
Damnum dare studio 409.4
Damnum dare uel leuissima culpa sufficit 279.9
Damnum culpa socij datum eidem imputatur 239.9
Damnum iniuria datum quando censeatur 409.3
Damnum rebus nostris duobus modis infertur 406.4
Danorum regis astutia in opprimendis latronibus 13.20
Datiuæ actiones 294.59
Datorum conditionalium repetitio quando locum habeat 395 14
Datum ob turpem causam quando possit repeti 397.4
Dauid comedit panes propositionum 14.22
De plano cognoscere 438.12
Debiti oblatio, solutio iudicatur 552.10
Debitorem suum fugientem an liceat priuato præhẽdere 446.18
Debitores obæratos in carcerem cõijcere quatenus liceat 546.24
Debitores principales prius q̃ mandatores, aut fideiussores conueniuntur 313.7
Debitum iure successionis quomodo petendum 480.28
Debitum petitum sit signatum 293.51
Debitum quot modis dicitur 117.5
Decalogi explicatio breuis 12. 19
Decalogus 4.8
Decemuiri 5.10
Decemuirorum constitutio de nocturnis sacris mulierum 4.1
Deceptio ultra dimidium iusti precij legibus uindicatur 233.41
Declinatoria fori exceptio 484.3
Decretorum distinctiones 34
Decretorum rubricæ an sint Authenticæ 1.2
Decretum à Gratiano congestum 1.3
Decretum iudicis secundum confert possessionem & dominium 101.12
Decuriones 595.18
Defendendi sui causa quod quis facit, iure fecisse existimatur 37.4
Defensio iuris naturalis est 443. 1; 573.13
Defensio nulli neganda 563.6
Defensiones Rei, exceptiones uocantur 484.2
Defensor uoluntarius 458.3
Defensores ciuitatum 596.18
Deferendi formæ uariæ 402.22
Definitio in iure periculosa 531.2
qui Deieccerunt, uel effuderunt. 415.30
Deijciendo nocens 282.4
Delegare est alium debitorem suæ uice dare 123.35
Delegatio & delegare quid 198. 10
Deliberandi dies xx. reo dantur 469.13
Deliberandi ius in adeunda, uel omittenda hæreditate 174
Deliberandi tempus quandiu duret 176.1
Deliberatio eius, qui petere hæreditatem uelit 342.3
Deliberatio hæredibus iuris benignitate conceditur 174.1
Deliberationis beneficium 176. 14
Deliberationis de adeunda hæreditate tempus 343.13
Delicta capitalia 400.10
Delicta & contractus in obligatione conueniendi participantur 17.29

Delicta extraordinaria 400.10
Delicta nominata & innominata 417.7
Delicta non capitalia 400.10
Delicta ordinaria ibidem
Delicta popularia 400.11
Delicta priuata 400.9
Delicta publica ibidem
Delicta quæ furtim & clàm fiunt 261.1
Delicta quæ palàm & uiolenter fiunt 269.1
Delictis alienis quomodo implicemur 281.
in Delictis cognoscendis & probandis iudiciarius ordo seuerißimè obseruandus 563.8
in Delicto deprehensi ubi puniantur 441.9
Delictorum discrimen 400.9
Delictorũ distinctio quæ 194.17
Delictorum diuersitatem quare ueteres iurecõsulti maluerint annotare titulo actio. 401.13
Delictorum parium fit mutua cõpensatio 452.22
Delictorum uaria genera 261.2
Delictorum uarietas specialib. nominib. distingui non potest 280.1
Delictum dolo perpetratum 416.4
Delinquendi impunitas concedi non potest 568.10
Delinquentes non sint melioris cõditionis, quàm rectè facientes 126.5
Delinquentes ubiq; conueniri posse 441.10
Delinquentis ad locum delicti remißio 441.8
Democratia 78.1
Demonstratio falsa non obest legato 163.16
Demonstratio quid 163.17
Denunciationes quæ sint 386.10
Denũciationes tres obtinere uim peremptorij 444.7
Depopulator hæreditatis dupli actione tenetur 263.1
Depopulatoris cædes publica est iudicta 37.6
Deponens in litem iurat pro suo interesse 370.4
Deponentis contra depositarium actiones 292.46
Deponi quæ res possint 213.4
Depositarij contra deponentem actiones 292.46
Depositarius ad quid teneatur 370.2
Depositarius potest recusare curam rei depositæ, cùm ei uidetur 213.6
Depositi actio 286.7
Depositi actio ad quid detur 370.1
Depositi actio contraria 371.7
Depositi Actio est bonæ Fidei 370.3
Depositi actio hæreditaria, & perpetua 370.6
Depositi actio quando in duplum detur 370.5
Depositi obligatio quomodo tollatur 213.9
Depositione debiti consignati tollitur obligatio 199.16
Depositum 207.8
Depositum à sequestratione in quo differat 213.2
Depositum quando non reddendum 9.4
Depositum quando sit in periculo custodientis 213.8
Depositum quid 213.1
Depulsio intentionis 424.5
Depulsiones excludunt actiones 424.9
Derelicta fiunt occupantium 333.2
Derelinquere quid 89.3
Deserere quid ibid.
Διάνοια 525.30
Dicendi studiũ explicandarũ causarum gratia proditũ 527.49
Dictũ Christi: Habeo adhuc multa uobis dicere &c. quomodo accipiendum 575.14
Dictum Pauli: Scortatores & adulteri, regnum Dei non possidebunt 23.7
Dictum limitari secundum eius rationem 222
Differentiarum iuris effectus 9.1
Dignitas eximit filios patria potestate 47.4
Dignitas ordinẽ sequitur 595.17
Dignitas priuata 72.1 & 3
Dignitas publica 76
Dignitates xij. filios à patria potestate liberantes 48.6
Dilatio quid 467.1
Dilationes appellatoriæ 467.3
Dilationes citatoriæ ibid.
Dilationes executoriæ ibi.
Dilationes finitoriæ ib.
Dilationes iudex ex causa extendere potest aut coërcere 467.4
Dilationes legales quæ 467.2
Dilationes præparatoriæ 467.3
in Dilationibus consuetudo loci spectanda 444.8
Dilationis terminus peremptorius 469.14
Dilationum differentiæ 467.3
Dilatoriæ exceptiones emergentes 536.31
Diminutio capitis 47.3
Dimissoriæ literæ 556.46
Dimissus ab exercitu ignominiæ causa 456.6
Dionysij tyranni stuprum in matre 3.4
Diplomatis Cæsarum priuilegia donantur 73.12
Directæ actiones 292.45 & 49
Directarij 264
Direptores inter fures numerari 274.2
Discentem singulas res obiter scire satis est 48.11
Disiuncta quæ uocentur 30.10
Dispensatio Impp. quousq; se extendat 573.12
Dispensatio Relaxatio est 15.23
Dispositiones uoluntatum quomodo concipiantur 157.4
in Dispositionibus uoluntatum duorum interpretatio 161
Disputationes 521
Disputationes ociosæ & nugatoriæ 27.22
Disputationes quæ uocentur 522.1
Disputationis spacium indicendum 510.44
Dissensione contraria omnis societas soluitur 244.23
Dissolui quid eodem genere quo colligatum est 142.6:232.26
Distinctio rerum lucem adfert 39.12
Distinctione casuum quærenda æquitas 94.3
Distingue tempora & concordabit scriptura 525.34
Diuidi quæ commodè nõ possunt uni alicui adiudicentur 361.4

Diuidua obligatio quæ 192 31
Diuisio rerum 86 1
Diuisionis beneficium 313 10
in Diuortio faciendo iudiciarius ordo non seuerè obseruatur 249 71
Diuortiorum legitimæ causæ. 248 62
Diuortium est causa repetendæ dotis 124 46
Doctis res humanæ rectè committuntur 77.
Doctorum opinionibus ratio sæpe præferenda 31 2
Doli actionem cõtra quos intentare non licet 281 8
Doli nullum est beneficium 584 24
Dolo bono flagitiosos fallere licet 13 21
Dolo faciens nõ habeat, quod cum habere oportuit, pro habetur, qui illud acceperit 448 4
Dolo quis petit, quod redditurus est 329 12
de Dolo actio quando competat 281 5
de Dolo actiones quatuor ignominiosæ 292 44
extra Dolum quis sit 102 20
Dolus 416 3
Dolus admissus in contractu stricti iuris ibid. 6
Dolus communis pariter omnes obligat 579 12
Dolus cõtractum bonæ fidei uitiat 416 5
Dolus emptionem facit irritam 233 36
Dolus et metus transactionem faciunt inualidam 260 6
Dolus in rebus pupilli admissus 579 10
Dolus malus quis 281 1
Dolus parit actionem aduersus raptores 99 3
Dolus si dedit causam contractui 586 42
Dolus suus nemini sit lucrosus 303 11. 580 20
Dominandi libido insolentissima 66 4
Domini quatenus obligentur ex delictis seruorum 281 2
Domina rerum acquirendi modi tres 87 7
Dominia rerum esse de iure gentium, sed modos acquirendi, de iure ciuili 88 14
Dominia rerũ quibus modis iure gentium amittantur. 99
Dominica potestas 42
Dominica potestas à libertate naturali longissimè recedit 65 1
Dominica potestas non ampliatur, propter fauorem libertatis 581 26
Dominicæ potestatis in seruos priuilegia 580 24
Dominicæ potestatis priuilegij extensio 581 27
Dominij exceptio nõ obstat agenti interdicto retinendæ possessionis 328 11
ex Dominij uel quasi, causa agere quando possumus 331 13
Dominium à possessione quid differat 103 30
Dominium directum usucapione, utile præscriptione acquiri 109 8
Dominium & Possessio 327 1
Dominum & Possessio se consequuntur ibid. 2
Dominium quid 85 3
Dominium rei à possessore quomodo acquiratur 333 4
Dominium rem nostram facit 430 44
Dominium si sit probandũ 504.7
Dominium sine traditione, præscriptione, aut usucapione nõ transferri 331 14
Dominorum potestas in seruos quousq; se extendat 66 5
Dominus non habet furti actionem cum seruo 263 2
Domus aliena ui irrupta 277.8
Domus empta sub conditione 233 35
Domus sua cuiq; tutissimum receptaculum 445 13
Domus uendita cõbusta 204 36
Domus usus quis 185 21
Donantibus necessitas tradendæ rei promissæ imposita 335 1
Donare causa mortis, & capere causa mortis in quo differãt 129 2
Donare mortis causa qui possint 130 5
Donare mortis causa quis dicatur 129 1
Donare personæ quæ nõ possint 116 11
Donari quid possit 130 8
Donata actione in factum repetuntur 336 5
Donata causa mortis res manet nostra 365 7
Donata propter nuptias nonnũquàm reuertuntur ad donatorem 339 18
Donata quando repetãtur 338 4
Donata res tradita, censetur confirmata morte donatarij 128 26
Donatio ante & post nuptias in quo differant 122 22
Donatio caduca reuocatur 121 12
Donatio causa mortis coniugib. præcipuè licita est 127 14
Donatio causa mortis exæquatur legatis 130 14
Donatio causa mortis non requirit monumenta literarum 130. 9
Donatio causa mortis quid commune habeat cum donatione inter uiuos ibi. 10
Donatio concubinæ facta nõ improbatur 126.7
Donatio conditionalis quæ 116.7
Donatio cui facta sit, uidendum 336. 8
Donatio duplex, pura & conditionalis 115. 1
Donatio Ecclesiæ facta in fraudem liberorum an ualeat 118. 29
Donatio est causa lucrativa 153. 32
Donatio est liberalis & munifica rerum largitio 115. 2
Donatio excedens 500. aureos 193. 3
Donatio extraneo facta 336.10
Donatio firmatur osculo 121. 13
Donatio fraudulenta, immodica, aut inofficiosa non ualet 117. 20
Donatio inter coniuges cur prohibita 126. 1
Donatio inter coniuges illicitos utrum ualet ibi. 4
Donatio inter coniuges, paren-

tes & liberos &c. 340. 1
Donatio inter coniuges putatiuos facta non ualet 126. 6
Donatio inter coniuges quibus casibus permittatur ibid. 9
Donatio inter personas, quæ iuri coniugum, aut earum potestati subiectæ sunt, non ualet ibi. 3
Donatio inter uirum & uxorem 125
Donatio inter uirũ & uxorem legibus prohibita 516. 28
Donatio inter uirum & uxorem quando reuocetur 127. 17
Donatio inter uiuos quando facta præsumatur 129. 4
Donatio iurata supplet solennitatem 118. 22
Donatio matris filiæ facta 119. 31
Donatio mortis causa censetur conditionalis 341. 2
Donatio mortis causa, metu mortis, seu cogitatione mortalitatis fit 129. 3
Donatio mortis causa perfecta censetur morte secuta 130. 12
Donatio mortis causa quibus casibus reuocetur ibi. 11
Donatio non est, quod ex obligatione confertur 115. 3
Donatio perfecta 116. 6
Donatio propter nuptias & dos per omnia iure pari censetur 122. 21
Donatio propter nuptias hypothecæ loco est doti 125. 50
Donatio propter nuptias quæ dicatur 122. 18
Donatio pura 115. 1
Donatio quid ibi. 2
Donatio quibus personis negetur 99 13
Donatio quid 115. 4
Donatio reciproca inter coniuges 127. 16
Donatio remunerationis causa facta irreuocabilis 118. 26
Donatio remuneratoria concessa est coniugibus 127. 11
Donatio reuocatur pœnitentia donatoris 128. 19
Donatio ultra quingentos aureos insinuationem requirit 117. 14
Donatio uni liberorum quando facta sit 336. 9
ex Donatione actiones ortæ 335. 1
in Donatione an traditio requiratur 117. 15
Donationem ipso iure nullam titulus traditionis non tuetur 336. 7
Donationem mater ad secundas nuptias conuolans reuocare non potest 119. 32
Donationem mortis causa reuocare licet 127. 13
Donationem quæ crimina impediant 117. 12
Donationem quid prohibeat 116. 10
Donationes accidentia quæ uitiant 117. 19
Donationes ad pias causas in hæredum fraudem factæ quatenus reuocari possint 119. 34
Donationes affectionis gratia non sunt prohibitæ 117. 18
Donationes an possint reuocari 118. 24
Donationes causa mortis 129
Donationes confirmantur expresse uel tacitè, ut & reuocantur 129. 27
Donationes ex causa factæ quæ 120. 5
Donationes inter parentes, & liberos licitæ quæ sint 128. 24
Donationes perfectæ quas ob causas reuocentur 118. 28
Donationes promissæ quibus modis petantur, ac reuocentur 340. 1
Donationes sponsalitiæ 337. 1
Donationis finalis causa est liberalitas 117. 17
Donationis inofficiosæ querela odiosa 336. 6
Donationis inofficiosæ querela quibus detur ibi. 11
Donationis inofficiosæ querela similis querelæ inofficiosi testamenti ibi. 12
Donationis non reuocãdæ pactum 118. 25
Donationis pœnitere non licet 118. 25
Donationum duo genera, inter uiuos, causa mortis 116. 8
Donationum facilis temeritas ibi. 9
Donationum nuptialium quatuor species 120. 1
Donator in quantum facere possit tenetur 336. 4
Donatori incumbit tradendi necessitas 117. 16
Donatoris & donatarij cõsensum extare sufficit quibuscũq; uerbis aut literis 117. 13
Donatoris pœnitentia manifestè constare debet, ut reuocetur donatio 128. 19
Donatum actione ex stipulatu peti 335. 3
Δωρεαὶ ἀπίστου 549. 8
Dos ad promittentem quando non redeat 25. 7
Dos aduentitia quæ 122. 25
Dos aduentitia quando & à quibus repetatur 338. 9
Dos amplioribus quàm facultates patiantur, non constituenda 122. 28
Dos an & quãdo possit augeri ibi. 23
Dos constituitur ad ferenda onera matrimonij 124. 42
Dos & donatio propter nuptias per omnia pari iure censentur 122. 21
Dos interdum repetitur constante matrimonio 339. 19
Dos post diuortium promissa 198. 9
Dos profectitia quæ 122. 25
Dos profectitia quando à patre non possit repeti 33. 7
Dos proprium mulieris patrimonium est 338. 12
Dos quando repetatur constanti matrimonio 124. 49
Dos quando sequestretur 474. 21
Dos quemadmodum petatur & repetatur 338. 6
Dos quid, & qualeius 121. 17
Dos quomodo constituatur 122. 24
Dos quomodo repetatur 124. 45
Dos si à duabus fœminis simul petatur 340. 29

Dos sine matrimonio nulla 122.20 247.53
Dos soluto matrimonio redit ad mulierem 124.48
Dos stipulata non secutis nuptijs euanescit 202.8
Dotalis rei beneficium 112.6
Dotalis res à marito in hypothecam data præscribi non potest, nisi soluto matrimonio 113.9
Dotaliũ rerũ impensæ necessariæ, utiles, uoluptariæ 339.16.
Dotalium rerum æstimatio literis mandatur propter memoriam 124.39
Dotem à patre acceptam filia cõferebat olim 353.5
Dotem æstimatam maritus potest alienare, nisi egeat ad inopiam 124.42
Dotem patri licet promittere, quam ipse arbitratur 123.32
Dotem profectitiam quis repetit 338.11
Dotem qui promisit, tenetur ad euictionem rerum dotalium 124.43
in Dotem dari quæ res possint 122.29
in Dotem datæ res æstimari possunt 123 37
Dotes fœminis à ll. conseruantur 584 21
Dotes immodicas rescindi 340.23
Dotis administratione concessa, dissipatio prohibita censetur 30 11
Dotis appellatione quid ueniat 121 15
Dotis causa fideiussores nõ exigi 124 40
Dotis nomen ius significat 121 16
Dotis priuilegia 584.20
Dotis priuilegia multa 123 33
in Dotis petitione lex fingit stipulationẽ interuenisse, quo quo modo ea promissa sit 338 7
in Dotis restitutione mulier nõ oneranda 296 12
Dotium constituendarum multas formas esse 122 30
Dubij deprehendendi modum Rhetores iudicationem uocant 497 9
in Dubio ad communem intellectum uerborum, & usum loquendi recurritur 247 50
in Dubio benignior sententia sequenda 20 6
in Dubio iudicandum potius pro Reo, quàm pro Actore 532 9
in Dubio semper pro matrimonio iudicatur 247 51
in Dubio tutiora eligenda 34.18
Dubitatio an in nomine proprio, aut appellatiuo, uidẽdum 162 4
Dubitatio omnis ex tribus oritur, uerbis, facto, & iure 161 1
Duces 595 18
Duplices actiones 293 57
in Duplo qui teneantur 263.3.

E.

Eadem res quando petatur 429 39
Ebrius maiore pœna afficitur, quàm sobrius 1 6
Ecclesiæ caput unicũ Christus. 575 13
Ecclesiæ Christus claues, non Petrum dedit 574 6
Ecclesiæ Romanæ an omnes obedire debeant 575 11
Ecclesiæ toti committendum iudicium de doctrina 576 20
Ecclesiarum unitas summa cura conseruanda 576 19
Ecclesiastica bona quando ad prophanos usus cõuerti possint 195 28
Ecclesiastica potestas distincta ab Imperatoria 91 6
Ecclesiasticas res uendere aut donare non licet 30 5
de Ecclesiasticis rebus transigere prohibitum 260 10
Ecclesiastico iuri tuendo non opus esse scrupulosa inquisitione 312 1
Ecclesiasticorum rituum conueniens sit obseruatio apud omnes Ecclesias 576 18
Ecclesiasticum ius patronatus 54 1
Ecclesijs cur unus Episcopus præponatur 576.17
Edicta aliquot prætorum desuetudine ab intestato 166
Edicta prætorum 170 48
Edictum ad redhibendum 380.6
Edictum, Nautæ, caupones, stabularij 413 1
Edictum, ne uis fiat ei, qui in possessionem missus est, ad quid pertineat 450 12
Effractores carcerum capite puniri 276 1
Effundendo nocentes 282 4
Effusum in prætereuntes 415.30
ἐικεα 518 6
Electorum principum priuilegiũ 577 4
Eleëmosynæ dandæ 119 33
Elementa huius mundi 187 3
Elephanti amor coniugalis 3 1
Emancipati sine collatione non admittuntur ad hæreditatem paternam 352 3
Emancipatione filius patris potestatem exit 487
Emancipatis non licet patrem in ius uocare 444
Emancipatus ab eo, qui in potestate est, quomodo differat 139 45
Emere rem ignotam nullo consultore adhibito, temerarij est 233 39
Emeriti à uectigalibus soluendis liberantur 590 79
Emphyteuseos obligatio quando extinguatur 237 8
in Emphyteusin dari res Ecclesiasticæ etiã mobiles possunt ibi. 4
Emphyteusis à uenditione & locatione quomodo differat 36 2
Emphyteusis contractus quo tempore cœperit haberi 238 8
Emphyteusis cõtractus quomodo existat 237 4
Emphyteusis Ecclesiastica 238 9
Emphyteusis est medius contractus inter locationem & uenditionem 236 1
Emphyteusis est specialis cõtractus 383 1
Emphyteusis quid 237 3
Emphyteuta an sine autoritate iudicis possit expelli 383 3

Emphyteuta ceſſans ſoluere penſionem, intra triennium amittit ius ſuum 217. 6
Emphyteuta de poſſeßione nõ potest à domino deturbari, donec penſionem ſoluit 384. 9
Emphyteuta dominus fundi habetur 91. 11
Emphyteuta ius in re habet 384. 7
Emphyteuta non ſoluens Canonem toto triennio, expelli potest 383. 2
Emphyteuta prouentus ſua industria partos potest alienare 237. 5
Emphyteuta quaſi dominium in re habet 321. 10
Emphyteutæ beneficium iuris 383. 5
Emphyteutæ ius in uendicando theſauro 91. 10
Emphyteuticus contractus 202. 14
ἐμφυτεύσεις 237. 4
Empta res non interueniente precio tradi potest 98. 9
in Empti & uenditi cõtractibus quid præſtandum 379. 1
Emptio à permutatione quomodo differat 258. 4
Emptio eſt cauſa oneroſa 153. 33
Emptio & permutatio quomodo differant 229. 2
Emptio precio ſoluto infecta fieri nequit 232. 30
Emptio pura non tollitur conditionali ſecuta ibid. 31
Emptio quarum rerum prohibita 229. 5
Emptio reſcinditur, minore ultra dimidiam decepto 586. 45
in Emptione error uariè committitur 230. 13
in Emptione miles præfertur cæteris creditoribus uenditoris 589. 78
Emptioni Conductio cognata 234. 1
Emptionibus pacta quædam apponi ſolere 231. 18
Emptionis cauſa finalis eſt traditio rei uenditæ ibid 15
Emptionis contractus 211. 11
Emptionis contractus quomodo initiatur 230. 12
Emptionis & dotis contractus ſunt legitimi, & ueſtita pacta 202. 17
Emptionis & permutationis eſſentialis differentia 229. 3
Emptionis obligatio nudo pacto tollitur 232. 29
Emptor in uarios caſus iuuatur à legibus 380. 10
Emptor ſciens rem alienam, ni ſic cõuentum ſit, petere cautionem euictionis non potest 379. 4
Emptor ſi ceſſet precium ſoluere uenditori 380. 11
ad Emptorem ſpectat periculũ rei degustatæ 231. 21
ἐπιείκεια 8. 5
Epilogum addere in quolibet orationis parte conuenit 527. 1
Epilogus in medio fit, peroratio in fine ibid. 2
Epiſcopatum doctiſſimus ſemper non potest petere 196. 31
Epiſcopus unus cur præficiatur Eccleſijs 576. 17
Epiſtolæ quam fidem habeant 514. 14
Equites aurati qui habeantur hodie 75. 26
Equorum uſus aurigæ legatus 186. 24
Equus uenditus 392. 14
Eremodicium 452. 20
Error in Emptione quomodo committitur 230. 13
Error in emptione uitiat contractum ibid. 12
Error in proprio facto non eſt probabilis 236. 12
Error iuſtus quando loco tituli habeatur 107. 14
Error nominis non impedit uoluntatem teſtatoris 162. 5
Error qualitatis in uenditione 230. 14
de Euangelica doctrina cognoſcendi iudicium non eſt ſolius Papæ 576. 22
Euangelij confeßio 83. 14
Euictio rei uenditæ & traditæ 232. 25
Euictio rerum dotalium 324. 43
de Euictione cautio 379. 3
Euidens eſt, quod ex neceſſarijs ſignis colligitur 499. 8
Euidentia facti ibi. 1
Euidentia facti magis in flagitijs, quam in contractibus conſpicitur ibi. 5
Exactiones 594. 13
Exactiones remittere qui poſſint 598. 23
Exceptio à naturali obligatione miniſtratur 190. 22
Exceptio acceptilationis 492. 19
Exceptio ceßionis bonorũ 433. 54
Exceptio compenſationis 486
Exceptio contrà iudicem eſt præiudicialis 466. 11
Exceptio de falſo procuratore 465. 4
Exceptio debitori competens ſi calumniatoria, tum quocunq; errore indebitum ſolutum ſit, non naſcitur eius reſtituendi obligatio 218. 13
Exceptio declinatoria fori quãdo opponi poßit 484. 3
Exceptio dilatoria ſolutionis 485. 5
Exceptio doli 425. 20
Exceptio dotis non numeratæ 427. 28
Exceptio erroris 426. 23
Exceptio incompetentis iudicis non datur recõuento 442 15
Exceptio intentionis 424. 4
Exceptio iudicati 430. 43
Exceptio iuriſiurandi ibi. 47
Exceptio metus 426. 22
Exceptio non numeratæ pecuniæ 189 12. 426 25
Exceptio nullitatis ſententiæ competit perpetuò 539. 55
Exceptio pacti de non petendo 427. 29
Exceptio pacti in certum tempus promiſſi 200. 26
Exceptio peremptoria ſimul cũ cauſa finitur 488. 6
Exceptio perpetua datur mulieri ſoluenti pro alio 218. 14
Exceptio præſcriptionis 199. 23
Exceptio quid generaliter dicatur 421. 1
Exceptio rei iudicatæ 429. 36
Exceptio rei iudicatæ, & aliæ 199. 22
Exceptio rei iudicatæ in quibus

& quando habeat locum 429 38
Exceptio rei litigiosæ 428 35
Exceptio rei uenditæ & traditæ 428 33
Exceptio solutionis 492 19
Exceptio specialis 424 10
Exceptione extinguitur obligatio 99 20
Exceptione incompetentis iudicis de iurisdictione iudicis certatur 309
Exceptionẽ multò magis habebit, qui actionẽ habet 424 16
Exceptionem non probans, malitiosè excipit 298 17
Exceptiones 484 2
Exceptiones æquitate iuris dantur 191 27
Exceptiones aliæ ordinariæ, aliæ extraordinariæ 424 11
Exceptiones anomalæ quæ dicantur 485 7
Exceptiones declinatoriæ fori 431 48
Exceptiones dilatoriæ 431 48 484 4
Exceptiões emergentes 425 19 535 31
Exceptiones excõmunicatiõis & falsi procuratoris semper opponi possunt 485 6
Exceptiones facti opponũtur illis, quibus non competit actio 424 7
Exceptiones incidentes 425 19 535 31
Exceptiones iudicis incompetentis 465 5
Exceptiones iuris opponuntur illis, qui habent ius petendi in iudicio 424 8
inter Exceptiones iuris & facti differentia 424 6
Exceptiones perẽptoriæ 431 48 485 8. 492 17
Exceptiones perpetuæ 432 49
Exceptiones personales 433 53
Exceptiones quæq; opponi in iudicio quando possint 484
Exceptiones reales 432 53
Exceptiones res sunt incorporales 111 5
Exceptiones seu præscriptiones temporales 112 8
Exceptiones tẽporales 432 49
Exceptioni non numeratæ pecuniæ tẽpus præfinitũ 189 13
Exceptionibus lis non ordinatur 491 16
Exceptionibus opponendis terminum cõstituere iudex an possit 485 10
Exceptionum differẽtiæ 431 48
Exceptionum duo genera, facti & iuris 423 2
Exceptionum munus quod sit 309 16
Excipiendi contra Testes terminus à Iudice statui potest 508 35
Excipiendi modi cuiusq; iuris 504 8
de Excipiendi iure protestatio 466 13
Excommunicati in iudicio uersari prohibentur 455 5
Excusator quis esse dicatur 458 1
Executio an in fideiussores fieri possit 547 28
Executio in cuius bonis facienda si sententia sit contra procuratorem lata 546 26
Executio in quibus sententijs non sit necessaria 547 30
Executio intermittitur ratione eorũ, quæ post latã sententiã contingunt 547 31
Executio iuris non habet iniuriam 278 18
Executio ne in infinitũ protrahatur 545 18
Executio petenda à iudice ordinario 544 6
Executio petenda à iudice promulgante, absque solennitate 545 15
Executio quomodo fiat 544 7
Executio sententiæ ad quem iudicem spectet 561 72
Executio sentẽtiæ de appellatione an per nouã appellationem prohiberi possit 561 73
Executio sentẽtiæ peti potest imploratione officij iudicis, & actione iudicati 545 13
Executione pœnæ soluuntur obligationes delictorũ 200 29
ab Executione appellare nunquam licet 546 22
in Executione facienda quis ordo obseruandus 544 12
in Executione iudex ratione officij sui moras nectere non debet 544 5
Executionis impedimenta 547 31
de Executionis quæstionib. summatim cognoscatur 544 3
in Executionis petitione nouo processu opus non est 544 2
Exemplis non iudicandum, sed legib. 6, 10. 31, 5. 82, 10. 526, 46
Exemplis ratio præferenda 31 1
Exequendi modus egressus 547 33
ab Exercitu dimissus ignominiæ causa 456 6
Exhæredari liberi à parentibus quando possint 138 38
Exhæredari parentes à liberis quando possint 138 39
Exhæredatio liberorum & parentum 141 50
ad Exhibendum actio 96 7
ad Exhibendum actio dicitur præparatoria 362 4
Exhibentur res mobiles, immobiles non est opus exhiberi 363 9
Exhibere quid 362 1
Exhibitio annuli 363 8
Exhibitio serui 363 7
Exhibitionis petendæ ius uariè competit 362 2
Exoneratio mercedis seu pensionis quando peti potest 381 3
Expensæ appellationis 298 20
Expensæ iudiciales 508 45
Expensæ iudiciales ante & post litis contestationem 297 16
Expensarum æstimatio incerta 538 48
Expensarum taxatio iuramento confirmanda 538 47
Expensas iure actionis non peti, sed officio iudicis 298 19
in Expensis condemnatur uictus uictori 298 18
Expilator hæreditatis ad pœnam furti non obligatur 264 3
Expilatores 264 1
Explicitè respõdere qd 490 7

Expositam, susceptam & educatam ducere non licet 246.41
Expromissio 377.1
Expromissio quibus modis tollitur 225.5
Expromissio quò referenda 224.2
Expromissio quomodo fit 224.3
Expromissor quis 224.1
Expugnatores ædium & villarum quomodo puniantur 275.7

Extendere legem seu statutum quid 24.1
Extenditur nonnunquã, quod in stipulationem non venerit 25.12
Extensio passiua 26.12
Extensionum alia actiua, alia passiua 25.8
Extorres foro, urbibus, atq; penatibus 565.18
Extra territorium ius dicenti impunè non paretur 17.27
Extraneæ personæ nihil nobis acquiri 104.1
Extranei qui dicantur 338.10
Extraordinaria cognitio quæ 265.4
Extraordinaria crimina 280.7
Extraordinariam actionem habens, iudicem nobilem habere dicitur 287.11
Extraordinario auxilio uti nemo potest, donec iuuetur ordinario 586.44
Extraordinarium quid 593.6

F.

Facti species inquirenda 462.9
ex Facto ius oritur ibi.10
ex Facto obligatione cõtra quas personas detur 281.7
Factum infectum fieri nequit 394.7
Factum ipsum proponendum 412.4
Factum negantis probatio nulla 324.14
Falcidia lex 153.37
Falcidia lex pro quarta retinenda 356.15
Fallaciarum genera, quæ in Dialectica tradumur, Iureconsulto tenenda esse 525.37
Falsa mensura usus tenetur ad duplum 267.11
Falsarius quis 266.1. lib. 6. 268.6
Falsi crimen ad aliam obligationem transferri potest 267.12
Falsi crimen ab transigatur 260.14
Falsi tractatio quibus titulis contineatur 267.13
Falsitas quid 266.2
Falsum committitur non solum literis & imitatione, sed etiam lingua 266.3
Falsum dictum ibi.4
Fama constans plus ualet, quam unus testis 501.7
Fama quid ibi.1
Familiæ herciscundæ actio differt ab actione communi diuidundo 360.3
Famosa actio neutri coniugum datur in alterum 410.22
Famosæ actiones quæ 291.40
Famosi libelli pœna 408.14
Famosus libellus est iniuria grauissima 278.24
Famosus libellus quomodo uindicetur 408.13
Fatentes in iudicio id nos fecisse, quod nobis imputatur, etiam si id non fecimus, eam actionem, quæ cum alio est, in nos conferimus 410.16
Fauiana actio 310 10. 311 14
Fera cicurata damnum dans 281.4
Feriæ imperatiuæ 468 10
Feriæ repentinæ ibidem
Feriæ rusticæ ibidem
Feriæ solennes 468.11
Feriatis diebus abstinendum à sententia 535.28
Feriato die quædam causæ expediri possunt 468.6
Feriato die testes iurare non debent 505 23
Feriatus dies quis accipiendus sit 444.11
Ferijs renunciare partes possunt 468.10
in Ferijs agi quid liceat ibi.9
Feuda quæ habeantur pro nobilioribus 74.18
Feudalia bona loco stipendij, non dignitatis concessa 74.2
Feudalia iura conditione ex lege peti 419.3
Feudalibus bonis nobilitas adiuncta 73.16
Feudalis contractus 194.14
Feudalium successione excluduntur fœminæ 6.8
Feudatarij serui 68.9
in Feudis executio quomodo facienda 547.7
Fictio in statutis interpretandis locum non habet 29.11
Fictio Iuris 27
Fictiones iuris an possint per interpretationem extensiuam ad casus in ll. non determinatos extendi 28.8
Fidei doctrinæ non est hominum iudicio subiecta 76.4
Fideicommissa à legatis in quibus differant 155.4
Fideicommissa aliquando cedunt à tempore mortis testatoris 156.12
Fideicommissa legatis exæquata sunt 150.6
Fideicommissa oratione precatoria uel mandatoria relinqui 155.3
Fideicommissa singularia, & legata exæquata esse ibi.6
Fideicommissa uniuersalia non sunt exæquata legatis. 156.8
Fideicommisso relictæ res quando in fideicommissarij bonis esse censeantur 351.3
Fideicommissum aliud uniuersale, aliud singulare 155.2
Fideicommissum duplex 105.6
Fideicommissum quid 155.1
Fideiubere qui possint, quiue non 222.3
Fideiubere quid ibi.1
Fideiussionis à reliquis obligationibus differentia ibi.2
Fideiussor ad corporalem pœnam rapi non potest ibi.8
Fideiussor maioris securitatis causa datur 221.17
Fideiussor ne, an Reus principalis prius conueniendus 376.2
Fideiussor obligari durius non potest,

potest, quàm rem principalis 223 9
Fideiussor pro maleficio non potest dari 222 7
Fideiussor quis recusari possit ibi. 5
Fideiussor tenetur in solidum. 223 11
Fideiussores causa dotis non exigi 124 40
Fideiussores omnibus obligationibus addi possunt 222 7
Fideiussores plures ad singula teneantur 223 16
Fideiussores quomodo conueniantur, & quibus actionibus 316 2
contra Fideiussores contractus non fit executio sententiæ 547 29
Fideiussoria obligatio 232 31
Fideiussorum datio accidens est emptionis 233 32
Fidem frangenti fides nõ seruanda 13 20
Fides bona 281 2
Fides mala emptionem facit irritam 233 36
Fides personæ quomodo explo retur 504 15
Figuræ uerborũ obseruandæ 1.7
Filio an liceat mortem patris priuata uindicta ulcisci 497 11
Filiofamiliàs non currit præscriptio in adventitijs 113 8
Filius in iudicio uersari potest absq; patris consensu 44 5
Filius non uindicans mortem patris 53 4
Filiusfam. an teneatur de cõtractibus sub patria potestate factis 392 17
Filiusfamil. donare mortis causa potest 130 6
Filiusfamiliàs hæreditatem sine patris iussu nõ potest acquirere 175 7
Filiusfamiliàs in publicis causis loco patrisfamiliàs habetur 58 5
Filiusfamiliàs ipso iure hæres est 139 44
Filiusfamil. non potest testari 132 8
Filiusfamiliàs patri acquirit 353 4
Filiusfamiliàs quis sit, & an possit pacisci 203 26
Finium regundorum actio cur realis sit & personalis 360 2
Fiscalia prædia 595 15
Fisci ius in uendicanda hæreditate 106 11
Fisci res quæ 264 5
Fisco applicatur quod indigno aufertur 145 24
Fiscus succedit deficientibus omnibus hæredibus 170.47
Flagitia ne maneant impunita, Reip. interest 13 21
ad Flagitia perpetranda nemo obligatur 190 15
Fœmina propter priuatum aut fiscale debitum non ducatur capitis in iudicium 583 9
Fœmina à Iudice in publicũ non trahatur ibid. 12
Fœmina testis adhiberi circa Codicillos potest 147 8
Fœminæ à publicis muneribus excluduntur 72 4
Fœminæ ad producendos nouos testes restituuntur 584 15
Fœminæ auferunt Falcidiã, masculis ob crimen læsæ maiestatis damnatis ibi. 18
Fœminæ corporali pœna affici, aut torqueri non debent, donec 40. dies à partu earum effluxerint 583 14
Fœminæ cum masculis pariter succedunt in bonis paternis 6 8
Fœminæ dotis priuilegio gaudẽt tum ob sexum, tum fauore matrimonij 584 20
Fœminæ & masculi coniunctio 10 12
Fœminæ immunes 595 15 597 22
Fœminæ ob crimen atrox carcerantur 583 11
Fœminæ pariter cum masculis in pari gradu succedunt 347 7
Fœminæ pollicitæ tenentur 225 2
Fœminæ quando carcerentur 583 10
Fœminæ uterum ferentis priuilegia ibi. 13
Fœminarum exclusio in feudalibus 6 8
Fœminas excusat ignorantia iuris 584 19
Fœnerator Athletam custodiens 425 17
Fœneratores 600 28
Fœneratorum odium 585 33
Fœnus exercens de iure Canonico infamis est 456 8
Foralia bella Romanorum 79 4
Forenses 599 28
Fores effringentes furti faciendi causa inter expilatores censeri 276 3
Formarum iuris traditio historica 38 6
Fornicatio diuortij causa 250 73
Fornicatione solui sponsalia 244 22
Fortuitus casus quando præstatur 256 13
à Fortunæ bonis neminem rectè laudari aut uituperari 74.20
Forum rei sequatur Actor 440 4
extra Forum domicilij sui quas ob causas quis conueniri possit ibid. 7
D. Franciscus fertur prohibuisse, ne regula sua reciperet interpretationem 27 21
Francofordia duplex 162 10
Frater germanus præteritus testamentum impugnat 140 49
Frater in testamento fratris licitè potest præteriri 139 42
Fratres duo, duas sorores in aliena familia ducere possunt 245 31
Fratres incœstuosi non succedũt sibi inuicem 170 42
Fratres spurij an sibi inuicẽ succedant 169 40
Fratres utrinq; cõiuncti defuncto cum parentibus admittuntur 172 3
Fratrum liberi an succedant ei, qui fratres aut sorores non reliquit, in capita uel in stirpes 168 35
Fratrum liberi repræsentant parentes ibi. 33
Fraudem fraude depellere licet 13 20
Fraudem legi facere 524 29

Fraudis conscius ex quasi delicto obligatur 310 11
Fraus & Violentia 13 20
Friderici primi cõstitutio de ludis triuialibus 4 2
Friuiusculum 128 17
Frontonis dictum de moderãdo Imperio 572 7
Fructuarius causam proprietatis deteriorem facere nõ debet 184 9
Fructus ab usuris licitis quomodo differant 299 25
Fructus & interesse post morã debentur in condictione certi speciali 368 6
Fructus etiã in stricti iuris actionibus petí 290 26
Fructus in stricti iuris actionibus non petuntur 311 12
Fructus industriales 296 8
Fructus industriales perceptos sibi acquirit bonæ fidei possessor 297 15
Fructus naturales 295 8
Fructus pignoris in sortem computari 210 9
Fructus rei uendicatione peti posse 321 11
Fructus uenditæ rei post perfectum contractum ad emptorem omnes pertinent 232 27
Frumenta ementes annonæ grauandæ causa 280 6
Frumenti publici emptio prohibita 230 9
Frumenti uenditio indicta 195 22
Frumentum mutuò datum quomodo petatur 368 3
Fullo furti quomodo accusetur 262 5
Fullo ignorans quando teneatur 236 11
Fundationum Ecclesiasticarum autores inopes ex redditibus earum alantur 54 2
Funeraria obligatio quando nascitur 256 8
Fur condemnatur ad pœnam pecuniariam duabus actionibus 404 14
Fur improbus est raptor 406 8
Fur semper in mora esse uidetur 404 9
Furari quæ possint 262 3
Fures consilio aut opera qui adiuuant, contra eos actiones pœnales dari 405 18
Fures domestici 403 1
Fures odiosi ibi. 2
Furiosus si depositum gladiũ repetat 9 4
Furis infamia apud bonos & graues uiros 404 7
Furta domestica leuiora per patrem familiàs uindicari queunt 265 7
Furta seruorum & familiæ 263 1
Furta uarijs actionibus uindicari 403 3
Furti accusatus physica ratione absolutus 522 8
Furti fullo et sarcinator quomodo incusentur 262 5
Furti iudicijs damnati infamantur 405 19
Furti manifesti & non manifesti actio 404 15
Furti manifesti pœna quadrupli 289 14
Furti obligatio 403
Furtiuæ rei æstimatio 404 12
Furtiuæ rei emptio 230 7
Furtiuæ rei interesse 404 8
Furtiuæ res, aut ui occupatæ nõ usucapiuntur 107 12
Furtum, crimen priuatum 260 12
Furtum criminaliter prosecuturus se subscribat ad pœnam talionis 405 21
Furtum duplex, manifestum, nec manifestum 262 7
Furtum fit rei contrectatione ibi. 4
Furtum pacto posse remitti ibi. 8
Furtum per uiolentiam factum improbius censetur 265 6
Furtum, quasi genus est delictorum 261 3
Furtum quid 83 12. 262 1
Furtũ, quo aliena materia in ædificium translata est 263 4
ad Furtum requisita 262. 2

G.

Gallus Iurecos. quæstiones conjecturales ad Ciceronem deferre solebat 522 5
Gemmæ auro cedunt, & aurum gemmis 95 4
Generale respõsum ad plura copulatiuè proposita nõ admittendum 491 12
Generales & Speciales actiones quæ 293 53
in Generalibus actionibus quomodo concipiendi libelli ibi.
à Genere ad speciem argumentũ 30 6
Genitor & genitus una eademq; persona censentur 128 23
Germani dicuntur utrinq; coniuncti 169 37
Glossarum commendatio 20 4
Glossæ sæpe ratio præferenda est 31 2
Gradu prior, alios in successione excludit 169 38
Grãmatica, tantùm pueris prælegenda 4 2
Gratia benemeritis reddenda 189 10
Gratianus congestor decreti 1 3
Gratitudo debetur illis, à quibus beneficium accepimus 49 1

H.

Habitãdi ius est res incorporalis 86 10
Habitatio abusu & cæteris seruitutibus quid differat 186 25
pro Hærede se gerere quis dicatur 175 10. 509 40
Hæredem non tuetur alterius cessatio 159 14
ad Hæredem ex defuncti iurè transeuntes actiones 290 32
Hæredes extranei 165 5
Hæredes ferè difficiles in præstatione legatorum 152 24
Hæredes instituí qui non possint 133 15
Hæredes pariter decedentium nihil repetunt 130 13
Hæredes sui 165 4. 167 17
Hæredes tutoris defuncti de dolo & lata culpa tenentur 313 6
Hæredi legitima portio maneat 176 16
Hæredibus ab intestato datur deliberandi ius & potestas 164 21
Hæredibus deliberandi tempus datum 143 14. 174 1
Hæredibus omnibus deficientibus fiscus succedit 170 47
Hæredis beneficium in quarta retinenda 356 14
Hæredis institutio est proprium testamenti

testamenti 134.24
Hæredis institutio est testamẽti præcipua clausula 132.3
Hæredis institutio quibus uerbis fiat 136.34
Hæredis præsidium aduersus legatarium 357.17
Hæredis satisdatio 357.18
in Hæredis institutione quia tempora consideranda 134.20
Hæreditaria successio fiat, ut ex alieno contractu ex pacto agamus 392.25
Hæreditariæ actiones, & non hæreditariæ 290.30
Hæreditariæ res præscribuntur à possessoribus earum 344.23
Hæreditariarum rerum commoda & incommoda 343.27
in Hæreditariarum rerum diuisione æstimatio uniuersarum rerum fieri debet ibi.33
in Hæreditariarum rerum possessionem si plures mitti petant, uter præferatur 344.21
Hæreditas aduentitia 175.6
Hæreditas est aut onerosa, aut lucrosa 144.18
Hæreditas est hæredis, fictione iuris 90.5
Hæreditas locuples 49.4
Hæreditas onerosa ut fiat, facilè accidere potest 143.13
Hæreditas profectitia 175.6
Hæreditas restituitur à fideicõmissario tripliciter 351.2
Hæreditas uendicari quare non possit 320.7
Hæreditas uniuersitatem iuris significat 343.16
Hæreditate abstinere 176.11
in Hæreditate diuidi quæ res non possint 345.29
in Hæreditate uendicanda ius fisci 166.11
Hæreditatem adire 176.11
Hæreditatem adire inconsideratè 143.16
Hæreditatem adire nemo cogitur, præter seruum 139.43
Hæreditatem adire qui possint, aut non 175.8
Hæreditatem lucrosam minor intra legitimũ tempus non adiens, restituitur 586.48
Hæreditatem non idoneam adire 417.8
Hæreditatẽ petere contra testamentum non permittitur, nisi antè per querelam sit rescissum 343.17
Hæreditatem petere iure institutionis 424.12
Hæreditatem repudiare 176.11
Hæreditati se immiscere ibi.
Hæreditatis actio non competit hæreditate non adita 342.12
Hæreditatis ademptio 144.19
Hæreditatis aditio est actus legitimus 176.13
Hæreditatis aditio quibus modis fiat 175.9
Hæreditatis aditionis tempus constitutum 177.1
Hæreditatis agnitio quomodo probetur 509.39
Hæreditatis depopulator dupli actione tenetur 263.1
Hæreditatis diuisio semel facta nõ põt reuocari 340.34
Hæreditatis petitio actio est mixta, & bonæ fidei 342.8
Hæreditatis petitio actio uniuersalis est 342.7
Hæreditatis petitio cui & quando detur 341.2
Hæreditatis petitio directa & utilis 342.5
Hæreditatis petitio intra xxx annos nõ præscribitur 342.11
Hæreditatis petitio non datur contra titulo possidentem 480.29
Hæreditatis petitione speciali maiores quid nos uoluerint consequi 343.15
in Hæreditatis petitionem quæ res ueniant 342.6
Hæreditatis restitutio 351.1
Hæres cessans præstare legata 354.1
Hæres defuncti personam gerere censetur 429.41
Hæres eadem persona cum defuncto 290.31
Hæres hæreditatem adire quando cogatur 156.11
Hæres institutus perspicuis uerbis exprimatur 134.21
Hæres inuentarij confectionem habet intra certum tempus 143.16
Hæres necessarius 175.4
Hæres obstrictus est ad soluenda legata 255.5
Hæres per additionem fit dominus omnium rerũ 343.14
Hæres quadrantem hæreditatis totius sibi seruat 155.5
Hæres quando teneatur ex contractu defuncti 291.35
Hæres scriptus præfertur reliquis testamentum impugnantibus, nisi incontinenti manifestis probationibus declaretur ius rumpendi testamenti 344.22
Hæresis an separet matrimonia 248.63
Hæretici in Ecclesia, quod seditiosi in Rep. 271.1
Hæretici qui ibi.2
Hæretici quibus legibus puniantur ibi.7
Handtschrifften 426.26
Heroës impetu diuino ad res gerendas rapi 41.9
Historia constituti iuris in qualibet forma conferenda 285.14
Historica pars iuris 37.1
Homicidia data opera & cum dolo perpetrata 272.2
Homicidium 14.23
Homo cur sit conditus 4.7
Homo in fructu non est 93.5
de Honorario pacisci aduocato licet 463.17
Honorarium ius 288.3
Honores muneribus non captentur 600.33
in Honoribus deferendis ordo obseruandus ibi.31
Hortensius eliciendæ confessionis artifex 508.3
Hostes olim perduelles 270.3
Humanis hostijs Deum non delectari 9.6
Hypocritæ 12.19

INDEX.

Hypocritæ Iudæi 14 22
Hypotheca quid 214 3
Hypotheca sub pignore comprehenditur ibidem
Hypothecaria actio 355 2. 371 4
Hypothecaria actio est bonæ fidei, & perpetua 372 7
Hypothecarius quasi dominium in fundo habet 93 5
Hypothesis cum thesi conferenda 523 16

I.

Iactus è naui factus 391 11
ἰδιόχειρα 514 12
Idolatria 11 16. 12 17
Iephthe uotum 95 226 8
Ignem in stipulam mittere dicuentos 409 5
Ignominiosa flagitia 456 5
Ignorantia delicti probabilis 17 28
Ignorantia facti & iuris excusat 426 24
Ignorantia iurꝭ excusat fœminas 584 19 & rusticos 590 83
Ignorantia iuris in damnis suæ rei amittendæ non nocet 217 9
Ignorantia iuris in lucris non prodest ibidem 8
Ignorantia non excusat in seruitute amittenda 182 13
Imminutiones actionum 294
Immobiles res inter præsentes decem, inter absentes uiginti annis præscribi 108 5
Immobilia & incorporalia furatur nemo 262 3
Immunitas 592. 1 & 2
Immunitas detur sine enormi læsione aliorum 598 24
Immunitatis causæ 595. 15
Impeditio præscriptionis similis cessationi 110 3
Impensæ ipsarum rerum conseruandarum causa 296 13
Impensæ necessariæ ibi 11
Impensæ uoluptariæ ibi. 12
Impensæ utiles ibi. 11
Imp. contra ius diuinum dispensare non potest 573 12
Imperator quomodo solutus legibus 6 12
Imp Romanus legitimus orbis monarcha 284 13
Imp. tenetur conscientiæ & legibus naturæ 573 14
Imperatorem sola electio facit, non Papæ confirmatio 523 18
Impp. in ciuilibus habent dispensandi potestatem 573 11
Imperatori si quis maledixerit 278 20
Imperatoris electio 572 3
Imperatoris potestas præcipua quæ ibid. 1
Imperij forma mutata 577 1
Imperium apud Germanos quàm diu fuerit ibid. 3
Imperium melioris in imbecilliorem, superioris in inferiorem 40 8
Imperium moderandum 572 7
Implicitè lis quando contestetur 490 8
Impossibile quod turpe 158 9
Impostura criminaliter uindicãda 280 6
Impotentia an thorum separet 248 64
Impotentia ex uiolenta causa 244 21. 249 65
Impuberes immunes 595 15
Impubes doli capax furti accusatur 405 16
Impubes in possess. bon. mittitur 350 20
In continenti 127 16. 202 18
In continenti probatio 507 31
Incantatores atrociter puniuntur 269 1
Incendiarij capite puniuntur 272 9
Incendiariorum pœna 275 8
ex Incendio rapere quis dicatur 274 5
Incœstuosi liberi non sunt in nostra potestate 43 2
Incœstus 273 5
Incœstus perpetuò impedit matrimonium 246 37
Incolæ 599 27.
Incorporales res neq; per traditionem, neq; per usucapionẽ nos recipere possẽ 111 1
Incorporales res non possunt possideri 358 6
Incorporales res quæ 111 4
Indebiti soluti condictio quando locum habeat 374 2
Indebiti soluti obligatio quomodo soluatur 218 17
Indebiti soluti repetitio datur hæredi 217 7
Indebiti soluti repetitionis tempus præfinitum 218 11
Indebitũ ærario restitui coẽgit Cato Vticensis 217 2
Indebitum ciuiliter, & naturaliter debitum esse quiddam potest ibi 6
Indebitum errore datũ restituitur ibi. 4
Indebitum quid ibi. 1
Indebitum quot modis dicatur ibid. 5
Indebitum scienter danti non restituitur ibi. 3
Indebitum soluenti competit Exceptio 218 12
Indebitum solutum repetere 365. 9
Indicijs inhærere & imminuti 517. 3
Indictionalia 595 13
Indictiones ibi. & 593 7
Indigenæ 599 27
Indigno ablatũ applicetur fisco 145 24
Inducere leges 30 4
Inductio à Correlatiuis, item à Contrario sensu ibid. 9
Infamandi affectus spectatur 278 19
Infames 455
Infames infamia facti qui 457. 17
Infamia Canonica 456. 8
Infamia duplex, facti & iuris 456 4
Infamia facti quæ 457 17
Infamia iuris quæ sit 456 9
Infamia notatus nõ existimatur, in quem uel grauior pœna, uel durior sententia, quàm oportuit, lata est 457 15
Infamia quæq; unde oriatur 455. 1
Infamia quid 456 3
de Infamiæ æstimatione iudiciũ inter Cognitionũ genera relatum 455 2
Infamiam suspendit prouocatio à condemnatione infamiæ 456 14
Infans vij. annorum censetur 584 25
Inficiatio calumniosa damnatur 300 30
Inficiatio facti 423. 3
Inficiatione quomodo crescant actiones

actiones 299.28
Inficiationes impudentes pœna aliqua mulctandæ ibi.29
Infinitæ rei infinita regula 28.3
Ingenuitatis affectatæ collusio 52.7
Ingratitudinis actio datur parentibus aduersus ingratos liberos 307.15
Ingratitudinis obligatio 281.6
ad Ingratitudinis actionem nō est satis iniuriola leuis, sed atrox iniuria 308.16
in Ingratitudinis actione quæ censeantur atroces iniuriæ ibi.17
Ingratitudo libertorum 309.5
Iniectio manuum 546.3
Iniectio manuum in Italia excogitata 446.24
Iniuria alterius nemo locupletetur 200.28
Iniuria atrox rescindit donationem 118.28
Iniuria atrox undecunque admetur 408.12
Iniuria ciuiliter intentata 400.7
Iniuria crimen priuatum 260.12
Iniuria fit tripliciter, re, uerbis, literis 727.5
Iniuria inter aleam exercentes 424.15
Iniuria manu facta lege Cornelia coërcetur 277.9
Iniuria quid ibid. 1. 278.1
Iniuria uerbis facta 407.1
Iniuriæ æstimatio 289.18
Iniuriæ condemnatio per iudicem fiat 277.10
Iniuriam æstimare licet, & petere summam pecuniæ 407.3
Iniuriam ex affectu facientis consistere 277.4
Iniuriam facere qui non possint ibi.3
Iniuriarum actio an cedi possit 423.13
Iniuriarū actio annalis 366.14
Iniuriarum actio de contumelia 291.38
Iniuriarum actio ex l. Cornelia uno anno finitur 290.29
Iniuriarum actio infamat 291.42
Iniuriarum actione uindicta quæritur 407.5
Iniuriarum causæ per procuratores tuendæ, ut uitetur ignominia 407.9. 459.13
Iniuriarum obligatio pactis interpositis extinguitur 191.25
Iniuriarum quæstio de pluribus iniurijs 490.10
Iniuriarum qui teneantur 278.17
Iniuriarum realium duo genera 277.12
Iniuriola leuis non est satis ad ingratitudinis actionē 308.16
Innocentem damnare 30.4
Innominati contractus 193 11. 207 8. 257 1
Innominatorum contractuum frequens usus in commercijs 258.8
Inobedientiæ contumacis odium 555.40
Inopiæ aliorum succurrendum 84.17
Inquilini 68.5
Inquilinos legare sine prædijs non ualet 151.11
Inscriptio qualis sit obstrictio 564.9
Instantia iudicij ciuilis triennio, criminalis biennio durat 534.18
Instinctus naturæ 3.1
Institores qui 254.3
Institoria obligatio quomodo soluatur ibi.7
Institoriæ actiones titulis continentur ib.9
Instituti uniuersaliter qui dicantur 135.25
Institutio hæredis est testamenti præcipua clausula 132.3
Instrumenta ædere recusans 415.28
Instrumenta communia 515.20
Instrumenta petuntur actione de ædendo 175.2
Instrumenta propria ædere nemo cogitur 515.21
Instrumenta pugnātia inuicem seſe labefactare 514.17
Instrumenta quando in iudicijs proferenda 514.16
Instrumenti æditionis tempus diligenter annotandum ibi.18
Instrumenti archetypus ædenti reddatur ibi.19
Instrumenti priuati autoritas 512.6
Instrumentis reprobandis exceptio simulationis quando locum habeat 156.26
Instrumento deperdito an possit per Notarium aliud confici 513.9
Instrumentorum comparatio 516.25
Instrumentorum reprobatio 515.22
Instrumentum authenticum ut habeatur, quæ requirantur 512.7
Instrumentum priuatum quod 512.5
Instrumentum publicum ibid.3
Instrumentum publicum quid probet ibid.6
ad Instrumentum publicum Notarij persona non requiritur, sed publica autoritas ibi.4
Instrumentum quid significet ibi.3
Instrumentum quomodo arguatur esse uitiosum 516.24
Instrumentum ut reprobetur quot testes requirātur 515.23
Intentionis depulsio, seu exceptio 424.5
Inter bonos bene agier 13.21 290.23
Intercessio quid, & quando fiat 377.1
Intercessio quibus modis tollitur 225.5
Intercessio quomodo fiat 214.4
Interdicta coërciones esse ex æquo & bono, cauendarū turbationum causa 323.10
Interdicta dicuntur esse actiones extraordinariæ 419.6
Interdicta duplicia quæ 325.15
Interdicta omnia annua esse 419.7

Interdicta

Interdicta prætorum quid prohibeant 87. 12
Interdicta quæ 323. 4
Interdicta quæ dicantur 305. 6
Interdicta solum uertendi, territorio excedēdi, tecti, aquæ, ignis 565. 21
Interdicta unde orta 323. 8
Interdictis uis arcetur à rebus litigiosis 324. 11
in Interdictis omnibus prius cognosci de possessione, quàm de proprietate 307. 12
Interdicto de precario quando agatur 370. 11
Interdicto Vtrobi, agi possessorio 317. 2
Interdictorū oratio demonstratiua, non enunciatiua 323. 5
Interdictum de aqua pluuia arcenda 415. 25
Interdictum de aqua quotidiana 414. 10
Interdictum de arboribus cædendis ibi. 14
Interdictum de cloacis ibi. 13
Interdictum de fluminibus ibi. 4
Interdictum de fonte ibi. 12
Interdictum de glande legenda ibid. 15
Interdictum, De itinere actuq; priuato 358 7. 414 9
Interdictum de liberis exhibendis 305. 5
Interdictum de libero homine exhibendo 414. 7
Interdictum de migrando 382. 14 414. 16
Interdictum de nunciatione noui operis 415. 21
Interdictum de remissionibus ibi. 22
Interdictum de ripa munienda 414. 6
Interdictum de Riuis ibi. 11
Interdictum de superficiebus 415. 18
Interdictum de tabulis exhibendis ibid. 20
Interdictum de uia publica 414. 3
Interdictum ne quid in flumine publico ibid. 5
Interdictum ne quid in loco sacro fiat ibid. 2
Interdictum quid, ex Theophilo 323. 6
Interdictum, Quod ui aut clam 358 8. 415 23
Interdictum, Quorum bonorum 344 24. 357 19
Interdictum, Quorum bonorū, adipiscendæ possessionis, cui detur 324. 13
Interdictum Saluianum 415. 17
Interdictum Vnde ui 406. 5
Interdictum Vti possidetis 415. 19
Interdictum Vti possidetis, cui competat 384. 6
Interdictum uti possidetis, non denegatur ei, qui cœperit rem uendicare 328. 9
Interesse commune 295. 7
Interesse & usuræ ex mora petuntur 321. 16
Interesse etiam in contractibus innominatis petere licet 394. 9
Interesse etiam in stricti iuris actionibus peti 290. 26
Interesse ex mora peti 393. 4
Interesse, fructus & expensæ extraiudiciales 295. 8
Interesse licitum est accipere & exigere 210. 6
Interesse petitur cōdictione Triticiaria 366. 13
Interesse præstandum 257. 5 259. 4
Interesse quale peti possit 379. 2
Interesse qualiter probetur 537. 40
Interesse quatenus in actione in factum petatur & æstimatur 418. 3
Interesse quid 295. 3
Interesse rei furtiuæ peremptæ aut perditæ 404. 8
Interesse singulare 295. 6
Interesse suum iuramento declarare permittitur 538. 44
Interesse tunc est tribuendū per sententiam, quādo lex permittunt, ut illud tāquam debitum petatur 537. 38
Interesse uocabulo comprehenduntur ea omnia, quæ sibi aliquis decessisse ex aliena iniuria ostendere possit 538. 46
ad Interesse quomodo possit iudex condemnare partem 537. 39
Interpellationum iudicis duo genera 347. 4
Interpretatio legum & statutorum restrictiua 21
Interpretatio legum & statutorum extensiua 23
Interpretatio legum necessaria 19. 1
Interpretatio ociosa & sophistica 29. 26
Interpretatio prudentum in legibus necessaria 22. 1
Interpretatio uerborum 20. 6
in Interpretatione ll. duo spectāda, uerba, & uoluntas conditoris. 19. 2
Interrogatio partis à Iudice fieri potest 500. 9
Interrogationes 481. 33
ad Interrogationes non respondens pro confesso habetur 453. 25
Interrogatoriæ actiones sublatæ 481. 33
Interrogatoriorum duo genera 504. 14
Interruptio præscriptionem quid 110. 4
Interruptio præscriptionis prodest omnibus qui habent ius in re ibid. 5
Intestabiles qui habeantur 133. 14
Inuasorem leges execrantur tāquam uiolatorem iustitiæ & honestatis 102. 23
Inuenire res quid 90. 1
Inuenta à domino loci, concedūtur eidem, si ignoretur, cuius fuerint 333. 3
Inuentarij beneficium 176. 15
Inuentarij confectio 143. 16
de Inuentario conficiendo 176. 15
Inuentarium est subsidium legis 143. 17
Inuentarium pupilli 313. 3
Inuentio rerum 90. 1
Inuentoris fieri, quod alterius nō est ibid. 2
Ioannes Glossator 307. 14
Ioannis Glossatoris arbor actionum 419. 8
Ioci superuacui 220. 14
Iudex ad agendum de crimine sine accusatore procedere non potest 402. 20

repeti, aut depositi, aut mandati 340. 26
Parapherna inter donationes sponsalitias numerari. 340.25
Paraphernalia bona exigit mulier 325.51
Parentes & liberos naturalis necessitas obligat 130.47
Parentum beneficium ne liberorum æs alienum soluat 20.6
Parentum & magistratus reuerentia 14.[illegible]
Parentum honori & priuilegium 571.15
Parentum religio minuit liberis suum ius 170.19
Parentum uerecundiæ parcendum 413.6
Parietes perforantes furti faciendi causa inter effractores numerari 276.3
Parricidij accusati & absoluti 523.9
Parricidij pœna 272.5
Parricidij pœna à Romulo cur nulla constituta ibid. 1
Parricidium Romæ sexcentis annis nullum perpetratum ibid. 2
Partiarij conductores 234.4
à Particulari ad uniuersale argumentum affirmatiuum non ualet 470.17
Partus sequitur conditionem matris 69 2. 93 3
Pater recusans alere filium 542 11
Pater semper tenetur de peculio filij, qui pro alio fideiussit 222 4
Patientia pro consensu habetur 252 7
Patientia pro traditione habetur 101 13
inter Patrem & filium actio, si negentur alimenta 44 7
inter Patrem & filium ciuilis obligatio esse non potest 44. 6
Patria potestas quæ, & quanta 43. 1
Patria potestas quomodo pereat 47. 1
de Patria potestate quæstiones 48. 9
Patriæ potestatis acquisitio 45.1
Patriæ potestatis differentia sublata 167. 24
Patriæ potestatis effectus undecim 43. 3
Patriæ potestatis ius 305. 1
Patriæ potestatis priuilegium 578. 1
Patricius est principis consiliarius 47. 5
Patris familiàs boni est explorare suos, & innocentem habere familiam 283.7
Patrocinium aliorum in iudicio suscipere quibus sit prohibitum 455. 4
Patrocinium an quis in eadem causa diuersis partibus præstare possit 462. 6
Patronatus ius 308.1
Patronatus ius acquiritur manumissione 51.1
Patronatus ius Ecclesiasticum 312. 2
Patronatus Ius Ecclesiasticum non licet uendere, sed cõmutare 54. 5
Patroni causarum 461.2
Patroni & liberti egentes inuicem se alant 309. 2
Patroni ius suum quomodo amittant 53. 1
Patroni potestas in libertũ ingratum 49. 5
Patroni quomodo succedant libertis 172.4
Patronis reuerentia debita in quibus consistat 49.2
Patrono mercedem pro operis à libertis exigere an liceat 53. 5
Patronorum onus 54. 3
Patronorum potestas in libertos 48
Patronorum priuilegium 571.15
Patronorum successionis historia 172. 5
Pauperies à quadrupede facta 413. 3
Paupertas non facit ignobilem 74.19
Paupertas quatenus excuset à muneribus 597. 21
Paupertatis respectus habendus 97. 6
Pecora quæ 279.6
Peculatus conuicti deportantur 264. 6
Peculatus crimen quando committatur ibid. 3
Pecunia numerata cur condictione Triticiaria nõ petatur 366.10
Pecunia publica quæ habeatur 264.4
Pecuniæ cogendæ cura 594.12
Pecuniæ non numeratæ denunciatio qualiter fiat 427.27
Pensiones urbanorum prædiorũ profructibus accipi 296. 9
Pensionis annuæ præstatio non præscribitur 113.10
Pensionis depositæ æquitas 237.7
Pensitationes publicæ 593.7
Perangariæ 687. 594 11
Perduelles olim, nunc hostes 270. 3
Peregrini quibus contributionibus teneantur 599. 28
Peremptio actionis 240.12
Peremptorij uim obtinent tres denunciationes 444.7
Peremptorium terminum quãdo exprimi opus sit 470.18
Peremptorius terminus dilationis 469.14
Perfidia in societate 292.48
Perfidiam in hominibus nemo satis cauere potest 330.4
Periculo se nemo temerè cõmittat 84.15
Periurijs patefacienda ea non sunt, quæ absq; magno incommodo litigantium definiri alio modo possunt 537.42
Periurus semper præsumitur peieraturus 518. 9
Permutari res aliena, quæ potest reposci, non potest 258.5
Permutatio ab Emptione quomodo differat ibid. 4
Permutatio & transactio contractus innominati 395.11
Permutatio, qualis contractus 193.12
Permutatio rerum cõtractus est innominatus 258.2
Permutatio uctus est forma distrahendarum rerum & commerciorum 229. 1

Permutationis & Emptionis est magna similitudo 258. 3
Peroratio in fine fit, epilogus in medio 527. 2
Perorationis loci ibid. 3
Perpetuæ actiones 311 15 319 16
Perpetuæ actiones xxx. annorum 290. 27
Perpetuò, id est, xl. annis 539. 56
Persecutoriæ rei actiones 289. 12
Persequi quid 286. 4
Persæ temulenti consultant 6. 6
Persona personæ addita per carnis copulam, mutat genus, non gradum 245. 32
Personales actiones omnes perpetuæ 393. 5
Personalis actio nascitur ex contractu 291. 33
in Personam actio 289. 10
Personarum æqualitas 3. 1
Personarũ commendationes quæ, & unde 72. 2
Personarum incompetentium reiectiones 425. 18
Petens quod redditurus est, dolo facit 426. 21
Petens rem, si succubuerit, cùm eam peteret ab eo, à quo quis eam accepit 542. 12
Petentium plus, condemnatio 481 34
Petitæ rei descriptio & circũstantiæ requiruntur 293. 56
Petitio conuentionis 476 6
Petitio hæreditatis 841 1
Petitio inepta, quam uis causæ, quæ ex quoquo casu existit, non urget 332 2
Petitiones 286 5
Petitiones ex mora quomodo crescant 298 21
Petitiones mutuæ mutua uicissitudine iudiciorũ simul tractentur 486 7
Petitiones quibus casibus minuantur 300 33
Petitionis causa in qualibet actione exponenda 301 3
Petitorij & Possessorij iudicij concursus 326 1. 539 62
Petitorio & possessorio simul agere eadem pars potest, dum modò intendens sibijpsi non sit contrarius 318 7
Petitorio né, an possessorio experiri præstet 302 6
Petitorium & possessorũ iudicium si concurrant, prius fit executio super petitorio, sed in proferenda sententia prius de possessione quàm de proprietate iudicandum 547 36
Petitur plus, quatuor modis 481 32
Petrus significat Ecclesiam, cùm claues illi à Christo committerentur 575 8
Petulantia morum & uerborum in Aduocatore prehenditur 462. 4
Philosophi qui 595 16
Phocæ Imp. edictum, Vt omnes Ecclesiæ Romanæ obedirent 575 11
Pictura in muro alterius cui cedat 95 5
Pietatis causa pleraq; pro iure habentur 91 7
Pietatis habendaratio 468 8
Pignora accepta alijs pignori obligari licere 373 14
Pignora omnibus contractibus adijci queunt 215. 13
Pignora Prætoria cautionis causa capta 373. 19
Pignora prætoria interfationes censeri 474. 22
Pignora prætoria quando repetantur 373. 16
Pignorationes pro alijs personis uocantur repressaliæ 215. 18
Pignoratitia actio ab Hypothecaria quid differat 371. 5
Pignoratitia actio est perpetua & bonæ fidei 372. 7
Pignoratitia actione repetitur res pignoris loco data, post solutionem debiti 371. 2
in Pignoratitia actione fructus in sortem cõputari 373. 15
Pignoratitia contraria creditori datur 371. 3
Pignoratitiæ & Hypothecariæ actionum obligationem ex cõsensu nasci 372
Pignore pluribus promisso ab eodem, uter præferatur ibi. 8
pro Pignore & Hypothecaria actiones 371. 2
Pignori dari quæ possint 214. 9
Pignori dari res alienæ quomodo possint 215. 12
Pignoris à Vasallo dati fructus retinet Ecclesia 210. 8
Pignoris fructus in sortem computari 210. 9
Pignoris non deteriorandi reprobitio 420. 9
Pignoris non reddendi pactum inutile 215. 17
Pignoris obligatio quando cõsistat, uel non 382. 11
Pignorum differentia 214. 5
Pignorũ soluendorũ modi 216. 23
Pignus à creditore suo repetens offerendo debitum in iudicio auditur 552. 9
Pignus apud debitorem præscribi xl. annis 113. 12
Pignus conuentionale 214. 8
Pignus & Hypotheca quomodo differant ibi. 4
Pignus iudiciale ibid. 7
Pignus ne distrahatur, nisi denunciatum sit debitori 216. 21
Pignus obligatum manere potest nonnunquam, debito soluto ibi. 24
Pignus prætorium quid 214. 6
Pignus quemadmodum tacitè contrahatur 215. 14
Pignus quid 214. 2
Pignus reposci intra biennium potest 216. 22
Pignus uendere quando licet 215. 20
Pignus unde dictum 214. 1
ad Pignus luendum biennium datur humanitatis causa 451. 18
inter Pignus iudiciale & cõuentionale differentia 373. 17
Pittaci lex 1. 6
Pius secundus Papa interdixit ne quis prouocet à Papa ad generale concilium 577. 5
Plagij pœna capitalis 265. 2
Plagium quid ibid. 1
Planta in alterius solum cõiecta eius fit, cuius est solum 97. 1
Plus petitiones 481. 32
Plus petitionum pœna 289. 19

INDEX.

Pœna grauior iusto non infamat 457.15
Pœnæ pecuniariæ quædam actoribus conceduntur, quædam fisco 399. 5
Pœnales actiones 389.13
Pœnales actiones à criminalibus quomodo differant 389.15
Pœnales actiones in hæredes non transeunt 405.17
Pœnales actiones sunt temporales 335. 2
ad Pœnam non procedendum antequam de crimine inquiratur 401.24
Pœnitentiæ damnum sentire 394.10
Pœnitentiæ locus in contractibus quando 257.4
Politiarum quatuor formæ 77.1
Politica administratio à ministerio Euangelij differt 76.3
Politica nobilitas 72.1
Pollicitatio & pactum differunt 201.4
Pollicitatio fit reip. Votum Deo 225.1
Pollicitatio in continenti uel interuallo facta 378.7
Pollicitatio non ob iustam causam facta non obligat 225.5
ex Pollicitatione quando nascatur actio 377.2
in Pollicitatione quid spectandum ibid.1
Pollicitationes seruandæ 225.2
Pollicitationum liberatio quomodo fiat 226.9
Polygamia Romanis ll. prohibita 248.42
Πολυσημία & ἀμφιβολία uitiant stipulationem 220.15
Pompeia lex in Parricidas 272.7
Pomponius Atticus 17.28
Pontifex 597.21
Populator agrorum nõ requisito iudice occidi potest 37.2
Populus quid 78.2
Populus Romanus potestatem suam in Impp. trãstulit 572.2
Porcus uenditus, mortuus 204.36
Positiones quæ dicantur, & quid in eis cauendum 500.4
Positiones quando & quomodo faciendæ ibid.8
ad Positiones non respondens pro confesso habetur 453.25
ad Positiones respondendũ sub pœna confessionis 500.10
Possessio à dominio quid differat 103.30
Possessio an solùm animo acquiratur ibid.27
Possessio bonæ aut malæ fidei quæ 102.16
Possessio bonorum ordinaria & extraordinaria 349.16
Possessio bonorum quid 347.3
Possessio bonorum secundũ tabulas quæ 348.10
Possessio bonorum secundum tabulas quibus detur ibi.13
Possessio bonorum Vnde liberi, ad quid prodita ibi.12
Possessio ciuilis 85.5
Possessio cum proprietate misceri non debet 102.15
Possessio duplex 85.4
Possessio & Dominium 327.1
Possessio & dominium sibi mutuam acquirendi causam præbent 100.2
Possessio imperiorum, iurisdictionum, & dignitatum potentia acquiritur 102.14
Possessio iusta ibi.19
Possessio naturalis 85.5
Possessio naturalis quomodo acquiratur 100.4
Possessio non tantùm corporis, sed iuris etiam est 66.12
Possessio animo citra corporis apprehensionẽ acquiri non potest 103.26
Possessio per se magnas habet commoditates 327.3
Possessio quando amittatur 103.31
Possessio rerum immobiliũ quando & quomodo amittatur 104.38
Possessio rerum incorporaliũ patientia amittitur ibid.39
Possessio solo animo retineri potest 103.29
Possessio suas habet commoditates 320.4
Possessio uera non tantùm facti, sed iuris est 101.7
Possessio uera quæ dicatur ibi.5
Possessio uiolento casu amittitur 103.32
quasi Possessio 85.7
de Possessione ferè per interdicta agi 823.1
de Possessione prius, quàm de proprietate pronunciandum 539.62
de Possessione si sit certamen, superior sit, cui meliori ex causa possessio debetur 383.4
Possessionem ignorantia amittamus quomodo 104.37
Possessionem solo aspectu adipisci 101.10
ad Possessionem ueram acquirendam quæ requirãtur ibi.8
Possessiones bonorum quomodo hodie impetrentur 350.17
Possessiones bonorum recensitæ & explicatæ 348.9
Possessionis adipiscendæ, retinendæ, & recuperãdæ actiones 322
Possessionis bonorum impetrandæ tempus constitutum 350.19
Possessionis causa prius terminetur, quàm de dominio agatur 327.4
Possessionis quæstio rei uendicationem impedit 320.2
Possessionis retinendæ interdicto agenti non obstat dominij exceptio 328.11
Possessionis titulus probandus 510.46
Possessionis uocabulo ll. diuersa significatione utuntur 100.3
Possessionum acquirendarũ & amittendarum modi ibid.1
Possessor bonæ fidei lucratur fructus ante litiscontestationem perceptos 321.12
Possessor bonæ fidei retinet fructus industriales perceptos 297.15
Possessor bonorum quis dicatur 350.18
Possessor malæ fidei 296.10
Possessor malæ fidei nullo tempore præscribit 114.6 335.2
Possessor malæ fidei tenetur

de fructibus ante uel post litis cõtestationem perceptis, etiamsi habet titulum 321.12
à Possessore dominium rei & possessio quomodo acquiratur 333.4
à Possessore malæ fidei res petere rem suam rei uendicatione licet 404.6
à Possessore malæ fidei tradita res non potest præscribi 331.10
Possessorem in sua possessione propria turbare domino non licet, etiamsi eius iniuria eam teneat 328.10
Possessores omnes lite contestata haberi pares 321.15
Possessori causa sui iuris in re possessa allegãda 335.4
Possessorio agens excluditur probato in continenti dominio propter euidentiam possessionis 329.13
Possessorio ne, an petitorio experiri præstet 302.6
Possessoris bonæ fidei prærogatiua 342.10
Possessorium & petitorium iudicium si concurrat 539.62
Possidens animo solùm, quando possit uideri deiisse de possessione 326.16
Possidere, & in possessione esse differunt 85.5
Possidere in solidum eandẽ rem duo non possunt 212.4 384.8
Possidere iniustè quis dicatur 102.17
Possidere naturaliter & ciuiliter simul 85.6
Posta 554.11
Posthumus rumpit testamentum 374.6
Postliminij ius 103.35
Postulare in iudicio qui possunt, uel non 454.3
Postulare pro alijs qui prohibentur 455.6
Postulare quid 454.2
Postulationis libellus à iudice porrigendus reo 466.14
Potentiorum artibus sæpe impediri tenuiores 113.13
Potestas personæ in personam 430.42
Potestates personarum non reprehendendæ 41.11
Potestates sunt ἐνέργειαι 77.5
Potestatis personarũ diuisio 42
Præcepta 8.4
Præcepti de non occidendo restrictio 225
Prædia rustica terminis, urbana parietibus distinguuntur 361.7
Prædia rustica unde æstimentur 180.7
Prædia urbana cur dicantur ibid. 6
Prædo quis sit 101.9
Prædo interitu rei non liberatur 326.17
Prædo quis dicatur 274.2 & 6
Prædones inter fures numerari ibi. 1
Præfectus Augustalis in Aegypto 79.13
Præfectus prætorio ibi. 12
Præiudiciales actiones cur dicantur 307.10
de Præiudiciali quæstione primùm iudicandum 488.7
Præiudicialis actio alia ciuilis, alia prætoria 306.7
Præiudicialis actio de libertate 318.7
Præiudicialis contraria actio quibus detur 319.15
Præpositi negotiorum 253
Præpositio certam legem dat contrahentibus 254.6
Præpositio mandatũ quoddam esse uidetur ibi. 8
Præscribendi iustæ causa quæ 111.8
Præscribuntur res immobiles, usucapiuntur mobiles 107.7. 108.2
Præscriptio actionum in factum 419.9
Præscriptio x. annorum si sit probanda 510.46
Præscriptio & usucapio in quibus differant 108.4
Præscriptio & usucapio sunt certa temporũ spacia 103.24
Præscriptio exceptionum 432.58
Præscriptio filiofam. non currit in aduentitijs 113.8
Præscriptio firmam facit consuetudinem 7.13
Præscriptio interrumpitur ciuiliter & naturaliter 110.1
Præscriptio longi temporis quæ sit 108.6
Præscriptio longissimi temporis an iure Canonico sit sublata 114.7
Præscriptio longissimi temporis est perpetua 112.9
Præscriptio longissimi temporis etiam absq; titulo existere potest 111.9
Præscriptio longissimi temporis quando locũ habeat 112.4
Præscriptio longissimi temporis quibus modis interrumpatur 114.2
Præscriptio longissimi temporis ut tardissimè perficitur, ita nulla citius interrumpitur ibid. 1
Præscriptio non currit cõtra minorem 586.47
Præscriptio odio negligentiæ introducta 109.10
Præscriptio xl. annorum 113.12
Præscriptio quando cesset 110.2
Præscriptio quando interrumpi dicatur ibi. 4
Præscriptio rerum incorporalium 111
Præscriptio sacrarum rerum 113.14
Præscriptio semper interrumpitur per litis cõtestationem 110.7
Præscriptio sine titulo non præbet causam agendi, sed excipiendi 335.5
Præscriptio xxx. annorum si sit probanda 510.46
Præscriptione longiss. temporis hominũ negligentia punitur 112.3
Præscriptione longissimi temporis omnes actiones tolli 200.27
Præscriptione seruitutes acquiruntur 181.10
Præscriptione xxx. annorum tolli omne ius agendi 113.11
Præscriptione utile, usucapione directum dominiũ acquiri 109.8
ex Præscriptione sola nullam oriri actionem 335.1

ad Præscriptionem an autorum nostrorum possessio nobis prosit 109. 11
ad Præscriptionem iustus titulus, bona fides, & continua possessio requiritur 108, 3
ad Præscriptionem longissimi temporis non requiritur bona fides 112. 5
ad Præscriptionem longissimi temporis quæ requiruntur 113. 7
Præscriptiones inter exceptiones referri 335. 6
Præscriptiones temporales 112 8
Præscriptionis ius ex qua causa sit 108. 1
Præscriptionis ius malæ fidei possessorem non adiuuat 95.7
Præscriptis uerbis actio in conuentione pacti datur 208.19
Præscriptis uerbis actio quando detur 258. 7
Præscriptis uerbis actione ad præstandum interesse cogi cessator potest 259. 4
Præscriptis uerbis agere quid 394. 2
Præsens in iudicio an debeat citari 443. 4
Præsens quis 376.3
Præsentatio 312. 3
Præsentes qui. 108 7. 220 12
Præsidentium autoritate & iudicio iuuari & componi res humanas 420.
Præsumptio aperta 518. 4
Præsumptio iuris ibid. 8
Præsumptio iuris & de iure ibi.
Præsumptio necessaria 518 5
Præsumptio probabilis 517. 3
Præsumptio quid ibid. 2
Præsumptio temeraria ibi.
Præsumptio triplex ibid.
Præsumptio uiolenta 518 5
Præsumptiones à probationibus quomodo differant 517. 1
Præsumptiones in factis significatiuis ex causis 518. 10
Præsumptionũ duæ species ibi. 7
Prætoria actio de iniurijs 277. 11
Prætoria cognitio idem quod officium iudicis 305.4
Prætorij pignora 373. 16 ibid. 19
Prætoriæ actiones quæ 288. 6 390. 5
Prætorij iuris ambages cautè cauendæ 348.8
Prætorium ius 288.3
Prætorium ius in petitione hæreditatis 346.1
Præuaricationis crimen odiosissimum & simile latrocinio 412.5
Præuaricator quis 267. 4
Præuaricatoris pœna extraordinaria ibid. 6
Pragmatica sanctio 35
Precarium in re propria consistere nequit 212. 5
Precarium quid ibi. 2
Precij arbitrium in tertium conferri non potest 230. 11
Precium rei familiaris ignorare, negligentis est, & supini 233. 38
Presbyteri nõ torqueantur 588. 68
Primipilaris 597. 21
Primogenituræ ius in Anglia 6. 7
Princeps potest remittere alicui onera publica 598.22
Princeps solutus legibus, quomodo intelligendum sit 526.39 572. 5
Principali concesso & accessorium permissum uideri 30. 8
Principes seculares ad Concilia admitti 576. 21
Principis esse maledicta contemnere 278.21
Priua ueteres singula dixerunt 567. 3
Priuata crimina quæ 260.
Priuata delicta defunctorum 291.39
Priuatis non concedendum, quod per magistratũ publicè fieri possit 446.19
ex Priuatis delictis actiones 291. 34
Priuigenus non potest donare nouercæ 126. 2
Priuilegia 425 19
Priuilegia ætatis 584. 22
Priuilegia alia fauorabilia, alia odiosa 571.19
Priuilegia aliorum iuri non nocent 567.9
Priuilegia an sint inter leges publicas habenda ibid. 1
Priuilegia artificum 591. 86
Priuilegia conditionis uel ordinis 581
Priuilegia cur dentur 567. 7
Priuilegia dare an liceat ibi.
Priuilegia Dominicæ potestatis 580. 24
Priuilegia & beneficia largius interpretanda 20.6
Priuilegia fauorabilia extendenda 571.20
Priuilegia immodica, moderanda 568. 11
Priuilegia imperatoriæ maiestatis 572
Priuilegia inter publicas leges rectè haberi 569. 21
Priuilegia localia 571. 9
Priuilegia militum 589. 77
Priuilegia ne pugnent ex diametro cum iure publico 568.9
Priuilegia non ex iusta & sufficienti causa citra aliorum iniuriam concessa, pro priuilegijs non habentur 569.22
Priuilegia odiosa restringenda ibi,
Priuilegia ordinum 588. 61
Priuilegia personalia 570.4
Priuilegia personalia cum personis extingui 571.12
Priuilegia personarum aliud nonnunquam obseruari faciunt 142. 9
Priuilegia Pontificiæ Potestatis 573
Priuilegia potestatum inferiorũ ab imperatore & pontifice 577
Priuilegia priuatarum potestatum 578
Priuilegia realia sunt perpetua 571.10
Priuilegia rerum 592. 1
Priuilegia rusticorum 590 83
Priuilegia sacrarũ rerum 113. 14
Priuilegia Scholasticorũ 589. 71
Priuilegia senum 587. 54
Priuilegia sunt iussa de singulis ciuibus concepta 567. 2
Priuilegij definitio 570. 1
Priuilegij uerborum contextus attendendus 571.16
Priuilegio Clericorum omnes & singuli Clerici uti pos-

sunt 571. 7
Priuilegiorum causa, propter quam lata sunt, extendenda 569.20
Priuilegiorum differentiæ 570.3 571. 17 & 19
Priuilegiorũ interpretatio 571.18
Priuilegiorum origo ex ll. xij. Tab. 567.1
Priuilegium aut est corporale, aut personale, aut reale 570.3
Priuilegium aut est generale, aut speciale 571. 17
Priuilegium aut est limitatum aut determinatum ibid.
Priuilegium corporale 570.6
Priuilegiũ personale deficit, cùm personæ cõditio deficit 571 14
Priuilegium quid 567. 6
Priuilegium reale 571.10
Priuilegiũ speciale non debet ab alijs trahi in exemplum ibi. 13
Priuum, idem, quod singulare 570.2
Procuratores Cæsaris 79.11
Procuratores constituere qui possint 459.12
Procuratores constitui qui possint ibi.10
Procuratores nobis iure mandati acquirere 104.3
Procuratoris à nuncio differentia 458.2
Procuratoris diligentia qualis requiratur 459.14
Procuratoris falsi exceptio opponi potest quocunq; tempore iudicij 465.4
Procuratoris mandatũ exhibendum ibid. 3
Procuratoris nomen generale 458.7
Procuratoris recusatio 466.12
Probandum est illud, quod in iudicium deductum est 497.6
Probanti noti sine modi, quibus quodq; ius constituitur 504.5
Probare nemo debet, quod probatum eius causam non adiuuet 503.4
Probatio docendi iudicis, non partis causa fit 497. 8
Probatio eorum, quæ ante appellationẽ cœpta sunt probari, in eadem instantia iterata, propter suspitionem subornationis, phibetur 552.12
Probatio facti 498.18
Probatio in continenti quando fiat 507. 31
Probatio incumbit ei qui dicit, non ei qui negat 498 16
Probatio iuris ibi.18
Probatio plena ibid. 20
Probatio quid 497.5
Probatio semiplena 498.20
Probatio sufficiens adferenda 462. 12
Probationes à præsumptionibus quomodo differant 517.1
Probationes artificiales 498.17
Probationes artificiales uocari disputationes 522.1
Probationes in criminalibus sint luce clariores 563.7
Probationes inartificiales 498.17
Probationis articulos ponere quid sit 504. 6
Probationum duo genera 498.17
Processu iudiciali quædã temporis cursu terminantur 111.6
Processus ex plano quis dicatur 437.10
Processus iuris, est quædã collectio rituum & temporum in iudicio obseruandorum 433.57
Processus iuris quid 435. 2
Procurator ab Aduocato differt 462. 3
Procurator ad litem datus quã habeat potestatem 460.16
Procurator esse qui nõ possit 457. 16
Procurator in criminalibus causis nõ ualet, iniuriarum causa excepta 459 13
Procurator in rem suam ibi.15
Procurator inuitus constitui non potest ibid. 11
Procurator non præstat Iuramentũ Calumniæ 495. 11.
Procurator quis dicatur 458. 9
Procurator rei dominus litis 460.17
Procurator sine satisdatione non admittitur ad defendendum aliquem 472. 10
Procuratorum functio necessaria 455.7
Procuratorum suorũ delicta dominiuere nõ coguntur 546.27
Prodigo bona distrahenda mandare 412.3
Prodigus quis 64.2
Proditionis pœna grauissima 270.7
in Proditionis crimine punitur conatus ibid. 6
Professoria bona tantùm cõferenda 353. 7 & 11
Professores gaudent omni immunitate cum uxoribus & liberis 589.76
Professorib. liberalium artiũ præmia non cõstituta, cognitione iudicis decernuntur 286.9
Prohibita natura simul & legibus 158. 8
Prohibitũ lege, non permittendum 568.14
Proletarij 21. 7
Promissa præstanda 189. 9
ad Promissa præstanda quibus actionibus cogamur 367.5
Promissa uestis, nec præstita opera 193. 6
Promissæ rei traditio debetur 259.6
à Promissis turpibus etiam iuramento firmatis recedendum 225.4
in Promissis malis rescindenda fides ibi. 3
Promissam rem animo donandi quibus actionibus consequamur 335. 2
Promissor eadem forma conuenitur, qua intercessor 377.2
Promissum dare cessans dali obligatione tenetur 258.6
Promittendi rei plures fieri possunt 220.9
Promittentiũ aliquid mera liberalitate priuilegium 123.36
Pronuncians citò, ad pœnitendum properat 463.14
Pronunciatio iudicis quæ sit habenda pro sententia 532.11
Propolæ pro usurarijs habendi 75.31
Proprietarius ab Vsufructuario cautionẽ exigere potest 184.11
Proprietas sermonis & uerborum 152. 23
Proprietas uerborum in legibus obseruanda 205

Proprietatis & possessionis causa concurrens 318.3
Proprium habere Christianis licet 82.11
Proprium possidere an Christiano liceat 81 3
Proprium tenendi modus 85.1
Prorogatores litium duabus libris auri puniuntur 464.23
Proscriptionis usus alius apud Romanos olim fuit, quàm Banni hodie apud nos 565.16
Protestatio de iure excipiendi 466.13
Protestatio partis de excipiendo contra personas & dicta testium 505.19
Protocollo an habenda sit fides 513 10
Protocollum quid ibi 8
Protutelæ actio 314.17
Prouinciarum Imperij diuisio 79.9
Pubertatis finis in masculo est xiiij. anno, in fœmella xij. 62.2
Puberum actio contra curatores 316 1
Publica autoritate abutentes sui cõmodi causa, inter falsarios numerantur 268.4
Publicani 416 33
Publiciana actio absq; præscriptione non competit 331.15
Publiciana actio ad quid, & cur detur 330.3
Publiciana actio unde uocata 322 22. 330 2
Publiciana experiri qui non possint 331.11
ad Publicianam actionem quæ requiruntur 330.6
Publicum munus ut quis consequatur, pecuniam nonnunquam offerre potest 268.2
Puer culpam admissam non fert impunè 584.27
Puer xvij. annorum censetur 584.25
Puerilia priuilegia ibi 23
Pulsare quid 277.7
Pupillarium rerum surreptio pœna digna est 314.16
Pupilli amicus curam bonorum illius gerens, ad quid teneatur 580.17
Pupilli pecunijs tutor non conducet uectigalia 56.9
Pupilli res non sint ociosæ 56. 8
Pupilli res quas tutori liceat diuendere, uel non ib.12
in Pupilli rebus admissus dolus seu culpa 579.10
Pupillo sufficientia & conuenientia alimenta præstentur 56.6
Pupillorum priuilegium aduersus alios 580.19
Pupillorum priuilegũ, ut cæteris creditoribus omnibus præferantur in bonis tutorum & curatorum ibi.15
Pupillum indemnem seruare qui teneantur 61.27
Pupillus absq; tutoris autoritate non obligatur 56.13
Pupillus ex Inuentario probat res ad se pertinentes 313.3
Pupillus magistratum conuenire quando possit ibi.8
Pupillus non tenetur negotiorũ gestori in solidum 255.6
Pupillus præfertur alijs creditoribus 313.2
Pupillus sine tutoris autoritate hæreditatem adire non potest 56.14
Pupillus ubi sit alendus ibi 7
Pyrrhus ebrioforum maledicta contempsit 278.22
Pythagorici reprehensi à Cicerone 31 8. 527 47

Q.

Quadrantem hæreditatis totius hæres sibi seruat 155.5
Quæsitum à pluribus facilius inuenitur 463 15. 528 3
Quæstiones ab indiuidua facti specie ad ipsorum genera transferendæ 523.20
Quæstionibus pluribus propositis iudex uideat, de utra prius cognoscat 487.1
Quanto minoris, actio 380 7
in Quarta deducenda, quid sequendum 156.9
Quartæ retinendæ potestas cui detur 351 5. 356 14
ex Quasi contractu orta obligatio 255.1
Quasi contractus quas actiones gignat 395
Quasi contractus quomodo nascatur 194.15
Quasi delicta quæ uocentur ibid.18
ex Quasi delicto quæ obligatio nascatur 282.1
Quasi possessio rerum incorporalium est 85.7
Quasi Seruiana actio 371.4
Querela falsi est subsidium impugnandæ sententiæ 540.70
Querela inofficiosi test. est subsidiarium auxilium 343 18
Querela inofficiosi testamenti extinguitur quinquennio 344.20
Querela inofficiosi testamenti quibus detur 343.19
Querela inofficiosi testamenti rescinditur testamentũ 542.10
Quitanzen 426.26
Quod metus causa 398.11
Quorum bonorum interdictum 344.24

R.

Raptor raptam iure Caronico ducere potest 274.12
Raptores iudicio publico damnari posse 406.10
Raptus est perpetuum impedimentũ matrimonij 246.37
Raptus pœna mors 274.11
Raptus quid 273.7
ex Rate rapiens, prædo 274.6
Ratihabitio 256.7
Ratihabitio donationum 128.25
Ratihabitio mandati quando fiat 252 8
Ratio firmior & æquior quæ habenda 33.10
Ratio moderator μικροκόσμου 11.14
Ratio nuda non facit debitorem 398.9
Ratio quæ potior habenda 32.1
Ratio sana absq; lege, iuris habet autoritatem 31.9
Ratio sana & firma anteferenda humanæ autoritati ibi.7
Ratio sana iuris habet autoritatem, & exemplis ac glosis, doctorumq; opinio-

nibus præferenda 31.1
Rationale dictum moueat iudicem, sicut lex scripta 31.4
Rationes mercatorum an obligent 227.7
Rationes mercatorum quid probent 514.13
Rationum distrahendarum actio 314.15
ex Re iudicata uictori non solum Exceptio, sed & Actio in factum competit 541. 3
Receptorum pœna 276.1
Reconuenti procurator fit reus 473.13
Reconuentio 486.1
Reconuentio coram Arbitro non habet locum ibi.4
Reconuentio dat iudicem 442.14
Reconuentio est iure Romano permissa 486.2
Reconuentio fiat ante litis contestationem 487.8
Reconuentio non habet locum in omnibus causis ibi.9
Reconuentio quatenus admittatur 486.3
Reconuentio quibus casibus admittatur, aut non 488. 5
in Recusandis suspectis iudicibus Canonistarum traditio 549.7
Recusandorum iudicum licentia improbanda ibi.5
Recusatio personæ Actoris, Aduocati, uel Procuratoris 466.12
Recusatio suspecti iudicis 548.2
de Redhibendo actio 392.13
Redhibitoria actio 388.8
Redhibitoria actio emptioni contractui succurrit 288. 5
Redhibitoria actio quo casu detur aduersus uenditorem 233.34
Reditus oppignorari posse 214.10
Regaliæ 68.7
Regionum quædam peculiaria flagitia 280.2
Regnandi ius 76.1
Regnum Christi 574.3
Regula Catoniana 151.18
Rei deliberatio de lite suscipienda 466.16
Rei iudicatæ autoritas 541.2
Rei iudicatæ usuræ petuntur, ut pœna cessationis 545.17
Rei persecutionem habentes actiones pro perpetuis habentur 311.15
Rei persecutoriæ actiones 289.12
Rei uendicatio directa, & Publiciana quandoq; simul intentari possunt 330.5
Rei uendicatio directa datur dominium in re habenti 321.8
Rei uendicatio directa quando competit 318.6
Rei uendicatio est actio temporalis 322.21
Rei uendicatio est stricti iuris, & arbitraria ib.20
Rei uendicatio non datur pro hæreditate 320.6
Rei uendicatio pro seruo nostro directa datur 317.1
Rei uendicatio qualis actio, quibus, & contra quos detur 320.1
Rei uendicatio utilis datur quasi dominium in re habenti 321.9
Rei uendicatione agi ex causa dominij 305.2
Rei uendicatione repetere rem suam à possessore malæ fideilicet 404.6
Rei uendicatione res incerta peti non potest 321.17
in Rei uendicatione specialis rerum circumscriptio requiritur ibi.18
Rei uendicationem possessionis quæstio impedit 320.
Rei uendicationis fundamentum est dominium ibi.3
Rei uerbum generale, corporalia & incorporalia complectitur 365.5
Relatio ad priorem iudicem quando fiat 561.70
Relatio causæ partibus consentiendo facienda est 529.6
Relatio, Iudicis est subsidium potius, quàm partium 549.10
Relationes partibus ædendæ 528.5
Relicta indignis debentur fisco 585.38
Religio excusat à muneribus publicis 596.19
Religio parentum minuit liberis suum ius 170.49
Religionis ingressus liberat à sponsalibus 244.25
Religionis reuerentiam magistratus conseruare debet 271.6
in Rem actio 289.9
Remissio causæ ad superiorem iudicem quando & quomodo fiat 529.7
Remunerationum obligatio 189.8
Renunciatio similis pacto de non petendo 428.32
Renunciatio societatem distrahit 240.12
Renouationis pactum de non reuocanda donatione 118.23
Reo absoluto contumax actor semper in expensis condemnatur 449.7
Reo xx. dies deliberandi dantur 469.13
ad Repetendas res suas certum temporis spacium omnibus est constitutum 106.4
Repræsentationis ius cessat 169.39
Repressaliæ quæ 215.18 446.21
Repressaliorum tractatus Bartoli 215.19
Repudium uxoris 35
Rerum cognitio Methodica habenda 526.43
Rerum diuisio 86.1
Res acquiri iure ciuili duppliciter 105.4
Res derelictæ 90.4
Res distrahi inter homines uarijs imposturis 330.1
Res diuinæ in nullius sunt bonis 87.5
Res furtiuæ aut ui occupatæ non usucapiuntur 107.12

INDEX.

Res humanæ aut publicæ, aut priuatæ 87.6
Res inter alios acta, alijs non nocet 542.9
Res iudicata 541.1
Res iudicata an illis solum præiudicet, inter quos iudicatum est 542.8
Res iudicata præiudicat omnibus petenib. rem, quã cùm peterent ab eo, à quo quis eã accepit, succubuerunt, ibi.2
Res iudicata quæ habeatur 429.37
Res nullius occupanti conceditur 89.1. 301.5
Res nullius quæ sint 89.2
Res publicæ an acquirantur 87.8
Res quid significet 5.2
Res quomodo per uniuersitatem acquirantur 105.5
Res religiosæ 86.3
Res sacræ ibidem
Res sanctæ ibidem
Res singulæ quomodo acquirantur 105.5
Rescissoria act. cui detur 322.23
Rescripta non longius extendenda, quàm uerba eorum 568.17
Rescripta principum 35
Rescripto suo princeps significet, se nolle suo beneficio obstare legi 568.15
Reseruata immodica priuilegia esse 574.1
non Respondens pro confesso habetur 453.25
Responsa prudentum legum habent autoritatem 26.
Restitutio minorum in uarijs casibus 586.50
Restitutio quarum rerum nomine petitur, in ijs rebus nihil innouandum 587.53
Restitutio semel impetrata aut negata, repeti non potest 585.35
Restitutionis beneficium 175.8
Restitutionis præsidium est extraordinarium auxilium 586.43
in Restrictione legis à uerbis legis quando recedendũ 23.6
Restringere leges & statuta 22.1
ῥ Ρυπος 525.30
Reuocatio Actoris & Syndici 461.18
Reuocatio attentatorum & innouatorum 558.53
Reus absoluatur actore non probante 498.19. 519.8
Reus ad certamen descendere quomodo debeat 484.1
Reus ad positiones uel interrogationes non respondens, habetur pro confesso 453.25
Reus comparens per se, uel per procuratorem 464
Reus contumax 449.8
Reus quando uinciendus & custodiendus 564.10
Reus quandoq; in id, quod facere potest, condemnatur 300.34
Reus satisdat de iudicato soluendo 473.13
Rhodia lex de iactu è naui facto 391.11
Rigor legum moderandus benignitate imperatoria 573.8
Romæ monarchia fuit initio urbis 79.1
Romæ sub Augusto Cæsare primùm cœpit esse monarchia ibid.8
Romana dignitas in aliam formam mutata 73.10
Romanæ Ecclesiæ an omnes obedire debeant 575.11
Romanum Imperium sæpe mutatum 78.5
Romanum ius 5.10
Romulus regiam potestatem communicauit senioribus urbis 79.2
Rophredi opus formandorum libellorum 376.6
ex Ruina rapiens, prædo est 274.6
Rumor quid 501.3
Rumor suspicionem facit ibi.8
Ruri ne, an in oppido contrahatur, refert 208.12
Rustici à cultura agrorum ad publica munera non uocentur 590.84
Rustici qui 591.85
Rusticorum priuilegia in testamentis, & ignorãtia iuris 590.83
Ruta cæsa 290.21

S.

Sacculary 264
Sacculary & directarij puniuntur pro modo furti 265.5
Sacerdotes Baal 12.17
Sacra nocturna mulierum abolita 4.1
Sacrarum rerum emptio irrita 230.6
Sacrarum rerum præscriptio & priuilegia 113.14
in Sacrilegio circumstantiæ attendendæ 263.2
Sacrilegium fit multis modis ibi.1
Saluianum interdictum 415.17
Saluianum interdictum ad actiones, quæ locatoribus contra colonos dantur, pertinet 370.13
Saluianũ imterdictum cur proditum 382.12
Saluianum interdictum pro Locatore 381.8
Sarcinator quomodo furti accusetur 262.5
Satio 97
Satisdare qui nõ cogãtur 473.15
Satisdare quid 471.2
Satisdatio actoris de prosequenda lite, & iudicato soluendo 466.15
Satisdatio procuratoris, quòd nullos uelit nectere dolos, quò minus de negotio iudicetur 473.14
Satisdatio quæ recipienda ex necessitate 195.29
Satisdatio quando peti possit 471.1
Satisdatio quibus modis præstetur ibi.3
Satisd. extraiudiciales 474.16
Satisdationes extraiudiciales cur exigantur 472.6
Satisdationes iudiciales 472.8
Satisdationes iudiciales cur fiant 471.5
Satisdationes quæ instar actionum sint 474.17
Satisdationũ petẽdarũ iura esse actiones in factum ibi 18
Saulis clemẽtia damnata 11.17

Scele-

Scelerates fouere in præiudicium reip. est uiolare fidem publicam 276.3
Scelerum communio fœda 240,14
Scholastici electionem habent, ubi uelint agere 589.73
Scholastici in peregrinatione sua defendendi ibi. 72
Scholasticorum priuilegia ibi. 71
Scholasticorum supellex non oneratur uectigalibus ibi. 74
Scholasticus absens si læditur, restituitur ibi. 75
Scienter danti indebitum non restituitur 217.3
Scienti aut uolenti non infertur dolus 379. 5
Scismatici in Ecclesia, quod seditiosi in Rep. 271. 1
Scismatici qui ibi. 3
Scismaticos Canonistæ quos uelint haberi ibid. 7
Scismatum tollendorũ potestas concessa Papæ 575.15
Scopelismon facere 279. 1
280. 3
Scribentis animus ex uerbis perspicuè percipiendus 514.15
Scriptum & sententia 19. 2
Scriptum legis 525.30
Scripturæ captatoriæ 152.26
Scripturæ priuatæ non habetur fides, nisi adhibeantur tres testes 213.5
Sectæ unde oriantur 576.16
ad Secundas nuptias mulier intra annum luctus properans, iuxta ll. infamis est, sed Canones eam liberant 247. 43
Seditiosi qui 270.5
Semen in alterius solum cõiectum, eius fit, cuius est solum 97.
Semiramidis lex 10.13
Senatoria dignitas quæ à muneribus ciuilibus liberat 595.18
Senatusconsf. Macedonianũ & Velleianum 570.5
S.C. Macedonianum 218.15
Senatusconsultum Trebellianum 156.10
Senectus sola non sufficit ad dignitatem 72.7
Senes qui 588.5. 597.21
Senex à testimonio dicendo non excusatur 588. 59
Senij priuilegia 584. 23
ob Senium fit missio causaria & honesta 588.57
Sensus intellectui cedat 10. 12
Sensus magis quàm uerba amplectendus 163.15
Sensuum defectu laborans 597.21
Sententia an in personam domini, uel eius procuratoris concipienda sit 535.24
Sententia conditionalis nõ feratur 534. 20
Sententia contra mortuos non ferenda 535. 25
Sententia contra procuratorem lata in cuius bonis facienda sit executio 546. 26
Sententia debet esse certa, & non conditionalis 534.20
Sententia dicitur rei controuersæ in iudicio decisio 533.13
Sententia durior iusto non infamat 457.15
Sententia ex breuiculo reciranda 533. 16
Sententia ferenda, quam acta & allegata requirant 528. 2
Sententia impossibilis, nulla 535. 26
Sententia in absentes non ualet 451. 15
Sententia interlocutoria 535.29
Sententia interlocutoria quando reuocari per iudicem possit, uel non ibi. 30
Sententia ipso iure nulla 538.53
Sententia lata contra ius diuinum uel naturale, nulla est 536. 33
Sententia legis 525.30
Sententia manifestã iniquitatem continens, ipso iure nulla est 536.34
Sententia nõ tollit naturalem obligationem 542. 6
Sententia partibus citatis & præsentibus proferri debet 533. 15
Sententia pro libertate lata præfertur 583. 3
Sententia quæ dicatur Eremodicium 452. 20
Sententia quando rescindatur, uel non 540. 72
Sententia quando transit in rem iudicatam 536.32
Sententia si aliam summam exprimat, quàm petita sit 539. 55
Sententia sit aut absolutoria, aut condemnatoria 533. 17
Sententia uenalis, turpissima 535. 27
à Sententia abstinendũ diebus feriatis ibi. 28
in Sententia causa an sit exprimenda 534.21
in Sententia ferenda cõsuetudo cuiusq; regionis et ciuitatis attendenda 532. 8
in Sententia mutanda & corrigenda necesse est errorem, aut fraudem iudicis declarari 539. 58
in Sententia uitium Grammaticum potest tolli 537. 36
Sententiæ causa addenda 561.68
Sententiæ definitio secundum Hostiensem 533. 14
Sententiæ falsæ quibus modis occurratur, tenendum 538.52
Sententiæ forma in causa appellationis 560. 67
Sententiæ iniquitas ostendenda 539.59
Sententiæ inferenda libelli ineptitudo 534. 22
Sententiæ oratio non narratiua, sed definitiua & decisoria sit ibid. 19
Sententiæ pro nulla habendæ casus 539.54
Sententiæ reuocandæ forma 536. 31
de Sententiæ nullitate apud quem iudicem agendum 540.64
Sententiam an possit iudex mutare 537. 37
Sententiam esse nullã probare licitum 552.13
Sententiam falsam ferre procliue 518.51
Sententiam impugnare supplicationibus quando liceat 540. 68
Sententiam impugnare uolens qualẽ Exceptionem habere

habere debeat 542.4
Sententiam interlocutoriã delegatus iudex reuocare potest 540.66
Sententiam mutet Iudex, si obsit reip. 537.35
Sententiam nullam quæ potißimùm faciant 539.63
Sententiam uenalem ferentis iudicis pœna 268.3
in Sententijs ferendis difficultas quanta 538.2
in Sententijs ferendis quæ præcipuè obseruanda iudici 512.7
Serum priuilegia 597.4
Separatæ res quomodo uendicentur 333.6
Septuagenarij 588.58
Septuagenarij immunes 595.55
Sepulchrorum uiolatores qui 275.1
Sepulturæ destinati hosti 86.4
Sequester non potest officium suum deponere, nisi iustißima causa interueniente 213.7
Sequestratio 371.8
Sequestratio dotis 474.11
Sequestratio inter cautiones numeratur 371.9
Sequestratio quid 213.1
Sequestratio rei ex aliquo contractu debitæ prohibita 474.20
Sequestratio rei litigiosæ an permissa sit 474.19
Sequestro cõmissa res quãdõ sit in periculo custodientis 213.8
Series & rerum distinctio adfert lucem 39.12
Sermo illustris & perspicuus maximam meretur apud omnes laudem 527.48
Sermo incircumspectus pudorem dicenti adfert, & tela aduersario ministrat 463.20
Sermonis obseruatio requirit, ut quis bonus sit Grammaticus 526.44
Serui corrupti obligatio pœnalis 265.4
Serui ex delictis obligantur 66.8
Serui glebæ 319.17
Serui in dominum torqueri non possunt 66.9
Serui iure gentium fiunt 69.1
Serui non possunt esse notarij 66.10
Serui quibus modis liberi fiant 51.2
Serui quomodo instituantur hæredes 133.17
Serui reip. 52.10
Seruiana actio ab interdicto Saluiano differt 382.13
Seruiana actio pro Locatore 381.9
Seruientium personarũ qualitas facit, ut alius alio sit melioris conditionis 67.3
Seruitus confusione dominiorum extinguitur 182.15
Seruitus dũidua 180.8
Seruitus duplex 86.8
Seruitus grauior propter metum grauioris periculi imponitur 41.10
Seruitus indebita tradita cum dictione incerti restituitur 374.4
Seruitus mixta 180.3
Seruitus morti æquiparatur 123.18
Seruitus permittendo amittitur 182.14
Seruitus personalis 86.8
180.2
Seruitus præscriptione quẽadmodum acquiratur 181.10
Seruitus quid 180.1
Seruitus quomodo amittatur 181.11
Seruitus realis 86.8, 180.2
Seruitus rei sacræ non imponenda 54.4
in Seruitute amittenda non excusat ignorantia 182.13
Seruitutem quibus modis quis euadat 69
Seruitutem rei præcedit acquisitio eius 105.3
in Seruitutem quibus modis quis ueniat 69.3
Seruitutes à contractibus incorporalibus quomodo differant 188.1
Seruitutes affirmatiuæ aut negatiuæ 180.5
Seruitutes innominatæ ibi 8
Seruitutes nominatæ ibid.
Seruitutes non utendo amittuntur 181.12
Seruitutes omnes amitti, si quis præsens intra x. absens intra xx. annos illis non utatur 185.20
Seruitutes oppignorari non possunt 214.11
Seruitutes prædiorum locari non possunt 234.3
Seruitutes quanto tempore tollantur 359.12
Seruitutes quomodo constituantur 181.9
Seruitutes quomodo uendicentur 357.1
Seruitutes unde primùm ductæ 65.3
Seruitutes urbanorum prædiorum 180.4
Seruitutes, ut res incorporales, nunquam per se usucapiuntur 111.3
Seruituti medetur benignitis iuris 70.1
Seruitutis actiones 317.1
Seruitutis ijdem effectus 66.13
Seruitutis obligatio patientia diuturna soluitur 197.4
Seruitutum tres species 180.2
cum Seruo nullum esse posse iudicium 667. 318.9
Seruorum conditio de iure ciuili qualis sit hodie 66.6
Seruorum delicta quatenus obligent dominos 281.2
Seruorum & Colonorum differentia 68.6
Seruorum nulla differentia hodie 67.2
Seruorum uaria genera ibi. 4
Seruorum uaria quondam conditio ibi. 1
Seruos Christianis habere an liceat 40.2
Seruum compeditum misericordia soluens quando actione l. Aquiliæ teneatur 409.8
contra Seruum gerentem se pro libero Actio quæ detur 318.4
Seruus alienus adulterio cum domina accusatus hæres institui non potest 134.18
Seruus corruptus 289.18

Seruus cum domina rem habens quomodo puniatur 274. 10
Seruus hæreditatem adire absq; iussu domini non potest 175. 5
Seruus hæres necessarius quare dicatur ibid. 4
Seruus in dominum torqueri non potest 580 25. 581 28
Seruus institutus non habet ius deliberandi 175. 3
Seruus non sibi, sed domino acquirit 66. 11
Seruus testamento tutor dari potest 58. 7
Sica, omne genus telorum comprehendit 272. 4
Sicarij capite puniuntur ibid. 9
Sicarij qui ibid. 3
Sigismundi Imp. responsum de nobilitate 74. 23
Signa necessaria, τεκμήρια 518. 6
Signa probabilia, εἰκότα ibidem
à signis duci probationes 513. 11
Similitudo claudicat 33. 15
Simplices actiones 293. 57
Simulatè conceptum non valet 516. 27
Simulationis exceptio ibi. 26
Singulares actiones plurimæ 293. 55
Societas cum hæredibus socij non potest iniri 239. 6
Societas de quibus rebus contrahatur 238. 3
Societas leonina 239. 5
Societas omnis contraria dissensione soluitur 244. 22
Societas omnium bonorum quousque se extendat 240. 15
Societas omnium rerum 385. 1
Societas quæ dicatur 238. 2
Societas quibus modis soluatur 240. 12
Societas unius negotij 385. 3
Societate finita datur actio de præstationibus personalibus sumptuum & damni ibid. 7
Societate soluta quæ bona diuidantur 240. 13
Societate unius negotij contracta, id tantùm in obligationem collationis uenit, quod ex eo negotio, non quod aliunde quæsitum est 240. 16
in Societate perfidia 292. 48
in Societate sumptus & damna quæ petantur 385. 5
Societatis actio est bonæ fidei ibi. 6
Societatis actio est personalis ibi. 8
Societatis conuentio simplex quousq; extendatur ibid. 2
Societatis tres species 238. 1
Socij culpa datum damnum eidem imputatur 239. 9
Socij damna fatalia non præstant ibi. 11
Socij inuicem ad iniurias obligantur. ibi. 10
Socius conuentus de damno præstando 491. 13
Solennitas quid 5. 11
in Solennitate uerborum curiositas displicet legislatoribus 151. 20
Solidus quid 589. 70
Solutio interrumpit præscriptionem 114. 4
Solutio iudicatur, debiti oblatio 552. 10
Solutio Minori magistratu uolente facta 585. 40
Solutio quid sit 197. 3
Solutione tollitur obligatio 197. 2
Sophistæ cur dicti 524. 28
Sophistica ibid.
Speciales actiones 293. 54
Speciali actione deficiente, recurri ad generalem 378. 4
Specificatio 94
Spoliari re sua propter alterius commodum nemo debet 418. 5
Spoliatus ante omnia restituendus 329. 15
Sponsa puella biennio elapso nubere alteri potest 244. 19
Sponsalia clandestina 243. 14
Sponsalia clandestina quare prohibeantur 243. 15
Sponsalia contrahere qui possint 242. 7
Sponsalia fiunt, ut matrimonium sequatur 243. 16
Sponsalia quibus de causis soluantur 244. 20
Sponsalia quid 242. 3
Sponsalia sine autoritate Episcopi licite non diuimuntur 244. 24
Sponsalia soluuntur religionis ingressu ibid. 25
Sponsalibus adiectæ conditiones spectandæ 243. 17
ex Sponsalibus oritur obligatio contrahendi matrimonij ibid. 9
in Sponsalibus contrahendis an parentum consensus requiratur ibid. 12
Sponsalijs habitis quantum temporis detur ad matrimonium contrahendum ibid. 18
Sponsaliorum contrahendorum ætas definita nõ est. 242. 8
Sponsaliorum duæ species ibid. 6
Sponsalitia largitas an possit repeti, si alter cõtrahentium recedat à sponsione 120. 6
Sponsalitia largitas & arra differunt 121. 14
Sponsalitia largitas quando reuocetur 121. 11
Sponsalitia largitas quid 120. 4
Sportulæ 538. 49
Stabularius furtum committens in duplo tenetur 263. 3
Statuentium autoritas quæ 191. 28
Statum publicum non licere priuatis pactis mutare 52. 9
Statuta à iudice secundum punctũ rationis interpretanda 31. 6
Statuta & decreta Magistratuum uiuentium sunt obligationes ex lege 295. 25

INDEX.

Iudex an posit recusari, & qui bus ex causis 465.8
Iudex appellationem non admit tens 557.48
Iudex contemptum suæ iurisdi ctionis uindicare potest 452.23
Iudex contra ius ex imperitia iudicans ex quasi delicto te netur 194.19
Iudex delegatus sententiam in terlocutorium reuocare po test 540.66
Iudex deliberet cum suis assesso ribus, quatenus de causa pronunciandum sit 528.1
Iudex in dubio quomodo possit consulere superiorem 528.4
Iudex inter personas iudiciales est primo loco 434.3
Iudex Mercenarius 207.10
Iudex militari manu quando iu tatur 452.24
Iudex Nobilis 287.11
Iudex ordinarius cuiusq; quis sit 440.5
Iudex per imperitiam litem suam faciens 282.2
Iudex rogandus ut aduocatorũ errata suppleat 464.24
Iudex suspectus an possit recusa ri 548.3
Iudicandum esse secundum alle gata & probata, quomodo ac cipiendum sit 531.3
Iudicati præiudicium 430.46
Iudicationem, iugulum aduersa rij uocat Plinius 497.13
Iudicationem uocant rhetores dubij deprehendẽdi modum 497.9
ad Iudicem quando quis ducitur realis citatio dicitur 446.17
Iudices in scriptura dij appel lantur 435.6
Iudices suppleant, quæ desunt aduocatis partium 531.5
Iudici ædificare non licet, donec est in administratione 189.11
Iudici suam iurisdictionem pœ nali iudicio defendere in subditos licere 545.
Iudicia criminalia Extraordina ria 563.4
Iudicia criminalia instituuntur per accusationẽ, denunciationẽ aut inquisitionẽ iudicis ex offi cio 563.1
Iudi. criminalia ordinaria 563.7
Iudicia criminalia quid commu ne habeant cum ciuilib. 563.4
Iudicia Dei sunt 435 9
Iudicia extraordinaria 436.7
Iudicia ordinaria quæ sint 436.5
Iudicia temerè non inquietan da 303.15
ad Iudicia diuersa quis eodem tempore trahi non potest 486.6
Iudiciarius ordo in criminali bus semper obseruetur 563.4
Iudicij Ciuilis instantia trien nio, criminalis biennio du rat 534.18 (dus 444.9
Iudicij cuiusq; uetus mos seruan
Iudic. definitio Cardinalis 436.3
in Iudicijs criminalibus omnib. requiritur plenissima cogni tio 436.6
Iudicio quasi contrahitur 545.14
in Iudicio uersari suo, uel alie no nomine qui possint, uel non 454
Iudiciorum incommodis duob. remedijs succurritur 548.2
Iudiciorum ordo 439.18
Iudiciorum tractatio an Christia no homini conueniat 444.1
in Iudiciorum actibus omnib. ne gligentiam admitti 465.1
Iudicis autoritas contempta mulctatur 538.50
Iudicis cognitioni proponatur delictum, quod non coërcetur certa pœna legibus constitu ta 280.5
Iudicis culpa non est proximi in nocentia ueranda 532.6
Iudicis culpa reprehendẽda 282.3
Iudicis delegati malè iudicantis iurisdictio extinguitur 540.65
Iudicis incompetentis exceptio nes 465.5
Iudicis interpretatio quare mollienda 29.13
Iudicis mandatum seu præce ptum non habet uim sen tentiæ 532.12
Iudicis officij est, omissa supple re 505.18
Iudicis officij nobilis differen tiæ 420.7
Iudicis officium 420.3
Iudicis officium imploratur, ut sententia executioni man detur 544.1
Iudicis officium in appellatione 556.43
Iudicis officium loco actionis imploratur 412 9
Iudicis officium mercenarium 420.5
Iudicis officium nobile 280.1; 402.19; 420.6
Iudicis officium quando datur 303.12
Iudicis officium quando implo ratur 287.13
Iudicis pœna uenalem sententi am ferentis 268.3
Iudicis suspecti recusatio 465.6
Iudicium ab experientia collec tum 3.3
Iudicium est uocabulum ordinis 436.4
Iudicium exercere sine strepitu quid sit 437.11
Iudicium quid significet 435.1
Iudicium sine accusatore ex ercere quando liceat 402. 21
in Iudicium absque contuma cia non uenientis excitatio 453
in Iudicium uocati non uenien tes 448.1
Iudicum autoritas quanti fiat à legibus 453.1
Iudicum iniustitiæ appellatione occurritur 554.29
Iudicum molitiones 558.53
Iudicum suspectorum recusatio 548.1
Iulianus Imperator Apostata 271.5
Iulius Cæsar datam piratis fidem non seruauit 13. 20
Iulius Cæsar Imperator quàm rex dici maluit 79.6
Iulius Cæsar oppressa nobi litate imperium inuasit 79.5
Iulius Paulus poëta doctus 21.7
Iura ad liberandum pronio ra, quàm ad obligandum 191.26
Iura Canonica in Iudicialibus obseruanda 438.16
Iura distincta propter necessitu

dinem ciuilem 583.7
Iura feudalia condictione ex lege peti 419.3
Iura in factum scripta 424.13
Iura personalia non extenduntur ad personas diuersas 17.28
Iura scripta moderanda sunt naturali æquitate 15.24
Iura tuentur actionibus 38.5
Iuramenti definitio ac diuisio 519.2
Iuramenti præstiti effectus multi 520.11
à Iuramento absolutio 580.23
Iuramentorum iudicialium duæ species 519.4
Iuramentum à iudice delatum reuocari potest 520.12
Iuramentum à quibus in iudicio deferri non potest 519.6
Iuramentum ad errorem non obligat 12.18
Iuramentum Aduocatorum 462.8
Iuramentum assertorium 519.2
Iuramentum calumniæ 494.1
Iuramentum calumniæ ab actore præstandum 450.10
Iuramentum Calumniæ in causis spiritualibus non præstari 494.7
Iuramentum calumniæ inter legitimas obseruationes iudicium numerari 495.9
Iuramentum calumniæ præstandum à dominis litium, ita ut primùm Actor, deinde Reus iuret 495.10
Iuramentum calumniæ quando expetendum 387.12
Iuramentum calumniæ qui subire possint, aut non 495.12
Iuramentum calumniæ quid contineat 494.2
Iuramentum calumniæ uniuersam litem respicit 494.3
Iuramentum contra bonos mores præstitum non obligat 13.21
Iuramentum controuersiæ finis 519.1
Iuramentum extraiudiciale 519.3
Iuramentum in litem 520.14
Iuramentum in litem, quanti actor interesse suum iuxta conscientiam suam iudicet 418.4
Iuramentum innocentiæ 520.9
Iuramentum iudiciale 519.3
Iuramentum malitiæ ad quid dirigatur 494.4
Iuramentum malitiæ an possit exigi, cùm de calumnia iuratum est 494.5
Iuramentum malitiæ ante uel post litis contestationem exigi posse 495.8
Iuramentum necessarium quatenus possit deferri 519.7
Iuramentum probationis de facultatibus animam agentis 520.15
Iuramentum promissorium 519.2
Iuramentum recusari quod possit 519.5
Iuramentum ueritatis dicendæ clericorum esse 494.6
Iuramentum uoluntarium 519.3
Iuramentum uoluntarium non reuocari 520.13
Iurandi copiam hominibus concedere periculosum 158.10
de Iurando in litem 537.43
Iurantis mens non uerba spectentur 9.7
Iurare domi suæ quibusdam personis conceditur 520.10
Iurare in litem 97.8
Iure suo cedere nemo prohibetur 484.40
de Iure libri consulendi, & periores 463.13
de Iure non respondendum, nisi tota lege perspecta 20.3
de Iure suo contendere cum alio liberum cuiq; 440.1
ex Iure diuino omnium ciuilium constitutionum autoritas deriuatur 419.6
ex Iure successionis à testato, & intestato actiones 341
in Iure nouissimo plus æquitatis esse, quàm in ueteri iure 170.48
Iureconsultorum est docere, quæ probatio in quaque re ad pronunciandum de ea pro sufficienti habenda sit aut non 522.4
Iurecõsultus sit dialecticus 524.21
Iuris abrogati exempla 35
Iuris causæ & differentiæ 34
Iuris ciuilis actiones & modi 334.1
Iuris Ciuilis differentiæ 7.2
Iuris Ciuilis & prætorij differentia 347.2
Iuris constituti exempla 35
Iuris doctrina partim philosophica, partim historica 1.9
Iuris formæ generales tanquàm loci communes, & capita rerum habenda sunt 524.23
Iuris formæ in tribus consistunt, in acquirendo, alienando, & amittendo 38.4
Iuris formæ publicarum legum autoritate consistunt 524.27
Iuris ignorantia in lucris non prodest 217.8
Iuris ignorantia in damnis non nocet 217.9
Iuris iniquitas dissimulanda propter publicum bonum 6.8
Iuris naturalis ratio in dubio præferenda est rationi ciuili 34.11
Iuris Notitiam ueteres non tam artem, quàm prudentiam uocauerunt 39.10
Iuris omnem formam sex capitibus comprehendi posse 35
Iuris processus imaginem habet Comœdiæ 439.17
Iuris processus quid 435.2
Iuris ratio omnis ex communibus formis sumenda 523.15
Iuris ratio tum quærenda, cùm de facto constat 523.14
Iuris Romani sex species 5.10
Iuris scripti obligatio 16.25
Iurisconsulti sunt iuris sacerdotes, non dicendi artifices 522.6
Iurisdictio contentiosa 468.7
Iurisdictio uoluntaria ibid.
Iurisdictionis contemptus 452.23.
Iurisiurandi autoritas 4.9
Iurisprudentia non est theorica, sed practica 9.2

INDEX.

Iurisprudentia quid 8.3
Ius ad negotia accommodare artificis est 39.7
Ius aureorum annulorum 53.3
Ius bonum & æquum 8.5
Ius Ciuile 4.1: 5.4: 5.10
Ius ciuile à iure gentium quõ differat 4.4: 5.4
Ius ciuile commune 5.10
Ius Ciuile quid 7.2
Ius Ciuile quotuplex 7.3
Ius commune 7.2
Ius dicenti non obtemperans 415.26
Ius diuinum 3.5: 3.6: 7.3: 86.2
Ius diuinum dispensari non potest 573.12
Ius ex facto oritur 462.10
Ius gentium 9.5
Ius gentium fit ciuile 5.4
Ius honorarium 288.3
Ius humanum 8.3: 86.2
Ius in retinenda re acquisitum alienari potest 543.13
Ius municipale 5.11: 7.2
Ius naturæ ciuili iure non frangitur aut relaxatur 5.6
Ius naturæ duplex 3.1
Ius naturæ omnes obligat 7.1
Ius naturæ primum locum obtinet 6.8
Ius naturale quid 3.1: 7.1
Ius naturale secundarium 3.5
Ius naturali æquitati et libertati proximũ præferendum est 65.2
Ius omne uel ad personas, uel ad res, uel ad actiones pertinet 39
Ius patronatus ecclesiasticum 312.2
Ius per pacta uariatur 339.21
Ius personarum 39
Ius personarum iuri naturæ & diuino non repugnare 40.1
Ius politicum quid 118.30
Ius prætorium, seu honorarium 288.3
Ius primæuum 3.1
Ius priuatum 8 6
Ius publicum ibid.
Ius quid 85.3
Ius quomodo à natura oriatur 4
Ius rigidum siue strictum 8.5
Ius spectale non trahendum in exemplum 210.8
Ius strictum cedat æquitati 28.1
Ius suum non utendo negligi 185.19
Ius totum consistit in acquirendo, amittendo, & conseruando iure 304.2
Ius transferre in alterum nemo potest, quod ipse non habuit 331.12
Ius Vetustissimum, Medium, Nouissimum 166.14
ad Ius commune reducendum quod ab eo discrepat 26.17
in Ius uocans, quem propter reuerentiam non debuit 415.27
in Ius uocari qui non possint 447.26
Iustitia Christiana, in quo consistit 82.6
Iustitia mater constitutionum, atq; legum 1.4
Iustitiæ & æquitatis ratio potior sit stricto iure 28.1
Iustitiæ naturalis notitia 3.4

L

Latibula quærens 545.18
Latroni an sit seruanda fides 12.20
Legare qui possint 150.2
Legari aliena res potest 150.8
Legari quibus possit 150.2
Legata ab hæredibus, non à testatoribus peti 152.28
Legata caduca 153.35
Legata caduca facta non petuntur 355.7
Legata conditionalia 152.26
Legata cum donatione causa mortis exæquata 150.4
Legata & fideicommissa singularia exæquata esse 155.6
Legata ex testamento rupto an debeantur 148.11
Legata oratione enunciatiua relinqui 155.3
Legata quemadmodum fiant irrita & caduca 153.34
Legata quomodo ordinantur 152.30
Legata res si specificetur in aliam formam 153.30
Legata soluere legatarijs hæres non tenetur, nisi deducto ære alieno 176.16
ad Legata præstanda hæres cogi non potest si testamentum non sit ritè conditum 355.6
ad Legata soluenda hæres obstringitur 255.5
Legatarij res inutiliter illi legatur 151.16
Legatario quæ actiones denitur 302.9
Legatario quomodo caueat hæres de præstando legato 355.8
Legatariorum commodis ubique præferuntur liberi 145.22
Legatariorum coniunctio fit tripliciter, Re, Verbis, Re & Verbis simul 178.6
Legatariorum satisdatio 356.16
Legatariorum substitutio 152.26
Legatarius quando consequatur rem legatariam actione hypothecaria 355.2
Legati dies cedit à morte testatoris 179.7
Legati ususfructus dies quando cedat 185.12
Legatio 394.12
Legatis conditiones apponi 151.19
in Legatis assignandis proprietas sermonis & uerborum obseruanda 152.23
in Legatis personarum conditio & tempus quomodo spectetur 150.3
pro Legatis & fideicommissis tacitè obligantur bona defuncti loco pignoris 355.3
Legato falsa demonstratio non obest 163.16
in Legato dando personarum conditiones spectentur 159.16
Legatorũ controuersiæ dirimendæ 155.40
Legatorum distribuendorum commissarius an loco hæredis conuenuri possit 356.11
Legatum ambiguum pro nullo habendum 152.22
Legatum caducum quomodo fit 151.14
Legatum dandi onus quomodo leuetur 159.15
Legatum est donatio testamen-

torelicta 150.5
Legatum generis generaliſſimi nullum 152. 25
Legatum petendi actiones 154. 39
Legatum pignoris 150.9
Legatum quid 149.1
Legatum, quod ab initio non ualuit, ex pòſt facto non conualeſcere 151.17
Legatum rei communis 151.15
Legatum ut non debeatur, perſonæ conditio nonnunquam facit 151.13
Legatus 596.20
ex Lege obligari quid 283.1
Leges ciuiles à naturali æquitate recedunt nonnunquam 5 6
Leges ciuiles non tollunt ius naturæ, ſed modum quendam in obligatione eius ſtatuunt 5.4
Leges contrariæ 525.31
Leges & Canones mutuas operas tradunt in proceſſu 439. 19
Leges & conſtitutiones, cur nonnunquam improbentur 1.3
Leges & conſtitutiones nonnunquam relaxandæ 1.5
Leges & conſtitutiones quid 8.4
Leges extendere non licet ad caſus iure communi definitos 25. 10
Leges imitantur naturam ut ars 5.5
Leges legum 1.7
Leges non omnes caſus complectuntur 288.4
Leges poſteriores præiudicant prioribus 16.26
Leges proniores ſunt ad liberandum, quàm ad ligandum 191.26: 200.31
Leges publicæ quæ præcipiunt, præſtanda eſſe 195.21
Leges ſecundæ tabulæ ad huius uitæ ſocietatem tuendam pertinent 14. 23
Leges ſunt negotiorum gerendorum duces 28.2
Leges ſua fictione rebus incidentibus ſeruire coguntur 28.4
Leges ſuperiores poſterioribus correctæ 165.2
Legibus iudicandum, non exemplis 82.10
Legibus latis deſideratur prudentum interpretatio 22.4
Legibus, non exemplis iudicandum 526.46
Legis anima ratio eſt 1.10
Legis Aquiliæ actio 300.31
Legis mens præferenda uerbis 33.14
Legis obligatio 419
Legis ratio quomodo inueſtiganda 22.1
Legis ratione ceſſante ceſſat & ipſa lex 22.3
Legis ſcriptum & ſententia 525.30
Legis uerba præferẽda cõiecturis & ſimilitudinibus 33.14
Legitima liberis debita qualis ſit hodie, & quanta 154.38
Legitimandi modi qui 46.10
in Legitimando an requirãtur inſtrumenta dotalia 46.12
Legitimari qui poſſint, aut non 46.9
Legitimatio liberorum ad quid mouenta 46.7
Legitimatio liberorum quid 46.8
Legum autoritas 1.10
Legum correctiones in gloſſis obſeruandæ 525.36
Legum duritia improbitati hominum imputanda 5.7
Legum extenſio 24.1
Legum finis, ſalus publica 8.7
Legum gradus 4.6
Legum ſeueritas fictione mollienda 29.12
Legum ſtatutorumq; interpretatio 19.1
Legum uel ſtatutorum obſcuritas 21.8
Lenocinium 273.6
Lenocinium faciens infamis eſt 456.7
Leſbia regula 28.5
Lex, Munerint, C. unde ui 284.8
Lex, Si quis in tantum, C. unde ui 284.7
Lex eſt commune præceptum 567.8
Lex eſt, quod ratione conſtat 31.3
Lex Falcidia 153.37
Lex Fuſia Caninia 36
Lex Græcorum de matrimonio 2.12
Lex inferioris non derogat ſuperioris legi 210.5
Lex Moyſis de repudio 5.6
Lex Papia 139.36
Lex publica, communis omnium ſponſio 191.29
Lex publica ſæpe ad præſtandum aliquid obligat 283.3
Lex rebus, non uerbis imponitur 227.5
Lex ſuperior corrigit inferiorem 10 9
Lex ultra ſuam diſpoſitionem non extendenda 24.4
Libelli conuentionalis duæ partes 476.6
Libelli emendatio 482.36
Libelli ineptitudine actio non perit 482.35
Libelli ineptitudo inſerenda ſententiæ 534.22
Libelli, quibus actiones proponuntur 475
in Libelli materia quando hærendum 483 38
in Libello eodem duæ actiones pariter proponi poſſunt 480 30
in Libello facti narratio, & ius ex facto agendi ponenda 477.18
in Libello ius agendi exprimendum 479.24
in Libello nomen actionis exprimi non eſt neceſſe 478 20
in Libello origo ſui iuris exponenda 477.11
in Libello res quemadmodum deſignetur 480.31
in Libello titulus acquiſiti dominij exprimendus 477.10
Libellum mutare quis dicatur 482.37
Libellus an in omnibus cauſis ſit neceſſarius 476.8
Libellus appellatorius 555.36
Libellus conuentionalis quid 476.5
Libellus famoſus 278.24
Libellus quare exigatur 476.4
Liberaliorib. ſtudijs dediti 595.16

Liberalis causa quæ dicatur 318.
Liberalitas in pios usus 119 34
ad Liberalitatem necessariò non obstringimur 115.5
Liberi ex auunculo & sororis filia geniti habentur pro legitimis, permissione Antonini Pij 573.9
Liberi leuiorem causam, quàm seruui, propter idem facinus 5.9
Liberi naturâ omnes nascuntur 40.4
Liberi naturales legitimati succedunt 167.23
Liberi naturales matri succedunt 167.20
Liberi naturales tantùm quomodo succedant parentibus 167.19
Liberi propriè sunt sui hæredes 167.17
Liberi ubiq; præferuntur legatariorum commodis 145.22
Liberi uulgò quæsiti à paterna successione excludantur, matri uerò succedunt 167.21
Liberis iure naturæ debetur parentum hæreditas 26.14
in Liberis parentum uitio liberandis clementia iuris naturalis 47.14
de Libero homine exhibendo 319.18
Liberorum honor & uenerationerga parentes 44.8
Liberorum numerus quatenus excusat à muneribus ciuilibus 597.21
Liberorum uni plus quàm alteri legare licet 345.28
Libertas 3.1
Libertas æstimationem non recipit 318.13
Libertas dedititia 36
Libertas est res omnium maximè fauorabilis 70.3
Libertas fideicommissaria 526
Libertas inæstimabilis 583 6
Libertas Latina 36
Libertas loco præmij concedi tur 70.2
Libertas nouæ χαραχίæ 78.3
Libertas omnibus rebus fauorabilior 583.2
Libertas quæ propriè dicatur 42.13
Libertas relicta quando fiat irrita 174.8
ad Libertatem proclamare quibus non licet 70.4
ante Libertatem administrationum ratio reddenda 318.4
Libertatis actiones 317.1
Libertatis causa fauorabilis 512.10
Libertatis fauor 318.10: 581.26
Libertatis fauore multa in iure conceduntur, quæ alioqui negantur 583.4
Libertatis iactatio grata plebeijs 40.5
Libertatis iuris principia in natura & sacris literis inuestiganda 40.6
Libertatis priuilegia 583.1
Liberti & patroni egentes inuicem se alant 309.2
Liberti fingentes ingenuitatem, falsarij sunt 266.8
Liberti non petentis tutorem liberis patroni, pœna 60.20
Liberti patronos alere cogun tur 49.3
Liberti patronos hæredes faciant in tertia bonorum parte 139.48
Liberti quando reuocari in seruitutem possint 309.4
Libertorum conditio dura 118. 27
Libertorum ingratitudo 309.5
Libertorum liberi in seruitute susceptiani excludant patronos à successione 173.6
Libertorum operæ 49.6
Libertum in seruitutem reuocat grauis iniuria 53.7
Libertus ingratus 49.5
Libertus orcinus 51.4
Liberum corpus non recipit æstimationem 282.5: 410.15: 583.5
Libra auri quomodo æstimetur 208 14
Libri consulendi 463.13
Libri rationarij Mercatorum an, & quando obligent 227.7
Lignum alienum in suum ædificium conectũ acquiritur 95.1
Limites esse distinctos, publicè interest 275.3
Linguæ diuersitas non impedit consensum stipulantium 220. 15
Linguæ lubricum non facilè ad pœnam trahendum 278.23
Lis an contestetur confessione rei 490.4
Lis contestata quando dicatur 490.6
Lis non moueatur antequàm cum peritioribus deliberetur 440.3
Lis quomodo contestetur 490.3
Lite contestata omnes possessores haberi pares 321.14
de Lite monere aduersarium humanitatis est 444.6
de Lite suscipienda deliberatio rei 466.16
Litem suam facere 281.2
Literæ constitutiuæ 226.2
Literæ dimissoriæ 556.46
Literæ dimissoriæ reuerentiales 557.46 (riæ 226.2
Literæ liberatoriæ seu remissoLiteræ quæ & quando obligent 226.1
Literæ quando sint efficaces 227.4.
Literæ sunt signa uoluntatis & consensus 228.3
Literarum obligatio idem operatur quod pactum 378.1
ex Literarum obligatione alia atq; alia actione experiri 378.3
Literis fides derogatur duobus testibus 227.8
Lites absq; omni suspicione per uersitatis exerceri debent 465.7
Lites ex litib. nõ serendæ 544.4
Lites expediendæ per delationem iuramenti 519
Lites extinguendæ magis quàm alendæ 109.9: 203.2
Lites non prorogandæ 469.12: & 15
Lites præcidere debent iudices ubicunque possunt 528.5

Lites sopitæ denuo non excitandæ propter publicam tranquillitatem 492.18
Litibus finis imponendus 112.2
Litibus prorogandis occasionem dare Imperatores noluerunt 470.19
Litigantium malitia coërcenda religione iurisiurandi 493
Litis euentus dubius 440.2: 463.18
Litiscontestatio apud iurecoss. quod apud Rhetores causæ constitutio 492.20
Litiscontestatio in causis tractandis cur exigatur 491.14
Litiscontestatio iuxta curiæ Romanæ usum 490.9
Litiscontestatio potest fieri per procuratores 493.21
Litiscontestatio quamlibet actionem temporalem facit perpetuam 114.3
Litiscontestatio quid 489.2
Litiscontestatione actio contrahitur & perpetuatur 291.37: 493.22
Litiscontestatione lis demum oritur 490.5
Litium prorogatores duabus libris auri puniuntur 464.23
Liuij historia describenda promissa, omnes decades describendæ erunt 257.3
Locari quæ non possint 234.3
Locati & conducti actiones ad quid dentur 381.4
Locati obligatio ex conuentione mercedis nascitur 253.2
Locatio in prædijs quomodo si attacitè 235.5
Locatio operarum 235.10
Locationis merces quo tempore soluenda 236.13
Locator ad quid teneatur 381.5
Locator an possit conductorem expellere, antequàm tempus locationis finitum sit 236.15
Locator conductori ad interesse tenetur 235.8
Locator in litem iurare potest pro suo interesse 381.7
Locator præstare debet, ut conductor commodè in prædio habitare possit 235.9
Locator tenetur uillam disiectam reficere 235.7
Locatori domus uel prædij piguori esse intelliguntur inuecta & illata 202.7: 381.10
Loci personarum à rhetoribus petendi 526.45
Locus, quòd adulterium committat, qui dimissam ducit, quomodo accipiendus 525.33
Locus Pauli, inter eos, qui in Christum baptisati sunt, neque seruum, neque liberum esse 41.12
Locus Pauli: Qui contempti sunt in Ecclesia, eos constituite 434.2
Locus quando desinit in possessione esse 103.33
Lolium in segetem alienam ijcere 279.8
λωποδύται qui 264.2
Loquendi consuetudo in dubia uoluntate sequenda 162.8
Lotharius Imp. duxit pellicem relicta uxore 499.2
Lucratiua causa 153.32
Lucro suo inhiantes odiosi 580 22
in Lucro esse quid dicatur 239.8
Lucrum de alieno nemo sentiat 388.3
Ludouicus Imp. an potuerit cõferre ducatum Mediolanensem Galeatio 523.17
Lunatici perpetuo egent curatore 65.11

M

Macedonianum S.C. 20.6: 218.15: 392.18: 547.34: 570.5
Machinati in fraudem aliorum ex delicto de dolo obligantur 281.3
Magiæ professores dici Mathematicos 269.5
Magicæ artes prohibitæ 30.9
Magicis ut indignis thesaurus auferatur 91.8
Magister nauis quis dicatur 254.4
Magistratum gerere non est impium 77.6
Magistratum maiorem nemo suscipiat, nisi prius minore sit functus 600.32
Magistratum publicum an Christianus gerere possit 76.2
Magistratus à pupillo conuentus beneficium diuisionis habet 313.10
Magistratus publicæ religionis reuerentiam conseruare debet 271.6
Maiestatis crimen quando committatur 270.2
Maiestatis crimen summum 270.1
ob Maiestatis crimen bona testatoris publicantur 145.23
Maiestatis rei qui 270.4
à Maiorum placitis non facilè recedendum 34.17
Mala facientes non sunt, ut eue niant bona 13.21
Malæ fidei possessor quomodo teneatur ad fructus restituendos 296.10
Maledicta contemnere, principis est 278.21
Maledictum infamandi causa factum 277.14
Malefici qui dicantur 269.6
Maleficiorum fideiussor accipi non potest 222.7
Maleficiorum nulla societas 314.12: 579.11
in Maleficis uoluntas spectatur non exitus 272.8
Malitia hominum 103.25
Malitia hominum subinde nouis uinculis coërcenda 283.5
Malitia sua nemini sit lucrosa 13.20
Malitiæ iuramentum 494.4
Mancipi res 36
Mandantis perfidia est, in non liberando fideiubentem 388.6
Mandata principum 35
Mandatarij potestas quousq; extendatur 252.17
Mandatario non sit fraudi sua facilitas 388.4
Mandatarius ob suam negligentiam conueniri non potest, nisi interfit mandantis 388.2
Mandati actio contraria 388.5
Mandati actio infamat 388.7

Mandati actione quis conueniatur 388.1
Mandati duæ formæ 252.14
Mandati fines diligenter obseruandi ibi.10
Mandati obligatio ex libera obsequendi uoluntate proficiscitur 251.2
Mandati obligationem remuneratio non impedit ibi.4
Mandati ratihabitio quando fiat 252.8
Mandati reuocandi quæ iustæ causæ 253.22
Mandati taciti obligatio quando oritur 258.10
In Mandato mercedis conuentio esse nequit 251.3
Mandatum contractus est bonæ fidei 253.18
Mandatum cum libera conuentione ibi.15
Mandatum generale ib.14
Mandatum habere quis dicatur 251.1
Mandatum quando reducatur ad simplicem citationem 566.23
Mandatum quomodo finiatur 253.21
Mandatum simplex non obligare 252.11
Mandatum singulare 253.20
Mandatum speciale 252.19
Mandatum suspectum 472.11
Mandatum tacitè fieri posse 252.6
Mandatum uarijs de causis fit ibi.9
Maniaci perpetuò egent curatore 65.11
Manumissi uindicta 51.3
Manumissus à municipio non cogitur ueniam conueniendi ciuem eiusdem municipij impetrare 571.8
Manus iniectio quomodo fiat 446.22
Manuum iniectio ibi.21
Mariti beneficium, quod facere potest 433.56
Mariti bona tacitè sunt hypothecata uxori 124.47
Mariti bona uxori pro dote tacitè oppignorantur 125.15
Mariti fideiussor nomine dotis conuentus condemnatur in solidum 433.55
Mariti ingratitudo 340.27
Mariti senes possunt donare uxoribus puellis 127.12
Maritus in quantum facere potest, tenetur uxori nomine dotis 339.20
Maritus in rebus dotalib. tam dolum quàm culpam præstat 124.44
Maritus pro uxore exhibenda contra patrem 307.13
Maritus rem habens cum soluta, non dicitur adulter 273.4
Masculis conseruantur familiæ 6.8
Masculini generis maior dignitas 72.5
Mater an cogatur dotare filiam 122.26
Mater cum defuncti filij sororibus in uirilem portionem succedit 525.35
Mater, non pater in dominio natorum consideretur 93.2
Mater quando excludatur ab hæreditate liberorũ 167.27
Mater secundò nubens, quantum det marito in dotem 340.24
Mater semper certa est, patrẽ ostendunt nuptiæ 310.7
Mater tam filijs, quàm filiabus succedit 166.7
Materia aliena ignoranter utentibus succurritur 94.5
Materia aliorum utentes pro sua ibid.1
Ex Materia aliena aliquid ædificans conuenitur à domino materiæ actione in duplum 97.7
Materiæ uitium, non artificis 463.19
Materiæ usus error 94.2
In Materiæ surreptorem furti actio datur ibi.6
Mathematica non uetita ab Imp. 269.4
Mathematici qui dicantur ibid.3
Matri ad secundas nuptias conuolanti non licet reuocare donationem 119.32
Matrimonia an propter hæreditas separanda 248.63
Matrimonia debent esse libera 120 7. 245 36
Matrimonia legitimè & sanctè confici & conseruari Reip. interest 386.5
Matrimonia inter coniunctos cur interdicta 245.28
Matrimonia iure poli, non fori constitui 243.12
Matrimoniales causæ absq; solennitate iudiciorum expediuntur 386.1
In Matrimonialibus consensus mutuus sufficit 243.10
In Matrimonialibus sequimur ius Canonicũ 133 16. 386 2. 387.18
Matrimonialis causa quando ex foro Ecclesiastico ad seculare transferatur ibi.15
Matrimonialis necessitudo consideranda 166.13
Matrimonij accusandi ius qui habeant 386.6
Matrimonij accusatio 387.13
Matrimonij causa fauorabilis 532.10
Matrimonij contrahendi duæ causæ principales 247.55
Matrimonij contrahendi libertatẽ onerat pœna promissa 122.8
Matrimonij dissolutio per repudiationem inter puberes 386.8
Matrimonij impedimenta Ecclesiastica 244.27
Matrimonij impedimenta in iure 387.17
Matrimonij nec spes quidem uiolanda 273.3
Matrimonij politica impedimenta 246.38
Matrimonij solennitates non sunt necessariæ 247.52
Matrimonij uiolatio crimen est cædi proximum 273.1
Ad Matrimonij dissolutionem requiri ea omnia, quæ in iudicijs contradictorijs in usu habentur 387.14
In Matrimonij cõiunctione non modò quod licet, sed & quod decet, obseruandum 246.39

Matrimonio propter adulterium soluto, dos non potest repeti 339.17
de Matrimonio agendi casus & modi qui sint 386.3
de Matrimonio distrahendo transigere non licet 260.8
in Matrimonio qui non principales, sed medias res spectat, peruersè facit 248.56
Matrimonium contrahere qui possint, uel non 244.26
Matrimonium corporum fœditate, aut lepra non separatur 248.59
Matrimonium denunciare qui dicantur 386.4
Matrimonium inter personas diuersæ religionis prohibitum 245.34
Matrimonium per flagtia dissoluitur 249.69
Matrimonium per uerba præsentis temporis contractum, aut etiam concubitu consummatum 387.11
Matrimonium potest esse sine dote 247.53
Matrimonium propter sæuitiam mariti an separari possit 249.70
Matrimonium quomodo consummetur 248.57
Matrimonium ui extortum, uel flagtio quæsitum, non tenet 245.35
ad Matrimonium contrahendum pœnis nemo cogendus 248.61
Matris nulla in liberos potestas 165.3
Matris successio de nouo iure, seu medio inter uetustißimum & nouißimum 165.6
Mediæ res quæ 204.29
pro Medici opera præmium iudicis cognitione constitui 303.14
Membrorum suorum nemo dominus 318.5
Mendacium 266.4
de Mendicis Valentiniani constitutio 67.5
Mens hominis 3.3
Mens potius, quàm sensus & affectiones naturales in agendo sequenda 10.10
Mensor si falsum modum dixerit 415.31
Mensura falsa usus ad duplum tenetur 267.11
Mentis quisq; compos præsumitur, nisi contrarium probetur 518.11
Mercantes contra legem 102.18
Mercatores gerunt quasi publicum officium 227.7
Mercatores quæstum contra honestatem sectantes 75.30
Mercatorum rationes quid probent 514.13
Merces adulterinas supponens 280.4
Mercurinus Cæsaris Cancellarius 158.12
Meretricem rapiens fur non est 262.6
Merx peculiaris quæ 391.9
Metu incusso rem extorquere 289.20
Meum & tuum discordiæ uocabula 80.2
de Migrando interdictum 382.14
Miles in re empta præfertur cæteris creditoribus uenditoris 589.78
Militare testamentum 569.19
Militaria munera maximè personalia 588.56
Militaris dignitas in quo consistat 74.25
Milites emeriti & ueterani à soluendis uectigalibus liberantur 590.79
Milites palatini ibi.81
Milites propter mercaturam amittunt sua priuilegia ib.80
Militia triplex 75.27
Militum beneficium in testamentis faciendis 25.9
Militum continentiam quantã Imperator exigat 126.
Militum familia absens læsa restituitur 590.82
Militum priuilegia in condendis testamentis 589.77
Ministerium iudicis 420.3
Minor deceptus ultra dimidiam in emptione 586.45
Minor manifestis probationib. doceat se circũscriptũ 585.32
Minor omittens hæreditatẽ lucrosam adire intra tẽpus cõstitutum, restituitur 586.48
Minor quando non sit audiendus, uel restituendus 585.39
Minor restitutus cogtur omnia restituere, quæ occasiõe eius negotij ad ipsum peruenerunt 587.52
Minor si adierit hæreditatem damnosam 586.49
Minor si fideiusserit pro eo, cui successurus sit 585.40
Minor si quem libertate donauerit ibid.
Minor ætatis impetrata non iuuatur ibi.34
Minoreannis beneficium 112.6
Minore restituendi sua facilitate læsi 586.46
Minores xxv. annis 597.21
Minori facta solutio sciente magistratu 585.40
Minoris contractus absq; tutoris autoritate nullus ibi.41
Minoris industria apparens in alijs negotijs ibi.31
Minoris periuria non sunt ulcisda ibi.37
Minoris restitutio in multis casibus 584.28
Minoris restitutio in quibus psonis et reb. nõ procedat 587.51
Minoritatis fictã per mendacium non subleuat 585.36
Minorum restitutio in uarijs casibus 586.50
Missio causaria & honesta 588.57
Missio in possessionem contumacis facienda 545.19
Missio in possessionem ex secundo decreto 451.13
Missio in possessionem quomodo fiat 449.9. 450.11
ex Missione in possess. ex secundo decreto quid consequatur 451.18
ad Missionem in possess. ex secũdo decreto, requiritur cognitio, potestas, et autoritas iudicis, et ut reus citetur 451.14
Missiones in possessionem inter satisdationes censeri 474.22
Mixta actio 289.16

Mixta alienis nostra quomodo uendicentur 333.8
Mixtio dominorum uoluntate facta, manet dominis 95.4
Mobiles res triennio usucapi 107 19. 108 5
Modus dispositionibus quando dicatur adiectus 160.22
Molitiones iudicum 558.53
Monachatus diminutæ personæ dignitatem 15
Monachos æquiparari seruis 24.3
Monachus an possit condere testamentum 133.19
Monarchia est utilissima Reip. forma 78.4
Monasterium nomine monachi petit hæreditatem eidem delatam 179.50
Monastica uota 118
Monetæ corruptæ pœna concrematio 267.10
Monetæ corruptores 266.5
Monstrosus partus non censetur liber 73.9
Mora facit obligationem perpetuari 93.13
Mora sine interpellatione non fit 298.22
ex Mora petitiones quomodo crescant ibi.21
Moribus antiquis, præsentibus utere uerbis. 438.13
ex Moribus malis bonæ ll. natæ sunt 269.2
Mors ciuilis 472. 623
in Mortem alterius inquirere turpe 204.33
Mulcta 452.21
Mulcta profertur ad imponendam pœnam pecuniariam contumacibus, propter cõtemptam autoritatem iudicis 538.50
a Mulcta appellare num liceat 546.22
in Mulctæ petitione iudicis officiũ nobile implorandũ 408.11
Muliebris imbecillitatis ac pudoris ratio habenda 583 8
Mulier fideiubens iuuatur S C. Velleiano 203.27
Mulier grauida ex defuncto, petit hæreditatis possessionem 347.6
Mulier stuprum cum seruis admittens 174.9
Mulier tutrix esse quando prohibetur 30.7
Mulier uentris nomine in possessionem missa 415.32
Mulieres intercedentes pro maritis, non teneri 568 13
Mulieri soluenti pro alio, datur exceptio perpetua 218.14
Mulsum quid 95.2
Multiplex indistinctum parit cõfusionem 269 4. 512 2
Multitudinis conuentus formidolosus 79.10
Multitudo administrantium perniciosa 60.17
Multitudo errantium non parit errori patrocinium 33.9
Munera extraordinaria 588.65 593.5
Munera honorifica 593.9
Munera merè patrimonialia 594.12
Munera mixta 593 8. 595 13
Munera ordinaria 593.5
Munera personalia ibi.8
Munera realia ibi.
Munera simplicia 594 12
Munera sordida 588 65. 594 10
ad Munera ciuilia subeunda non potest quis cogi, nisi sit de territorio eius, qui ab illo exigit 599.25
in Muneribus personalibus uidendum, an quis sit idoneus 600 30
Muneris iniungendi potestas ib.29
Munerum captatores 268
Munerum ciuilium excusatio 595.14
Municipalia statuta 285.16
contra Municipalia iura peti potest aliquid iure diuino permissum, condictione ex Canone 419.5
Municipem quid faciat 599.26
Municipes qui 593.4
Munus in genere quid 592.3
Mutiana cautio 160.19
Mutuatæ rei dominium in mutuantem transfertur 187.7
Mutuatæ rei periculum ad quem pertineat 209.21
Mutui conciliatio fit tribus modis 207.10
Mutui diuisio 206.5
Mutui obligatio multis modis oritur 206.7
Mutui obligatio quibus modis tollatur 209.23
Mutui petitio non conuenit cũ actione ex locato 551.6
Mutui probatio quot testes requirat 207.11
Mutuo dare qui possint 206.6
Mutuo dare quibus prohibitum ibi.8
ex Mutuo obligationum effectus 208.19
Mutuum à cæteris contractibus quomodo differt 206.4
Mutuum debet esse gratuitum 211.10
Mutuum Reipub. nomine datum, à quo possit repeti 208.20
Mutuum unde dicitur 206.3

N.

Narratio facti in literas intenda 462.11
Narratio facti sit circumspecta 476.7
Nata ex nostris animantibus nostra fiunt 91.1
Natales quid 53.2
Natalium splendor nullum tribuit liberis priuilegium 588.60
Natalium splendore personarum augeri dignitatem 72.8
Nati ex coitu damnato seu adulterio, matri etiam non succedunt 167.22
Natiuæ actiones 293.59
Natiuitas 92
Natura abhorret flagitia 190 14
Natura peccato primi parentis corrupta 40.7
Natura tolli non potest 11.14
Naturæ impetus ratione coërcetur 10.12
Naturæ iudicium iustissimum 45.4
Naturales & incæstuosi liberi non

non ſunt in noſtra poteſtate 43.2
Naturales liberi qui 46.13
Naturales liberi ſuccedunt matri 167.20
Naturalia ciuilibus non tolluntur 190.23
Naturalia iura ſunt immutabilia 15 23. 27 23. 190 16
Naturalis æquitas 8 6
Naturalis neceſsitas 195.26
Naturalium legum gradus 10.8
Nauem petens, an poſtea tabulas quoq; petere poſsit 429.40
ex Naufragio rapiens, prædo eſt 274.6
ex Naui rapiens, prædo eſt ibi.
Nautæ ſi furtum commiſerint 263 3
in Necem alterius colludens 280.5
Neceſsitas non habet legem 195.29
Neceſsitatis habenda ratio 468.8
Neceſsitudo ciuilis 351
Negantis factum probatio nulla 324.14
Negatio facti imponit Actori neceſsitatem probandi facti 498.14
Negatoria actio quæ uocetur 358.4
Negligentia hominum præſcriptione longiſsimi temporis punitur 112.3
Negligentia in omnibus actibus iudiciorum admittitur 465.1
Negligentia ſupina eſt, ignorare precium rei familiaris 233.38
Negotia aliena gerentes ſimiles mandatarijs 253.1
Negotia aliena quæ dicantur 256.7
Negotia certis iuris formis diſtincta 419.7
Negotia iuxta ll. gerantur & expediantur 28.2
Negotia noſtra quæ ſint 393.6
Negotia ſingula ſuam habent uarietatem 39.8
ad Negotia cõſideranda multa proſpiciẽtia requiritur 39.11
Negotiator 596.20
Negotijs præficere qui poſsint 254.5
ex Negotijs geſtis utriq; obligantur 393.3
Negotiorum adminiſtratio obligat 255.4
Negotiorum geſtor quis 64.4
Negotiorũ geſtores ad reddendam rationẽ cogi poſſe 255.3
Negotiorum geſtores teneri de dolo & lata culpa 256.12
Negotiorum geſtorũ actio 393.1
Negotiorum geſtorum actio contraria ibi.2
Negotiorum geſtorũ actio ultrò citroq; oritur 29.10
Negotiorum geſtorum actio utilis 316.2
Negotiorũ geſtorum diligentia qualis requiratur 256.11
Negotiorũ geſtorum obligationem oriri quæ prohibeant 257.14
ad Negotiorum geſtorum obligationem requiſita 256.9
Nepotes cum liberis primi gradus ſuccedent in ſtirpes 167.25
Neratij petulantia 5.8
Nili aggeres rumpere 280.4
Nobile iudicis officium 16. 25 280.1
Nobile iudicis officium quando in criminalibus implorare nobis liceat 402.19
Nobilitandi conſuetudo à Zenone cœpit 73.11
Nobilitas adiuncta bonis feudalibus ibi.16
Nobilitas Cæſarum diplomatis donatur ibi.12
Nobilitas politica 72.1
Nobilitas uirtute parta uera eſt nobilitas 74.22
Nobilitatis præcipua cauſa uirtus 73.13
Nocendi occaſionem incogitantia dare 409.7
Nocendi uarij modi ibid.1
Nocentes infamare licet 278.15
Nomina & actiones non diuiduntur 345.3
Nomina rebus conuenientia tribuenda 458.8
Nomina ſpecialia ubi deficiunt, ad generalia recurrendum eſſe 417.3
Nominati contractus 193.10
Nominis mutatio in fraudem facta, pœnam falſi meretur 267.9
Noſtra fit res, cùm accedit uoluntas tradentis 101.6
à Notioribus ad ignotiora procedendum 301.2
Notoria fit res per confeſsionem 500.7
in Notorio facto iudiciarius ordo nõ requiritur 499.4
Notorium quid 501.6
Notorium tripliciter, facti, iuris, præſumptionis 499.7
Nouatio contractus fit, quando uera & iuſta cauſa obligationis intercuenit 517.30
Nouatio contractus quando fiat 516.29
Nouatio duplex, uoluntaria, & neceſsaria 198.8
Nouatio finit inſtitoriam obligationem, ſi ſtipulando in aliam obligationem transferatur 254.7
Nouatio quid ſit 198.7
Nouatione obligationis intermittitur executio 547.32
Nouella conſtitutio de exactione dotis 340.28
Nouellæ 16.26
Nouellæ conſtitutiones 2.13
Noxæ dedere quid ſit 263 2
Noxalis actio 363.6
Nudum ius Quiritum 36
Nudum pactum 202.15
Numularius cogitur ædere rationes 362.3
Nummi alieni mixti reliquæ pecuniæ retinentur 96.8
Nuncij à procuratore differentia 458 2
Nuptiæ clandeſtinæ prohibitæ 243.13
Nuptiæ de præſenti publicè contrahi debent 247.46
Nuptiæ debent publicè pro concione renunciari 247.47
Nuptiæ & coniugum ſunt contractus ex conſenſu 228.6
Nuptiæ ex ignorantia contractæ 573.10

Nuptiæ per proxenetam contrahi possunt 247.48
Nuptiæ politicis ll. quæ prohibitæ 246.38
Nuptiæ quando contrahi, quando consummari dicantur 242.4
Nuptiæ quid ibi.1
Nuptiæ quomodo contrahantur ibi.5
Nuptiæ ut celebrentur, agitur iudicio petitorio contra eam partem quæ recusat 386.7
Nuptiarum contractus quando initiatur 242.2
Nuptiarum nefariarum pœna 249.66
Nuptias hodie nulla dignitas impedit 246.40
Nuptias liberorum an pater impedire possit, si non consentiat 48.10
de Nuptijs dispensat Papa 247.44
in Nuptijs contrahendis mutuus consensus sufficit ibi.49
O.
Obæratus si cedat bonis 412.2
Obedientium in iudicio protestatio 465.2
Obedire oportet Deo magis quàm hominibus, quomodo intelligendum 14.22
Oblationes 593.7
Obligatio alteri alterius ex facto non quæritur 315.20
Obligatio ciuilis tantùm 189.11
Obligatio delictorum 399
Obligatio delictorum odiosa 200.30
Obligatio & dominium quomodo differant 188.3
Obligatio est iuris uinculum 191.30
Obligatio ex lege 194.20
Obligatio ex mentis iudicio & conscientia 199.21
Obligatio ex necessitate 195.23
Obligatio ex nudo pacto 193.5
Obligatio ex nutu quomodo existat 196.32
Obligatio ex sola æquitate 192.1
Obligatio iuris 8
Obligatio iuris nonnunquam non ipsum ius, in comro-
uersia est 10
Obligatio mater actionum 189 5. 365 3
Obligatio naturalis non parit actionem 190.21
Obligatio naturalis per sententiam non tollitur 542.6
Obligatio naturalis tantùm 189.7
Obligatio perpetuatur quoties quis in mora est 33.13
Obligatio quomodo ipso iure extinguatur 197.1
Obligatio solutione tollitur ibid.2
Obligatio testandi uoluntatem auferens non ualet 117.21
Obligatio uerborum quibus modis tollatur 221.18
ex Obligatione amplius, quàm datum sit, repeti non potest 208.17
Obligationes à seruitutibus quomodo differant 188.1
Obligationes ad quid inuentæ 201.3
Obligationes contrarijs conuentionibus non tolli 427.31
Obligationes delictorum exe cutione pœnæ solui 200.29
Obligationes nouatione status transferri 404.10
Obligationes per quas personas acquiramus 196.33
Obligationes quæ ex delicto oriuntur 261.1
Obligationes quæ ex quasi contractu oriuntur 255.1
Obligationes uerborum unde oriantur 218.1
Obligationes unde oriantur 192.1
Obligationes utilitatis causa inter homines constituuntur 200.25
in Obligationibus id quod actum est, spectetur 236.14
Obligationum alia pura, alia conditionalis 190.19
Obligationum contrahendarum modi 196.34
Obligationum differentiæ à causis ductæ 190.18
Obligationum effectus ibi.20
Obligationum ex mutuo effectus 208.19
Obligationum gradus 10.8
Obligationum naturalium xix. effectus 193.4
Obligationum substantia in quo consistat 188.4
Obligationum tres species 189.6
in Obscuris minimum sequendum 34 20. 162 18
Obsides censentur in aliena potestate esse 133.12
Obuentio bonorum facit in successione differentiã 168.29
Occisus uiuere fingitur 28.7
Occultatores nocentum cognati & affines minus puniuntur 276.4
Occupanti conceditur, quod antè nullius est 301.5
Occupantium fiunt pro derelictis habita 333.2
Occupare res quid 90.1
Occupatio rerum 89.1
Odia restringenda, fauores dilatandi 18 30. 114 5 139 40. 218 16
Oeconomi qui 458.6
Officium homo homini debet 414.8
Officium iudicis 420.3
Officium iudicis implorare non habet opus, qui ipso iure tutus est 584.26
Officium iudicis loco actionis dari 193.2
Officium iudicis nobile 402.19
Officium iudicis patri datur 305.3
Oligarchia 78.1
Omissa supplẽda à iudice 505.18
Omnes quando de facto tenentur 163.19
Onera publica remittere qui possint 598.23
Onerosa causa 153.33
Onus cui ferendum, is & commodum sentiat 179.8
Onus dandi quomodo leuetur 159.15
Operæ artificiales 50.7
Operæ certæ & incertæ ibi.8
Operæ certæ & incertæ quomodo stipulari possint ibi.9
Operæ libertorũ quæ sint 49.6
Operarum locatio 215.20

Opinio communis 501.5
Opinio communis probat ibi.9
Opinio ea tenenda, quæ fortioribus innititur rationibus 33.9
Opinio interpretum usu & consuetudine fori recepta cum ratione nõ pugnans, probanda 32.5
Opinio nulla extra eam, quam uerba & mens legis referunt, gignenda 32.4
Opinio, quæ optimo alterius iuris exemplo incumbit, tenenda 33.8
Opiniones iuris unde oriantur 72.2
inter Opiniones uarias eligendum, quod minimum habet offensionis, & ad rei conseruationem facit 34.19
in Opinionibus recipiendis spectetur peritia autorum ibi.21
de Opinionum autoritate regulæ 32.3
Optimus ad omnia nemo 463.16
Optio diuersarum uestium legata 362.5
Orcinus libertus 51.4
Ordinariam actionem habens, iudicem habet mercenarium 287.10
Ordinarij serui 67.4
Ordinarium quid 593.6
Ordinationes politicæ iudicio rationis sint consentaneæ 187.4
Ordinem sequitur dignitas 595.17
Ordines amplissimi nimia indulgentia non sunt uulgandi 52.8
Ordinum priuilegia 588.21
Ordo causas cognoscendi duplex, generalis & specialis 539.61
Ordo processus obseruandi neglectus ibi.60
Orestes iure ne an iniuria matrem suam occiderit 497.12
Orestes parricida ibi.10
Originarij 68.5
Originarij ciues 599.27
Orignis uitium 3.2
Osculum si interueuerit, sponsus non repetit omnia donata 338.5

P.

Pacem uiolans iure occiditur 37.5
Paciſci quibus liceat, aut non 203.25
Pacta contra bonos mores non ualent 204.31
Pacta contra substantiam contractus inita, esse nulla 384.10
Pacta conuenta seruanda 394.4 427.30
Pacta dolo, fraude, metu facta non ualent 204.34
Pacta dotalia quatenus admittantur 339.22
Pacta expressa uariè concipi 202.9
Pacta improbantur quæ testandi libertatem auferunt 134.23
Pacta legem ex conuentionibus accipiunt 239.4
Pacta nouissima quomodo derogent prioribus 205.39
Pacta nuda per se non gignunt obligationem 225.6
Pacta personalia & realia 392.16
Pacta quibus causis impediantur 204.28
Pacta seruabo 295.5
Pacta turpia & uiolenta non obligare 396.1
Pacta uestita 367.4
Pacta uestita innominatorum contractuum 257.1
Pactio nuda non parit obligationem, sed exceptionem 202.16
Pactis conformari & quasi colorari actiones, non tolli 382.17
Pactis contractus constitui 367.2
Pactis nudis non posse agi, nisi subsit causa 203.24
Pacto recedere quando liceat 257.4
ex Pacto nudo cur leges actionem oriri uelint 203.21
ex Pacto nudo non nascitur obligatio, uel actio 123.31
284.9
ex Pacto quæ actiones oriantur 367.3
Pactum casu redditur inutile 204.35
Pactum de futura successione non ualet 204.32
Pactum de non petendo 191.24 199.19
Pactum de petendo 191.24
Pactum de retrouendendo 211.11
Pactum etiam fortuito casui derogat 232.24
Pactum inutile, pignoris non retinendi 215.17
Pactum legis commissoriæ reprobatum à Ll. in pignoribus ib.16
Pactum loci deputati 375.5
Pactum nudum & uestitum quid 202.15
Pactum quid 201.1
Pactum subeundi carceris non ualet 546.25
Pædagogia Ecclesiastica 13.22
Palatini milites 590.81
Pandectæ 283.4
Panormitanus 515.23. 531.4
Papa conciliorum primatum an habeat 575.10
Papa de nuptijs dispensat 247.44
Papa non habet potestatem condendi nouos articulos fidei 575.9
Papa non habet potestatem quidlibet constituendi in Christiano orbe 574.7
Papa omnem potestatem sibi sumpsit prætextu regni Christi ibi.2
Papa ordine moueri potest 576.24
Papa Pius secundus 577.5
Papa principes quosdam summos excommunicauit 576.25
Papæ concessa potestas tollendorum schismatum 575.15
Papæ rerum cognoscendarũ primatus in Ecclesia tribui non potest ibi.12
Papia lex 153.36
Par in parem non habet imperium 40 3. 438 15
Parapherna duplici actione repeti

Statuta opificum in ciuitatibus Germaniæ excludunt Bastardos 18.30
Statuta prohibitoria sunt tripliciter ibidem
Statuta quando & quos obligent 16.27
Statuta quatenus obligent ciues extra territorium 18.30
Statuta quomodo extendenda 26.13
Statuta quomodo ualeant 3.11
Statuta scripto, consuetudines usu comprobantur 18.32
Statuta sunt stricti iuris 24.5
Statuta uariant ius succedendi 168.31
in Statutis interpretandis fictio non habet locum 29.11
Statuto ne caueri possit, interpretationem statutorum no admitti 26.20
Statutorum condendorum potestas quomodo extinguatur 6.15
Statutorum correctio iuxta leges iuris communis fiat 26.16
Statutorum interpretatio non sit onerosa 26.18
Statutorum interpretationes hominum pactis aut statutis excludi uel impediri non possunt 27.24
Statutorum obligatio 18.30
Statutũ non tolerandum, quod interpretationem statutorum prohibet 27.25
Stellio quid 280.3
Stellionatus crimen 280.2: 417.
Stellionatus crimen plectitur extra ordinem 280.7
Stellionatus crimine qui tenentur 280.4
Stilus iudiciorum spectandus 162.9
Stipulandi rei duo uel plures fieri possunt 220.9
Stipulantium uno soluente omnes liberari 221.19
Stipulari quas res possimus 220.10
Stipulari qui non possint 219.4
Stipulari qui possint 220.8
Stipulari quid 219.3
Stipulari sum rem sibi dari nemo potest 220.11
Stipulatio legis gignit obligationes 284.11
Stipulatio mutui obligationem conciliat 207.10
Stipulatio quid 219.2
Stipulatio quomodo impediatur 220.15
Stipulatio stricti iuris est 25.12
ex Stipulatione frequentius condici certum 375.1
Stipulationes facti non diuidi 219.6
Stipulationes inutiles 220.11
Stipulationes per uerba futuri temporis fiant 221.16
Stipulationes uariè cõcipi 219.7
Stipulationum uariæ differentiæ 219.5
ex Stipulatu actio quando competat 375.2
Stoicorum dictum: Omnia propter hominem, sed homo propter Deum conditus 4.7
σοφιαι φυσικαι 2.1: 3.1
Stricti iuris actiones 290.25
Stricti iuris esse quid sit 228.5
Stricto iuri præferatur æquitas 28.1
Studia literarum 75.28
Studiorum ratione personæ excellunt & uilescunt 74.24
Studiosi iuris militibus æquiparantur 28.9
Stupri pœna 274.9
Stuprum ab adulterio quid differat 273.2
Suam rem, nisi à iure, condicere nemo potest 365.6
Subditi cum superioribus contendentes uarijs implicantur difficultatibus 551.3
Subgrundæ quæ 282.6
Subsidiariæ actiones 304.5
Subsidiariarum actionum collatio ad reliquas 411.1
Subsidium anomalum 323.3
Substituere & substitui qui possint 138.37
Substituere quid sit 137.35
Substitutio hæredum 137.35
Substitutio in legatarijs 152.26
Substitutionum species 137.36
Succedendi ab intestato quatuor gradus 166.15
Succedendi iuris emendatio 167.16
Succedendi ius statuta uariat 168.31
Successio ex testamento 131
Successiones quæ deferuntur ex necessitudine ciuili 171
Successionis ab intestato iura sæpe mutata 165.1
Successionis differentiam obuentio bonorum facit 108.29
Successionis iure altero agens ad alterum non admittitur succumbens 342.4
Successionis iure debitum quo modo petendum 480.28
Successionis ius uetustissimum 165.1
Successionum aliarum nulla admittitur, nisi constet non esse conditum testamentũ 132.1
Successionum delationes 177
Successionum edictum 177.2
Sui hæredes domini 165.4
Sui hæredes obtinent primum gradum successionis 167.18
Sui hæredes propriè sunt liberi 167.17
Summaria cognitio quando non sufficiat 436.9
Summatim cognoscere 438.12
Sumptus in rem hæreditariam facti diuiduntur 345.27
Superindicta 595.11
Suspecti iudicis causæ 549.8
Suspecti iudicis recusatio 465.6
in Suspecti iudicis ordinarij cognitione Episcopus loci adhibeatur 549.6
Suspectus iudex cùm recusatur, causa suspitionis in libello est exprimenda 548.4
propter Suspiciones criminis non temerè est aliquis torquendus, aut damnandus 30.3
de Suspicionis causa arbitri cognoscunt 466.9
Susurro & consiliarius iniuriarum conuenitur quoque 407.4
aduersus Sycophantæ mortum

non est remedium 19.1
Sylla effractor ærarij 217.2
ex Sylua nouale facere 276.5
Syndici reuocatio 461.18
Syndicus & actor in quo differant 458.5
Syndicus quis 458.4
Syngraphæ 226.2: 426.26: 514.12
Syngraphæ mercatorum 227.7

T

Tabellionibus & testibus potest relinqui 134.19
Tabulæ quæ dicantur 511.1
Tarquinorum uiolentia causa exactorum regum 79.3
Tauroscythæ mactabant peregrinos 6.5
Technis circumuentus actione de dolo agere potest 281.4
τεκμήρια 518.6
τεκμήρια propriæ rerum notæ 499.9
Temeritas sua nulli alterius damno proficere debet 96.1
Tempora constituta incidens causa uariat 559.58
Temporales actiones 290.28
Tempore res omnes fieri deteriores 272.3
in Tempore occurrere melius est, quàm post exitum uindicare 37.3
Temporis cursus cuius initium non memoratur, obtinet uim priuilegij 73.14
Temporis habenda ratio 535.28
Tempus in contractibus inspici 132.7
Tempus iuris gignit in actionib. & iudicialibus obseruationibus 111.7
Tempus nec tollit, nec inducit obligationem 199.24
Tempus non mutat ueritatem & falsitatem rei 539.57
Tempus utile & non continuum obseruandum 432.51
Terguersarij qui 268.7
Terguersatio reorum 469.15
Termini ad quid ponantur 275.2
Termini casu submoti reponuntur 361.6
Termini moti pœnas 275.4
Termini qui dicantur 275.1
Terminum peremptorium quando exprimi opus sit 470.18
Terminus dilationis peremptorius 469.14
Terminis ignotis, ignorantur propositiones 526.42
Terracinenses adolescentes parricidij accusati et absoluti 523.9
Tertij improbitas 102.22
Tertullianum S.C. 165.6
Testamenta capitis diminutione quomodo infirmentur 143.12
Testamenta facere qui non possint 132.6
Testamenta iniusta quæ 142.10
Testamenta irrita fieri, cùm hæreditas indignis confertur 144.19
Testamenta militaria 589.77
Testamenta morte testatoris confirmantur 141.4
Testamenta quibus modis confirmentur, aut infirmentur 141
Testamenta rustici citra solennitatem facere possunt 17.27
Testamenti calumniator amittit hæreditatem 144.20
Testamenti causa fauorabilis 532.10
Testamenti factio publici, non priuati iuris est 132.9
Testamenti in scriptis conficiendi forma, & modus 135.29
Testamenti inofficiosi querela 343.18:412.8
Testamenti ius capitis diminutione infirmatur 146.25
Testamenti præcipua clausula 132.3
Testamenti proprium est hæredis institutio 134.24
Testamenti uitium inuisibile non prohibet aliquem ad hæreditatem peruenire 329.14
Testamentis qui testes adhiberi possint 136.33
in Testamentis relicta peti non possunt, si non adeatur hæreditas 355.4
in Testamentis uoluntates hominum non cogantur 141.3
Testamento frater licitè potest præteriri 139.42
Testamento relictis ad pias causas duo testes sufficiunt 136.32
ex Testamento rupto an legata debeantur 148.11
in Testamento quot testes requirantur 135.28
in Testamento relinquere quibus liceat 133.15
Testamentorum differentiæ apud ueteres uarię 132.4
Testamentorum solennitas inter parentes & liberos ualde non requiritur 136.31
in Testamentorum interpretatione naturalis iustitia spectanda 162.12
Testamentum agnatione sui hæredis rumpi 142.11
Testamentum cæci 136.30
Testamentum desertum, irritum, ruptum 143.15
Testamentum frater germanus præteritus impugnat 140.49
Testamentum militare, an sit priuilegiatum 569.19
Testamentum nuncupatiuum 136.30
Testamentum prius perfectum per imperfectum posterius nonnunquàm rumpi 142.7
Testamentum quemadmodum reuocetur 141.5
Testamentum querela inofficiosi testamenti rescinditur 542.10
Testamentum quid 132.2
Testamentum rustici 136.30:590.83
Testamentum si deficit, ad quem deuoluatur hæreditas 144.21
Testamentum solenne quod 132.5
contra Testamentum hæreditatem petere non permittitur, nisi antè per querelam sit rescissum 343.17
Testandi uoluntas debet esse libera

bera 134.22
Testandi uoluntatem auferens obligatio nulla ualet 117.21
Testator perspicuis uerbis exprimat institutum hæredem 134.21
Testator uoluntatem suam quotiesuult mutare uel declarare potest 131.2
à Testatore non expressum iudicetur secundum ius commune 524.25
Testatorem nulla alia necessitudo personarum cõgit scribere aliquem sibi futurum hæredem, quàm quæ est inter parentes & liberos 139.41
Testatoris bona publicantur ob crimen læsæ maiestatis 142.23
Testatoris error probandus 157.6
Testatoris uoluntatem error nominis non impedit 162.5
Testatorum uoluntas honesta pro lege habetur 59.11
Testatus & intestatus ex parte idem decedere non potest 147.7
Teste uno plus ualet constans fama 507.7
à Teste notitiæ certitudo quando exploratur 505.17
Testes à parte aduersa contra productorem produci quando possint 507.26
Testes ad æternam rei memoriam quando recipiantur 503.2
Testes adhiberi testamentis qui possint 136.33
Testes alios post publicationem testimoniorum producere an liceat 510.45
Testes an inuiti ad dicendum testimonium cogi possint 505.12
Testes ante litem contestatam non recipiuntur 249.72
Testes ante litis contestationem recipere quando liceat 443.6
Testes contractibus nonnunquam adhiberi 208.16
Testes de auditu alieno 501.10
Testes duo in qualibet causa sufficiunt 503.34
Testes esse qui nõ possint 507.28
Testes examinatos repetere potest iudex post conclusionem, ex officio 510.48
Testes iurare non debent feriato die, licet examinari quocunq; tempore possint 505.23
Testes quot in quolibet testamento requirantur 135.28
Testes reprobatorios quando liceat producere 510.47
Testes suspecti qui 504.18
Testes tres ad chirographarium instrumentum requiri 208.14
ad Testes nouos proferendos restituuntur fœminæ 584.16
contra Testes excipiendi terminum statuere iudex potest 508.35
Testi in uno articulo falsum dicenti, in nullis fides habenda 510.49
Testibus iniuratis an credatur 505.21
Testibus obiecta in reprobatione personarum non præbeantur, antequam testes sua testimonia deposuerint 507.30
Testibus potest relinqui 134.19
Testibus remitti iuramentum à partibus potest 505.22
Testibus silentium imponitur de non reuelando 506.24
Testimonia falsa 15.23
Testimonia quomodo publicentur 509.44
Testimonijs non est credendum, sed testibus 505.16
à Testimonio dicendo nemo sine excusatur iure Canonico 588.59
Testimonium de aliena scientia reprobatur 509.41
Testimonium dicere qui non cogantur 504.11
Testimonium duorum omnem contractum confirmat 208.13
Testimonũ falsum proferens, propter quod aliquis condemnatur, tenetur pœna sicariorum 272.6
Testis adhiberi fœmina circa codicillos potest 147.8
Testis an semper teneatur rationem dicti reddere 509.42
Testis causam asseverationis adferre debet 509.38
Testis facti certissimus 499.2
Testis unus quid probet 508.33
Testium certus sit numerus 508.32
Testium citatio an semper requiratur 506.25
Testium dicta reprobandi modus 508.36
Testium iuramentum ad dicendam ueritatem 505.20
Testium productio ante litem contestatã non admittitur 503.1
Testium reprobatio 507.27
Testium reprobatio an possit fieri ante examen uel post 507.29
ex Testium depositione satis est si præsumptiuè certitudo colligi possit 509.43
Theophilus quando uixerit 323.7
Thesaurus auertur magicis, ut indignis 91.8
Thesaurus inuentus quando cedat inuentori, quando nõ 90.4
Tiberiadis tractatus Bart[illegible] 94.6
Tignum furtiuum æstimatur 263.4
Tignum quid significet 263.5
Titulo aditus iuris fit ad consequendum dominium 430.45
Titulorum iuris usus 2.1
Titulus à solis percipiendis fructibus possessorem liberat 321.13
Titulus acceptæ possessionis proferendus 335.3
Titulus possessionis probandus 510.46
Titulus pro suo, omnes iustas causas rerum acquirendarum, tanquam sub genere comprehendit 1.1.10
Titulus quid, & quomodo accipiendus 107.9
Topica ars est subsidium iuris 30.13
Tradimus res manu apprehensas 99.10
Tradit propriè, qui rem suam in alterius potestatem confert 98.7

Traditio est finalis causa emptionis 231.15
Traditio est modus acquirendi proprius 98.3
Traditio impropria 98.7
Traditio incerta non transfert possessionem 101.11
Traditio nuda non transfert dominium 98.1
Traditio omnibus contractib. interuenire debet 98.4
Traditio propria 98.7
Traditio sine causa uera & putatiua non est ualida 99.12
Traditio supplet actum corporalem 103.28
Traditione & usucapione transferuntur dominia rerum 188.2
Traditione non acquiruntur dominia rerum, nisi precedente legitima causa 333.5
Traditione res fiunt nostræ 98.5
absq; Traditione non transfertur rerum dominium 331.9
Traditionem causa iusta præcedat 98.2
Traditiones 8.4
Traditiones Ecclesiasticæ 285.16
Traditiones Ecclesiasticæ qua tenus obligent 14.22
Traduntur res incorporales per patientiam 99.11
Transactio an sit de processu iudicij 259.2
Transactio communi partium consensu dissoluitur 261.21
Transactio componendæ litis causa fit 395.12
Transactio de alimentis quando ualeat 260.9
Transactio de delicto impor. tat infamiam 291.43
Transactio dolo facta, inualida 260.6
Transactio est contractus innominatus 194.13
Transactio & permutatio contractus innominati 395.11
Transactio gratis non fit 261.18
Transactio habet autoritatem rei iudicatæ 261.20
Transactio metu facta inualida 259.5
Transactio quibus modis fieri possit 260.16
Transactio quõ uitietur 261.19
Transactio scriptura quomodo fiat 260.15
Transactio similis contractui, do ut des 259.3
Transactione intermittitur executio 547.32
Transactiones metu factæ non seruandæ, quomodo accipiendum 526.40
Transigere de quibus rebus licet 260.7
Transigere qui dicantur 259.1
Trebelliani S.C. beneficium 356.10
Trebellianum S.C. 156.10:351.4
Tributa 594.13
Tributoria actio 391.9
Tributoria actione qui conueniantur 389.4
Triticaria condictio 323.2
Triticiaria condictio à certi condictione quid differat 366.10
Triticius condictionem ad incertarum rerum petitionem extendit 366.12
Turpia legata non debentur 151.12
Turpitudinis & malarum rerum uberrimus prouentus 397.5
Tutela datiua 60.18
Tutela est priuatum munus 593.10
Tutela fiduciaria 60.18
Tutela legitima quæ 59.16
Tutela parentum 60.18
Tutela patronorum ibidem
Tutela quibus modis acquiratur & amittatur 58.1
Tutela quid 55.2
Tutelæ actio contra quos & ob quid detur 313.4
Tutelæ actio contraria, qua tutor impensa petit 315.18
Tutelæ actio directa 579.9
Tutelæ actio est perpetua 314.14
Tutelæ actio infamat 313.5
Tutelæ actio quæ directa, quæ utilis 313.9
Tutelæ actio quæ sit, & quando detur 313.1
Tutelæ actio utilis 579.9
Tutelæ administratio uni ex pluribus mandari potest 57.17
Tutelæ diuisio 313.11
Tutelæ mandandæ ab intestato modi 59.13
Tutelæ officio mulier fungi quando possit 58.3
Tutelæ onere non nisi septuagenarij excusantur 588.58
Tutelæ oneris recusandi causæ 63.7
Tutelæ onus 28.6
Tutelæ onus ibi esse debet, ubi successionis est emolumentum 59.14
Tutelam finiri multis modis 62.1
Tutelaria potestas 55.1
Tutor Atilianus 60.19
Tutor falsi propter dolum conuenitur, quæ actio annuo tantùm spacio durat 316.22
Tutor honorarius quis 57.16
Tutor idoneus quis 61.22
Tutor in re pupilli loco domini habetur 56.11
Tutor iuris sui autor fieri non potest 56.15
Tutor non tam rebus quàm personis præficitur 55.5
Tutor propter aduersam fortunam non remouetur 63.6
Tutor quam diligentiam adhibere cogatur 55.4
Tutorem habemi quando tutor dari possit 61.25
Tutores esse mutus uel surdus non possunt 58.6
Tutores esse qui possint 58.2
Tutores pupillis qui petant 61.23
Tutores quando dotem constituere debeant 122.27
Tutores quomodo & quando magistratus dare possit 61.24
Tutores quomodo testamento dentur 58.8
Tutores suspecti possunt remoueri 63.5
Tutori pupillam ducere non licet 109.17
ex Tutoribus quandiu unus idoneus est, non potest ad magistratus, qui illos dederunt, peruenire 314.13

Tutoris defuncti hæredes de dolo & lata culpa tenentur 313 6
Tutoris nouatio 316.21
Tutoris onus faciendi inuentarij 55 3. 64 7
Tutoris potestas 56.10
Tutorum autoritas requiritur in iudicio 57.21
Tutorum beneficia 578 2 579.6 & 7
Tutorum confirmatio in testamentaria tutela 59.10
Tutorum consensus seuerè exploratio non semper requiritur 57.16
Tutorum inquisitio quæ facienda 59.12
Tutorum multitudo periculosa 60.17
Tutorum negligentia 578.3 579.13
Tutorum satisdatio quando & quomodo requiratur 61.26
Tutorum unus si damnum dederit 579.5
Tyrannis 78.3

V.

Vacatio à muneribus ciuilibus 595.14
Vadimonium pro reo facere 222 8
Valentiniani constitutio de mendicis 67.5
Valetudinarij immunes 595.15
Vasalli 68 8
Vectigalia 594.13
Velleianum S.C. 203.27 425 19. 547 34. 570 5
Velleiani beneficij renunciatio quando fieri debeat 58.4
Vendens eandem rem duob. falsarius est 266.7
Vendere quæ liceat 229.5
Vendicandæ res quando separatim non extant, sed confusæ & cõmixtæ sunt 312.19
Vendicans suas ædes probare debet, quòd sit dominus ædium 497.7
Vendicari quæ res possint 320.5
Vendicatio libertatis per se uel per procuratorem fieri potest 318.12
Vendicationes rei 286. 5 320. 1
Vendicationis rei causa est dominium 477.9
Vendita res loco pignoris teneri potest 98.8
Vendita res si euincatur 232.25
Venditas res effundere quando liceat ibi.22
Venditio inter quos contrahatur 229.4
Venditio nonnunquam uitio rei emptæ rescinditur 233. 33
Venditio quando rescindatur 428.34
Venditio quibus modis probetur 231.16
Venditio quomodo rescindatur 232.28
Venditio rei, in quam quis missus est, subitò peti aut permitti quando possit 451.17
Venditione perfecta omne commodum uel incommodum rei uenditæ ad emptorem spectat 231.20
Venditiones simulatæ mariti 128 22
Venditionis error 230.13
Venditionis & permutationis differentia 229.3
Venditor de fortuito casu non tenetur 232.23
Venditor ex uenditione nominis tenetur 422.8
Venditor in uarios casus iuuatur à legibus 380.10
à Venditore quid requiratur 230.10
Venefici 271.1
Venefici capite puniuntur 272.9
Venenum occidendi causa ministrantes, sicarios esse ibi.5
Venter in bonorum possessionem mittitur 350.20 415.32
Verberare quid 277.7
à Verbis legis quando recedendum 22.6
Verborum curiosa solennitas 151.20
Verborum iunctura uarias parit significationes 20.7
Verborum obligationes 218.1 375 1
Verborum obseruatio in contractibus requiritur 479.26
Verborum propria significatio spectanda 162.7
Verbum Dei absq; piaculo à nemine negligi potest 576.26
Veritas & falsitas rerum non mutantur temporibus 539 57
Vestem alterius inquinare 279.7
Vestem commodatam nolens reddere 397.6
Vestis pollicita propter nauatam operam 378.4
Vestita pacta 202.17
Veterani à uectigalibus soluendis liberantur 590.79
Veteranus 597.21
de Vi bonorum raptorum actio 289.17
Via tutissima, quæ tritissima 34.18
Vicarij 595.18
Vicarij serui 87.4
Vicarius Christi 574.5
Vicedomini qui 458.6
Victoria unius quando alterum subleuet 543.15
Victus appellatione quid ueniat 19.3
Victus victori in expensis condemnatur 298.18 561.71
Villa fundi accessio est, non corpus 185.15
Vim facere quid 269.3
Vindicta quæritur actione iniuriarum 407.5
Vindicta qualis sit libertatis acquirendæ modus 51. 3
Vino & uti & non uti licitum 204.30
Vinum uitiosum ex cauponæ negligentia 278.3
Violatores sepulchrorum ad interesse obligantur 275.2
Violenta autoritas & institutio irrita pronũciatur 312.4
Violentia coercenda 283.4

Violentia quomodo extinguat obligationem 199.17
Violentiæ nomen generale 269.2
Violentiæ pœna deportatio 270.7
Violentiæ ultio ciuiliter quatenus quæratur 406.1
Violentos uiolenta decent remedia 272.4
Violentum non diuturnum 79.7
Vir & uxor quomodo sibi succedant 170.43
Virtutes morum Vlyssei s artibus aduocato temperandæ sunt 463 22
Vis compulsiua 110.4
Vis duplex, alia quæ corpori nostro infertur, alia quæ res auferuntur 406.2
Vis & dolus pariunt actionem aduersus raptores 99.3
Vis legitima 110.4
Vis priuata 270 8. 335 7
Vis priuata si criminaliter de ea quæratur, infamat 270.9
Vis publica ibi.5
Vis uiolenta 110.4
Vltima uoluntas, res sacra 163.18
Vltimis uoluntatibus summus fauor debetur 356.12
Vnde cognati 166.10
Vnde legitimi ibi.9
Vnde liberi ibi.8
Vnde ui, interdicto infamia facti quando incurratur 326.18
Vnde uir & uxor 166.12
Viriires quid sit 93.4
Vniuersales actiones 293.52
Vocabuli significatio dubia 21.8
Volucres natura communes capientium fieri 87.9
Voluntas in maleficis spectatur, non exitus 272.8
Voluntas cuiusq; ambulatoria ante supremum uitæ exitum 128 20. 141 1 152 29. 161 3.
Voluntas legislatoris, non sola uerba consideranda 19.2
Voluntas occidendi punitur 272.7
Voluntas ultima res sacra 163 18
Voluntates hominum in testamentis non cogantur 141.3
Voluntatis ante obitum mutandæ libertas nullis priuatis pactis eripitur ibi.2
Voluntatum dispositiones quibus conditionibus, causis, aut modis uitientur, uel non 157
Vota quomodo obligent 9 7
Voti exequendi petitio est penes Episcopos 378.10
Votorum liberatio quomodo fiat 226.9
Votum à pollicitatione differt 225.1
Votum ἀνόμαλον 226.8
Votum Deo factum quatenus obligat ibi.7
Vouendo obligamur ex promissione nostra 202.5
Vsu homines peritiores fieri 72.6
pro Vsu rei ultra sortem aliquid petere, inæquum 368.5
Vsuarij satisdatio 186.23
Vsucapere qui non potest, Publiciana experiri non potest 331.11
Vsucapi non possunt, quæ in commercio nostro esse non possunt 107.16
Vsucapi num possint, quæ clam uel precario possideantur ibid.18
Vsucapi quæ non possint ibi.12
Vsucapio cingit possessionem, ne defluat 106.1
Vsucapio cur inuenta ib.3
Vsucapio est modus auxiliaris acquirendi res ibi.5
Vsucapio & præscriptio in quibus differant 108.4
Vsucapio & præscriptio sunt certa temporũ spacia 103.24
Vsucapio fauore, præscriptio odio negligentis introducta 109.10
Vsucapio interrumpitur in quatuor casibus 110.6
Vsucapio mutui obligationem conciliat 207.10
Vsucapio non currit contra minorem 586.47
Vsucapio non oritur ex contractibus improbatis 107.17
Vsucapio præsidiarium est auxilium possessionis 106.2
Vsucapio quid ibi.6
Vsucapio quomodo interrumpatur 108.21
Vsucapio quorum titulorum iure procedit 107.10
Vsucapio sine possessione non procedit. 111.2
Vsucapione directum, præscriptione utile dominium acquiri 109.8
ex Vsucapione quæ actiones oriantur 334
Vsucapionem nonnunquam conditio ipsarum rerum impedit 107.15
ad Vsucapionem bona fides requiritur 107.13
ad Vsucapionem continuatio possessionis & triennij requiritur ibi.20
ad Vsucapionem quæ requirantur ibi.8
ad Vsucapionem requiritur possessio rei ibi.11
Vsucapiuntur res mobiles, præscribuntur res immobiles 107 7. 108 2
Vsucapiuntur triennio res mobiles 107.19. 108.5
in Vsufructu executio quomodo facienda 547.37
Vsufructuaria cautio 472.7
ab Vsufructuario cautio exigi potest per proprietarium 184.11
Vsufructuarius ad quid teneatur ibi.10
Vsufructuarius quasi dominium in fundo habet 93.5
Vsufructuarius utatur usufructu arbitrio boni uiri 184 7
Vsumfructum extinguit confusio seu consolidatio 185. 18
Vsumfructum mutat inundatio aquæ ibi.17
Vsura in solo mutuo committitur 210 3. 211 10
Vsura quid dicatur 209 1
Vsuræ an sint licitæ 205.18

Vſuræ animæ, menſtruæ, centeſimæ quæ 211.13
Vſuræ centeſimæ licitæ in traiectitia perſona ibi.15
Vſuræ ex mora petuntur 321.16
Vſuræ ex mutuo peti non poſſunt, niſi de ijs dandis conuentum ſit 368.4
Vſuræ ex officio iudicis deputantur 290.24
Vſuræ habendæ, quicquid ultra ſortem pro uſu rei mutuatæ petitur 211.12
Vſuræ illuſtrium perſonarum, plebeiorum, mercatorum ibid.14
Vſuræ iure diuino prohibitæ 187 & 210 4
Vſuræ quando in ſortem computandæ 217.10.
Vſuræ quibus caſibus licitæ iure Canonico 210.7
Vſuræ rei iudicatæ 545.17
Vſuræ ſi maiores, quàm leges permittant, ſoluantur 217.10
Vſuræ ſunt intereſſe 299.23
Vſurarij 600.28
Vſurarius furtum committit 15.23
Vſurarum petitio propter moram 303.13
Vſuras quando licet petere citra turpitudinem 299.24
Vſuris præſtãdis regionis conſuetudo obſeruanda 315.19
pro Vſuris non datur actio de iure Canonico 211.16
Vſus ab uſufructu quomodo differat 183.2
Vſus domus quis ſit 185.21
Vſus equorum aurigæ legatus 186.24
Vſus loquendi in quaq; lingua ſpectandus 20.7
Vſus ſyluæ qualis 186.22
Vſusfructus ab uſu quomodo differt 183.2
Vſusfructus amiſſio 185.13
Vſusfructus caſualis 183.3
Vſusfructus cur dicatur ſeruitus diuidua 180.8
Vſusfructus duæ ſpecies 183.3
Vſusfructus eſt res incorporalis, & quaſi poſſidetur 86. 9
Vſusfructus formalis 183.3
Vſusfructus legati dies quando cedat 185.12
Vſusfructus nauis legatus quando interit ib.16
Vſusfructus non utendo extinguitur ibid.19
Vſusfructus patri in bonis filij aduenetitijs conceditur 184.6
Vſusfructus pecuniæ conſtituuntur 183.3
Vſusfructus quid ibid.1
Vſusfructus rei mutatione uariè extinguitur 185.14
Vſusfructus rerum quæ uſu conſumuntur 183 4
Vſusfructus ſeruitus mixta 180. 3
Vſusfructus ſyluæ cæduæ 184. 8
non Vtendo ius ſuum negligi 185.19
Vterini qui 169 36
in Vtero exiſtens, natus eſſe fingitur à iure 28.6
Vti poſſidetis interdictum cui detur 328.8
Vtiles actiones 292.49
Vtilis actio quare uocetur 292 50. 306 8
Vxor an cum tranſuerſalibus mariti ſuccedat 170.45
Vxor an teneatur maritum ſequi, quocunq; proficiſcatur 348.60
Vxor cum liberis quomodo ad ſucceſſionem ueniat 349.15
Vxor dotem repetit cum omnibus fructibus 338.8
Vxor mariti forum ſequitur 441.12
Vxor non dotata cum liberis ad bona mariti uenit 170.44
Vxor non extantibus liberis proprietatem portionis ſuæ conſequitur ibid.46
Vxor præſumitur quæſita habere à marito 518.8

FINIS.

IVSTINVS

IVSTINVS GOBLERVS DOCTOR,

Studiosæ Legum Iuuentuti.

QVæris iter sacri Iuris studiosa Iuuentus,
Quod facili ducat per loca tuta manu.
En tibi tanta ferens consultus commoda Lagus,
Explicitam certa tradit ab arte uiam.
Scilicet ad Methodi formam, præceptaq́, leges
Cum titulis repetens, qua patet usq; uocat.
Cumq́ alij pueros, ceu per freta longa fatigent,
Incultosq́ trahant, barbara turba, sinus:
Hic ueram Musis comitantibus extruit artem
Emunctoq́ docet iura diserta stylo.
Quo sint tractandi Tituli explicat ordine, quæres
Auxilium magni muneris instar habet.
Præ se utinam uiuus meditata polire tulisset
Ipse sua, ut certa ac integra scripta forent.
Sed dictata recens quæcunq́ reliquerat, error
Fortè auditorum corripiebat iners.
Nos quantum licuit correximus, insuper aptas
Addidimus summas, addidimusq́ locos.
Forsitan hoc uile est meritum, sed uilia fructus
Ista suo reddent tempore crede bonos.
Contemnenda putes minimè quasi parua, fatenti
Non constare tibi queis sine magna queunt.
Flumina magna uelut paruis de fontibus orta
Plurima collectis multiplicantur aquis.
Adde quòd & nostris prudentibus ista probantur,
Rebus & in magnis non leue pondus habent.
Ergo age sis docilis ad iura colenda Iuuentus,
Hæc pateat studijs area lata tuis.
Ingenua semper fuit ista scientia laude
Ornata, una ingens sustinuitq́ decus.
Lege nihil Natura tulit preciosius usquam
Est sacri iuris conditor ipse Deus.
Iura regunt mores hominum, & commercia uitæ,
Iura regunt pacem, bella, theatra, forum.
Seu cœlum spectes, seu terras, hac tibi uirtus
Non radijs fulget pulchrior ulla suis.
Nec merces tenuis, nec spes te lactat inanis,
Fertilis hic magni campus honoris erit.
Nam doctrina suis cultoribus inclyta legum
Multa dedit quondam præmia, multa dabit.
Sis quamuis pauper, læto tamen omine Cæsar
In partem Imperij te uocat ille sui.
Et patriam Augusta studiosis uoce regendam
Tradit, an hoc precium dixeris esse leue?

IVRIS

IVRIS. CIVILIS TRADITIO METHODICA, PER CLARISSIMVM IVRECONSVLTVM DN. Conradum Lagum.

PRIMA PARS DOCTRINAE IVRIS, QVAE EST PHILOSOPHICA. Cap. I.

SVMMARIVM.

1. Controuersiarum de iure esse duo genera, uidelicet, Iuris & facti, alterum inquisitionē causarū, alterum formas negotiorum & delictorum declarans.
2. Ad explicationem quæstionū de iure requiri cognitionem causarum, ex quibus omnium legum atq; constitutionum autoritas oritur.
3. Rubricæ Decretorum an & quomodo sint Authenticæ.
4. Iustitia sit mater Constitutionum & legum.
5. Causæ quandoque incidunt propter quas constitutiones & leges uidentur relaxandæ.
6. Lex Pitaci de pœna ebriorum non exasperanda in Germanis, sed æquitas postulare uidetur, ut non iuxta statutum, sed pro modo delicti puniatur.
7. Sapienter dictum ab Azone, esse quasdam leges legum.
8. Prior est & potior causarum cognitio, & obligationum iuris, quam partem ueteres πρὸς τὸν πρόσιον dixerunt.
9. Primam partem Iuris philosophicam, alteram historicam esse.
10. Ratio legis attendenda, quæ est legis anima.
11. Ordinationē legū non esse perpetuā, sed pro necessitate publica moderandā.
12. Leges esse gubernandarum Rerum publ. consilia.
13. Legis Græciæ de uxoribus ducendis, eo quòd matrimonia libera esse debeant, abrogatio.
14. Nouellæ constitutiones uocantur Authenticæ, & sunt postrema iuris ciuilis emendatio.
15. Imago quædam iuris doctrinæ animo concipienda est, ad quam cogitationes dirigantur.

ARGVMENTVM DOCTRINAE IVRIS.

1 DVO SVNT CONTROVERSIARVM de Iure Genera. Aut enim quęritur, unde quodq; ius existat, & ꝙs obliget, aut quid in quacq; facti specie pro Iure obseruet. Vt quum in dubiū uocatur, an Rubricę Decretorū sint Authenticæ, id est, an habeāt autoritatem sacrorū Canonum, non quęritur, quid iuris in hoc, aut isto casu constitutū sit Canonibus Ecclesiasticis, sed an pro iure habendū sit, ꝙd decretorū Rubricis
2 constituit. Et ad explicationē taliū quæstionū requiritur cognitio causarū, ex quibus omnium legum atq; constitutionū autoritas oritur, sicut accuratè de autoritate Rubricarum Decreti disputat Spec. in fi. tit. de disput. & allo-
3 gat. Et Panormitanus cir. ex parte, extr. de rescriptis, dicit decretum eatenus ꝓbari, quatenus recenseat dicta patrū. Nam quia decretū est congestū à Gratiano, qui non habuit autoritatem condendi publici iuris, ideo quæ ab eo in istum librum sunt relata, non pariter omnia recipiuntur. Atq; ita uidemus nonnunquā disceptari de ipsis legibus & constitutionibus, quas constat in aliqua repub. extare, & tamen de illarū autoritate dubitatur: uel quia ab illis latæ sunt, quibus nō licuit, aut quia non debita solennitate ꝓmulga-
4 tæ sunt, uel quia nō habent iustitiā matrē, sicut nunc loquunt, uel quia agūt de rebus, de quibus earum conditoribus aliquid cōstituere non licuit. Item

Iustitia mater constitutionum & legum.

disceptatur aliquando etiam de legibus & statutis, prudenter & utiliter in aliqua repub. conditis, adeò ut de earum æquitate & autoritate nullum sit dubium, & tamen incidunt causæ, propter quas earum constitutio uidetur relaxanda. 5

Huius controuersiæ sumemus exemplũ ex Politicis Aristo. Nam is scribit Pittacum quendam tulisse legem, ut qui ebrius aliquẽ pulsasset, maiore pœna afficeretur, quàm si is sobrius fecisset. Iam igitur si Germanus aliquis fortè incidat in rempub. Pittaci, & cùm ppter mores nostrorum hominum non putet delinquentium pœnas ratione ebrietatis exasperari, si pulset aliquem ebrius, uidetur æquitas postulare, ut non iuxta statutum, sed pro modo delicti puniatur. Verisimile etenim est eum ignorasse statutum Pittaci. Itaq; grauior pœna ebriorum æquitate Judicis meritò illi remittitur. 6

Consuetudinis autoritas.

Ad eundem modum de consuetudinis autoritate disceptatur, & iudicatur, iuxta l. de quibus. Sinueterata. ff. de legib. & senatusconsl. Rectè igitur & sapienter Azo dicit esse quasdã leges legum. Nam in pleriscq; titulis iuris non ponuntur decisiones casuum, nec prescribitur forma iuris, quã in quaque facti specie sequamur: Sed generalis quędã doctrina iudicandi de autoritate omnium legum, & de constitutione traditur. Et quia prior atq; potior etiam est causarũ cognitio & obligationum iuris, arbitror ueteres hanc partem πρὸς τὴν πρότιὸν dixisse. Nam huius appellationis ratio in promptu est. Quis enim non intelligit frustra condi legem atq; allegari, cuius autoritas & obligatio non appareat? Proinde neminem spero improbaturum nostrum consilium, quòd doctrinam Iuris in hęc duo genera controuersiarum distinguimus, ut alterum dicamus uersari circa inquisitionẽ causarum, propter quas nos illis obstricti, necessariò pareamus. Alterũ uerò consistere in perquirendis formis, quas in singulis negotiorum & delictorum humanorum speciebus pro iure obseruare leges uolunt. Nam exemplis, & re ipsa infrà relatione & explicatione catalogi titulorum ostendemus, omnem controuersiam iuris in his duobus generibus quæstionum, tanquam cardinibus uolui & agitari. 7 8

Cæterum prior pars doctrinæ iuris planè est philosophica, hoc est, uerũ, & rationes omnis iuris quantum humana mens assequi potest, inquirens. Altera pars doctrinæ iuris, quam diximus prescribere iuris formas, ut eas in gerendis negotijs, & puniendis delictis tanquam duces ad tuendam & conseruandam societatem humanam sequamur, historica est. Quamuis enim & his formis quędã causæ annectuntur: tamen si quis rectè consideret istas omnes causas, ex necessitudine naturali & Ciuili, adeoq; ex priore parte iuris doctrinę tanquam ex fonte deducuntur. Itaq; accuratè sunt hæ duæ partes doctrinę iuris inter se discernendæ, ut intelligamus posteriorẽ à priore fulciri & confirmari, & in eo uelut fundamento consistere. Nonnunquam tamen posterior pars iuris, quę tradit formas constituendarum rerum, ut in hac uita tranquillitas conseruetur, ita præcurrit priorẽ, ut eorum quę constituta sunt, nulla necessaria & generalis possit reddi ratio, iuxta l. nõ omnium. ff. de legib. & S.C. Quapropter dixi hanc partem iuris historicã esse. Nam in hac parte solum spectatur, quid de quaq; facti specie constitutum sit. Ac siquidem constitutionibus aliqua probabilis aut firma ratio, cur hoc aut illud lege sancitũ sit, redditur, magna est habenda gratia legislatori, quòd suum cõsilium in ferenda lege nobis notum esse uoluit, rationemq; illi adiunxerit, ut per eam tanquam animã, sua quadam ui uigeret, consisteret, & regeretur. Si uerò legi non est adiecta ratio, tum solum constituentis autoritati tamen subsistit, sicut historiæ propter, solã narrantis fidem creditur. Quare nemo miretur, quòd hanc partẽ doctrinę iuris historicam esse dixerim. 9 10

Anima legis, ratio est.

Autoritas constituentis.

rim. Nam hoc & ipsa mutatio & correctio legum indicat, quòd harum le-
11 gum ordinatio, siue dispositio non sit perpetua, sed subinde alijs atque alijs emergentibus causis, pro necessitate publica moderetur. Sicut uidemus in historijs alios atq; alios euentus, alia gignere consilia. Neq; sunt quidē
12 leges aliud quiddam, quàm gubernandarum rerum publicarū consilia, unde uidemus, quòd sicut dicitur in prouerbio: posterior dies, fit prioris magister, ita usu temporum docente, mutatas & penitus abrogatas esse leges ante Constantinum magnum, ut testantur Chronicæ.

Lex fuit in Græcia, ut qui annos 25. natus, uxorem nondum duxisset, hę-
13 reditarijs successionibus excluderetur. Hanc legem, quia usus docuerat esse periculosam: propterea quòd matrimonia non sinebat esse libera, Imperator optimus sustulit atq; aboleuit. Eodem modo & in Repub. Romana sæpe leges mutatę aut abolitæ sunt, sicut refert Pomponius ff. de origine iuris. Et est cernere in Nouellis cōstitutionibus, quæ nunc uocantur Authenticæ. Nam illis suprema quasi manus Iuri Ciuili imposita est, ut in
14 illis extet postrema constitutionum ciuilium emendatio. Sed de mutatione iuris & correctione legum infrà dicemus. Nam hoc loco eius mentionem tantùm fecimus, ut inter genera huius doctrinæ aliquam certam constitueremus differentiam, & aliquo saltem modo iuris studiosi, animo con-
15 cipere quandam imaginem huius doctrinę possent, quam profectò necesse est habere propositam, si quis in hoc genere studij feliciter uersari uelit, & in tanta uarietate rerum, cogitationes suas intra certam metam continere, & ad eam dirigere, ut totius doctrinę imaginem simul intuens, de singulis eius partibus rectius postea iudicare queat. Nec sicut ferè fit, ut quod discendū est, aut quod didicerit, tantūm quis numeret, cūm non uideat rerum inter se cohærentiū, aut dissidentium analogiā. Ac proinde ad usum ea, quæ didicit, transferre nesciat is, qui non posito scopo iaculari didicit.

CONSILIVM TRACTANDI ARGVmenti doctrinæ Iuris, per expositionem, & distinctionem Titulorum. Cap. II.

SVMMARIVM.

Methodi huius autor consilium suum aperit primùm, cur relatione titulorum iuris doctrinam explicandam putet, deinde quasdam utilitates titulorum enumerat.

IAM igitur postquam ostendit, quæ sit summa legum diuersitas, & circa quas res, in uniuersum omnes leges uersentur, nunc indicabo cur maluerim hoc ipsum argumentum doctrinæ iuris relatione titulorum, quàm iusto Commentario explicare. Nam ut maximè commodè quiq; tituli explicentur, ac sub certa quædam capita huius doctrinæ referantur, tamen uix umbra huius doctrinæ ostendi quantumuis diligenti tractatione titulorū posse uidetur. Neq; enim negari potest, titulos esse quasi quædā μονογράμματα pulcherrimarum picturarum, quarum uix primas lineas exhibent ac referunt. At ego quidem fateor priorem partem huius doctrinæ requirere, ut accuratiore disputatione, quàm quæ titulorum indicibus comprehendi possit, tractetur, si quis uberem ac copiosam earum rerum, quæ sub ea parte traduntur, cognitionē sibi parare cupiat. Nam cūm eius partis doctrina ex intimis penetralibus naturæ humanæ, ciuilisq; societatis necessitate eruenda sit, non patitur eius obscuritas, ut procul, & quasi per transennam (quod dicitur) ostendatur. Rursum autem posterioris partis tanta

est uarietas, ut caua manu mare exhaurire contendat, qui singulas eius species uno impetu penitus perquirere cupiat.

Proinde mihi uisum est, ita commodissimè posse doctrinæ iuris cõpendium tradi, si postquã prior pars huius doctrinæ accuratiore quadã explicatione pertractata est, posterior relatione titulorũ, & expositione quasi deliniaretur. Nam ea quoq; est ratio rerum posterioris partis, ut paucis innotescere aliquo modo queant. Sunt enim constituendarum rerum humanarum formæ. Itaque ut non sufficiat ad harum notitiam tenere titulos, tamen uarietas earum minus turbabit discentes, maximè si tituli in certa quædam capita rerum forensium digerantur, ut earum progressus, quo alię ex aliis oriuntur ac uariant, appareat. Et præter hanc notitiam uarietatis, uehementer quoque adiuuabit hæc ipsa titulorum expositio & digestio memoriam, ut quis propositis causis reuoluere apud animum possit, an & ubi legum conditores de illis aliquid constituerint. Nam & hæc peculiaris commendatio est titulorum, quòd nos admonent quãrundam cautionum, atque etiam beneficiorũ iuris, de quibus ne cogitassemus quidem usquàm esse in legibus constitutum. Quare tractatio titulorum non est tanquàm exiguæ utilitatis res contemnenda. Nam ut hæc præter alia ad extremum etiam adijciam: nullus est dictionarius iuris, quo tot uocabulorum, quorum in hoc genere doctrinæ peculiaris est usus, congestus esset numerus, quot in titulorum expositione se explicando offerunt. Atque ita se offerunt, ut non modò præbeant occasionem de eorum usu cogitandi, sed digito quasi illud ostendunt, nimirum rebus signatis adiuncta, ut citra fusiorem declarationem eorum appareat usus. Itaq; neminem pigere debet huius operæ, quam in titulorũ collocat cognitionem. Experientia tot habitur, multum & uarium esse harũ in colligẽdo iure causarum usum, ut quis promptuarij loco eas habere queat, si quando de iure respondendum sit. Nam etsi decisionem non in specie, siue ut nunc loquuntur, in individuo, fortè ostendat, tamen genus exhibet, unde quis possit descendere ad species sub ea comprehẽsas.

Titulorum iuris utilitas & usus.

DE PRIORE PARTE

Doctrinæ Iuris. Cap. III.

SVMMARIVM.

1. De iure naturali, quòd sit duplex in humana natura.
2. Ius primæuum lapsu Adæ seu uitio originis esse deprauatum.
3. Mentem hominis esse iudicium rationis diuinitus inditum.
4. Ex naturali iustitiæ notitia prodire omnes bonas leges.
5. Ius naturale secundarium dici ius diuinũ, quod in primarij locum successerit.
6. Pro iure diuino præter Euangelium & Moysen habendum etiam quicquid sincerior mens humana ad tuitionem uitæ huius iudicet necessarium.
7. Stoicorum & Platonis sententiæ quædam de homine.
8. Primus gradus legum naturæ de colendo Deo constituendus ad exemplum decalogi.
9. Naturæ supremum refugium est ad Deum conditorem.
10. Iurisiurandi præcipua sit inter homines reuerentia.
11. Secundam tabulam Decalogi ex iudicio rationis nasci.
12. Maximos impetus affectuum in humano pectore facere, ut sæpe contra iudicium naturæ quid homines audeant.

SCHOLION.

De iure naturę pulchram subiungit doctrinam, quæ tota ex Philosophia petenda & cognoscenda est. Sunt autem σπερματικαὶ φυσικαὶ inclinationes naturales, quæ hominibus uelut stimuli uirtutis sunt inditi, Vt amare coniugem, liberos,

communem

communem hominum ſalutem, miſericordia affici erga bonos oppreſſos calamitatibus, iraſci improbis &c. Ex quibus affectibus ſeu inclinationibus naſcitur atq; exiſtit ea uirtus in homine, quam uocamus ius ſeu legem naturæ, quod natura, ut iureconſultus inquit, omnia animantia docuit. Sunt enim σοφίαι & inclinationes illæ à Deo conditæ in natura, ergo res bonæ ſunt & non malę, niſi quòd uitio originis immodicis cupiditatibus deprauatæ ſunt, ita ut neceſſe ſit eas ratione coërceri, & uerbo Dei regi ac moderari.

PRIOREM partem doctrinæ Iuris diximus uerſari circa inquiſitionem cauſarũ, ex quibus neceſſe ſit oriri conſtitutiones, quæcunq; pro legibus, hoc eſt, ſanctionibus iuſta atq; honeſta iubentibus, & cõtraria, phibentibus haberi in aliqua rep. debeant. Ad explicandã igitur hanc partẽ ſumma ſit hæc ꝓpoſitio:

Rectè præcipiuntur, ac pro iure habentur, quæcunque à natura, publica autoritate, aut conſuetudine, ſiue moribus utentium probantur.

1 Eſt autem duplex ius in humana natura, qua impellimur, ac cõmouemur ad iuſtè agendũ, uidelicet naturalis affectio ſui conſeruandi, & mens qua rerum humanarũ neceſſitatẽ perſpicimus, illiq; conſulimus, ut tranquillitas & ſocietas in hac uita retineri poſsit. Affectiones ſui conſeruandi recentiores Iuriſconſulti uocant inſtinctũ naturæ, ſed philoſophi appellant eum in homine σοχγὴν φυσικὴν. Eſt autem impetus quidam, pariter omnibus in natura inditus, quo impellimur ad ſtudiũ & curam noſtri, noſtrorumq; conſeruandi. Atq; eſt quidem hic impetus homini cum cæteris animantib. cõmunis. Nam ſecundũ Ariſt. quælibet natura contendit eſſe, & quantũ fieri poteſt ſuam ſpeciem cõſeruare. Itaq; Iureconſultus l. 1. §. Ius naturale. ff. de iuſt. & iur. ita definit ius naturale, uidelicet quòd ſit tale quiddam ius, quod natura omnia animalia docuerit, ſicut uidemus quoq; omnia animantia magno impetu naturæ rapi ad ſui propagationẽ, & conſeruationẽ eius, quod ex ſe natum eſt, adeo ut nec ferrũ, nec ignem, nec mortẽ horreãt, ſi quando periculum fœtui ſuo immineat. Fertur aliquando in Hiſpania apud regem Portugaliæ accidiſſe, ut cùm rector elephanti fœminã paulò durius in uicino ſtabulo uerberaſſet, ita marem ad eius gemitum incanduiſſe, ut poſtridie ad ſe ueniente rectore, eũ nihil tale metuentẽ, ſubitò arripuerit, ac tam malè tractarit, ut niſi alij quidã illi eum eripuiſſent, conculcaturus pedib. eũ fuerat. Vnde ſatis apparet etiã in animantib. eſſe quendã amorẽ coniugalẽ. Et Plinius pleraq; humanæ affectionis officia, huic, atq; etiã alijs animantibus tribuit. Porro quanq; iſta ꝓpenſio naturę ſolo ſenſu, & non ratione regitur ac moderatur, tamen uidemus, ꝙ ſicut animalia bruta, ita & homines proruãt in promiſcuas libidines, nec eo quod neceſsitas conſeruandę naturę requirit, contenti uiuant, ſed oĩa ſibi libera eſſe cupiant. Nam uitio originis ita deprauata eſt natura humana, ut immodicæ ſint eius cupiditates, niſi ratione coërceantur.

Ius ex natura quomodo oriatur.

Inſtinctus naturæ.

Ius naturale.

Elephãti amor coniugalis.

Proinde non ineptè quidã hæc officia iuſtitię, ad quæ præſtanda excitamur naturæ quodam impetu, uocant ius primęuũ, quaſi id ualiturũ fuiſſet, ſi natura manſiſſet incorrupta, & talis qualis primò condita erat. Neq; n. dubium eſt, quin rerũ oĩm communio, ac perſonarum æqualitas, ac libertas potuerit inter homines conſeruari, ſi natura immoderatis concupiſcentijs nõ
2 eſſet infecta. Poſtq; igitur per lapſum Adæ deterior facta eſt noſtrę naturæ conditio, adeò ut nec iſtę affectiones, quas deus nobis inſeuit, ut per eas ad mutuũ amorem, & colendæ uitæ humanæ ſocietatem incitaremur, labe & uitijs careant; eatenus utendũ eſt iure primæuo, ut moderatricem prioris mentis rationem illi adhibeamus, ut eas affectiones pro neceſsitate rerũ humanarum attemperet, & modum illis ſua lege præſcribat. Nam hanc deus

Ius primæuum.

pro immensa sua clementia non passus est penitus corrumpi, ut in his tene-
bris & caligine humani intellectus, & in hoc regno mortis, sub quo nũc agi-
Mens hominis. mus, & quotidie nobis cum acerrimis hostib. deprauatis nostris affectib. cõ-
flictandum est, tanctꝫ solem sequeremur. Vocamus aũt mentem, istud iudi- 3
cium rationis, quod ex iustitiæ notitia diuinitus nobis indita, nobiscũ nasci
tur, non quod ex longo rerũ usu, aut institutione, & doctrina consequimur.
Nam quod ab experientia colligitur iudicium, est ars quędam præstandorũ
ciuilium officiorum, & discernẽdarum uoluntatũ in reb. gerendis. Natura
lis autem iustitię notitia, est uis quædam in animis omnium hominum, qua
non admoniti per se æquum & iniquũ naturaliter intelligunt. Sicut Paul.
dicit ad Rom. 2. de gentibus, quòd cùm non haberent legem, ipsæ sibi lex
fuerint. Nam sunt quædam sententiæ tanctꝫ dedicata (sicut Cic. inquit) si-
mulachra diuinæ iustitiæ nobis insculptæ, per quas naturaliter inuitamur
ad amorẽ iusti atcꝫ æqui, & dehortamur ab iniquo & iniusto. Atcꝫ est hu-
ius notitiæ tanta uis, ut nolentes & inuitos nos cogat, non tantùm in alijs,
uerumetiam in nobis iniustitiam damnare, sicut testatur Paul. in eod. loco,
cùm inquit: Attestante illorum conscientia, & cogitationibus inter se ac-
cusantibus & excusantibus. Nam inde quoꝫ consistit turpidatio cõscien-
tiæ, quia animis nostris impressa est uera quædam diuinæ iustitiæ imago,
quam cùm peccantes intuemur, mortem, quæ est pœna peccati aduersus le
gem dei commissi, exhorrescimus, eiusꝫ metu excruciamur.

Ex naturali igitur notitia iustitię, omnes bonę leges prodeunt, & ad eam 4
tanquam certissimam regulam attemperandę & dirigendæ sunt, nisi enim
id fiat, necessitas illis parendi, non potest animis hominum persuaderi, aut
perpetuò per uim illis imponi. Sicut enim nemo sanus persuaderi potest,
ut bis quinꝫ non faciant decem, ita nec unquam inducet animum, propter
iustitiam parendũ esse legi, quæ iudicio rationis prorsus repugnet. Non
igitur legitima, sed uiolenta est obligatio, si quis metu pœnarum cogat ho-
mines parere edictis, ex diametro cum naturæ iudicio pugnantib. Neque
sunt quidem talia imperia diuturna, aut tales leges durabiles. Nam sicut
Dionysij Tyranni stuprũ in matre. mater Dionysij Tyranni Siciliæ dixisse fertur, cùm conatus esset filius illi
inferre stuprum, uidelicet: Tyrannum quidem ciuiles leges posse muta-
re, sed iura naturalia prorsus tollere nullo modo posse; ita uidemus citò in-
terire, quæcunque contra iudicium rationis suscipiuntur.

Dicitur autem hæc notitia iustitiæ, quam diximus à natura mentib. ho- 5
minum esse inditam, à quibusdam ius naturale secundarium, quasi quod
in primæui locum successerit. Nam quæ homines sponte ex naturali affe
ctione facturi erant, si natura mansisset integra, ad ea nunc ducere necessẽ
est naturalem rationem, postquam naturales affectiones in illis uitio ori-
ginis corruptæ sunt. Philosophi & nonnunquã Iureconsulti simpliciter
hoc ius uocant naturæ. Idem ius, in legib. Romanis appellatur ius genti-
um, tanctꝫ id quod naturalis ratio inter omnes gentes constituit, & apud o-
mnes populos pariter custodiatur & obseruetur. Nam hoc ius est omni-
bus & solis hominibus inter se commune, iuxt. l. 1. ff. de iust. & iur. Dicitur
& ius diuinum, sed diuersa ratione à multis. Nam Canonistæ & alĩ ple-
rictꝫ uolunt hoc ius ideo uocari, quia eadem in Euangelio præcipiantur
Math. vij. ubi dicitur: Omnia quæcunctꝫ uultis ut uobis faciant homines, 6
sic & uos facite illis. Verùm si istæ leges tantummodo habẽdæ erunt pro
diuinis, quarum in sacris literis fit mentio, tunc eleuetur multarum ll. auto
ritas, quæ iuris diuini esse meritò iudicari debẽt. Nam pleræctꝫ sunt leges
uerę diuinæ, quæ tamẽ in Euangelio, aut lege Mosaica non recensentur.
Itactꝫ eximenda est animis hominum hęc opinio, quòd solum id sit ius diui

num

6 num, quod à Moyse atq; Euangelistis refertur. Nam sicut supr. diximus, deus suæ iustitiæ imaginem nobis ineusit, ut pro legibus diuinis meritò habenda sint, quęcunq; sanorum hominum ratio & mens probat, ac præcipit. Et Christus in eod. cap. Matth. dicit, quòd hęc sententia: Quęcunque uultis ut &c. cõplectitur uniuersam legem, & prophetas, adeoq; omnẽ doctrinam legis diuinæ. Ergo non id tantum, quod Moyses, aut Euangelistę tradiderunt, sed quicquid huic sententię Christi respõdet, & quicquid sinceriοris humanę mentis iudicium ad tuendam huius uitæ societatẽ postulat, pro iure diuino habendũ est. Est & alia ratio cur quoddam ius scriptum à legibus Romanis appelletur ius diuinum, nimirum quia de rebus sacris agat. Sed de hoc iure infr. ubi de differentia iuris scripti dicturi sumus: hic satis est nosse, quòd ius naturale secundarium rectè appellatur ius diuinum.

Porrò sunt inter has ipsas leges puriοris naturę quidã gradus. Nam cuius & hæc naturalis notitia iustitiæ uehementer obscurata sit uitio originis, tamen in hac ipsa caligine, ratio humana naturaliter sentit quoddam numen esse, quo hæc inferiora regantur, sicut est deprehendere in quibusdã Ethnicorum dictis. 7 Nam præclarè Stoici dixerunt: Omnia propter hominem esse condita, sed hominem propter deum. Et Plato dicit deũ ita uoluisse, ut homo ex homine propagaretur, ne deessent, qui eius nomen colerent, ac adorarent. Cùm igitur Ethnici citra autoritatẽ sacrę disciplinę suo iudicio statuant, hominem esse conditum ad colendum deum, manifestũ est, in natura humana reliquam esse de deo notitiam, per quã naturaliter inuitemur 8 ad cultũ dei. Itaq; ad exemplum decalogi decẽ præceptorum rectè primus 9 gradus legũ naturæ constituitur de colendo deo. Nam & ipsa natura, cùm omnia alia desunt subsidia, ad deum tanquàm supremũ auxiliarium decurrit, & eodem exemplo potest dici præcipua inter homines iurisiurãdi reuerentia. Notum. n. est, quòd omnis controuersiæ finis sit iuramentum, ad 10 Hebræos vi. Neq; obscurum est, quãtæ autoritatis apud omnes gentes semper fuerit iusiurandum. Quare & naturę ordine, secundo loco potest poni præceptũ de nõ temerè assumendo nomine dei. Præterea experimur in nobis ipsis quotidie, q mentis sensum celare perpetuò non possumus, quin erumpamus, & exteriore aliq studio ea significemus. Videtur itaq; & ipsa natura nos impellere ad externum cultum, quo nostram erga deum reue- 11 rentiam hominib. foris testemur ac significemus. Secundæ tabulæ leges, adeo non est obscurum, ex iudicio rationis nasci, ut si quis diligentius consideret, eundem quoq; ordinem in discernendis earum gradibus à natura obseruari, intellecturus sit. Quis enim dubitat, ex parentum & liberorum necessitudine, tanq; ex fonte, omnis societatis ac beneuolentię naturalis uincula oriri? Sed longum esset hæc explicare, & postea se offerent loci, ubi commodè explicentur, & propemodum per se ex ordine rerum percipi po- 12 terunt. Iam igitur satis sit hæc obiter indicasse, ut uno atq; altero exemplo ostenderem, quomodo leges ex naturę iudicio nascerentur. Cęterùm cuius maxima sit uis naturalis notitię in regendis hominib. tamen tantus est affectuum in humano pectore impetus, ut sæpe quis sibiipsi eripiatur, ut cõtra iudicium naturę aliquid audeat. Sicut testatur Medęa apud Ouid. cùm inquit: Video meliora, proboq;: deteriora sequor. Proinde ne pronior peccandi occasio improbis relinqueretur, si sola beneuolẽtia naturalis parendi ab hominibus exigeretur, necesse fuit, alios legum carceres inuenire, quibus ad parendum publica necessitate cogerentur.

Gradus legum.

Omnia propter hominem, sed homo propter deum conditus.

Decalogus.

Iurisiurandi reuerentia.

QVOMODO INSTITVATVR

Ius autoritate publica. Cap. IIII.

SVMMARIVM.

1. Ius ciuile appellatur, quod ciuium suffragio ex necessitate aliqua publicè constituitur.
2. Friderici primi celebre edictum de Scholis.
3. Præpostera festinatio cæca est & perniciosa.
4. Ius ciuile idem ferè quod gentium.
5. Leges naturam, quemadmodum & ars, imitari debent.
6. Hominis uitio fit, ut quandoq; seueriores leges ferantur.
7. Necessitas sæpe cogit inter duo mala, minus malum eligere.
8. Neratius iuuenis Romanus malitiosæ petulantiæ exemplum.
9. Leuior pœna liberi hominis quàm serui propter idem facinus.
10. De iuris ciuilis speciebus ac differentijs.
11. Iuris municipalis & statutarij origo & autoritas.
12. Imperator quanquam est solutus legibus, tamen principatum debet submittere legibus, & uti iure communi.
13. Statuti promulgatio quomodo fieri debeat.
14. Nemo debet sua improbitate assequi actionem.
15. Statutorum condendorum potestas excommunicatione & proscriptione extinguitur.

QVOD igitur publica necessitate exigente ciuium suffragio in 1
aliqua Rep. constituitur, Ius ciuile appellatur, tanq; id quod ex ciuium consensu ortũ ac pditum sit. Sicut Romæ Decemuiri, cùm uiderẽt pudicitiã mulierũ nocturnis sacris uariè sollicitari & expugnari, proposita lege sanxerunt, ne nocturna mulierũ essent sacrificia. Et Fridericus primus in Hetruria, publico edicto præce- 2
pit, ne quis in triuialib. ludis literarijs præter Grammaticã & Musicam pueris prælegeret. Animaduerterat enim optimus princeps ostentationẽ præceptorum pleriscp ingenijs nocere, ut nõ satis felicter institui uiderentur, cùm adhibiti negotijs propter ignorantiã puerilium artium, ea quæ didicerant commodè proferre nõ possent. Itaq; cuius natura nõ improbet, ut quis grauioribꝫ. disciplinis incumbat, tamen quia prepostera festinatio cæca est, 3
& pernicioſa deprehendebat, ex rep. esse censuit Imperator, uanitatẽ Pædagogorum publica lege coërceri.

Leges igitur, quæ autoritate publica pditę, & obedientium consensu receptæ sunt, Ius ciuile continere, rectè dicuntur. Et tamen nõ quilibet consensus ciuiũ statim facit legem, aut Ius ciuile. Quamuis enim uerum sit, q; 4
Ius ciuile & gentium. Ius ciuile sic differat à Iure gentium, q; hoc naturæ, illud ciuium cõsensu cõstituatur, tamen requiritur in lege ciuili, ut nõ prorsus à naturę iudicio aliena præcipiat. Vnde Vlpianus in l. vi. ff. de iust. & iure. inquit: Ius Ciuile est, quod neq; in totum à Iure naturali uel gentium recedit, neq; per omnia ei seruit. Nam naturaliter omnes tanq; monstra detestamur leges, quę prorsus naturali iudicio repugnãt. Non igitur dialectica diuidendi lege, qua prę cipiunt tales esse in diuisione rerũ ponẽdas differentias, quę sic repugnent, ut nequaquam in idem conuenire possint, Ius ciuile à Iure naturali separari cogitandũ est. Nam usq; adeo inter se non differunt, ut nulla prorsus sit inter ea Iura cognatio. Sæpe enim idem Ius, & ciuile, & gentiũ dici potest, ut quod præcipit l. si quis. ff. de libe. agnos. ut parentes liberos, & uicissim liberi parentes alant, non modò ciuile, sed & gentium Ius, & naturę dici potest, cùm id naturæ sensus, & omniũ gentiũ iudicia Ius esse statuant. Quare accuratè obseruandũ est, q; hæc propria sit inter Ius Ciuile & gentium differen

tia,

tia, ꝙ Ius gentium fiat ciuile, cũm publico consensu illi aliquid addituru el detrahitur, & publicæ necessitati accõmodatur, ut in l. xij. Tab. Ius naturæ quod præcipit liberis, ut alant parentes: hac moderatione imminutum est, ut filius ab eius obligatione liberetur, si parentis iniuria nullam artem didicerit. Idem est cernere in alijs omnib. bonis legib. ciuilibus, uidelicet ꝙ non tollant Ius naturæ, sed modum quendã in eius obligatione statuant, ut sublata naturali æquitate personarũ, nocentẽ aduersus innocentẽ nõ adiuuet.

5 Quod igitur de arte dicitur, uidelicet quòd naturam imitetur in quantũ possit, idem de ciuilib. constitutionibus dicendum est. Nam & illi naturam sequuntur, eamq; quatenus hominum improbitas & publica necessitas ferì, imitantur. Si homines naturali beneuolentia mutuis officijs humanitatis societatem huius uitæ tuerentur, nihil amplius ab illis exigeretur. Cũm uerò aut supina quadã negligentia cessent aliarum necessitatib. inseruire, aut ui uel fraude aliorum Ius interuertere conantur, occurrendum est illis, ciuilium legum uinculis, quib. in officio retineant, ne freti indulgentia naturalis libertatis, alijs molesti & onerosi sint. Neq; est quidem hac in re uituperandũ publicæ autoritatis consiliũ, tãq; uiolentũ, quia nõnunq; à naturali æquitate longius recedant leges ciuiles. Nam hoc non iuris, sed hominis uitio fit, qui sua intractabilitate cogant legislatores, seueriores ferre leges, sicut Christus Math. xix. excusat Moysen, ꝙ contra naturæ æquitatem permiserat Iudæis, ut ꝓpter non satis iustas offensiones, suas uxores repudiarẽt. Nam propter duritiem cordis eorum hoc illis permisisse Moysen dicit, nõ quòd nescierit, aliud naturalem æquitatem præcipere. Ex hoc igitur exemplo manifestum est, sæpe cogi legislatores, ut nonnihil recedant à naturali æquitate, propter intractabilitatẽ hominum. Neq; implicat mentem magistratus aliquo crimine, cũm sic constringit, aut relaxat Ius naturæ. Nam

7 sæpe necessitas periculi nos cogit inter duo mala, minus malũ eligere. distinct. xxiij. c. ij. & sequẽtibus. Sic ꝙ uis iniquum uidebatur, permittere Iudæis, ut uxorib. darent libellum repudij ob alias causas, quàm ꝓpter adulterium, tamẽ quia in tanta Iudæorum inhumanitate periculum erat, ne pessimo exemplo uxores, quas odissent, affligerent: tolerabilius est uisum, illis permittere, ut eas dimitterẽt: si quid igitur à Ciuilium legum conditorib. in hac parte peccatur, hoc improbitati hominum, non ipsis imputandũ est, Christi exemplo. Manifestum enim est, maiorem esse hominũ improbitatem, quàm ut sola beneuolentia naturali in officio retineri possit. Itaq; Iureconsultus in l. aut facta ſ. ultim. ff. de pœnis. permittit, ut etiam constituta maleficiorum supplicia exacerbentur in terrorem aliorum, si quando nimium multis grassantibus exemplo opus sit. Neq; statim debet uideri Tyrannis, si quid grauius aut remissius publicæ necessitatis causa in legibus statuitur. Nam sine tali iniuria Respublicæ non possunt regi.

8 Extat apud Gellium petulantis humanę malitię exemplum satis conspicuum. nam refert Neratium quendam iuuenem opibus potentem Romæ fuisse, qui cũm accepisset iniuriam alteri illatam xxv. assibus posse redimi à legibus publicis, tanta exarsit nocendi petulantia, ut pro delectamento habuerit, os liberi hominis manus suę palma uerberare. Itaq; quicunq; fortè illi per urbem iter facienti obuiam fiebat, illi impingebat manũ, ac deinde ut redimeret à legibus iniuriã, iubebat afflicto numerare uiginti quinque asses per seruũ, qui eum plena crumena sequebatur. Coacti igitur sunt Imperatores hanc legẽ abolere, & ad æstimãdas iniurias recuperatores dari, cũm animaduerterẽt uix inopem ab iniuria facienda xxv. assibus deterreri. Quapropter nemo miretur, ꝙ dixi leges ciuiles aliquando à naturali æquitate recedere, & ea ꝓ necessitate publica aliqñ restringere, non-

Leges ciuiles nonnunquam à naturali æquitate recedere.

Improbitati hominum duritia legum imputanda est.

Neratij petulantia apud Gell. libro 20. cap. 1.

nunquam

nunc̄ etiam relaxare. Sicut ll. Romanæ leuiori pœna liberum, quàm ser- 9
uum, ppter idem facinus affici permittūt, & tamē hæc indulgētia recedē
di ab equitate naturali non ut preceptū, sed tanc̄ ex indulgētia permissum
habēda est. Sicut Pau. dicit ad Cor. vij. de coniugū obsequijs. Hęc de ipsis
leg. ciuilib. nūc de earū conditorib. dec̄ iuris ciuilis specieb. ac differētijs.
Ius igitur Ciuile, est iuris Ciuilis moderatio quod fit autoritate publica. 10
Dicitur autē propriē id fieri autoritate publica, quod fit consentientibus
communis Reip. ordinibus l. ij. C. de decurionibus lib. x. & copiosē Bar.
ij. quæst. principal. circa l. oēs populi. ff. de Iust. & iur. Vnde & Papin. l. i.
ff. de ll. & S. C. autoritatem pub. communem Reip. sponsionem uocat.

Porrō ut de Romano Iure peculiariter nunc dicam, sępe est in ea Rep.
potestas condendę legis, quæ in oīm ordinum suffragijs consistebat, in u-
num, aut paucos, publico consensu translata. Primō in Decemuiros: de-
inde in Senatum, Postremò in Imperatores: & quia leges & constitutio-
nes ab his prodiere, necesse fuit interp̄tari. Sunt & sapientum responsa,
p iure recepta, nec plebs sua plebiscita aboleri passa est, quin pro iure ha-
berent, quę suę utilitatis causa in secessione constituerāt. Est & prætorib.
sua quædam concessa potestas supplendi Iuris, si quandō id exigere publi-
Iuris Romani sex species. ca utilitas uidebat. Itac̄ Iuris Romani factę sunt sex quasi species: Leges,
senatusconsulta, principū placita, prętoris edicta, prudentū responsa, ple-
biscita. Atc̄ totum hoc Ius quod ex his sex speciebus legum Iuris Roma
ni constitutum est, dicitur Ius Ciuile commune, iuxta tit. de orig. Iuris.

Iterū habet & quilibet populus in Romano imperio potestatē conden
di Iuris Ciuilis, iuxt. l. oēs populi. ff. de Iust. & Iur. & q̄d ita à singulis po-
Ius municipale. pulis cōstituit, uocatur Ius municipale, & ius statutarū. Atc̄ est quidem 11
diligenter considerandū, quatenus taliū statutorū autoritas ualeat, ac iuri
cōmuni deroget, siue prę̄feratur in iudicando. Nam hoc nō rarō accidit,
ut de statutorū autoritate & obligatione cōtrouersia oriat. Vt igitur uale
Ius condendo- ant statuta, necesse est primūm ea esse cōdita ab his, qui habuerūt potesta-
rum statutorū. tē cōdendi iurisciuilis. Talis aūt potestas acquiritur, aut ex concessione
principis, aut ex præscriptione longi temporis, & acquisita, aut est libera,
aut certa lege moderata. Si libera, tum citra superioris autoritatē statuere
aliquid licet, modò id non prorsus cum iure communi pugnet. Exemplo
cōsuetudinarij iuris, q̄d tacito populi cōsensu oritur, nō requisita superio
ris autoritate. l. de quibus. ff. de ll. & S. C. Si uerò acquisita potestas con-
dendi statuti est certa lege moderata, siue ut nūc loquuntur, limitata, tum
non licet nisi in ijs calibus in quibus permissum est limitatæ potestati ali-
Ciuitatum collegia habent potestatem cōdendi statuta. quid statuere. Habent & collegia ciuitatum potestatem cōdendi statuta,
sed q̄d eos tantū obliget, qui in id consenserunt. l. si ad extraordinarie. C.
de lega. lib. x. & l. fi. C. de iurisd. om. iud. Atc̄ eo modo inter se licet con-
stituere statuta quibuscunque est aliqua societas rerum, siue negotiorū.
Datur & singulis quibusdam personis cōdendi statuti potestas, quæ si est
perpetua, qualem habent Marchiones & Episcopi, quibus licet non ex-
plorato subditorum consensu, ius municipale cōstituere. c. ij. extra. de ma
iori. & obed. animarum. ℣. statuta, de constitu. in sext. si uerò potestas per-
sonæ est temporalis, qualem habent præfecti prouinciarum & urbiū, tum
non licet condere statutum, nisi consentientib. subditis. l. i. ℣. i. q̄d cuiusc̄
uniuer. nomine gest. es. dic. Possunt tamē tales prę̄fecti, p necessitate tem
poris, q̄ ipsi iurisdict. tenent, statutū fori, aut legē morum, ut ne, ppole an-
te certā diei horā coēmant frumenta, pponere. l. fi. ff. de off. prę̄fec. urbis.
Solennitas quid. Prę̄terea autoritatē condendę legis, requirit, ut debita solennitate quoc̄
promulgētur leges & statuta. Vocatur aūt solennitas iusta ac usitata suffra

giorum

giorum collectio. Et parit in hac collectione suffragiorum diuersitas constituentiũ hoc discrimen iuris, uidelicet, ꝙ si cõstituturi aliquid, habeant perpetuã iurisdictionem, tum ꝙuis non habita deliberatione cum subditis liceat illis condere statutum. l. iij. C. de legib. tamẽ humanitas requirit, ut id faciant consilio sapientum reip. l. humanum. C. de legib. Nam ꝙuis
12 Imperator sit solutus legib. tamen reuera maius est ipsi imperio, submittere principatũ legibus, & uti iure cõmuni. l. digna uox. C. de legib. Si uerò
13 condituri aliquam legem aut statutum, habẽt iurisdictionẽ temporalem, qualem ferè habent magistratus singulorum populorũ, tum necesse est, ut totus populus, aut illi, qui referunt populum, cõuocentur. l. ij. C. de decurionib. lib. x. & ff. de reg. iur. l. aliud ℣ refertur. Nec ꝙ sufficit quidẽ si coram conuocatis recitetur statutum, nisi pariter omnes qui referunt populum, adsint, & consentiant, præsertim, si quid contra communẽ legẽ constituitur. Authen. de defens. ciuitat. ℣ fi. Si uerò una pars populi absit, tum ita distinguendũ est, quòd si absit uoluntariè, tum maneat potestas apud eos, qui relicti sunt in ciuitate, argumen. legis ubi adsunt. ff. de tutor. & curatorib. dandis ab his, &c. l. nominationum. C. de decurionib. in x. Si uerò pars electa est ab altera, tum uidendum est, an potestas condendi statutũ pertineat ad electam uel non. Nam si non ad eam pertinet, liberũ est relictę parti condere statutũ. ff. de orig. iur. l. ij ℣ deinde cum esset. Si uerò potestas condendi statutum ad electam partẽ attinet, tum considerandũ est, an iusta ex causa electa sit, uel non. Si eminet iusta causa, potestas manet apud relictam in ciuitate partem. l. amissione. ff. de ca. dimi. Si propter nõ iustã causam est electa, tum sentẽtia illi parti non præiudicat, etiamsi aliàs in ciuitate obseruetur. l. itaꝙ. ff. de furtis, ubi dicitur, ꝙ nemo deberet sua
14 improbitate assequi actionem. Cęterum in colligendis populi suffragijs sufficit eos, qui referunt populũ, aliquo signo testari, ꝙ propositum statu-
15 tum ipsis non displiceat, arg. l. consensu. ff. de actio. & oblig. Et ita Bar. dicit ex consuetudine obseruari. Extinguitur autem potestas condendi statuta per excommunicationẽ ecclesiasticam, adeo ut nec inuitescere ab illis condita constituta queant, etiamsi recepta sint, nisi denuo noua rogatione confirmentur. c. aduersus ℣ quia uerò, extr. de immunit. eccle. Idem sentiendum est de illis, qui proscripti sunt ab imperio, quia cùm nõ obediunt principi, ea quæ iuris Ciuilis sunt amittunt. l. amissione. ff. de cap. dimi. Qui uerò statuta condunt occupandi iurisdictionis causa, illi incidunt in læsæ maiestatis supplicium. l. iij ℣ fin. ff. ad l. Iul. maiestatis.

Imperator quo modo solutus legibus.

Statuti promulgatio.

Potestas condendorum statutorum extinguitur.

EX CONSVETVDINE QVOmodo Ius oriatur. Cap. V.

SVMMARIVM.

1. Consuetudo publica pro lege est.
2. Periculosum esse homines ab usitatis retrahere.
3. Nõ cogendi homines sunt, dextra id facere, quod sinistra manu rectè faciũt.
4. Non omne consuetum, statim pro iure habendum.
5. Tauroscytharum consuetudo in mactandis peregrinis damnanda.
6. Persæ temulenti in grauissimis rebus consultant.
7. In Anglia inter fratres maior natu totam hæreditatem patris sibi uendicat.
8. Fœminæ excluduntur per imperium à feudalium successione.
9. Masculis conseruantur familiæ.
10. Quæ ad inducendam consuetudinem requiruntur.
11. Ex cõsensu morũ, non ex numero exemplorũ consuetudinẽ esse colligendã.
12. Frequenter factum est, quod bis factum est.
13. Decem annis induci consuetudinem.
14. Consuetudinis definitio secundum Hostiensem.

Gignit

IGNIT & publica consuetudo Ius, quod morib. utentium approbatur, ac deficiente lege, pro lege susçipitur. Nam cùm ipsæ ll. nulla alia ex causa nos teneant, quàm quòd populi iudicio receptę sunt, meritò & ea, quæ sine ullo scripto populus probauit, tenebunt. l. de quibus. ff. inueterata. ff. de ll. & s. c. Sicut igitur lex manifesto, ita consuetudo tacito consensu populi existit. Neq; est quidem absurdum, ut mores ciuium in quacq; repub. habeantur pro iure. Notum enim est prouerbium, νόμος κὴ χώρας. Etenim uidemus tam obstinatos hominum esse animos, in retinendis ijs, ad quæ diu assuefacti sunt, ut difficillimè patiantur ea sibi extorqueri, & testantibus exemplis non obscurum est, quàm periculosum sit, temerè uelle homines ab usitatis retrahere. Vnde & Aristoteles præcipit, in rebus publicis esse obseruandum, ne quis cogat dextra homines id facere, quod sinistra manu rectè facere didicerint. Quamuis enim magis conueniens naturę sit, cùm quis in agendo utatur dextra, tanquam magis idonea, tamen ob tantillum incommodum, & tam leuem errorem non est tumultuandũ. Difficultas igitur & periculum extorquendæ consuetudinis satis graues sunt causæ, cur mores populorum in suis quibusque rebus pub. pro iure tolerentur & habeantur.

Consuetudo pro lege.

Periculosum ab usitatis retrahere.

Verùm hoc tamen considerandum est, quòd non omne id, quod alicui consuetum est, statim pro iure habendum sit. Nã si qua consuetudo prorsus repugnet naturæ & iudicio rationis, ea tanq; belluina ferocia detestanda & fugienda est. l. quòd non ratione. ff. de leg. & s. c. & c. ueritate. distinc. viij. Qualis consuetudo fuit Tauroscytharũ in mactandis peregrinis, quos fortè hospitio exceperant. Item Persarum in cõsultandis grauissimis rebus, cùm essent temulenti. Cęterùm quamuis nõ pro iure habeatur consuetudo, quæ prorsus pugnat cum naturali æquitate, tamen permittit, ut nonnihil ab ea, aut etiam iure cõmuni, & positiuo recedat. Sicut Cynus scribit, in Anglia esse consuetudinem, ut maior natu inter fratres totam hęreditatem patris sibi uendicet. Item in successione bonorum feudalium passim per imperiũ excluduntur fœminæ iure consuetudinario. Tales autem consuetudines quamuis in specie uideantur iniquæ, tamen quia suas quasdam habent causas ex ciuili necessitudine ductas, meritò eorum iniquitas propter bonum publicum dissimulatur. Nam quamuis naturalis æquitas, atq; Ius cõmune probet, ut pariter masculi cum fœminis succedant in bonis paternis, tamen quia per masculos conseruantur familię, concessum fuit illis hoc beneficiũ, ut fœminis in successione bonorum feudalium præferantur.

Mala consuetudo non ferenda pro lege.

Tauroscitharũ mala cõsuetudo

Persæ temulenti consultant.

Ius primogenituræ in Anglia.

Fœminarum exclusio in feudalibus.

Masculis conseruantur familiæ.

Præterea ut consuetudo pro iure habeatur, necesse est, ut ab initio hoc consilio & instituto sit cœpta, ut in posterum fieret, ac obseruaretur. Nam sicut is non acquirit ius eundi per alterius agrum, qui propter incommoditatem riui, aut quia publica uia interrupta est, per proximi uicini agrũ iter fecerit, quamuis id frequenter faciat. l. 1. & l. ult. ff. de itinere actuq; priuato: ita nec consuetudinis autoritatem obtinet, quod quidam aliud spectantes, quàm ut in posterum fiat, ex indulgentia & conniuentia magistratuum aliquoties fecerunt. Consuetudo enim nõ oritur ex eo, ꝙd casu aut temerè fit in aliqua rep. sed quod communi obseruatione in perpetuum usum susçipitur. distin. 1. c. consuetudo. Item, quamuis ad inducendam consuetudinẽ frequens actus requiratur, tamen non sufficit ad eius probationem adducere multorum exempla. Non enim exemplis, sed legib. id est, institutis communi suffragio populi approbatis iudicandum est. l. nemo. C. de senten. & interloq. om. iudic.

Requisita ad inducendam consuetudinẽ.

Legib. nõ exemplis iudicandũ.

Quare non ex numero exemplorum, sed ex consensu morum colligenda est

13 da est cõsuetudo: Porrò ubi consensus morum est, ibi sufficit allegare semel atq; iterum esse aliquid factum. Nam in tali casu dd. contendunt, frequenter factum dici posse ue quod bis tantùm accidisse apprehendatur. Arg. l. ñ. C. de epis. ac di. Postremò requiritur, ut longo quoq; tempore, nimirum decem annis ut minimum durarit consensus morum, quem cõsuetudinis autoritate obtinere uolumus. Nam consuetudinem necesse est esse prescriptam. c. ult. extr. de cõsue. Itaq; neq; locum habet, nisi in re præscriptibili. 93. distin. c. illud. Neq; enim leuis momenti est prescriptio, ad probandam consuetudinem, adeo, ut ea firmissima habeatur, cuius initij non extat apud homines memoria, exemplo aquæductus, qui pro constituto habetur, si eius origo memoriam excedat. l. hoc iure ℣ aquæductus. ff. de aqu. quot. & æst. 14 3. q. vi. c. quippe. Hinc Hostiensis consuetudinem ita definit, q; sit usus rationabilis, competenti tempore præscriptus, uel firmatus, nullo actu cõtrario interruptus, binario actu, seu contradictorio iudicio, uel quòd nõ extet memoria inductus, usuq; communi utentium comprobatus. Hæc de consuetudine annotasse prò nostro instituto satis sit, si quis copiosiorem cupiat explicationem, ille uideat Cy. circa ti. Cod. de lon. consue. & Bart. in l. de quibus. ff. de ll. & S. C.

Tempus decennale consuetudinem inducit.

DIFFERENTIAE IVRIS, QVAS ex uarietate causarum accipit. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1. Ad ius naturæ pariter omnes obligari.
2. Iuris Ciuilis multas esse differentias.
3. Ius aliud diuinum, aliud humanum, & Canon quid uocetur.
4. Præcepta, & Traditiones quæ sint.
5. Ius aliud rigidum & strictum, aliud bonum & æquum.
6. Ius aliud publicum, aliud priuatum.
7. Legum omnium finis esse debet, salus publica.

EX his igitur causis uariæ nascuntur iuris differentiæ, quas utile ac necessarium est in discernenda obligatione cuiuslibet iuris accuratè obseruare, & tenere. Nam cùm aliud ius alio latius patet, non est eadem cuiusq; iuris obligatio. Patet autẽ latissimè ius naturale. Itaq; longè à cæteris speciebus iuris id separandum est. Nam cùm ius naturæ sit, quicquid ex naturæ sensu, & iudicio rationis nos alijs debere intelligimus, pariter omnes ad id obligamur. Neq; sunt quidem huius iuris ullæ differentiæ, præter eas, quas discrimẽ sensuũ naturaliũ & intellectus naturalis, inter nos & cætera animantia facit. Iuris autem Ciuilis multæ sunt 2 differentiæ. Nam cùm Ius Ciuile sit, quod publico consensu receptum sit, & populus aut expresse, aut tacitè consentiat (expresse, quòd literis mandet, tacitè, quòd sine cõtradictione patitur moribus introduci) rectè dicitur de iure Ciuili, quòd aliud sit scriptum, aliud non scriptum, adeoq; aliud statutarium, aliud consuetudinarium: & rursum quia aut multorum, aut paucorum suffragio & consuetudine aliquid constituitur, id quod à multis populis receptum est, dicitur ius commune, quod à singulis municipijs, municipale, nonnunquàm & à singulis conditoribus Ius appellatur Prætorium, Cæsareanum, Pontificium, Flauianũ, Velleianum. Atq; has quidem differentias sortitur Ius à causa efficiente. A materia has habet differẽtias, quòd 3 aliud sit diuinum, aliud humanum. Diuinumq; de rebus sacris, sacerdotibus, & magistratibus agit. Nam ita ferè accipitur passim à iureconsultis Ius diuinum: quamuis etiam aliqui, sicut philosophi, ius diuinum appellãt,

Iuris differentiæ.

quod diuinitus nostris pectoribus impressum est: humanum uerò, quod formas tractandorum negotiorum ciuilium tractat. Et iuxta has differentias accipiendum est quod de iuris prudentia in Pandectis dicitur, Videlicet, quòd sit rerum diuinarum & humanarum notitia, non quatenus Euangelium notitiam diuinam tradit, sed quatenus inter homines externis ritibus res diuinæ tractentur. Indidit & usus diuersa constitutionibus nomina pro diuersitate rerum, circa quas uersantur.

Canon. Canonem nunc uocamus ordinationem ecclesiasticam, qua de cultu sacrorum, de sacerdotum officijs ac moribus aliquid generali concilio constitutum aut receptum est.

Leges & constitutiones. Leges autem & constitutiones uocamus, quibus rerum politicarum gubernatio cõprehenditur. Sacra quoq; scriptura inter 4
Præcepta. præcepta & traditiones ratione materiæ, de qua agunt, differentias obseruat. Nam præcepta uocat omnem eam doctrinam, qua mentes hominis declaratione iudicij diuini, ad timorem Dei & amorem proximi inuitantur.

Traditiones. Traditiones uocat ritus quos homines constituerunt exercendorum in religione rudium aut ignauorũ causa, Vt sunt ieiunia, delectus ciborum, discrimina festorum & dierum. Versantur itaque traditiones circa res utiles quidem, sed ad quas nec Dei, nec mentis nostræ iudicio obligamur, si ne cessitas naturalis, aut Ciuilis diuersa à nobis postulent, sicut infrà de obligatione iuris audiemus. Possunt & differentiæ aliæ quædam assignari à
Ius militare, patronatus. materia ductæ, ut quòd aliud ius sit militare, aliud patronatus &c. Sed si quis isto modo uelit colligere differentias Iuris, tum in quoque schemate iuris nascetur singularis quædam differentia in materia.

Rigidum, strictum, bonum & æquum. A Forma hæc ducitur differentia iuris, quòd aliud sit rigidum siue strictũ, 5
aliud bonum & æquum: illud Græci uocant ἀκριβὲς δίκαιον, hoc ἐπιεικὲς. Volo autem hanc differentiam hic accipi de rigore scripto, & æquitate scripta. Nam æquitas non scripta à Iurisconsultis dicitur naturalis æquitas. A Fine 6
Æquitas. Publicum. Priuatum. hæc ducitur iuris differentia, quòd aliud sit publicum, aliud priuatum. Publicum dicitur, quod principaliter spectat ad rempub. & sunt constitutiones de reuerentia religionis & magistratuum. Priuatum uerõ, quod principaliter ad singulorum utilitatem pertinet, ut sunt contractuum leges, & iniuriarum uindicationes. Quamuis. n. & reipu. interfit certis legibus res inter ciues communicari, & iniurias puniri, tamen hoc ex consequenti, non ex principali talium legum instituto fit: sicut interest quoq; singulorum ciuium, ut religiones & magistratus ritè colantur. Sed ea tamen reuerentia principaliter reip. causa præcipitur.

Finis legum, salus publica. Cæterùm summus omnium legum finis est, salus publica, iuxta illud: 7
Sabbatum propter hominem, & non homo propter sabbatum. Et Cicero de legib. testatur hanc sententiam in c. xij. Tab. extitisse, tanq; omnium legum regulam: Salus populi suprema lex esto. Ac quemque huius uitæ ratio facilè docebit, omnes leges constitui ac suscipi debere, ut illarum obseruatione humana societas, & publica tranquillitas conseruetur. Sunt & singularum legum suæ quædã finales causæ, quibus ita inuitantur, ut cessantibus illis, legum quoque earum tollatur obligatio, sed de his infrà.

DE OBLIGATIONE IVRIS CAP. VII.

SVMMARIVM.

1. Effectus differentiarum iuris, & quam quæq; gignat obligationem.
2. Iuris prudentia uersatur circa singulas factorum & negotiorum species.
3. In iure circumstantiarum habenda ratio.
4. Furioso non est reddendus gladius.

5. Stultum

5. Stultum Iephthæ uotum in mactata filia.
6. Deus humanis hostijs non delectatur.
7. Mens iurantis, non uerba spectanda.
8. Non de iure, sed de eius obligatione disceptandum.
9. Superior lex corrigit inferiorem.
10. Mentem potius quàm sensum & affectionem naturalem sequendam esse in agendo.
11. De communione rerum.
12. Impetus naturæ iudicio & ratione coercendos esse. Et de dicto Dei, propter hanc relinquat homo patrem & matrem.
13. Semiramis mater nupsit filio contra pudorem naturalem.
14. Naturam necarte nec affectibus humanis tolli.
15. Supremus gradus naturalium legum est, colere Deum.
16. Idolatria est quicquid contra uerbum Dei imaginatur.
17. Saul propter clementiam regi Agag exhibitam punitur à Deo & priuatur regno.
18. Vota continentiæ naturæ esse contraria, & Deo molesta.
19. Lex prima & secunda Decalogi explicatur.
20. An fides latroni seruanda sit. 21. Dolo bono flagitiosos fallere licet.
22. Tertiæ legis Decalogi explicatio de pædagogia Ecclesiastica.
23. Leges secundæ tabulæ ad tuendam huius uitæ societatem pertinent.
24. Iura scripta moderanda esse naturali æquitate.
25. Nobile Iudicis officium in ministranda æquitate imploratur.
26. Leges & constitutiones posteriores præiudicant prioribus.
27. Statuta quando & quos obligent.
28. Iura personalia non extendi ad diuersas personas.
29. Delicta & contractus in obligatione conueniendi parificantur.
30. Statuta quatenus obligant ciues extra territorium.
31. De iure consuetudinario idem iudicandum quod de statutis.
32. Statuta scripto, consuetudines usu contineri.

1 IAM postquam explicauimus Iuris differentias; uidendum nunc est, quis sit earum effectus, hoc est, quam quæque iuris differentia ex se et sua quadã ui atq; ratione gignat obligationem. Neque enim Iuris prudentia, inter eas artes referenda
2 est, quæ propter cognitionem tantùm discuntur. Nam quamuis suas quoque habeat theoricas, tamen in quantum est ars, ita uersatur circa hypotheses, aut, ut nunc loquuntur, circa singularia, i. singulas factorum & negotiorum species, ut tota uideatur Practica. Quare in discendo Iure non tantùm obseruandum est, quicquid in quaque facti specie pro iure obser-
3 uetur, uerumetiam qualem in ea pro rerum circumstantijs unumquodq; ius requirat, aut admittat moderationem. Fieri. n. potest, ut si quis pertinaciter, non habita ratione circumstantiarum, alicui iuri insistat, grauius peccet ius obseruando, quàm si id neglexisset. Vt si quis integra mente apud aliquem deponat gladium, & postea furiosus eum repetat, iure depo
4 siti, tum satius est, non liberare fidem, quàm illi reddere gladiũ, qui eo uti
5 citra suum & aliorum periculum non possit. Sic arbitror & Iephthe rectius facturum fuisse, si uiolasset obligationem uoti, quo stultè promiserat se immolaturum Deo, quicunque ipsi redeunti ex ædibus suis occurrisset, si Dei auxilio uictoria de filijs Amon potiretur, quàm quòd unigenitam filiam pro holocausto mactauit. Iudicum xi. Neque enim extat uerbum
6 Dei, quo manifestũ esset, Deum humanis hostijs delectari. Sed sunt contraria exempla, quibus detestatur tales hostias. Deinde in obligatione uo
7 torum & iuramentorum mens iurantis potius quàm uerba spectantur. No ti nanq; sunt Vers. Ouidij:

Singularia.
Ad studium iuris quæ obseruanda.
Circumstantiarum ratio.
Iephthe.
Mens iurantis.

Consilium prudensq; animi sententia iurat, 7
Et nisi iudicij uincula nulla ualent.

Itaq; cùm haud dubiè Iephthe non eo animo uouerat Deo hostiam, ut etiam se hominem immolaturum, si occurrisset ipsi redeunti, cogitasset, benignius erunt uerba uoti interpretanda, atq; eò referẽda, quòd promisisset se immolaturum animal, quod solitum esset in ecclesia Iudaica pro holocausto offerri. Ex his igitur satis liquere arbitror, nonnunquam incidere casus 8
De iuris obligatione disceptandum. posse, ut non de iure, sed de eius obligatione disceptetur. Proinde uidendum est, quos & quando cuiusq; iuris obligatio teneat, aut relaxanda sit. Et quia multiplex & uaria est huius quæstionis consideratio, nos iuxta iuris differentias traditas, eam explicare conabimur, & per eas quasi gradus quosdam obligationum iuris constituemus, ut tanto cõmodius iura possint inter se discerni, & eorum obligatio ex differentijs colligi. Vendicat au-
Gradus obligationum. tem meritò sibi primum locum gradum obligationis, ius naturæ, cùm nos ad id non popularis consensus, aut persuasio, uel opinio, sed impetus naturæ & rationis iudicium alliget. Summa itaq; regula in discernenda ob-
Lex superior corrigit inferiorem. ligatione legum naturalium est, Quòd superior lex corrigat inferiorem. Vt autem possit intelligi, quæ leges naturæ sint superiores, quæ inferio- 9
res, hoc loco requirendi sunt gradus legum naturalium, quos supra in titu. quomodo ex natura ius oriatur, inter eas fecimus. Primum inter species iuris naturalis superior est ea, quæ ex mentis iudicio ducitur. Inferior est, quæ in impetu & affectione naturali consistit. Nemini enim dubium esse 10
arbitror, mentem potius, quàm sensum & affectionem naturalem sequendum esse in agendo, ut in utendis rebus sensus & appetitus naturalis probat communionem rerum. Verùm ratio, quia iudicat propter malitiam 11
Communio rerum. hominum non posse nos habere res communes, distinguit rerum possessiones & dominia, & par est sensum intellectui tanquam superiori cedere. Atq; ita obligatio iuris naturalis primæui corrigitur per obligationem iuris secundarij. De communione autem rerum copiosius dicemus, in secundo capit. secundæ partis. Est autem in collatione harum duarum specierũ iuris naturalis obseruandũ, quòd quamuis superior sit ea, quę iudicio rationis regitur, tamen eam nõ posse alterius necessitatem penitus impedire. Sicut enim aqua nec ui, nec arte cogi potest, ut perpetuò contra naturalem suum motum ascendat, ita nec impetus naturalis coërceri potest in homine, ut citra periculum salutis in eo penitus conquiescat. Neq; enim isti motus sunt uiolenti, ut externa ui oppressi cessarent, sed sunt regulares, nimirum à natura inditi. Ac proinde in indiuiduis specierum continui, in indiuiduis generum perpetui. Neq; potest quidem hic ignis naturalium affectuum, nisi natura in indiuiduis deficiente, aut ipso uiolenter sublato extingui. Quare sicut impetus aquę coërcentur ripis sui al- 12
Naturæ impetus ratione coërcetur. uei, ne passim diffluant, ita et affectio naturalis cohiberi potest iudicio rationis, ne sit promiscua, sed regularis & ordinata. Nã impetũ naturæ prorsus uelle impedire, est cursum profluentis aquæ obstruere uelle, ut nusquam erumpat. Ac uidetur quidem scriptura ab initio cauisse, ne quis tale quid conaretur, ullius iustitiæ humanæ prætextu, quum inquit adiuncta Adæ fœmina: Propter hanc relinquat homo patrem & matrem: quasi dicat: Non patietur se homo ulla specie obedientię humanæ abstrahi ab instituto naturæ. Nam hoc institutum Dei est, ut homo sectetur procreationem sobolis. Et habeo huius meæ sententiæ causam, quòd quamuis textus utatur uocabulo uxoris, tamen manifestum est, non de ciuili obligatione matrimonij, sed de Dei instituto, in coniungendis fœmina & masculo
Semiramis reprehendenda. eo loco agi. Sicut igitur reprehendenda est Semiramis, quòd publicale-

ge

ge permissum esse uoluit, ut contra pudorem naturalem mater nuberet filio: ita reprehendendi sunt illi, qui prætextu obedientiæ, pietatis, aut prudentiæ humanæ, instituto dei & naturæ repugnant, aut uiolentis traditionum uinculis illud euertere contendunt. Naturæ enim institutum
14 neq; affectibus humanis regi, neq; arte humana mutari unquam potest, iuxta illud Horatij: Naturam expellas furca, tamen usque recurret. Castigatio igitur naturalium affectuum rationi tanquam moderatori totius huius machinæ, quam uocant μικρόκοσμον, concessa est, sed eatenus, ut quia naturales affectiones sunt institutum Dei, eas carceribus prorsus concludere, ut nusquam euadant, non conetur. Nam cùm sint naturales motus, non uiolenter, sed naturaliter uolunt gubernari. Ergo si parens quispiam exigat à filio, ut nullam ducat uxorem, non est ipsi obtemperandum, quia reluctatur instituto naturæ, atq; adeo Dei. Si uerò exigat, ut non Calphurniam aut Fuluiam ducat, obsequendum est illi, quia propter rectas causas cupit affectionem naturalem moderari. Hæc de moderatione impetus naturalis ratione & iudicio in obligatione Iuris facienda.

Natura tolli non potest.

μικρόκοσμος

Cultus diuinus suprema lex.

15 Porrò inter leges naturales, quas sanæ mentis iudicium nobis tradit, supremum gradum obtinent leges de colendo deo. Ac habet quidem ratio huius obedientiæ hanc causam, quòd cùm uideat atq; experiatur, superiore quadam natura hæc inferiora mundi regi, iudicet meritò illi summam reuerentiam tribui. Sed est ipsum naturæ iudicium de cultu Dei, infirmum & plenum dubitationibus, nisi ad uerbum Dei referatur. Nam uerè nosse Deum, non solùm est immensam quandam potentiam naturæ diuinæ in animo concipere, sed magis nosse eius uoluntatem in tuendis & confirmandis rebus humanis. Neq; uerò uoluntatem Dei quisquã cogitatione inuestigare, aut animo consequi citra uerbum Dei potest. Nam testante Paulo caro nõ cernit, quæ sunt spiritus Dei. Itaq; cognitio Dei & cultus diuini, ex Verbo expetẽda est, iuxta illud Esaiæ 8. Ad legem magis & ad testimoniũ. Quòd si non dixerint iuxta uerbũ hoc, nõ erit illis matutina lux. Itẽ Christus: Inquirite scripturas. Quare cùm leges de cultu Dei præferantur reliquis omnibus, quæcunque obstare istis uideantur, hæc tenenda
16 est ratio, quòd omnis imaginatio Dei & uoluntatis diuinæ citra aut contra Verbum Dei facta, est idololatria. Neq; patitur quidem hæc ratio ullam exceptionem disputationum humanarum, quin semper faciendum sit, quod præcipiat uerbũ Dei, quantumuis speciosa sint consilia, quæ nos à Verbo distrahunt. Nam hunc cultum Dei, & hanc obedientiam erga Verbum à nobis requirere Deum, manifestum est ex historia Saulis.
17 1. Regum 15. Motus enim Saul clementia & humanitate humana, pepercit Regi Agag, & passus est populum prædam ex eius regno auferre, ut haberent oues & boues, & immolarent Domino. Verùm quia Deus præceperat Sauli, ut regem Agag occideret, nec ex eius regno quicquam auferret, ita detestatus est Deus hanc humanitatem Saulis, & pietatem plebis, ut regnum ipsi omnibusque eius posteris eripuerit. Vnde satis testatum arbitror, nullam humanitatis aut pietatis speciem nobis tantam uideri debere, ut contra uerbum Dei aliquid moliamur. Idem iudicandum est de splendidis hominum conatibus, qui citra uerbum Dei suscipiuntur. Tam enim peccat, qui citra Verbum uoluntatem Dei sibi fingit, quàm is, qui ductus consilio humano, aliquid contra uerbum Dei instituit. Nam Deus uerbum est, Ioan. 1. non splendida de Deo hominis cogitatio, quæ citra Verbum meras gignit idolatrias in colendo Deo. Non enim isti tantùm idolatræ sunt, qui colunt statuas, sed omnes illi, qui citra, aut contra uerbum Dei, creaturæ tribuunt, quod expe-

Cognitio Dei.

Idolatria.

Saul.

Idolatræ.

Sacerdotes Baal. crandum erat à creatore. Sicut iudicatur idolatria incisio sacerdotum Baal, qua ità lacerabant carnem suam cultris & lanceolis, ut perfunderentur sanguine, iij. Regum decimooctauo, persuasum habentes istam afflictionem carnis, placere Deo, & esse uerum cultum Dei, cùm tanquam abominationem Deus illum cultum detestaretur, quia absque mandato Dei splendida opinione hominis institutus erat. Talia sunt & uota Monastica, quibus se ad perpetuam obligant continentiam, arbitrantes se ità summo placere Deo. Sed in quanto sint errore, indeliquere potest. Primùm, Quòd non extet mandatum Dei, quo exigeret continentiam tanquam cultum. Quamuis enim Paulus prima ad Corinthios septimo censeat cœlibatum utilem propter necessitatem huius uitæ, nimirùm, quia cœlibes liberati curis, & molestijs matrimonij, melius uacare studijs pietatis queant, tamen quia periculosa est continentia, à nemine exigendam eam ducit. Idem Christus facit Matthæi decimo nono, Vbi non improbat quòd quidam se castrent propter regnum cœlorum, id est, abstinent se à coniugio, propter commoditatem incumbendi lectioni scripturæ, aut ministerijs Euangelij, tamen liberum esse uult, ut contrahant matrimonium, qui se non habere donum continentiæ intelligunt. Quare errant & Monachi, quòd continentiam citra præceptum Dei, tanquam cultum fouent. Tolerari tamen poterat, ut fouerent castitatem in certa quædam tempora, coërcendarum libidinum corporis gratia. Verùm, cùm contra naturæ institutum perpetuam uoqueant castitatem, & eam tanquam cultum Dei iactitent absq; uerbo, nullo modo dissimulandus est eorum error. Deinde errant Monachi, quòd cùm sentiant se non posse continere, tamen uoti religione, instituto naturæ, & Dei reluctantur. Nam ut liceat uouere castitatem, tamen si tuam continentiam grauior, & naturę contraria, ac Deo molesta sequatur impuritas, non debet religio uoti alicui uideri tanta, ut propter suum uotum, quod stultè susceperit, naturæ & Dei instituto repugnet. Neque enim patitur diuina iustitia, ut peccatum graui ore peccato redimamus, aut uitemus. Necq; ulla Religio iuramenti ad flagitiosum errorem obligat. Sed hæc accuratiorem requirunt disputationem, quàm ut compendij nostri ratio ferat.

Vota monastica.

Cœlibes melius uacare studijs possunt.

18

Iuramentum ad errorem non obligat.

Redeamus igitur ad obligationem legum primæ Tabulæ, in qua Deus triplicem sacrorum cultuum deprehenditur fecisse differentiam. Prima nanque lege prohibet idolatriam & superstitionem, uidelicet, ne absque uerbo Dei ullum cultum aut metum Dei nobis fingamus, aut specie humanitatis à uerbo recedamus, sicut suprà ostendimus. Secunda lege prohibet blasphemias & hypocrisin, ne securi de uindicta religionem contemnamus, aut prętextu religionis alijs imponamus. De blasphemijs facile est iudicare homini Christiano. Hypocrisis autem uariæ sunt species. Non enim illi tantùm sunt hypocritæ, qui pietatem externis operibus simulant, cùm pleni sint impietate, uerumetiam illi, qui captiosè iurando testem Deum in negotijs adhibent, ut alios defraudent, aut illorum spem deludant. Vnde quæri potest in hac lege: quòd si quis periculo uitæ coactus sanctè iurando promittat latroni certam pecuniam, ut euadat eius uincula, an teneatur ad soluendum tale promissum. Ac ego quidem sentio, quòd teneatur. Nisi enim in hoc casu quis liberet fidem, Deum etiam, quem testem adhibuit, fallere conatur. At istud conari, est impium. Itaque non est indulgendum nobis, ut propter aliquam speciem iustitiæ humanæ, quæ est inferior pietate, quam debemus Deo, in tali inquam casu latroni non præstemus promissa: secus iudico, cùm nudo tantùm pacto in-

Prima lex Decalogi.

Secunda lex.

19

Hypocritæ.

Quæstio.

An sit fides latroni seruanda.

20

ter

ter me & latronem aliquid conuentum est. Nam tum, quia latro non est apertus & legitimus hostis, uidetur citra piaculum data illi fides uiolari posse. Sicut enim Iure fieri uidetur, ut quis uim ui depellat, sic fraudulentum fraude conuenire eodem iure licere, dubitare nemo potest, Quod enim quis sui defendendi causa facit, Iure facere uidetur. l. ut uim. ff. de iustitia & Iure. Vnde Ouid.

Iudice me, fraus est concessa repellere fraude,
Armaq; in armatos sumere Iura sinunt.

Nam in hoc tantùm inter se differunt Fraus & Violentia, quòd Fraus sit occulta, Violentia uerò manifesta uis. Quare expediti Iuris est, licere non seruare fidem ei, qui eam uiolat. l. cùm proponat. C. de pactis. Recte igitur Cæsar Iulius, qui, cùm magnam pecuniam Piratis esset pollicitus, ut se incolumem dimitterent, ipsisq; prædæ inhiantibus, clam per literas curauit apud suos, ut comprehenderentur, & in crucem omnes tollerentur. Eadem quidem arte rex Danorum usus est in tollendis illis, qui regnum latrociniis infestabant. Nam cùm difficile esset, illos passim per regnum habitantes aperta ui capere, ut id non præsentirent, ac euaderent, publicè edixit, ut si qui essent, qui mereri stipendia uellent, ad se confluerent, fore illis, qui bonam in bello operam nauassent, impune, si quid flagitij antea designassent. Itaque Rex, cùm animaduerteret, flagitiosissimum quemque, spe impunitatis ad se confluxisse, consilio suorum iussit eos, tanquam turbatores publicæ pacis, necare. Quamuis igitur quis hoc factum tanquam dolosum fortè reprehendat, tamen quia ex republica est, ne flagitia maneant impunita, iure tales falli sentimus. Neq; enim sua malitia alicui debet esse lucrosa. Atq; est quidam etiam dolus bonus, sicut uenenum quoddam bonum est. l. 1. ff. de dolo malo. Cæterùm hæc fallendi potestas cum hac distinctione accipienda est, uide licet, ut ea non utamur, nisi aduersum eos, quorum fraus notoria est. Nam si dolus eorum non sit notorius, quibus aliquid promisimus, tum etiamsi graue nobis sit stare promissis, tamen ualet, sicut dicitur, inter bonos bene agier. In malis autem promissis, etiamsi iureiurando firmata sint, simpliciter non expedit fidem seruare, iux. regulam iuris: Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum. Neque enim cædes aut stupra committenda sunt, ut fidem datam liberemus. In tali nanque casu locum habet tritum illud: Non sunt facienda mala, ut eueniant bona. In alijs uerò promissis, ubi non est flagitium in re promissa, ualeat regula iuris Canonici c. duo mala. distinc. xiij. uidelicet, ut si necessitatis periculum nos cogat, inter duo mala, minus malum eligamus. Hæc sufficiunt de secunda lege primæ Tabulæ.

Frangenti fidē fides frangatur eidēm.

Iul. Cæs. datā fidem piratis non seruauit.

Rex Danorum

Dolus bonus.

Inter bonos bene agier.

82 Tertia Lex primæ Tabulæ pertinet ad obseruationem sacrorum rituum & ceremoniarum. Et ne quis huius generis constitutiones sine discrimine in uiolandis inferioribus legibus secundæ Tabulæ existimet habendas esse, quia de rebus sacris agant, ita distinguendum est, quòd sacri ritus aut sunt ab ipso Deo instituti per Verbum, ut est Baptismus. Talium obseruatio nunquam potest sine periculo negligi, nisi fatali aliqua necessitate prohibeamur. Nam ad huiusmodi rituum obseruationem nos non tantùm ratio sacræ pædagogiæ, sed etiam instituentis autoritas obligat, ut si quo modo liceat, nequaquam debeamus illos ritus negligere. Est tamen & hic retinenda libertas fidei, ne conscientiæ illorum necessitate ita illaqueentur, ut si quis casus humanus nobis neget eorum usum, nihil de salute propter Christum gratis nobis promissa dubi-

Tertia lex Decalogi.

Pædagogia Ecclesiastica.

temus, quin credamus, nos eam consecuturos, per fidem, exemplo latronis in cruce saluati. Ad reliquas sacrorum rituum constitutiones, quæ Ecclesiasticæ Pædagogiæ, & exterioris pietatis cultus causa à maioribus traduntur, eatenus nos obligamur, quatenus nos in præstandis societatis & necessitatis humanæ officijs non impediunt. Quamuis & Ecclesiasticarum traditionum obseruatio religiosè colenda sit, tamen quia sicut leges ciuiles commodi nostri causa instituuntur, postulante nostra, aut proximi nostri necessitate aliqua, non sunt præferendæ cæteris humanitatis officijs, quæ naturæ iudicium, adeóque lex diuina à nobis exigit. Nam ideo & Christus, Matthæi xxiij: iudicium, misericordiam, & fidem præfert traditionibus Ecclesiasticis, ac tradit regulam apprimè utilem, in iudicanda talium rerum obseruatione, uidelicet, quòd humanitatis officia nos oporteat præstare, ea uerò quæ Ecclesiasticis traditionibus Pædagogiæ causa præcipiantur, non omittere, si non grauior aliqua necessitas nobis obstet. Etenim non est ita iudicandum de huiusmodi traditionibus, sicut hypocritæ apud Iudæos de illis iudicabant, uidelicet, quòd cùm ad exteriorem cultum religionis pertineant, in earum obseruatione statim locum habeat illud Petri, Actorum quinto: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Neque enim tales ritus sunt uerus cultus Dei, sed rudium mentium causa proditæ obseruationes, ut per eas ad religionem se assuefacerent, Itaque Christus, Mathæi xij, iudicat Dauidem fecisse non iniustè, quòd non ueritus est comedere panes propositionum, quos religio uetabat laicum edere, cùm fames & negotiorum expediendorum festinatio non permitteret, ut expectaret, donec alij panes illi adferrentur. Quapropter de ceremonialibus legibus ita in uniuersum iudicandum est, quòd quamuis earum autoritas primæ Tabulæ testimonio confirmata sit, tamen quia earum obseruatio, non est uerus Dei cultus, sed nostri institutio & pædagogia, non sunt censendæ eius esse eas notæ, ut præ cæteris secundæ tabulæ & humanorum officiorum legibus nos obligent. Nam in collatione legum ceremonialium moralium, maior iudicatur parendi necessitas, quam naturæ iudicium nobis imponit, quàm ea, quæ ciuilis aliqua ratio nobis persuadet, iuxta illud: Misericordiam uolo, non sacrificium. Quibus autem de rebus licet condere statuta, illis qui præsunt Ecclesiæ, dicemus infrà in primo capite secundæ partis, ubi de Iudiciali personarum potestate dicturi sumus.

Traditiones Ecclesiasticæ quatenus obligent.

Leges secundæ Tab.

Sequuntur secundæ tabulæ leges, quæ ad tuendam huius uitæ societatem pertinent. Ac ualet quidem & in harum obligatione moderanda ea regula, quam suprà de discernenda legum naturalium obligatione posuimus. Inter has autem gradus constituuntur ipsæ res, de quibus agunt, siue inter se, siue cum legibus ciuilibus, & scripto Iure conferantur. Primæ notæ sunt, quæ reuerentiam erga eos, quorum beneficijs & cura in hac uita fouemur, præcipiunt, ut sunt de colendis parentibus & magistratibus. Nam proximum sacrilegio crimen est, aduersus illos aliquid improbè moliri. l. 1. ff. ad l. Iuliam maiestatis. Proinde in sacris quoque literis proximè sequuntur leges de colendo Deo, Lex de colendis parentibus, sub qua omnis obseruantia erga illos, qui nobis priuatim aut publicè præsunt, comprehenditur. Secundæ notæ inter has leges sunt, quæ prohibent uiolentiam & insidias, quibus interemptio corporum quæritur. Nam ita lex de non faciendo homicidio interpretanda est. Tertiæ notæ sunt, quæ prohibent insidias alienorum

Prima lex secundæ Tab.

Secunda lex.

Tertia lex.

norum fœderum, corruptelam morum, & uiolationem honestatis, in illis qui nostræ fidei crediti sunt, sicut uxor, liberi, serui &c. Quartæ notæ sunt, quæ alienarum rerum & possessionum turbationem & dissipationem, siue id arte, siue uiolenter fiat, prohibēt. Nam furtū etiam usurarius, & quicunque alius, qui fraudem alterius rebus struit, committere uidetur. Quintæ notæ sunt, quæ maledicentiam & mendacia, quibus aliorum existimatio lædítur, aut in suspicionem trahitur, prohibent. Nam eò puto hanc legem de non dicendo falso aduersus proximum testimonio referendam esse, ut prohibeat detractiones & calumnias. Etenim testimonia quæ in iudicijs deponuntur, non nisi à iuratis accipiuntur, ut qui in iudicijs falsum dicunt testimoniū, contra secundum præceptū primæ tabulæ peccent. Postremæ notæ sunt inter Leges naturales, quæ affectuum uitia & impetus prohibent. Nam postremis duabus legibus, de non appetenda uxore, alijsq; rebus proximi, non scelera, quę istos affectus sequuntur, sed uitia istorum affectuum prohibentur. Nam suprà ista scelera de non committendo adulterio, aut furto prohibita sunt. Atq; ad harum quidē legū tanquam ad superiorum æquitatē sępe relaxatur obligatio juris scripti, quam relaxationem Canones uocant dispensationem, de qua xiij. distinc. & ibi glos. Leges autem ciuiles & ratio censent hanc moderationem iuris scripti per æquitatem naturalem necessariam, quia naturalia iura sunt immutabilia. Ac proinde non possunt ea scripta unquam penitus tolli, sicut uidemus in successionibus masculos iure statutario sępe prę ferri fœminis, sed tamen eas propter æquitatem naturalem non omnino hęreditatibus excludi. Quòd autem iura scripta sunt moderanda naturali æquitate ab illis, qui haberet juris dicendi potestatem, manifestum est in sacris literis exemplum, Exodi xx. ubi Deus præcipit Moysi, ut constituat tres ciuitates, ad quas confugere possent, qui fortè defendendi sui causa cædem perpetrassent, ut ibi causam dicerent, nec prosequentium ira pessundarentur, sed si subesset aliqua causa, absoluerentur, adhibita moderatione legis de non facienda cæde per æquitatem naturalem.

Quarta. Quinta. Testimonia. Sexta. Dispensatio quæ laxatio est. Naturalia iura immutabilia. Iura scripta.

Verūm, quia non satis tutum est, propter iudicum imperitiam, & humanarum etiam mentium caliginem, in quam facilè propter affectuum impetum deducuntur, esse liberum Ius dicentibus, ut quoties ipsis uideatur, leges æquitate naturali moderentur, Diligenter prohibitum est iure Romano, ne quis temere id sibi sumat, aut licere sibi existimet. Nam sicut Celsus dixit in quæst. de æquo & bono: plerunq; sub autoritate iuris scientię pernicioſè erratur. l. si seruum §. sequitur. ff. de uerbo. oblig. Quare cùm in facto, de quo iudicandum est, aliqua deprehenditur causa, propter quam rigor iuris scripti uideatur moderandus æquitate, hęc traditur & obseruatur à iureconsultis regula, uidelicet, quòd si æquitas scripta sit, atq; etiam rigor, tum regulariter æquitas præferatur rigori, iux. legem placuit. C. de iudicijs. & l. in omnibus. ff. de reg. iur. Huius rei exemplum est ff. de eo quod certo loco. l. quòd si Ephesi §. interdū. ubi permittitur iudici, ut, si accusatus propter non solutam pecuniam, probat se obtulisse actori, aut deposuisse pecuniam, eum absoluat, nec patiatur amplius quiddam, propter utilitatem temporis, quod interuenit, ab eo exigi, quamuis tardius postea, quàm debuerit, numerarit debitam pecuniam. Si uerò rigor iuris absque æquitate scriptus inuenitur, tum uolunt iudicem propter opinionem æquitatis à iure scripto non recedere, ut in l. prospexit. ff. qui & quib. manu. libe. non fiant. Vbi lex nec eum seruum mulieris diuertentis à uiro uult ab ea posse manumitti, qui extra eius ministerium in agro, uel prouincia fuerit, qui tamen propter

Æquitas an & quando præferenda rigori.

absentiam

absentiam ignarus rerum mulieris diuertentis credatur. Ac proinde per manumissionem non uideatur quęstione subduci, ob quam causam manumissio in ea lege prohibetur, quòd ęquitas postulat eum dimitti seruum, à quo cessat ratio legis. Verùm Vlpianus in ea lege, quamuis fateatur per quàm durum esse tali seruo negari libertatem concessam à muliere diuertente, tamen addit sic legem scriptam esse, significans à iure scripto non esse recedendum propter æquitatis non scriptæ rationem seu opinionem. Si uerò nec ęquitas, nec rigor iuris extant in legibus scriptis, tum permittitur ius dicenti, ut de similib. ad similia procedat, & ius ab exemplis colligat. iuxt. l. non possunt. ff. de ll. & S. C. Aut si ea quoq; desinit, nobile iudicis officium imploratur, tanquam subsidiarium & extraordinarium iudicis auxilium, quo petentib. ęquitas ministratur, & in eo continetur, argumento. l. & puto. ff. fami. herciscun.

Nobile Iudicis officium.

Hactenus ostendimus quomodo legum quarumcunq; obligatio tollatur aut moderetur, si id superiorum offensio aut ęquitas rationis in facto postulet, nunc de obligatione iuris scripti, ac primùm quidem in hac consideratione obligationum iuris scripti obseruanda est regula Modestini, qua dicitur, quòd constitutiones tempore posteriores præiudicent superioribus, id est, illis quæ ante eas proditæ sunt. Hic enim inquit: ὁ μεταγενέστερος διατάξεις ἰσχυροτέρους τῶν πρὸ αὐτῶν. Sicut manifestè est cernere in Authen. quæ sunt Codici insertæ, ut antiquioris iuris correctionem per Nouellas, adeoq; à nouissimo iure factam ostenderent. Secunda regula est, quòd leges iudicio superiorum latæ elapsis duobus mensib. demum obligent, Authen. ut factę nouę constitut. post insinuat. earum. coll. v. Tertia regula est, quòd hęc natura sit legum, ut ad futura, non ad præterita negotia respiciant. l. leges & constit. C. de leg. & constit. Proinde si qua noua constitutio adferat prędudicium liti, in qua quędam sententiæ sint latæ, iux. ius antiquum, tamen non permittitur, ut propter Ius nouum superueniens, sententię rescindantur in prędudicium alicuius ex litigantib. Porro, quia & statuta habentur loco constitutionum, pauca & de eorum obligatione aliter dicemus. Non enim idem tempus obligationis in his est, quod in constitutionib. obseruatur. Nam statim postquam cognita sunt statuta, obligant ciues, atq; etiã aduenas, quàm diu in aliqua ciuitate commorãtur, iux. l. fin. & ibi not. ff. de decret. ab ord. facien. Si uerò quis ignoret conditum esse statutũ, tum uidendum est, an ita sit conditũ, ut solum afferat commodum. Nam tum statim obligat etiam ignorantes, si appareat supinam esse eorum ignorantiam. l. penult. in fin. C. de decuri. lib. x. Atq; hoc casu sufficit, si quis per testes possit probare, statutum esse publicatum, arg. not. circa l. ea quidem. C. de accusat. Si uerò statuto prędpitur, aut prohibetur, quod erat liberum antequam id conderetur, tum spectatur tempus intra quod conditur, siue iudex decreuit eius obligationem oriri. Nam intra id tempus nemo ad id obligatur, sed porrò quoq; neminem ab eius obligatione excusat supina alicuius ignorantia. c. ut animarum extr. de constit. in sexto. In respectu autem præteritorum et futurorũ negotiorum ferè idem obseruatur in statutis, quod in cæteris constitutionibus & legib. Nam ad præterita decisa, ut ea euertat statutum recens conditum, trahi non potest, etiam si expresse in eo cautum sit, ut ad prędterita traheretur, l. caussas. C. de transact. Item nec ad pendentia per appellationem in iudicio negotia, trahuntur statuta, Authen. ut cũm de appell. cog. in prin. & in Authen. in medio litis non fie. fac. for. aut iuss. sed secundum general. leg. dec. Si uerò lis nondum est inchoata, aut nulla tum de ea lata definitiua sententia, tum admittuntur statuta nuper condita. Iux. l. leges & constit. C. de ll. & constit.

Leges posteriores præiudicare prioribus.

Nouellæ.

Statuta quando, et quos obligent.

ſtit. & iuxt. gloſſ. in Authen. in medio litis &cæt.

Poſtquam autem indicauimus, quando legum & ſtatutorum obligatio oriatur, & ad quod tempus negotiorum noua conſtitutio in iudicijs trahatur, uidendum eſt, quos, & quo loco quemque obligent leges & ſtatuta. Non enim quemque quælibet lex, aut ſtatutum cuiuſque reipublicæ obligat. Nam ea quæ conſtituuntur ab inferiore à principe ſiue Imperatore, illos non obligant, qui ſunt extra eius territorium. Nota enim eſt Regula, quòd extra territorium ius dicenti impune non paretur. l. extra. ff. de Jurisdict. omnium Iud. Sicut non tenentur legibus Romanis, qui Imperatorem Romanum non agnoſcunt. c. Ius Quiritum. diſtinc. 1. Præterea ſi lex aut ſtatutum definitè exprimit perſonas, aut earum conditionem, quas reſpicit, tamen non comprehenduntur, qui extra talium perſonarum ſunt conditionem. arg. l. fin. C. de Teſtam. ubi permittitur ruſticis, ut ſi eis non detur copia literarorum, ex quibus diſcere poſsint, quomodo teſtamenta ritè condantur, tum liceat eis etiam citra ſolennitatem Iuris teſtamenta facere. Verùm hoc ſolùm ruſticis, non etiam alijs in rure habitantibus conceditur. Exemplo igitur iſtius legis, colligitur hæc generalis regula, Quòd iura certa definitione perſonarum conſtituta, non extendantur ad perſonas ab illis diuerſas.

Extra territorium ius dicenti non paretur impunè.

Iura perſonalia non extenditur ad diuerſas perſonas.

28 Porrò, ſi quid non definitis perſonis conſtituitur, tum non modò obligantur, qui in iſtud ius conſenſerunt, uerumetiam illi, qui in eo loco uerſantur, ubi tale ius in uſu eſt. l. ij. C. quemad. teſtam. aperi. Sicut Pomponius Atticus, quamuis ciuis Romanus, ultrò obſecutus eſt moribus Athenienſium, cùm in eorum republica uerſaretur. Atque reddunt quidem Iureconſulti huius obligationis hanc rationem, cum hac diſtinctione, uidelicet, quòd ſi ſtatuta agant de rebus, quæ ſunt uoluntariæ iuriſdictionis, tum quia in aduenarum arbitrio ſit, uelint nec ne in eo loco, ubi fortè uerſantur, tale quid facere, quod ipſis ex ſtatuto loci præſcribatur, uideri eos quaſi conſentire in ſtatuta, ſi uolentes, quod ipſis liberum alibi ſit, faciant, exemplo l. 1. C. de Emancip. lib. ubi Imperator iubet eſſe ratam emancipationem, quam etiam alienigena ſecundum legem municipalem fecit. Ideo quoque in contractibus ſequimur ſolennitatem eorum celebrandorum, quam ſtatutum loci, aut mores hominum nobis tradunt obſeruandam. l. Si fundus. ff. de Euiction. Item tenemur, ut iuxta ſtatutum loci, ubi celebratus eſt contractus, contrahentem conueniamus, iuxta dictam leg. Si fundus. & Dy. in l. contraxiſſe. ff. de Action. & oblig. At proinde obſtringimur etiam ſequi conſuetas iudiciorum obſeruationes eius loci, ubi litigamus. l. iij. ff. de teſtib. in fin. Idem obſeruatur in ſtatutis de ultimis uoluntatibus. Nam & illis obligatur non tantùm ciuis, ſed & aduena. l. ij. C. quemadmodum teſtam. aperi. Nec excuſat quenquam aduenam à pœna ſtatuti, ſi in id aliquid committat, niſi probabilis ignorantia delicti, ſicut ſuprà diximus. Quòd ſi delictum eſt eiuſmodi, tamen ut iure communi etiam notetur, delinquimus in ſtatutum remota omni excuſatione. Punitur pœna in eum conſtituta, Authen. ut omnes obed. iudicib. prouin. coll. v. & ff. de ex. ord. crim. l. ſaccular. Et aliàs uulgata eſt regula, quòd delicta & contractus in obligatione conueniendi parificentur. iux. l. omnem. ff. de iudicijs.

Pomponius Atticus.

Probabilis ignorantia delicti excuſat.

29 Secunda pars diſtinctionis in hac quæſtione eſt, quòd ſi ſtatuta non agant de rebus uoluntariæ iuriſdictionis, ſed contentioſæ, ut ſi agant de rebus, unde diſcedat nobis ius, cuiuſmodi ſunt ſtatuta de ſeruitutibus, de ſucceſſ-

ſucceſſionſbus, tum cogimur ſequi ius eius loci, ubi res ſita eſt, l. an in totum. C. de ædificijs priuatis. Exempli gratia, Si quis domicilium Vitenbergæ habeat, & Erfordiæ ducat uxorem, tunc cogitur bona, quæ illi nomine uxoris obueniunt, Erfordienſium iure petere. Solet & in hac diſputatione dd. quæri, Quatenus ſtatuta prohibitoria obligent ciues extra territorium ſuum agentes, & in diſſoluenda hac quæſtione regularis eſt hæc diſtinctio: Quòd ſtatuta ſunt prohibitoria, aut ratione rei, aut perſonæ, aut ſolennitatis. Ratione rei, ut ſi conſtitutum ſit in aliqua ciuitate, ne maritus inuita uxore alienet dotale prædium. Iſto nanque caſu non licet marito contra ſtatutum aliquid de dote uxoris alienare, etiamſi extra territorium illius ſtatuti agant, aut etiam prædium extra id ſitum ſit. l. 1. & cùm lex. C. de rei uxo. act. Ratione perſonæ ſtatuta aliquid prohibent, aut propter fauorem, aut odium perſonæ. Si fauoris cauſa aliquid prohibetur, tum non licet ciui, ubicunque agat, aliquid aduerſus ſtatutum ſuæ ciuitatis facere, ut ſi ſtatuto caueatur, ne uir uxori aliquid donet, niſi mortis cauſa, tum illi non conceditur, ut in fraudem illius ſtatuti alio quodam prætextu uxori aliquid de ſuo largiatur. Eſt enim talis prohibitio donationis fauorabilis, nimirum quæ eò ſpectat, ne amor coniugalis fiat uenalis, ſi liberum eſſet coniugibus ſua bona mutuis donationibus inuicem transferre. Argumento l. is cui bonis. ff. de Verb. obligation. & ff. de Cura. furio. l. Iulianus. Si uerò ſtatutum aliquid prohibeat propter odium perſonæ (cuiuſmodi ſunt ſtatuta opificum paſſim in ciuitatibus Germaniæ, quibus excludunt à ſuo conſortio uulgò quæſitos) tum extra territorium ſtatuentium ceſſat ſtatuti obligatio. Argumento l. ex eo. ff. de poſtulando. Et eſt ratio in promptu. Nam iuxta regulam, quæ plena eſt humanitatis, Odia reſtringenda ſunt, fauores autem dilatandi. c. odia. extr. de reg. Iur. in ſexto. Ratione ſolennitatis ſi quid prohibeat ſtatutum, regulariter obſeruatur, quòd talia ſtatuta extra territorium ciuem non obligent. Nam in obſeruandis ſolennitatibus ſemper inſpicitur locus, ubi res agitur. l. ſi fundus. ff. de Euiction. & l. ij. C. quemadmod. teſtament. aperi.

Statuta quatenus obligent ciues extra territorium.

Statuta opificum in ciuitatibus Germaniæ excludunt Baſtardos.

Regula: Odia reſtringenda, fauores dilatãdi.

Mouentur & aliæ quædam quæſtiones ã dd. de obligatione ſtatutorum, ſed inſtituti noſtri ratio non patitur eas hic omnes congerere atque diſſoluere. Licebit ſtudioſis eorum tractationem ex commentarijs Doctorum petere. Nam Bartolus, & cæteri doctores copioſè de ſtatutorum obligatione diſputant, circa l. omnes populi. ff. de Iuſt. & Iur. & circa l. cunctos populos. C. de ſumma trinitat. & fid. catholic. Neque ego tam multus in explicanda obligatione ſtatutorum futurus eram, niſi iudicaſſem hanc commentationem plurimum ſtudioſis profuturam in uniuerſum iudicando de autoritate, ratione & uſu legum. Cæterùm hoc præterire nõ poſſumus, quòd eodem planè modo iudicetur de conſuetudinibus, ſiue iure conſuetudinario, quemadmodum diximus de ſtatutis eſſe iudicandum. Neque enim differunt aliter conſuetudo & ſtatutum, niſi quòd ſtatuta ſcripto, conſuetudines uerò uſu continentur. Si quis tamen requirat accuratam diſputationem, de conſuetudinibus, earumq; obligationibus, ille uideat Bart. & doctores circa l. de quib. ff. de legib. & Cynum circa titulum Codicis, de longa conſuetudine, & Canoniſtas in tit. de conſuetudine.

Statutorum materia.

Conſuetudo.

Statuta ſcripto, conſuetudines uſu continentur.

DE IN-

DE INTERPRETATIONE Legum & statutorum, Cap. VIII.

SVMMARIVM.

1. Interpretatio legum & statutorum cur sit necessaria.
2. Duo in legum interpretatione spectanda, uerba & uoluntas conditoris.
3. Dictum Pauli, habentes uictum & amictū contentos esse, quomodo accipiendū.
4. Glossarum in iudicandis & explicandis legibus utilitas.
5. Propria uerborum significatio in legum interpretatione sequenda & præferenda est.
6. In dubio leges interpretandæ sunt benignius.
7. Vsus loquendi in quaque lingua spectandus, quia consuetudo optima legum interpres.
8. De dubia uocabuli, & obscura legum interpretatione.

QVOD alias euenire solet, in eruditorum hominum scriptis, ut cūm non satis perpendatur eorum sententia, etiam bene ac sapienter dicta perperam accipiantur, idem in ll. quoq; non raro accidit: Sæpe nanq; animus non improbus specie quadam ueritatis in errorem ducitur, ut quod nimium putet, uerbis innitens, sententiæ autorum repugnet, aut relictis uerbis suam quandam opinionem de uoluntate scriptorum sibi fingat. Sicut uidemus accidisse in plerisq; sententijs Augustini. Neque obscurum est ex Commentarijs doctorum sæpe iu-
1 reconsultos quoq; eodem modo falli. Itaque interpretatio legum & Statutorum non ideo tantūm necessaria est, ut occurramus calumnijs improborum, uerumetiam ut apud bonos quoq; certa legum retineatur sententia. Atq; id quidem magis nobis conādum, quia, sicut in prouerbio, aduersus Sycophantæ morsum non est remedium. Danda est itaq; nobis opera, ut saltem apud bonos, quantum fieri potest, sinceram legum conseruemus sententiam, postquam experientia etiam nos doceat, omnes calumniatorum cuniculos & insidias præstrui & caueri nulla in re penitus posse. Quamuis igitur difficile sit tradere aliquem modum, quem interpretandis legib. ubiq; sequamur, tamen quia prodest ingredi regiam uiam, cūm non detur dux per compendiariam, nos quoq; generales regulas, quæ in explicatione legum obseruantur, hoc
2 loco recensebimus. Solent igitur duo maximè in omni interpretatione legum spectari, uerba uidelicet, & mens siue uoluntas conditoris. Sicut Rhetores in tractatione legum præcipiunt, quærendum esse de scripto & sententia. Neq; enim unquam satis tutum est horum alterum sine altero complecti. Quanquam enim mentis sensa per uerba proferantur, tamen quia maiora sunt quæ cogitamus, quām scribimus, semper uerba tanquam remoti quidam iudices ad animum proferentis referenda sunt, ut inde colligamus, quor
3 sum spectarit, aut quid penitus uoluerit. Vt cūm Paulus priore Timoth. sexto de ministris Euangelij dicit: Habentes uictum & amictum, his contenti sint: non sic cogitandum est, quōd uoluerit eos ita in diem uiuere, ut nihil amplius expectarent, quām ne frigore & fame necarentur. Nam hoc etiam humanitas prohibet Paulum uoluisse. Magis itaq; sic accipienda est Pauli sententia, quōd cūm uellet eos abesse à cupiditate habendarum opum, suo exemplo monuerit, ut contenti uiuerent, si ea, quæ ipsis pro commoditate huius uitæ in præsens necessaria essent, haberent. Nam ita etiam Leges uerbum uictus interpretantur, ut sub eius appellatione, omnia quæ esui, & potui, & cultui corporis necessaria sunt, comprehendat. l. uerbo uictus. ff. de uerb. sig. Et q; Paulus hoc senserit, testantur eius uerba, priore ad Corinthios nono, ubi dicit, q; Dominus etiam ita ordinarit, ut qui annuncient Euangelium, de Euangelio uiuant. Proinde cauendum in primis est, ne uoluntate legislatoris non considerata, ex solis uerbis de sententia legis iudicemus. Deinde

Interpretatio ll. necessaria est.

Regia uia.

In ll. interpretatione uerba & mens condentis spectari debent.

Dictū Pauli, Habentes uictum & amictum contenti sitis.

Victus appellatione quid ueniat.

ne una aliqua parte legis propoſita & arrepta, de Iure reſpondeamus. Inciuile nanque eſt, niſi tota Lege perſpecta, iudicare. l. inciuile. ff. de ll. & S.C. Id quod non de ſingulis tantum legibus, uerumetiam de ſingulis ſchematibus Iuris accipiendum eſt, uidelicet, ut dilgenter inueſtigemus, quid in qua que Iuris ſpecie conſtitutum ſit paſsim in legibus, priuſquam de una aliqua eius parte reſpondeamus, nec uni alicui ſententiæ incumbentes parum circumſpectè propter alias eius ſchematis Leges pronunciemus, qua in re mi- 4
Gloſſarum cõmendatio. rabiliter nos adiuuare poſſunt Gloſſarum remiſsiones, quibus Leges in ſpeciem pugnantes, nobis indicant, atque explicant, ut magna ijs habenda ſit gratia, qui eas in communem ſtudioſorum uſum collegerunt.

Porrõ, ſi uerba legis propter ambiguitatem orationis, aut uarium uerborum ſignificationem non ſunt perſpicua, ut ex illis certa elici poſsit ſententia, tamen uidendum primùm eſt, quæ magis propria ſit uerborum ſignifica tio. Nam ea ubique præferenda eſt, niſi manifeſtè appareat legislatorem id 5
Propria uerborum ſignificatio ubiq; præferenda eſt in ll. interpretatione. uoluiſſe, quod improprius ſermo magis quãm proprius exprimat. l. non aliter. ff. de legatis. iij. & l. 1. §. ſi is qui nauem uerſ. ſi in re dubia. ff. de exercit. act. Sicut enim natura in omnibus rebus amat ſimplicitatem, ita & in ſermone proprietas tanquam ſimplicitatis miniſtra præfertur improprietati & uerborum picturis, quæ non illuſtrandæ rei gratia adhibentur, ſed temere quæ ſitæ ſunt. Si uerò inter proprias uerborum ſignificationes occurrit deli- 6
In dubio benignior ſententia ſequenda. beratio, utra magis idonea ſit ad explicandam Legis ſententiam, tum ea eligenda eſt, quæ benigniorem uidetur reddere ſententiam. Nam hic locum habet Regula, qua dicitur, quòd benignius ſint interpretandæ leges, ut conſeruetur earum uoluntas. l. benignius. ff. de legibus, & S. C. Vt in Macedo-
Macedonianũ S. C. niano Senatuſconſulto proſpectum eſt parentibus, ne cogantur ſoluere pecuniam, quam quis inuitis, aut neſcientibus illis, eorum liberis mutuo dedit. Hic, ſi quis fœnerator det filiofamilias pannum ueternoſum ea ſpe, quòd à patre eius conſecuturus ſit precium, tumſi pater fretus beneficio Macedoniani Senatuſconſulti neget ſe obligatum ad ſoluendum pro filio, profectò non eſt ferendum, ut hac cauillatione fœnerator effugiat, ſi dicat ſe non pecuniam, ſed pannum eius filio mutuo dediſſe, itaq; nihil eſſe ab eo in iſtud ſena-
Cauillatio. tuſconſultum commiſſum, ac proinde patrem teneri ad ſoluendum pro filio. Hæc inquam cauillatio ſenatuſconſulti Macedoniani, non eſt admittenda, ſed magis contra fœneratorem id ita interpretandum, quõd pecuniæ nomine, non tantũm numerata pecunia, ſed omnes res tam ſoli, quãm mobiles, & tam corpora, quãm iura contineantur, iux. l. pecuniæ nomine. ff. de uerb. ſig. Nam cũm manifeſtum ſit hoc conſilio iſtud S. C. eſſe conditum, ne parentes liberorum temeritate contrahendo ære alieno grauarentur, beneficij ra-
Interpretatio largior in priuilegijs. tio requirit, ut benignior interpretatio uocabuli eligatur & acceptetur. Debet enim præcipuè in priuilegijs & beneficijs fieri interpretatio largior, & quæ proſit, non obſit illis, quorum gratia ſunt conceſſa. c. in his. ex. de priuile. c. cùm tamen, extr. de teſtib. In diſcernendo autem ſermone proprio ab
Conſuetudo opt. legum interpres. improprio prodeſt plurimum, tenere ſchemata & tropos. Si uerõ uerbi ſignificatio eſt ignota, tum uſus & conſuetudo conſulendi ſunt, iux. l. ſi interpretari. ff. de ll. Eſt enim optima legum interpres conſuetudo, quod ita accipiendum eſt, quòd ſi uox aliqua ſit ignota, aut compoſitio uerborum adferat
Vſus loquendi in quaq; lingua ſpectãdus. uerbis ſingularem quandam ſignificationem, tamen uſus loquendi in quaq; 7
Iunctura uerborum uarias parit ſignificationes. lingua ſpectandus eſt. Nam etiam iunctura uerborum ex uſu loquendi, uarias parit uerborum ſignificationes, teſtante Horatio, cùm inquit: Dixeris egregiè notum, ſi callida uerbum Reddiderit iunctura notum. In conſuetudine quoq; obſeruandæ ſunt generum, perſonarum, numerorum narrationes. Notum enim eſt in omni ſermone, quòd nomen ſingulare pro plurali ponitur, item quòd maſculinum ſæpe comprehendat fœmininum, iux. l. 1. ff. de uerb.

de uerb. sig. Itaq; in iudicando de consuetudine loquendi, diligenter obseruandæ sunt figuræ uerborum, quales est Enallage, Synthesis, & Metaphorarum species, Metonymia, & id genus aliarum figurarum. Huius interpretationis exemplum esse potest, ea disceptatio, quam refert Gelli. lib. xvi. Romæ incidisse de proletarijs. Nam quum in ll. xij. tabul. fiat mentio proletariorum, & eius uocabuli significatio plerisque ignota esset, quendam Iureconsultum rogatum ā quibusdam in foro, scribit, ut ipsis usum illius uocabuli indicaret. Verūm ipsum ignarum antiquitatis respondisse, quòd iamdudum talia uocabula desijssent esse in usu. Itaq; sibi nihil de eius uocis significatione constare. Cūm igitur fortè præteriret Iulius Paulus Poëta, illum quoq; rogasse scribit, ut si quid ipsi de usu eius uocabuli compertum esset, non grauaretur ipsis communicare, atque ibi cœpisse Poëtam hominem doctum dicere, quid proletarij olim appellati essent, qui cūm propter rei familiaris exiguitatem, asperis temporibus rempublicam iuuare non possent stipendijs, educatione sobolis & procreatione prolis tamen prodessent urbi, ut ex eorum sobole miles legeretur in tumultuariam militiam. Proinde ciues tenuisse morem, & qui perquām exiguo ære censebantur, dictos esse Romæ Proletarios, tanquam eos, qui non operibus, sed
8 procreatione prolis rempu. iuuarent.

Figuræ uerborum obseruandæ.

Proletarij.

Iulius Paulus Poëta doctus.

Hinc satis manifestum puto, quomodo ignota uocabuli significatio ex consuetudine quæratur. Cæterùm si dubia fuerit uocabuli interpretatio, ut in ter uarias significationes nescias utram magis eligas, tum ea præferenda est alijs, quæ gerendæ rei uidetur accommodatior. l. quoties dubia. ff. de reg. iur. Si uerò ratio legum, uel statutorum adeò fuerit obscura, ut nulla ex ea elici sentētia possit iuri consentanea, tunc petenda est interpretatio ā conditoribus. l. leges sacratiss. §. 1. C. de ll. Atque hæc quidem omnia quæ hactenus de interpretatione legum diximus, tantùm ad Grammaticā interpretationem, qua uis & usus uocabulorū solūm explicatur, referri uolumus, non ad eas interpretationes legum, quibus sententia earum, & ipsa forma Iuris, quam constituunt propter uoluntatem conditoris, aut rationem iuris in illis conspicuam extenditur, aut perstringitur, sicut paulò pōst indicabimus. Pertinent autem ad Grammaticam hanc interpretationē legum propriè tituli ff. de uerb. sig. & de rebus dubijs in C. Quamuis enim illarum legum, quæ sub istis titulis extant, magnus quoque sit in explicandis instrumentis Testamentorum, Legatorum, alijsq; ultimis uoluntatibus, item in contractuum, & omnis generis pactorum testatorijs scripturis usus, tamen huc principaliter, tanquam ad rem, in qua maximè periculosa est interpretatio, referri debent: & qui uolet præstare artificem in interpretandis statutis, ille poterit exemplo earum legum in quaque lingua obseruare idiotismos, tropos, formasq; in ea loquendi. Sæpe nanque usus postulat, ut in illis quærenda sit talis interpretatio.

Dubia uocabuli interpretatio.

Obscuritas legum uel statutorum.

DE INTERPRETATIONE legum atque statutorum restrictiua.

Cap. IX.

SVMMARIVM.

1. Restringere leges & statuta quid sit.
2. Dictum limitari secundum eius rationem.
3. Cessante ratione legis cessat & lex.
4. Legibus latis prudentum interpretatio desideratur.
5. Præcepti de non occidendo restrictio.
6. Quando in restrictione legis à uerbis legis aut non recedendum.
7. Dictum Pauli, Scortatores, & adulteri regnum Dei non possidebunt, interpretatur.

Restrictio legum.

RESTRINGERE leges & statuta, est generalem in illis orationem siue sententiam, adeóque formam iuris in illis generaliter constitutam, ad certas species rerum sub eodem genere comprehensas reducere. Id uerò fit, cùm ratio legis aut statuti cessat in quibusdam speciebus siue casibus sub generali oratione comprehensis. Nam Iuris regula est, quòd dictum debet limitari secundum eius rationem. l. hæc actio. ff. de calumniat. ut in l. adigere §. quamuis. ff. de iur. patron. statuitur, quòd si patronus iureiurando cogit libertum ne ducat uxorem, tum priuetur Iure patronatus, ita ut Iure possit illi negare obsequia patronis debita. Iam si patronus fortè habeat libertum castratum, & illum iureiurando prohibeat ducere uxorem, quæri potest, an patronus amittat suum Ius in liberto. iux. l. adigere. Ac uidetur quidem amittere, si quis uerba legis tantùm respiciat. Nam generaliter de libertis loquitur. Verùm quia lex prodita est, ne per patronos impediretur procreatio sobolis in libertis, & constat quòd castratus non potest generare, ideo cessante ratione legis, cessat & lex. Nam patronus non procreationem sobolis, sed petulantiam impedit, cùm castratum iureiurando cogit abstinere à matrimonio. Ex hoc igitur exemplo satis perspicuum puto, quòd restringere legem aut statutũ, aliud nihil sit, quàm generalis constitutionis formam contrahere, ne illis, in quibus non habeat locum, eius constitutionis ratio noceat. Vnde Pomponius libro secundo §. is itaq; .ff. de orig. iur. rectè & sapienter dicit, nàturaliter euenire, ut latis legibus desideretur prudentum interpretatio. Nam cùm hæc summa sit commendatio legum, quòd saluti hominum in hac uita consulant, ipsa ratio, naturæq; iudicium nos mouent, ut eas sic moderemur, ne seuerius acceptæ innocentibus obsint. Sicut præceptum de non occidendo restringendum est, ut magistratui liceat delinquentes capite punire. Quamuis enim istud præceptum in uniuersum omnem cædem hominis prohibeat, tamen quia eius ratio est, ne quis priuato affectu commotus, alteri per uim eripiat uitam, exempti hac lege magistratus uidentur, cùm propter tranquillitatem publicam in sceleratos animaduertunt, non cùm priuato quodam odio fœuiunt in immeritos. Nisi enim Deus uoluisset magistratibus esse permissum, ut flagitiosos ad supplicia traherent, non tot pœnas ad coërcendos & tollendos improbos alijs legibus in ueteri Testamento constituisset.

Castratus nõ potest generare.

Interpretatio prudentũ in legibus necessaria.

Habenda igitur est & in hac interpretatione eius regulæ ratio, de qua suprà diximus, Vt de lege non, nisi tota perspecta, iudicemus. Sicut enim multò rectius de pictura quis iudicat, cùm absolutam quandam imaginem & non seorsim singula membra intuetur, ita melius etiam de iure respondent, qui totum legum corpus alicuius reipublicę sibi proponunt, quàm qui singulas leges inconsideratà quadam festinatione decernendi sequuntur. Sed est in adhibenda restrictione uel præcipua Regula, quam ponit gloss. circ. l. si cum except. §. post annum. in fin. ff. de eo quòd metus causa, uidelicet, quòd deficiente ratione legis, deficiat quoque ipsa lex. Nam eò omnis restrictio dirigenda est, ut legis ratione diligenter inuestigata, tum demum ipsam legem casibus accommodet, eamque pro rationis necessitate & conuenientia moderetur.

Ratio legis quomodo inuestiganda ex doctrina Bart.

Quare operępretium in hac interpretatione facturi, hanc uiã Bart. in quærenda ratione legis obseruẽt. Aut, inquit, ratio legis est in ipsa lege expressa, aut in alia lege annotata, aut per interpretem ex conditione rerum, de quibus lex agit, collecta, aut est propter uariam legis utilitatem dubia & incerta. Si ratio legis est in ipsa lege expressa, tum si ea penitus deficit in casu, propter quem in restrictione eius legis deliberamus, licet recedere à uerbis legis, ut seruiant menti legislatoris. l. non dubium. C. de legibus. & ibi glos. in uerb. amplexus,

amplexus. & l. quicquid astringend. ff. de uerbor. obligat. & Dynus circa Reg. fin. de reg. iur. in sexto, sicut suprà in restrictione l. adigere. ff. de iure patronatus, fieri ostendimus. At si ratio legis in ea expressa, non penitus cessat in casu proposito, sed aliquoties uariare tantùm uidetur à casu legis, tum non est à uerbis legis recedendum, aut lex restringenda. l. prospexit. ff. qui & quib. manu. libe. non fi. Idem sentiendum est, cùm ratio legis annotata est in alia lege, uidelicet, ut si penitus cesset ratio in casu proposito, lex restringatur. Si uerò aliquoties tantùm cesset ratio legis, nõ restringatur lex. Vbi uerò ratio legis non est expressa, sed per interpretem ex conditione rerum collecta, tum si tam certa est ratio interpretis, ut certior reddi non posset, licitum est restringere leges, cessante nimirum certa ratione legis per interpretem reddita. Nam quamuis talis ratio sit tacita, tamen ab ea, tanquam causa finali, ac si essent scripto expressa, argumentum duci potest, iuxt. l. milites. ff. de re milit.

Quòd autem tum demum dicatur certa ratio interpretis, postquam alia certior reddi non possit, manifestum est ex l. nominatim. ff. de liberis & posth. Si uerò ratio legis est dubia propter uariam legis utilitatem, tum in dubio non sunt uerba legis aliqua interpretatione restringenda. l. 1. §. Is qui nomen. ff. de exercit. actio. Sunt quædam pugnantes cum hac distinctione opiniones dd. quos recenset Angel. Areti. in commentario suo, quẽ edidit in tit. de iust. & iur. Ego Bart. acquiescendum puto, propterea quòd distinctio sit diserta & expedita. Porrò quæ hactenus de restrictione legum & statutorum diximus, ibi tantùm locum habent, ubi oratio legis aut statuti est generalis. Nam si ad certos casus deducta est lex, & specificè exprimit, quos casus uelit sub ea forma iuris complecti, tantum nullo modo licet priuato homini, sua interpretatione eam restringere, multò minus casum, qui sub ea comprehensus sit, expressis uerbis propter aliquam æquitatis speciem, ab eo uinculo Iuris liberari. l. 2. C. de ll. Sicut & in Canonicis scripturis obseruari uidemus. Quis enim ferret, ut aliquis istud dictum Pauli, Scortatores & adulteri regnum Dei non possidebunt, ita interpretetur ac restringat, ut, quia fornicatio, quæ fit per solutum cum soluta, leuius sit peccatum, quàm adulterium, Ideo Paulus non de quibuscunque scortatoribus, sed de his, qui cùm sint soluti, alienum thorum uiolent, locutus sit, atq; adeò paria delicta coniunxerit, sub eadem damnatione, quod non esset futurum, si eidem pœnæ simplicem fornicatorem & adulterum subijceret. Talis restrictio non est ferenda, quia Paulus specificè expressit, quos uelit comprehẽdi sub ea damnatione. Et ego hoc exemplo usus sum, ut rem non usq; adeõ notam, in re necessaria discentibus ostenderem.

7 *Dictum Pauli, Scortatores et adulteri regnũ Dei non poßidebunt.*

DE INTERPRETATIONE legum & statutorum extensiua. Cap. X.

SVMMARIVM.

1. Extendere legem aut statutum quid sit.
2. De serui alternatiua stipulatione.
3. Monachos æquiparari seruis.
4. Lex ultra suam dispositionem non est extendenda.
5. Statuta sunt stricti iuris.
6. Casus omissus in lege relinquitur dispositioni iuris communis.
7. Dos quando ad promittentem non redeat.
8. Extensionum, iuxta Bart. alia actiua, alia passiua.
9. Militare beneficium in faciendis Testamentis.
10. Leges nõ licet extendere ad casus iure cõmuni definitos, secus est in non decisis.
11. Arbiter aliud non suscipiat agendum, quàm in quod compromissum est.
12. Extenditur nonnunquam id, quod in stipulationem non uenerit.

13. Statutum, De suis bonis largiri posse quantum libeat.
14. Liberis iudicio naturæ debetur parentum hæreditas.
15. Responsa prudentum, legum habent autoritatem.
16. Statutorum correctio iuxta leges iuris communis fieri debet.
17. Quod à iure communi discrepat, ad ius commune reducendum est.
18. Interpretatio statutorum non sit onerosa.
19. Minus onerosum est, quod cum multis commune est.
20. Quæstio, An statuto caueri possit, interpretationem statutorum non recipi uel admitti.
21. Diuus Franciscus fertur prohibuisse, ne regula sua reciperet interpretationem.
22. Ociosæ & nugatoriæ disputationes prohibentur.
23. Naturalia iura sunt immutabilia.
24. Interpretationes statutorum, hominum pactis aut statutis excludi uel impediri non possunt.
25. Statutum non esse tolerandum, quod interpretationem statutorum prohibet.
26. Imperatoris interdictum de ociosa & sophistica interpretatione, & scribendis Commentarijs in leges & constitutiones.
27. Causa commissa, appellatione remota, friuola est secundum Canonistas.

Extensio legum.

EXTENDERE legem aut statutum, est iura constituta ad casus oratione legis aut statuti non expressos propter rationis similitudinem deducere & transferre. Est autem huius extensionis, non leuis aut contemnenda causa. Nam cùm non omnium casuum formæ sigillatim, aut legib. aut statutis comprehendi possint, hoc remedio utimur, ut cùm in aliqua simili causa sententia & forma iuris manifesta sit, inde exemplum quod sequamur in dicendo iure in alijs casibus sumamus. 1

Serui alternatiua stipulatio.

l. non possunt. ff. de .ll. & S.C. Vt legibus constitutum est, quòd si seruus alternatiuè aliquid stipuletur, tunc electio rei debitæ non transmittatur ad dominum. Iam igitur si incidat quæstio, an electio alternatiuæ stipulationis, quam Monachus fecerit, an penes Monachum, an Abbatem eius sit, tum cùm nihil sit legibus ea in re definitum, liquebit nobis sequi formam iuris, quæ in simili casu de seruis est constituta. Et quia Monachi propter similitudinem conditionis æquiparantur seruis, iuxta Innocent. c. cùm olim. ex. de priuilegijs, statuendum est, electionem rei debitæ ex alternatiua stipulatione Monachi, non transmitti ad Abbatem, sicut nec ad dominum transmittitur, siquid alternatiuè eius seruus stipulatus sit. Et hæc forma iuris habet autoritatem in hoc casu de Monacho, etsi nullam Monachorum in ea lege, quæ de alternatiua stipulatione seruorum agit, faciat mentionem, propter similitudinem conditionis, quæ est in seruo & Monacho. Talis igitur legum & statutorum extensio, cùm sit apprime necessaria, uidendum est, an indiscriminatim eam nobis quærere ubique in legibus & statutis liceat. Ac uidetur quidem, quòd ubique nobis non liceat. Expediti nanque iuris est, quòd lex ultra id, quod eius dispositio exprimit, non sit extendenda. l. si uerò. ¶. de iure .ff. soluto matrimonio. Vbi cùm maritus cogatur uxori reddere, quod pro manumissione serui dotalis acceperit, non tamen uult lex idem in socero, eiúsque successoribus obseruari. Quamuis eadem in utroque uidea tur ratio obligationis, si quid tale faciant. Præterea statuta sunt stricti iuris. ¶. actionum, in institutionibus de actionibus. At quæ sunt stricti iuris, in illis casus non expressus, habetur pro omisso. l. quicquid astringendæ. ff. de uerb. oblig. Postremò casus omissus in lege aut statuto, relinquitur regulariter dispositioni iuris communis, & lex siue forma iuris in lege constituta ad eum non extenditur. l. si cum dotem. ff. sol. matri. Vbi constituitur, quòd si quis ita cõueniat cum genero, aut si quis etiam alienus ita promittat alicui dotem. 2 3 4 5 6

Monachi seruis æquiparantur.

Statuta sunt stricti iuris.

7 tem, ut si matrimonium propter hanc, uel illam causam, uidelicet, diuortium dissoluatur, tum ad eum redeat dos. Nam in tali casu, si ob aliam quampiam causam, quàm eã, quæ in conuentione expressa est, dirimatur matrimonium, lex non uult dotem repeti posse, adeóque non uult ad casum non expressum, legem extendi, sed illum iuri communi relinqui. Bart. ad hæc iura, quæ extensionem legum & statutorum prohibere uidentur in iij. q. ult. princi- *Extensionum*
8 palis. cir. l. omnes populi. ff. de iust. & iure, ita respondet, quòd extensionum *alia actiua,*
alia sit actiua, alia passiua. Actiuã uocat, qua leges & statuta per commodam *passiua alia.*
accommodationem similitudinis ad casus in illis expressè non comprehensos transferuntur. Et ut hac extensione circumspectè utamur, obseruandum in actiua extensione dicit, quòd si isti casus, quos cupiamus transferre siue extendere, formam iuris ea lege aut statuto propositam antè sint iure communi decisi, tum non sit quærenda alia eorum decisio per legum aut statutorum extensionem, sed relinquendi sunt in dispositione iuris communis, ut in
9 l. quod constitutum. ff. de milit. testa. Hoc beneficio donantur milites, ut si qui tempore militiæ sine obseruatione solennitatum Iuris, quoquo modo potuerint, faciant testamentum, illud non solùm firmum habeatur, si in militia decesserit, uerumetiam intra anni spacium, postquàm dimissionem impe- *Militare beneficium in faciendis testamentis.*
trarint, ualeat tanquam iure conditum. Hoc beneficium militum Iure consultus non patitur extendi ad eos, quia acceptis successoribus militare desierunt. Nam ante in l. tribunus, eodem titulo cautum est, ut tales commu-
10 ni iure ciuium Romanorum Codicillos faciant. Itaque non licet nobis extendere leges aut statuta ad casus, qui alioqui iure communi definiti sunt. Atque ita accipienda ea iura dicit, quæ prohibent extendere leges. ff. soluto matri. l. si uerò §. de uino & ad municipales. l. constitutionibus in fin. Verùm, si casus, ad quos cupimus extendere legem, uel statutum, non sunt decisi iure communi, & ratio eorum conueniat rationi legis, tum liceat formam iuris in eam constitutam ad illos casus extendere, sicut suprà diximus electionem alternatiuæ stipulationis à seruo ad monachum extendi, de qua in l. si ita stipulatus. ff. de uerb. obligatione. Atque ita accipienda est Glos. in l. non possunt. ff. de legibus, quæ pleraque recenset exempla huius extensionis, quæ propter similitudinem rationis leges ad casus in ea non expressos, transfert. Item accidit nonnunquam, ut quod l. uel statuto sit permissum, non possit confici, nisi alia quædam, licet lege non sint comprehensa, aut expressa, concedantur. Vt in l. non distinguemus §. de officio. ff. de recept. arb. cautum
11 est, ne arbiter aliud quippiam suscipiat agendum, quàm in quod compromissum est, & tamen si negotium commodè explicare non possit, nisi solutioni diem, aut fructuum diuisionem, aut simile quiddam inter disceptantes constituat, tum licet illi ultra compromissum suam autoritatem interponere, & tale quiddam ad dirimendam litem statuere, iuxta gloss. dictæ legis non distinguemus. in uerbo, cautum est. Sic ut peculiariter quoque ad statutorum extensionem respondeat. Bart. dicit, quòd quamuis ea sint stricti Iuris, tamen si ea, quæ à statuto inducta sunt, non possunt sortiri commodè effectum, nisi ad ea quoque, quæ in illis non sunt expressè promissa, extendantur, licitum esse ea extendere. Nam & stipulationem esse stricti Iu-
12 ris, & tamen nonnunquam id extendi, quod in stipulationem non uenerit, cuius rei manifestum est exemplum in l. si ita stipulatur. ff. de uerb. oblig. Nam in ea deciditur, quòd si quis promittat stipulanti, se non impediturum, quò minus ipsi liceat uti illa domo, debere intelligi, quòd promiserit se nec impeditu rũ, ut uxor eius eadẽ domo utatur. Nã hoc & benignitas Iuris suadet, ut intelligamus patrẽfamilias in tali casu non sibi tantùm, sed & uxori, quã secum habitare gaudeat, prospexisse, nisi fortè aliud expressè actum appareat. Extẽdun

Extensio passiua.

tur igitur & statuta, etiamsi Iuris stricti esse censeantur. Porrò, extensionem passiuam uocat, qua non leges aut statuta ad casus in illis expressè non comprehensos, sed & alias leges, aliáque statuta, quæ ab eodem schemate Iuris agunt, extenduntur, ut inde modum exercendi sui iuris accipiant, & ab illis tanquam gubernatore uario rerum usu experto, pro necessitate conseruandi iuris moderentur. Exempli gratia: Fingamus Vuitembergæ esse statutum, quod cuiq; ex ciuibus liberum faciat, ut quibus uelit citra consensum hæredum suorum, de suis bonis largiatur quantum libeat. Ne igitur huius statuti occasione & licentia, contra naturalem æquitatem legitimi hæredes spolientur, leges de inofficiosis donationibus iure cõmuni proditæ, possunt ac debent ad interpretationem eius extendi ad hunc modum, quòd iuxta istud statutum licet ciuibus sua donare, quibus uelint, sed eatenus, quatenus legitimis liberis relinquant tertiam suorum bonorum partem, aut semissem. Nam quia liberis iudicio naturæ debetur parentum hæreditas, sapienter legibus prospectum est, ut parentes, qui pauciores habent liberos, quàm quinque, illis relinquant trientem suorum bonorum, si plures quàm quatuor, semissem. Authen. de triente & semisse §. hæc nos. coll. iij. Quòd autem leges & statuta ita possint aut debeant extendi ad alias leges communes reipub. liquet exemplo & autoritate maiorum. Nam Paulus Iurisconsultus ita iubet extendi leges testamentarias ad testamentum citra obseruationes iuris communis ex alia lege, uidelicet Cornelia, conditum & firmum, ut iuxta eas moderetur. l. 1. §. lex Falcidia. ff. ad l. Falcid. Et Hermogenianus l. 1. §. personarum. in fin. ff de muneríb. & honoribus, uult leges & consuetudines ciuitatum de muneribus intelligi ex illis, quæ per ipsum de muneribus relata sunt. Cùm aũt sapientum responsa et dicta, legum habeant autoritatem, propterea quòd illis olim concessa fuerit interpretandarũ ll. potestas. l. ij §. post l. orig. ff. de orig. iur. eorumq; disputationes ab ipso principe sunt consecratæ, & in corpus publicarum legum relatæ. C. de uete. Iur. enucl. non est dubium, quòd eorum testimonium nobis sufficiat, ut leges & statuta ad istum modum, quo diximus, ad alias communis reipub. & eiusdem schematis leges reducamus. Imò, cùm per hanc extensionem statuta ordinatione ciuili longius ab æquitate naturali progressa reuocentur, & legibus naturalibus tanquam suis natalibus restituantur, communis omnium legum ratio & autoritas hanc nobis ministrat potestatem, ut circumspectius statuta iure communi interpretentur, illisq; permittantur moderanda. Neque enim negari potest, quòd statuta ut plurimum condantur in urbibus ab imperitis & indoctis. Itaque nemini absurdum uideri debet, quòd dicimus Statuta iuxta Leges iuris communis esse corrigenda, & interpretanda. Nam hoc & uulgata regula fieri præcipit, qua dicitur: Quòd si quod Ius à iure communi discrepet, illud sit ad ius commune reducendum, ut ll. cum legibus eiusdem reip. concordent. l. unica. C. de inoffi. dotib. & in gloss. in c. cùm dilectus, in uerb. nec iuri communi. ext. de consuetudine. Et ego hanc Reg. consultò distuli in hunc usque locum, ut commonefacerem studiosos, hanc simul ad omnes species interpretationis ll. pertinere. Nam quæque interpretatio sic facienda est, ut quantum fieri possit, nulli sit onerosa. Id uerò non potest fieri alia ratione commodius, quàm si ad ius commune reducantur ll. & statuta. c. causam, quæ. extr. de rescriptis. Nam id minimè onerosum naturaliter omnibus uidetur, quod cum multis habemus commune. Existit autem hoc loco quæstio, quam non possumus præterire, uidelicet, num statuto possit caueri, ne aliqua interpretatio statutorum huius uel illius ciuitatis aut collegij admittatur uel recipiatur, sicut ferunt D. Franciscum iam animam agentem interdixisse fratribus, ne quis in traditis ab eo regulis quæreret, aut reciperet aliquam interpretationem. c. exijt §. cæterum. extra. de uerb. sign. in

Statutum de suis bonis largiri posse quantum libeat.

13

Liberis iudicio naturæ debetur parentum hæreditas.

14

Responsa prudentũ, legum habent autoritatem.

15

Statutorum correctio iuxta ll. iuris cõmunis fiat.

16

17

Interpretatio non sit onerosa.

18

19

20

vi.

vi. Et quia euenire potest, ut à pertinaciter morosis, qui existimant autoritatem suorum statutorum uiolari, si quæ benignior interpretatio in illis quæratur, talia statuta condantur ad excludendas, ut uideri uolunt, doctorum hominum fraudulenter quæsitas disputationes, accurratè à multis hæc quæstio discussa est. Ac sentiunt quidem omnes, quòd regulariter statuta interpretationem prohibentia, non aliter sint accipienda, quàm quòd prohibeant o-
32 ciosas & nugatorias, aut ex quibus praua opiniones gignantur, disputationes. Nam iusta & iuri consentanea interpretatio, non modò licita, sed & necessaria sæpe est, sicut suprà ostendimus. Itaq; prohiberi ea prorsus nec debet, nec potest. Primò, quia id quod naturaliter necessarium est, per leges
33 Ciuiles, adeoq; statuto tolli non potest. Sunt enim naturalia iura immutabilia. Instit. de iure naturali §. sed natura. Constat autem experientia & autoritate sapientum, quòd interpretationes legum & statutorũ naturaliter sint necessariæ. l. ij §. his legib. latis. ff. de orig. iur. Itaque statutis prohiberi non potest, quò minus illis adhibeatur interpretatio iuri communi consentanea. Deinde quia interpretationes præcipuè extensiuè ducuntur, & sumuntur ex ll. iuris communis, hominum pactis aut statutis ista impediri, aut excludi non possunt. Etenim sicut nemo prohibere potest, ut publicæ leges non habeant locum in suo Testamento, l. nemo. ff. de legat. 1. ita nec pactis aut statutis ciuilibus quis prohibere potest, ut Ius commune in illis interpretandis non habeat locum. Præterea sicut magna sequeretur absurditas, si quis conueniat cũ litigatore, ne ulla exceptio in promissione, quando non stat promissis, desertà iudicij sistendi causa facta obijciatur, Ita necesse esset multa absurda admittere, si omnis interpretatio statutorum remoueretur. Ille qui promittit se uenturum in iudicium, potest impediri citra suam culpam, tali aliqua necessitate naturali, fortuita, uel Ciuili, ut indignum sit illi negare exceptionem, qua se excusat, cur promissionem sistendi in iudicio deseruerit. Si nulla statutorũ interpretatio reciperetur, grauiter læderentur ciues, qui iustis ex causis, mitiorem iuris sententiam in statuto requi-
35 rere possent. Quare sicut iure prohibita est conuentio, qua excluditur omnis exceptio in promissione iudicio sistendi causa facta. l. sed etsi quis §. quę situm. ff. si quis cautio. Ita non est tolerandum statutum, quod omnem interpretationem statutorum prohibet, aut si quid tale fortè conditum sit, id sic est accipiendum, quòd ociosam aut cauillatoriam interpretationem prohibeat. Quemadmodum & Imperator prohibuisse suarum legum ineptam
36 & sophisticam interpretationem creditur, cũm seuerè interdicit, ne quis in editas ab eo leges & constitutiones scribat, aut edat commentarios. l. 1 §. nostram autem. C. de uete. iur. enucle. Sic Canonistæ quoque dicunt, quòd si causa committatur, appellatione remota, debere intelligi friuolam in-
37 terpretationem, non iustam esse excusam, iuxt. notatam l. 1 §. fin. ff. in quibus appella. non licet. Sunt & aliæ quædam quęstiones, quæ hic de statutorum interpretatione moueri poterunt, cuiusmodi sunt, utrum statutum extendatur ad casus à contrario sensu. Item utrum ā persona extendatur ad personam. Item utrum si duo casus æquiparentur iuri ueteri, an si alter illorum corrigatur iure nouissimo, unius correctio debeat extendi ad alterũ &c. Sed has & similes quęstiones quisque sua industria sibi annotabit. Ego meo instituto satisfeciſſe arbitror, si uiam tantùm obseruandarum earum rerum, quæ ad tractandas leges conducunt, ostendero.

Ociosæ disputationes prohibentur.

Naturalia iura immutabilia.

DE FICTIONE IVRIS.

Cap. XI.

SVMMARIVM.

1. Iustitiæ & æquitatis ratio in omnibus rebus potior esse debet stricto iure.

2. Negotia

2. Negotia iuxta leges gerantur & expediantur.
3. Infinitæ rei secundum Aristotelem, infinitam debere esse regulam.
4. Leges sua fictione rebus incidentibus seruire coguntur.
5. Lesbia regula.
6. Qui in utero est, natus esse fingitur à iure.
7. Viuere fingitur, qui occisus est.
8. Quæstio, an liceat per interpretationem extensiuam fictiones iuris ad casus in legibus non comprehensos extendere.
9. Studiosi iuris militibus æquiparantur.
10. Actionem negotiorum gestorum ultro citroq; oriri.
11. Fictionem in interpretandis statutis non habere locum.
12. Seueritas legum fictione mollienda est.
13. Iudicis interpretatio quare necessaria sit.

SAEPE conditores atque interpretes legũ aliqua æquitate moti, nimirum ne quis innocens seueritate iuris læderetur, factum pro non facto, & non factum pro tanquam facto haberi uolunt, & præcipiunt. Nam cũm in omnibus rebus potior debet esse iustitiæ, æquitatisq; ratio stricto iure, l. placuit. C. de iudicijs, non sunt ueriti ipsas leges accommodare casibus, etsi regulariter alioqui contrarium fieri oporteat, quippe, ut negotia iuxta leges gerantur & expediantur, & sit aliqua certa ratio, qua tranquillitas rerum conseruetur, hec sicut fieri necesse est, si cuiuis liceat, quod lubet, contra leges, status publicus turbetur. Vidẽtur autem sapientissimi homines in hac accommodatione legum secuti doctrinam Arist. qui in v. Moralium dicit infinitæ rei infinitam debere esse regulam. Nam cũm ita leges scribi non possint, ut omnes casus, qui quandoq; incidere queant, comprehendant. l. neq; leges. ff. de ll. consultò factum est à sapientibus, ut nonnunquam etiam leges sua fictione cogerent reb. incidenti bus seruire, ac pati aliquam obliquitatem in facto, ut uoluntas earum, qua omnibus ex æquo ac bono prodesse cupiant, conseruaretur. Itaque Arist. in eodem loco dicit, in rebus infinitis, utendum esse reg. non perpendiculari, sed plumbea, ut ad infinitas rerũ formas inflecti possit, qualis fuisse fertur Lesbiorum regula in extruendis ædificijs minimè idonea, sed in rebus, quas natura aut casus format, commodissima. Neque enim ad unam perpetuamq; regulam exigi & dirigi possint, quæ non arte, sed casu eueniunt. Quare iureconsulti eum qui in utero est, natum esse fingunt, quoties de commodis ipsius partus quæritur. l. qui in utero. ff. de statu hominum, ut si quis, cùm duos habeat filios, eos instituat hæredes, & nesciat uxorem ex se grauidam esse, tum ne contra Ius naturæ, partus priuetur paterna hæreditate, iura fingunt eum quoq; & natum & institutum à patre, cùm conderet testamentum. Item iura fingunt nonnunquam uiuentem eum qui est occisus, ut in excusatione suscipiendæ tutelæ, cùm Iura permittant eũ liberari ab onere tutelæ, qui quinque habeat liberos in prouincia Romani imperij, tum si quis aliquem fortè ex illis belli sæuitia amittat, fingunt eũ uiuere, ac patris excusationem, propter numerum quinque liberorum, ac si uiueret qui in bello occisus est, recipiunt. Etenim qui pro repub. ceciderunt, in perpetuum, per gloriam uiuere intelliguntur. Instit. de excusat. tut. §. sed si in bello. Neque uerò dubium est, talem fictionem Iuris esse iustissimam, sed hoc in controuerso est, utrum liceat nos per interpretationem extensiuam tales fictiones Iuris ad casus in legibus non comprehensos extendere, sicut cæteræ leges extenduntur, in quibus non est talis fictio. Vt quæritur, an si scholasticus aliquis pereat, qui profectus sit ad studia literarũ, num & ille debeat fingi uiuus, ut pater se excusset numero liberorum, ab onere tutelæ. Ac uidetur quidem id fieri posse, cùm aliàs studiosi, præsertim Iuris, militibus æquiparentur.

2 2 3 4 5 6 7 8 9

Lesbia regula.

Tutelæ onus

Quæstio. Scholasticus.

Studiosi iuris militibus æquiparantur.

Verùm

Verũm dd. negant hoc nobis licere, & in probanda hac ſua ſententia utuntur hoc argumento: Prætor cũm uideret abſentium & mortuorum negotia plerunque malè curari, aut prorſus negligi, eorumq; res uariè diſſipari, quia nulli eſſent, qui eas ſine mandato ſuſcipere uelint, metuentes, ne ſi quid impendiſſent, à dominis & ſucceſſoribus id rurſum reciperent, aut ſi qui eſſent, qui ea ultro ſuſcepiſſent, tamen quia cum illis nihil eſſet conuentum, ita effugerent, ut negarent ſua culpa damnum datum, publico edicto propoſito conſti
10 tuit obligationem negotiorum geſtorum ultro citrõque oriri, atque edixit ſe daturum Actionem, tam illi, qui aliena negotia ſine mandato ſuſcepiſſet, quàm illi, cuius negotia ipſo neſciente geſta eſſent, ut alter expenſas recuperaret, & alteri damnum, ſi quod accepiſſet, reſarciretur. In hoc edicto, ne quis propter aliena negotia, quàm quæ Prætor uoluiſſet intelligi, actionem ſibi dari fingeret, aut poſtularet, neceſſarium fuiſſe Vlpianus in l. ait Prætor. §. hæc uerba. ff. negotiorum geſtorum, dicit, ut Prætor diſertè diceret, quæ negotia in iſto edicto comprehenderet, uidelicet, quæ defunctus adhuc uiuens geſsiſſet, non ea, quæ alius ipſo mortuo in eius rebus gerendis ſuo quodam conſilio fortè ſuſciperet. Itaque uſum eſſe Prætorem his uerbis ait Vlpianus: Si quis negotia alterius, ſiue quis negotia, quæ cuius, cũm is moreretur, fuerint, geſſerit, iudicium eo nomine dabo. Ex hoc igitur exem-
11 plo Prætoris dd. colligunt, quòd fictio in interpretandis ſtatutis non habeat locum. Nam quia Prætor noluerit actionem negotiorum geſtorum, propter alia negotia defuncti, quàm quæ ipſe intelligi uoluiſſet, dari, nec nos hanc licentiam nobis ſumere debere, ut per fictionem iuris Actiuam uel Paſsiuam, ſtatuta extendamus ad caſus in ipſis non ſpecialiter expreſſos. Ego non ualde pugno, quòd rectè hoc exemplo Prætoris colligatur. Nolim tamen ideo nobis exemplum fictionis eripi, ut ſequi iſtud nuſquam nobis liceat. Nam ut contendamus, claris uerbis ſtatutorum non faciendam eſſe
12 uim noſtra fictione, tamen quia benignitas iuris impulit maiores noſtros, ut ſeueritatem legum fictione mollirent, ſi quando lex immeritos læſura uidebatur, ſi ſtrictè obſeruaretur, non eſt eorum exemplum penitus reijciendum, & ut licitum non ſit cuiuis ſtatutum fictione iuris extendere, hoc tamen iudicibus uidetur conceſſum, ut negotij circumſtantijs exigentibus ue
13 terum exemplo ſtatutũ fictione extendant ac mitigent. Nam & ideo arbitror Iudicis interpretationem, præter cæteros à glos. cir. i. C. de ll. dictam neceſſariam, quia carere ea in miniſtratione iuris non poſſumus. Parum eſt enim Ius in ciuitate eſſe, niſi ſint qui iura reddere poſsint. i. niſi pro neceſsitate & circumſtantijs rerũ atq; negotiorũ leges adhibeant. l. ij. §. poſt orig. ff. de orig. iur. Quamuis igitur ſtatuto fortè non ſit expreſſe conſtitutũ, ut quoties de cõmodis partus quæratur, is qui in utero ſit, pro iam nato habeatur, tamen ad iudicis officium pertinere arbitror, ut iſtam fictionem iuris ad iſtud extendat, ſicubi indignè partus grauari uidetur ſtatuto, niſi talis fictio adhibeatur. Item exemplo l. poſt uenditionem. C. de Pactis, iudici permiſſum exiſtimo, ut ſi quis delatam hæreditatem uendat cum onere, & creditores emptorem conueniant, & poſtea ab hærede poſtulent credita, ipſe admittat exceptionem hæredis fingentis creditores tacitè cum eo pepigiſſe de non conueniendo eo, cũm emptorem hæreditatis prius conuenerint. Idem in ſimilibus caſibus quorum magnam congeriem Azo in principio ſuæ ſummæ in Codicem congeſsit.

Actio negotiorum geſtorũ ultrò citroq; oritur.

Fictio in interpretandis ſtatutis non habet locum.

Seueritas legum fictione mollienda eſt.

Iudicis interpretatio quare neceſſaria ſit.

DE VARIA LEGVM ALlegatione, Cap. XII.

SVMMARIVM.

1. Allegare leges, eſt inducere leges.

2. Directa

2. Directa allegatio legum à collectitia distinguenda.
3. Propter suspiciones criminis non temere esse aliquem torquendum aut damnandum.
4. Satius esse impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare.
5. Res Ecclesiasticas uendere aut donare non licet.
6. Argumentum à genere ad speciem.
7. Mulier tutrix esse quando prohibetur.
8. Principali concesso & accessorium permissum uideri.
9. Inductio à correlatiuis. Item à contrario sensu.
10. Disiuncta uocari contraria quæ medio carent.
11. Dotis administratione concessa, dissipatio prohibita censetur.
12. Topicam artem esse subsidium iuris.

ALLEGARE leges uulgo, nunc est inducere leges. Libuit enim ut puto, dd. isto uerbo, magis quàm uerbo allegandi uti, ut significarent aliud quiddam, expressam sententiam legis adducere ad decisiones iuris, aliud ex ui uerborum et ratione legis ius quoddam colligere. Itaque & ego docendi causa inducendi uerbum recipiendum existimo, ut directam allegationem legum à collectitia distinguamus. Allegatur igitur lex, cùm dico: propter suspiciones criminis non temere est aliquis torquendus aut damnandus, quia l. absentem. ff. de pœnis, testatur, satius impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare. Inducitur autem lex, cùm dico: Non licet res ecclesiasticas uendere, aut alicui donare, quia Imperator Auth. de ecclesiast. rer. immobil. alienatio, coll. v. prohibet eas alienare. Nam in hac collectione non tam ab ipsa lege siue scripto legis, quàm à genere ad speciem argumentum ad probandum ius ducitur, uideli cet, quia lex prohibeat alienationem rerum ecclesiasticarum, prohibuisse etiam uidetur, omnẽ speciem rerum alienandarum, iux. l. alienationis uerb. ff. de uerb. signifi. Sic lex prohibens aliquid propter certã causam finalem, omnẽ modum & rationem perueniendi ad eam causam prohibet, ut in Auth. sacramentum. C. quando mul. tut. off. fun. potest, mulier excluditur ã tutela filiorum, si ad secunda uota transeat, ne cum incommodo filiorũ luxurietur. Proinde etiamsi mulier secundo non nubat, sed aliam furtiuam uenerem sectetur, eadem legis autoritate excludi à tutela liberorum potest. Item cui lex concedat principale, eidem & accessorium permisisse uidetur. l. cum principalis. ff. de reg. iur. & c. accessorium de reg. iur. in sexto. Vt cui iubetur restituí ager, illi & fructus debentur, l. & ex diuerso ff. de rei uend. Et concessa per legem seruitute, uidentur concessa, sine quibus quis uti ea non potest. l. refectionis. ff. communia prædiorum. Item ã correlatiuis inducitur lex, ut res prohibita locari, intelligatur etiã prohibita conduci. c. 1. ext. de locatione. Itaq; quia prohibitum est. l. ij. C. de maleficijs & Mathematicis, docere Magicas artes, rectẽ ex ead. l. colligitur, etiam prohibitum esse tales artes discere. Item inducuntur leges etiam ã contrario sensu, præsertim si quid in illis constituitur de contrarijs, quæ medio carent, quæ ã iureconsultis nunc uocantur disiuncta. Nam in talib. uno concesso, alterum prohibitum censetur, ut cum marito concessa est administratio dotis. l. cum dotem. §. si non. ff. sol. matri. intelligitur prohibita dotis dissipatio. Ad hunc modum iux. omnes locos inuentionis, possunt leges in argumentum iuris induci. Neq; est quidem hæc ratio, inducendarum legum, iuris studioso leuiter curanda. Nam sicut iam sæpe dictum est, cùm omnes casus non possunt legibus sigillatim comprehendi, necesse est nos ad Topicæ artis subsidium confugere, atq; ex legibus argumẽta Iuris quasi eruere. Sed hoc loco uelle id in singulis locis inuentionis ostendere, longi esset operis. Itaq; in aliud tempus, aliamq; commentationem id differemus. Si quis interim huius rei cupiat aliquod habere

1 Allegare leges.
2 Inducere leges.
3 Arg. à genere ad speciem
4 Mulier tutrix esse quando prohibetur.
5 Principali concesso & accessorium permissum uidetur.
6 A Correlatiuis.
7 Magicæ artes prohibitæ
8 A contrario sensu.
9 Disiũcta quæ uocentur.
10
11
12

bere documentum, ille uideat Annotationes in Bald. in l. conuenticul. C. de Episc. & Cleri.

DE RATIONE LOCO Legis habenda. Cap. XIII.

SVMMARIVM.

1. Ratio sana iuris habet autoritatem, & exemplis præferenda est.
2. Item glossis, & doctorum opinionibus.
3. Lex est quod ratione consistit.
4. Rationale dictum moueat iudicem sicut lex scripta.
5. Non exemplis, sed legibus iudicandum, quid sibi uelit.
6. Statuta, à iudice secundum punctum rationis interpretanda.
7. Sana & firma ratio anteferenda humanæ autoritati.
8. Pythagorici cur reprehensi à Cicerone.
9. Sana ratio absq; lege, iuris habet autoritatem.

1 HABET & ratio sine lege tantam autoritatem in probando iure, ut sufficiat allegare rationem, ubi legem non habemus. glos. in c. ex eo in uerb. rationis, de electione in sexto. Sana quippe ratio etiam exemplis præferenda est. c. sana, distinct. viij. Et frustra allegatur consuetudo, quæ rati
2 one conuincitur esse praua. c. frustra. distinct. viij. Imò glossis, quarum tamen autoritas non immeritò est maxima, & omnium doctorum opinionibus manifesta & firma ratio præfertur. Sicut enim non tam est spectandum, quid Romæ factum est, quàm quid fieri debeat. l. sed licet. ff. de officio præsid. Ita cùm sinceriter ratio aliud fieri præcipit, quàm quod Gloss. aut dd. probant, ratio illorum autoritati interponenda est, iuxt. Bart. & Accurs. cir. iam al-
3 legatam legem. Nam lex est, quod ratione consistit, & legum autoritas ab i-
4 psa ratione ducitur. c. consuetudo distinct. 1. Itaque rationale dictum ita debet mouere iudicem, sicut lex scripta, secundum Andream de Isernia, in præfatione Feudorum. Neque impedire quidem Iudicem debet. l. nemo. C. de
5 sententijs & interloc. omnium iud. qua præscribitur non exemplis, sed legibus esse iudicandum. Nam ea lex prohibet, ne quodq; iudicatum statim sequamur, sed potius requiramus leges, quæ certis rationibus publicè proditæ sunt. Proinde, cùm iubet iudices spectare leges, non excludit rationem, sed uult eos iudicium rationis, & publicam autoritatem præferre nudis hominũ exemplis in iudicando. Quapropter & Baldus in c. 1. ext. de constitut. dicit,
6 statuta esse à Iudice secundum punctum rationis interpretanda, nec ferendum, ut contra rationem, statutum nos obliget. Nec aliter unquam homi-
7 nes docti & sapientes iudicauerunt, quin semper sanam ac firmam rationem cuiuscunque hominis aut dogmatis, humanæ autoritati anteferendam censerent. Itaque & Cicero reprehendit Pythagoricos, qui ita erant addicti do-
8 ctrinæ præceptoris, ut nullam disputationem de illis, quæ ipse dixerat, moueri paterentur. Et Celsus non dubitauit recedere à sententia patris, cùm aliud pater, aliud naturalis æquitas & ratio suaderent. l. iij §. si quis quasi. ff. de condictio. causa data. Quando igitur non extat lex, cuius autoritatem cum ratione sequeremur, & ipsa ratio ostendit nobis, quid fieri rectè & iustè queat,
9 nõ est ambigendum, sanam rationem absque lege habere iuris autoritatem. Notum enim est, quòd infirmitas quædã intellectus sit, requirere legem in eo, quod naturaliter sentimus.

Ratio sana iuris habet autoritatem.
Consuetudo praua frustra allegatur
Ratio tam gl. quàm doctor. opinionibus præferenda.
Lex est, quod ratione consistit.
Rationale dictum moueat iudicem sicut lex scripta.
Nõ exemplis, sed legib iudicandum, quid sibi uelit.
Statuta à iudice secundũ punctum rationis interpretanda.
Sana & firma ratio anteferenda humanæ autoritati.
Pythagorici reprehensi à Cicerone.
Sana ratio absq; lege iuris habet autoritatem.

INTER PROBABILES OPINIONES, quæ sit præferenda. Cap. XIIII.

SVMMARIVM.

1. Ratio quæ potior habenda.
2. Opiniones iuris unde oriantur.
3. Regulæ de opinionum autoritate.
4. Prima, Nullam opinionem, extra eam, quam uerba & mens legis referunt, gignendam.
5. Secunda, Opinionem interpretum usu & consuetudine fori receptam cum ratione non pugnantem, probandam esse.
6. Malè cogitata nec longa consuetudine firmantur.
7. Dos profecticia quando à patre non possit repeti.
8. Tertia, Opinio, quæ optimo alterius iuris exemplo incumbit, tenenda.
9. Quarta, Opinio sequenda est ea, quæ fortioribus innititur rationibus.
10. Non ex multitudine, sed ex eo, quod æquius & melius, iudicandum est.
11. Iuris naturalis ratio in dubio præferenda est rationi Ciuili.
12. Testimonium consanguinitatis ultra quartum gradum non recipiendum.
13. Obligationem perpetuari, quoties quis in mora sit.
14. Potior est ratio, quæ innititur æquitati scriptæ, quàm quæ rigori iuris scripti incumbit.
15. Ratio ex mente legis potior, quàm quæ in uerbis hæret.
16. Similitudo claudicat, & coniecturæ sunt fallaces.
17. A maiorum placitis non facilè recedendum.
18. Quinta, In dubio tutiora eligenda, & uia tutissima, quæ tritissima.
19. Sexta, Inter opiniones uanas eligendum esse, quod minimum habet offensionis, & ad rei conseruationem facit.
20. In obscuris minimum est sequendum.
21. Peritia autorum & artificum in recipiendis opinionibus spectanda. In ciuilibus credendum potius legistis, quàm canonistis, & econtra. Quilibet præsumitur in arte sua peritus.

Ratio quæ potior habenda.

POstquam ostendimus, quòd deficiente lege sana ratio habeat 1
uim legis, uidendum nunc est, quæ potior haberi debeat ratio, si quando eius diuersitas circa eandem rem gignat uarias glos. aut dd. opiniones. Nam & hic non raro in controuersiam uenit, utra magis sequenda nobis sit opinio, cùm diuersitas adductarum rationum diuersam iuris speciem constituere uidetur. Itaq; & hæc quæstio nobis explicanda est, ne quid studiosi Iuris in hoc compendio desiderare possint, quod ipsis obseruandum, uel in discendo, uel tractando iure ueniat. Oriuntur autem opiniones Iuris, aut circa interpretationes ipsarum legum, aut cùm circa leges de iure disceptatur. Vt igitur quidam gradus in eligenda potiore opinione obseruari possint, regulas quæ passim à doctoribus de opinionum autoritate traduntur, ordine, sicut suprà de oblig. legum fecimus, referemus. Ac primùm quidem, donec aliqua certa & rationis iudicio consentanea sententia colligi ex uerbis & uoluntate legis potest, nõ est ulla opinio extra eam, quãtumuis speciosa, & quoquo modo circa legẽ quæsita, recipienda, iuxta l. prospexit, ff. qui & à quib. manu. liber. non fiant. Nam cùm procliue sit hallucinari etiam in re manifestissima, propter recti uenustatem in qua qua re, oculis proxima apparens: non est concedendum, ut quis splendidis suis cogitationibus aliquam opinionem extra eam, quam uerba & mens legis nobis referunt, gignat. Si uerò nulla satis certa ex scripto aut sententia legis colligi potest, tum ea probanda est opinio interpretum, quæ casu & consuetudine fori receptissima est, si modò usus & consuetudo non prorsus pugnãt cum ratione. Nam ita Imp. in Nouell. τὰ κακῶς ἐπινοούμενα οὐδὲ &c. i. Malè cogitata neq; lõga consuetudine firmari uolumus. Idẽ in l. quòd non ratione. ff. de ll. Proinde, si consuetudo, quæ recepta est aliqua opinione, pariter cũ ipsa

Opiniones iuris unde oriantur.

Regulæ de opinionum autoritate. Prima.

Hallucinari est procliue.

2

3

4

5

6

opinione

opinione fuerit ratione tolerabilis, præferenda est cæteris, etiamsi fortè æquè probabilibus rationibus innitantur. Neque enim unquam ab eo, quod usus fecit familiare, nisi maximis & grauissimis causis postulãtibus, recedendum est. Sic l. dos in patre. C. solut. matri. usitata opinione accipitur. Vídelicet quòd dos à patre profecta, non possit ab eo repeti, si mulier relictis liberis decedat, quamuis glosa, & ipsa quoq; lex diuersum probare uideantur. *Dos profecti tia quando à patre nonpos sit repeti.*

8 Vbi uerò in usu non extat aliqua recepta & probabilis opinio, tamen ea tenenda est, quæ optimo alterius iuris exemplo incumbit: ut cùm aliqua quæstio Iure Ciuili non est expresse decisa, & eius aliquod idoneum extat exemplum in Iure Canonico, & lege Mosaica, tum propter autoritatem exempli, pluris uale opinio inde collecta, quàm reliquæ. Sic Papa cùm dubitaret, an ipsi liceret legitimare liberos, quorum parentes non essent suæ iurisdictioni subiecti, exemplo sacerdotum ueteris testamenti, ad quos deferebatur causa lepræ, licere id sibi contendit. c. per uenerabilem. ext. qui filij sint legit. Quãuis autem hoc sit usitatissimum, præsertim in Canonib. tamen periculosè sæpe erratur, propterea quòd dissimili causa alicubi obseruata Iura trãsferuntur & detorquentur ad ea, cum quib. nequaquam comparari poterant. Itaq; in recipiendis talib. opinionib. debet quisq; esse cautus, ut causam exempli, cum ipso exemplo coniugat. *Causa exempli cum ipso exemplo coniungenda.*

9 Porrò ubi opiniones nec consuetudine nec exemplo alterius iuris firmatæ sunt, ibi sequenda est ea, quæ fortioribus innititur rationib. iux. l. 1. §. sed neq;. C. de uet. iur. enucl. Ibi dicit Imperator, non ex multitudine, sed ex eo, quod æquius & melius sit, iudicandum esse. Est autem ea 10 habenda pro firmiore & æquiore ratione, quæ iuri naturali & iudicio rationis propius quàm ciuili accedat. Sicut enim suprà indicauimus, iuris naturalis 11 potissima est obligatio, ut eius ratio semper in dubio præferenda sit rationi ciuili, cuius exemplum est in c. licet, ext. de testib. ubi olim cùm inter consanguineos, in vij. gradu existeret matrimonium, & in probanda consanguinitate crederetur illis, qui ex relatione aliorum testabantur, naturalis ratio coëgit Papam, ut probaret eorum opinionem, qui non recipiendum testimonium consanguinitatis ultra quartum gradum, ex relatione acceptum contendebant. *Iuris naturalis ratio in dubio præferenda est rationi ciuili.*

12 Nam ea opinio uisa est iure naturæ propinquior, propterea quòd ea sit huius uitæ breuitas, ut uix ullus tam diu uiuat, ut possit testari, se uidisse aliquam familiam in vij. usq; gradum consanguinitatis esse deductã ac propagatam. Proinde cùm experientia doceat naturam negare, ut aliquis tali in casu deponat testimonium suæ notitiæ, multò magis naturam negare, sentiendum statuit Papa, non esse credendum, qui ex relatione aliorum vij. gradum consanguinitatis probare niteretur. Quamuis igitur aliqua adferri possit ciuilis ratio, ut credendum sit in tali casu bono uiro, tamen quia natura reluctatur talium fidei, potior habenda est opinio eorum, qui ius naturæ sequuntur. *Testimonium Consanguinitatis ultra quartum gradum non recipiendũ.*

Deinde potior est ratio, quæ innititur æquitati scriptæ, quàm quæ rigo- *Aequitas scripta rigore*
13 ri iuris scripti incumbit, iux. l. placuit. C. de iud. ut regula iuris scripti est, *scripto potior.*
obligationem perpetuari, quoties quis in mora sit, sed eius regulæ mitigatio extat in l. si seruum §. sequitur. ff. de uerb. obl. uidelicet eam moram emendari, si quis rem offerat ei, cui debita est. Hæc igitur æquitas scripta potior nobis esse debet, quàm rigor regulę, cur interpretes suis opinionib. in diuersum nos trahere conentur. *Obligatio perpetuatur, quoties quis in mora est.*

Præterea potior est ratio ex mente legis subsistens, quàm ea quæ pertinaciter & superstitiosè hæret in uerbis. Nam scire leges, non est uerba, sed uim ac potestatem earum tenere. l. scire leges. ff. de ll. unde manifestum est, semper pluris faciendum esse uoluntatem & consiliũ, quàm 14 uerba legis. Et rursum ratio uerbis legis incumbens, præferenda est illi, quæ similitudinib. aut coniecturis ducitur, exemplo & autoritate l. 1. §. si is qui nauem. ff. de exercitat. actio. Vbi dicit text. Melius esse seruire uerbis Edicti, si- 15 militudo nanq; claudicat, & coniecturæ fallaces sunt. Postremò ratio regu- *Mens legis præferenda uerbis.*

Similitudo claudicat, & coniecturæ sunt fallaces.

larum iuris communis sequens melior est ea, quæ contra maiorum dogmata aliquid suo quodam impetu probare nititur. Nec enim recedendum facilè nobis est ab ijs, quæ maioribus nostris placuerunt, exemplo Cassij iureconsulti in l. si ædib. ff. de dam. infe. Sed hæc de obseruatione rationis melioris. Re deo ad regulas de delectu opinionum. Quinta igitur regula est, quòd ubi non constat, utra opinio firmioribus innitatur rationib. ea sit sequenda opinio, quæ uideatur tutissima. Nam consilium legis est, ut in dubio tutiora eligamus. l. si pupillus §. 1. & ibi glo. ff. de rebus eorum, qui sub tut. aut cur. sunt. Tutissima autem est opinio, quæ à pluribus & sapientibus approbatur, iuxt. text. in c. in Canonicis. distinct. xix. & argumento l. quod maior. ff. ad municip. Notum est illud Luciani ὁδὸς θαῤῥαλεωτάτη σωτηριωτάτη, quia tutissima quæ tritissima. Vltima regula est: inter opiniones uarias eligendam esse, quæ minimũ habet offensionis, & quæ ad rei, de qua disceptatur, conseruationẽ faciat, iuxta regu. iur. quoties, & regulam, in obscuris minimũ est sequendũ. Cæterùm & hoc obseruandum est, quòd in recipiendis opinionibus spectetur etiam peritia autorũ, ut in quæstionibus Ciuilibus potius credendum esse legistis, quàm Canonistis, & econtra. Nam quilibet præsumitur in arte sua peritus. l. 1. ff. de uentre inspiciendo, & c. proposuisti, extra de probationibus.

In dubio tuti ora eligenda.

Peritia autorum seu artificum.

Index titulorum primæ partis.

De causis & differentijs iuris.

De Iustitia & Iure. ff. & Instit. eod. tit. Deinde in tit. de iure naturali, gentiũ, & ciuili, in genere & promiscuè agitur de causis & differentijs omnis iuris: & quia uerba horum tit. per se plana sunt, & nos suprà abundè exposuimus causas & differentias iuris. Si quis fortè requirat accuratam differentiam, inter Ius & iustitiam, aut uariam uocabuli iuris usum nosse desideret, ille uideat dd. & glos. cir. eosdem tit.

TITVLI QVIBVS SEPARATIM EXPLIcantur causæ & differentiæ Iuris Ciuilis, & uariæ tractandarum legum Regulæ recensentur.

ff.

De legibus & S. C. & longa consuetudine.
De constitutionibus Principum. De Decretis ab ordine faciendis.

Cod.

De Legibus & constitutionibus principum, & decretis.
De mandatis principum. De Senatusconsultis.
De diuersis rescriptis & pragmaticis sanctionibus.

In Decretis.

De constitutionibus. De rescriptis. De consuetudine.

Decretorum distinctiones.

His adijci possunt quatuordecim distinct. Decretorum, quibus copiosè, ut uix alibi, de causis, differentijs, & obligatione iuris naturalis & ciuilis congestis Ecclesiasticorum scriptorum sententijs disputatur, xv. distinct. Gratianus eodem modo incipit disputare de aut. Eccles. const. ac primum quidem ab ea distinct. usq; ad xix. recenset maiorum iudicia de autoritate generalium & prouincialium conciliorum, ac ponit Catalogum Ecclesiast. scriptorum, & Gelasij Papæ de ijsdem censuram. Sequentibus duab. distinct. uidelicet, xix. & xx. peculiariter disputat de autoritate epistolarum decretalium & interpretum scripturæ. xxi. distinct. incipit recensere sententias Paparum de gradibus, seu ordinibus Ecclesiasticis, sed istæ huc non pertinent. Cæterũm, quæ præterea in doctoribus tractanda hac parte Iuris adducuntur ex titulis Romani Iuris, ea ipsi ab exemplis legum ratione Dialectica colligunt ex legibus. Aliàs nulli in Iure Romano extant, præter annotatos titulos, quibus ex professo & nominatim in hac parte doctrinæ iuris ageretur.

SCHO-

SCHOLIA.

Mandata principum dupliciter accipiuntur. Aut enim significant Edicta, quibus publicè aliquod Ius constituitur. Et isto modo in hac parte iuris accipienda sunt mandata principis. Aut mandata dicuntur Epistolæ, quibus princeps peculiariter suis præfectis indicat, quid fieri in administratione prouinciarum uelit ab illis, & isto modo accepta mandata non constituunt Ius publicum. Ita uerò accipiuntur in tit. Authen. de mandatis prin. *Mandata principum.*

Rescripta principum dicuntur, quibus ad propositas quæstiones Imperator de Iure respondet. Nam talia rescripta inter leges relata, habent autoritatem Iuris. *Rescripta principum.*

Pragmaticæ sanctiones dicuntur, quæ consilio procerum ab Imperatore constituta sunt. *Pragmatica sanctio.*

EXEMPLA constituti Iuris.

Cod.

De nouo Codice faciendo.
De Iustinianeo C. confirmando.
De emendatione Iustinianei Codicis.
De ueteri Iure enucleando, & autoritate Iurisprudent.

ff.

De origine Iuris Ciuilis, & omnium magistratuum successione Iurisprud.
In usibus Feudorum.

Constitutiones Feudales D. Lotharij Imperatoris, quas ante ianuam Petri in ciuitate Romana condidit obseruandas.
Constitutiones regni. De consuetudine recti Feudi.
De lege Conradi.

EXEMPLA abrogati & aboliti Iuris.

In Cod.

De Formulis & Actionum impetratione sublatis.
De lege Fusia caninia tollenda. De Dedititia libertate tollenda.
De Latina libertate tollenda, & per certos modos in Romanam ciuitatem transfusa. De assertione tollenda.
De S. C. Claudiano tollendo. De nudo Iure Quiritum tollendo.
De Vsucapione transformanda.
De Annali exceptione Italici contractus tollenda.
De Vsucapione transformanda, & sublata rerum differentia mancipi, & non mancipi.
De Infirmandis pœnis cœlibatus, orbitatus, & decimarijs sublatis.

SCHOLIA.

Horum duorum capitum tituli continent Historiam Iuris, cuius notitia sæpe est necessaria, non ideo tantùm, ut teneamus, quæ iura sint correcta aut non, uerùmetiam, ut pleraſq; leges & constitutiones, quæ se ad historiam conditi & emendati Iuris referunt, intelligere possimus. Fit autem & in alijs quibusdam titulis, præter illos, quos annotauimus, mentio correcti & emendati Iuris, ut in C. de repudijs & diuortijs, indicat text. iudicium de moribus, quo licebat olim repudiare uxorem propter impuros eius mores, esse sublatum. *Repudium uxoris.* Et in Authen. de hæredibus ab intestato uenientibus uetera iura agnationis & cognationis in succedendo tollũtur. Verũm quia ego hoc ago, ut titulos in capita digerã, quæ ex professo & nominatim de rebus cuiuscunq; capitis doctrinæ iuris agũt, istas emẽdationes suis quibusq; formis Iuris relinquo. Præterea ad intelligendos hos titulos, circa text. necessarium hic esset ab initio repetere historiam conditi & mutati Iuris Romani, sed quia textus ipse id præstat abunde, malo ex eo istã peti, & obiter tantũm explicabo uocabula horum tit. quæ obscuritatem aliquam habere uidentur, si quis ignorat euentus

L. Fusia caninia. & consuetudines, ex quibus significationem acceperunt. Lex Fusia à Fusco lata, dicta est Canina, propterea quòd inuidiosè prohibebat, ne quis in testamento totam suam familiam libertate donaret. Dedititia libertas dicta est, qua quis ita consequebatur libertatem, ut toto uitæ suæ tempore seruituti suæ obnoxius esset, & morte demum ab ea liberabatur. Ediuerso Latina libertas dicta est, qua quis uiuens liber erat, sed moriens rursum in seruitutem reijci ebatur. Assertio, dicta est Vindicatio libertatis, cuius exemplum optimum est apud Liuium in iij. ab urbe, de Verginij filia. Est autem non ipsa assertio, sed solennitas, qua fieri consueta est apud Romanos libra ære percussa. Testè Boëtio in commentarijs Topicorum Cicero. Sublato senatusconsulto Claudiano, mulier cum seruo deprehensa post denunciationem uiri, ne id faceret, rem omnem, simul & libertatem amittebat. Nudum Ius Quiritum, olim dicebantur habere, qui habebant dominium seruorum, sine usu eorum. Res mancipi olim dicta sunt prædia Italica, quia poterant usucapi. Nam soli Itali censebantur domini prædiorum suorum, ut facilè eorum dominia in alios transferrentur. Prædia autem prouincialia, quia erant Tributaria Romanis, dicta sunt res nec mancipi, quippe, quæ non sicut Italica usucapi poterant. Decimarij dicti sunt coniuges, qui decimam partem bonorum suæ coniugis amittebant, si sine liberis decesserant. Nec poterat tali coniugato, sicut nec cœlibi, aut orbo liberis aliquid causa mortis olim donari. Annalis exceptio Italici contractus ex priuilegio quodam Italiæ orta est. Nam sicut apparet ex circumstantijs eius constitutionis, quam nos de ea habemus, hoc uidetur olim Italiæ concessum, ut qui cum quopiam in Italia contraxisset, illum intra annum non posset conuenire aut cogere ad præstandum id, de quo inter illos conuenerat. Itaque præterquam quòd istud priuilegium pleriſque graue erat, etiam calumnia quadam id reddebant iniquius, cùm interpretarentur, annum in eo priuilegio computandum, exclusis diebus feriatis, quibus conueniri aliquem non liceret. Proinde subblata est ea exceptio.

Libertas deditia.
Latina.
Assertio libertatis.
Nudum ius Quiritum.
Res Mancipi.
Decimarij.
Annalis exceptio.

EXEMPLA quæstionum de Iure.

Si contra Ius, uel utilitatem publicam, uel per mendacium fuerit aliquid postulatum, uel imperatum.

Authen.

In medio litis, non fieri sacras formas, aut sacras iussiones, sed secundum generales leges decidi negotium. Vt cùm de appellatione cognoscatur, secundum alias leges debeat iudicari, quæ tempore sententiæ dictæ obtinebant, non secundum eas, quæ postea promulgatæ sunt.

In usibus Feudorum.

De statutis & consuetudinibus contra libertatem Ecclesiæ editis. Huc pertinent disputationes Ciceronis de Legibus, & Aristotelis in Politicis, Platonis de Repub. & quicquid usquam extat grauiter & sapienter dictorum de iustitia & æquitate. Nam hæc pars doctrinæ Iuris planè Philosophica est, generaliter inquirens causas & rationes omnis Iuris, Id quod non fit in altera parte, quæ singulis negotijs suas quasdam formas iuris pro necessitate rerũ præsentium adiungere nititur. Quapropter & huc pertinent regulæ Iuris generaliter, quibus communes quædam notiones iudicandi de iure traduntur. Pertinent huc & quæstiones Doctorum, quas de autoritate Rubricarum, glossarum, & commentationum passim mouent. Sed has quisque priuato studio sibi annotabit.

FINIS PRIMAE PARTIS HVIVS Methodi de doctrina Iuris.

SECVN-

SECVNDA PARS DOCTRINAE IVRIS, QVAE est Historica.

PRAEFATIO.

SVMMARIVM.

1. Historiæ iuris parte secunda iuris formæ explicantur.
2. Populator agrorum non requisito iudice occidi potest.
3. Melius est in tempore occurrere, quàm post exitum uindicare.
4. Quod quis sui defendendi causa facit, iure fecisse existimatur.
5. Pacem uiolans iure occiditur.
6. Cædes depopulatoris publica est uindicta.

1 ALTERAM PARTEM DOCTRINAE Iuris Historicam esse diximus. Sicut enim Historia constat nuda narratione rerum gestarum, ita hac parte explicantur iuris formæ, quas leges Romanæ in singulis casibus ciuilium negotiorũ obseruari pro Iure uolunt. Nec his formis alia ratione nonnunquam annectuntur Iuris causæ, quàm narrationibus interspargantur loci communes. Nullæ nanq; in his sunt disputationes, quibus operosæ aut prolixæ causæ Iuris inuestigarentur, sed obiter tantùm ad communes iudicandi de iure notiones referuntur, ut in l. 1. C. quando licet uni. sine iud. uend. ubi permittitur, ut quisq; populatorem agrorũ non requisito Iudice occidat, & obiter hæc adijcitur ratio, quia melius sit in tempore occurrere, quàm post exitum uindicare, atq; ita lex ad communem naturæ notionem refertur, ut quod quis sui defendendi causa faciat, iure fecisse existimetur. l. ut uim. ff. de iust. & iure. Sicut & Imperator Alexander ff. de appellatio. præcipit, ut Præsides prouinciarum non prohibeant, aut ui aliqua impediant prouocantes ab ipsis ad Imperatorem, quia non minus sibi curæ sit, ut illorum obedientiam & beneuolentiam conseruet, quàm ut subditorum libertatem tueatur. Vnde satis liquere arbitror, quòd quamuis nunq; inserantur huius partes, & constitutiones Iuris causæ: tamen id ideo tantùm fieri, ut admoneamur omnis Iuris formas causarum, quas in superiore parte tradidimus, ui & ratione quadam tanquam fundamento consistere & incumbere, ac proinde non utile tantùm, uerùm necessarium esse, ut diligenter istas partes Iuris doctrinæ separemus, ac priorem bene tractatam habeamus, ut inde quoties opus est, singulorum schematum Iuris explicationem copiosiorem, tanquam ex fonte omnis Iuris deriuare & deducere possimus. Nam si quis probè cognitum habeat, quomodo ex natura Ius oriatur, ille multò exquisitius, maioriq; cum iudicio, atq; omnia perspicuè magis de iure occidendi depopulatores disputabit, quàm si in eam solam causam, quæ à lege obiter isti formæ iuris annexa est, defixos habeat oculos. Etenim uidet non à lege primùm id nobis 5 permitti, sed naturali iudicio omnes gentes ita sentire ac statuere, quòd is iure occidatur, qui nulla iniuria prouocatus, pacem, quam humanæ societatis necessitudo inter homines sanctè tuendam præcipit, uiolat. Deinde cùm id naturæ iudicio permitti intelligit, statim etiam intelligit, Iure diuino id sibi licere. Et quia l. pub. id quoq; sancitum est, intelligit, legem sibi arma ministrare, & cædem depopulatoris non esse priuatam, sed publicam uindictam. 6 Quare nemini dubium sit, in discendo ac tractando Iure plurimum prodesse has doctrinæ iuris partes habere separatas, ne, quæ ad explicandas singulas Iuris formas necessaria sunt, nostram cognitionem effugiant, si nusquam ea

Pacem uiolans iure occiditur.

Cædes depopulatoris publica est uindicta.

plenè aut iustò compendio, sed passim in transcursu tradantur, nec ad ullum certum doctrinæ caput referantur. Offendit autem ipsa rerum, quas in hac parte doctrinæ iuris collocandas censemus, ratio, quòd rectè omnis doctrina iuris in cognitionem causarum, & nudas constituendorum Ciuilium negotiorum formas partitur. Et ego in initio huius partis hoc discrimen repetendum putaui, ut argumentum huius doctrinæ Iuris discentibus inculcare, & eos à summa diuisione ad partitionem, quam rerum uarietas in hac parte requirit, methodica ratione deducerem.

CONSILIVM ET RATIO TRActandæ secundæ partis. Cap. I.

SVMMARIVM.

1. Casus non poterunt ullis legibus comprehendi.
2. Tota doctrina huius partis in certa & generalia capita distinguenda.
3. Res singulorum capitum in suas species referendæ.
4. Formæ iuris in tribus consistunt, in acquirendo, alienando, & amittendo.
5. Res & iura tuentur actionibus.
6. Formarum iuris traditionem historicam esse.
7. Artificium iuris consistit in accommodandis formis ad negotia.
8. Singula negotia suam habent uarietatem.
9. Ars quæque tantò est difficilior, quantò magis uersatur circa singularia.
10. Veteres iuris notitiam, non tam artem, quàm prudentiam uocauerunt.
11. Multa in negotijs considerandis prospicientia requiritur.
12. Series & rerum distinctio adfert lucem.

NEQVE uerò omnes hypotheses, quas casus uariat, quæstiones ex ll. singulorum Schematum Iuris in hanc partem congeram. Nam hoc esset, quod dicitur, arenam metiri. Neque enim 1
ullis legibus isti comprehendi poterunt. Itaque si quis eas decisiones, quæ responsis prudentum, & Imperatorum rescriptis, seu constitutionibus pro re nata proditæ sunt, & in legibus Romanis tanquam casus à communi ratione Schematum Iuris uariantes extant, congerere uelit, eum necesse est, ipsas leges transcribere. Neque inde methodus discendi Iuris magis illustraretur, quàm si quis elegantem picturam, in solida quadam mixtione colorum conaretur reddere perspicuam. Quare relictis illis disputationibus, quas casus in singulis iuris formis parere potest, illisque decisionibus, quarum quædam exempla inter leges relata sunt, Primùm totam doctri- 2
nam huius partis in certa & generalia quædam capita distinguemus, Ac deinde res singulorum capitum in suas species referemus, ut quæque forma iuris à 3
genere ad speciem usque deducta, in propinquo cerni possit. Porrò ipsas formas iuris hoc ordine declarabimus, ut primùm acquirendi, postea amitten-
Iuris formæ consistunt in acquirendo, alienando, et amittendo.
di, & alienandi cuiusque iuris modos recenseamus. Nam in his tribus cogni- 4
tio omnis formæ iuris consistit, ut quis teneat, quomodo quid cuiusque fiat, quomodo id quod habet, alienet, aut amittat, & quomodo quis rem suam, uel ius suum conseruet, iuxta l. totum, ff. de legibus. Sed quia res & iura tuentur 5
actionibus, nec actionum ratio possit commodè percipi, nisi inter se conferantur, nos earum tractationem peculiari quodam capite complectemur, & in explicatione aliarum formarum iuris tantùm modos acquirendi, & amittendi enumerabimus. Et quò id fiat maiore compendio, singulas formas breui quasi argumento describemus, antequàm titulos ad cuiusque explicationem pertinentes annotabimus. Cæterùm nihil admodum obscuritatis habent formæ Iuris in cognoscendo. Nam sicut iam sæpe dictum est, earum traditio Histo- 6
rica est, nec in illis cognoscendis aliud considerandum uenit, quàm quid in

quaque

quaq; obseruandum legislatoribus placuerit. Sed in accommodandis illis for
7 mis ad negotia multa subinde occurrit obscuritas. Nam Iuris notitia ibi de-
mum requirit artificem, cùm ea negotijs accommodanda est, propterea quòd
8 singula negotia suam quandam habent uarietatem, & rarò generalibus for-
9 mis Iuris prorsus conueniant. Est autem iuxta Aristot. tantò difficilior quæq;
10 ars, quantò magis uersatur circa singularia. Proinde quoq; ueteris Iuris noti-
11 tiam, non tam artem, quàm prudentiam uocauerunt. Nam præter obseruati-
12 onem generalium regularum requirit multam in negotijs considerandis pro
spicientiam, ut rectè ad leges referantur, & explicentur, ut forma Iuris in illis
emineat. Sed his omnibus magnam adferet lucem ipsa series, & uaria rerum
distinctio, quam inter eas, iuxta multiplicem earum differentiam faciemus,
ut si superior pars alicui quoque cognita sit, principijs ad formas collatis fací-
lius possit eas negotijs induere & accommodare.

CAPITA RERVM SE-
cundæ partis, Cap. II.

SVMMARIVM.

Ius omne uel ad personas, uel ad res, uel ad actiones pertinet. Capita doctrinæ secũdæ partis sex esse, quibus omnem formam Iuris comprehendi posse existimat. Enumeratio sex capitum.

NOTA diuisio Iuris est, ex l. Omne Ius. ff. de statu homi. qua di citur, quòd omne ius, uel ad personas, uel ad res, uel ad actiones pertineat. Verùm quamuis hæc diuisio proba sit, tamen angustior est, quàm ut nostro instituto satis conueniat. Nam cùm cupiam, quantum à me fieri potest, singulas formas Iuris secundum materiarum diuersitatem, in certa quædam capita digerere, uarietas earum requirit, ut plura constituant membra, quàm in diuisione Iuris à lege ponuntur. Neque enim seperatim explicari commodè poterunt tam uariæ Iuris formæ, nisi earum materia in plures locos tanquam in classes digeratur. Sunt igitur hæc capita doctrinæ secundæ partis.

CAPITA SECVNDAE PARTIS.

1 De Iure personarum.
2 De modis acquirendi, alienandi, & amittendi res.
3 De pactis & obligationibus.
4 De actionibus & exceptionibus.
5 De iudicijs.
6 De Priuilegijs, & Iuris beneficijs.

His capitibus existimo omnem formam iuris comprehendi posse. Nam res
1 ipsa testabitur, & postquam quodq; genus formarum suas per species explica
2 uerimus, manifestè apparebit, quòd omnis forma Iuris, aut constituat gradus
3 potestatis, quæ persona in personam à legibus conceditur, aut enumerat mo-
dos, quibus rerũ dominia acquirimus, uel amittimus, aut iudicat unde Ius in re
4 bus, uel personis aliquid agendi uel faciendi, nobis existat, & quomodo nobis
5 pereat, aut quomodo persequamur Ius, illudq;, & res nostras tueamur, aut quo
modo constituenda sunt iudicia, ut legitima iurisdictione uis & dolus homi-
6 num coërceri possit, aut quomodo ex Iuris clementia personis propter infir-
mitatem sexus & ætatis, leges prospexerint, ne læderentur, si pari iure cum re
liquis tenerentur. Item qui propter commendationem operæ, quam nauant
Reipub. aliqua prærogatiua gaudeant.

DE IVRE PERSONARVM.
Cap. III.

SVMMA-

SVMMARIVM.

1. Ciuiles ordinum gradus inter personas esse debere.
2. Quæstio, an Christianis liceat habere seruos.
3. Par in parem non habet imperium. 4. Natura omnes liberos nasci.
5. Libertatis iactationem gratam esse plebeijs.
6. Iuris libertatis principia in natura & sacris literis sunt inuestiganda.
7. Natura peccato primi parentis corrupta est.
8. Melior imbecilliori, superior inferiori præsit.
9. Heroës impetu diuino ad res gerendas rapiuntur.
10. Metus grauioris periculi seruitutem grauiorem imponit.
11. Potestates personarum non esse reprehendendas.
12. Dictum Pauli, Inter eos, qui in Christum baptizati sunt, neque seruum, neque liberum esse, quomodo accipiendum. 13. Libertas quæ propriè dicatur.

Summa huius capitis est, Ius personarũ iuri naturæ et diuino non repugnare. Christiãis an liceat habere seruos.

ANTEQVAM ad explicationem Schematum huius capitis descendam, quærendum mihi uidetur, an iure naturæ & diuino probetur, ut alius alio melioris sit conditionis & iuris. Nam cũm natura pariter nos eadem lege in hanc uitam producat, æquum esse uidetur, ut nemo alteri præferatur, sed omnes eadem lege utantur. Deinde, quia Paulus ad Galatas tertio dicit, quòd inter eos, qui in Christum baptizati sunt, neque liber, neque seruus sit; Diuino etiam Iure prohibitũ uidetur, ne inter Christianos liberi aut serui sint, & Imperator C. Ne Christia. mancip. minatur ultimum supplicium Iudæis & Hæreticis, qui Christianum mancipium possideant. Proinde nullo iure uidetur probari ista inæqualitas personarum, qua homo hominis potestati subijcitur. Et sæpe agitata est hæc quæstio inter homines, non satis diligenter naturæ institutum & Pauli uerba expendentes. Nec defuerunt, qui contenderent, Deum quidem subiecisse homini bestias terræ, & non hominem, Geneſis secundo. Ita nec competere, ut homo homini dominetur, sicut nec boui datur imperium. Et uulgata est regula, quòd par in parem non habeat imperium. Quemadmodum igitur Deus cæteris animantibus præfecit hominem, tanquam præstantiorem naturam, Ita uidetur eius exemplo nos debere Deo tanquam excellentiori naturæ relinquere in homines imperium, & non id, contra naturalem libertatem, qua omnes nascimur, eadem conditione & lege, inter nos affectare, aut nobis id uendicare. Hæc & multa absurdiora in uulgus spargun tur ab hominibus fanaticis, qui inter Christianos quandam æqualitatem personarum, sublatis ciuilibus gradibus ordinum inter personas esse debere contendunt. Et quia quælibet libertatis iactatio grata solet esse plebeijs, diligen ter nobis inuestiganda sunt huius iuris principia, in natura & sacris literis, ut talia iactantibus occurrere, & illorum uanitatem solida doctrina conuincere possimus, ne malo publico, ut fit, indoctis & incautis ista occinant. Possunt autem huius iuris, quo constituuntur gradus libertatis & seruitutis in homines, euidentiorem causam reddere Christiani, quàm Philosophi, & qui solo humanæ mentis iudicio, rerum causas inquirunt atq; metiuntur. Nimirum peccati primi parentis, quo corrupta est natura, ac euersa naturalis libertas, & ea nobis imposita seruitus prauorũ affectuũ, ut sæpe nec facere possimus, quæ sana mens iubeat, quemadmodũ & Paulus de se ipso testatur, inquiens: Inuenio legem in membris meis, repugnantem legi mẽtis meæ. Itaq; ad integram naturam referenda sunt ea, quæ de æqualitate hominum dicuntur. Nam si natura mansisset incorrupta, eadem mansisset in omnibus uirtus, & potestas agendi. Iam autem postquam uitio peccati, collapsa & extincta est uis naturæ, adeo ut nisi uegetetur benedictione diuina, sterilis sit futura: Sicut nec parib. uiríb. tum corporis, tum animi, ita nec pari potestate regendi nos producimur ab ea. Proinde naturaliter euenit, ut qui benedictione diuina, ex melio-

Par in parẽ non habet imperium.

Natura oẽs liberi nascimur.

Libertatis iactatio grata est plebeijs.

Natura peccato primi parentis corrupta est.

Melior imbecilliori, superior inferiori præsit.

re na-

re natura natus sit, imbecilliori, tanquam superior inferiori, præsit. Neq; dici potest, quòd omnis potestas personæ in personam uiolenta sit, aut quòd ci uili instituto tantùm subsistat. Videmus etenim inuitis sæpe omnibus, non eum qui nomine tenus, sed qui naturalibus uirtutibus præstet, imperijs præesse. Vnde & Plato in quarto de legibus dicit, Deum reipublicæ non præficere homines, hoc est, quemuis humana specie natum, sed qui naturalibus animi uirtutibus communem hominibus concessam facultatem superant,
9 quos heroas uocamus, qui impetu diuino, & non humano ad res prudenter & fortiter gerendas rapiuntur. Non igitur uiolentia, aut arte humana, sed Deo corruptam naturam sua benedictione excitante & fouente discrimina personarum inter homines, ad regendum & conseruandum eos, in tam uaria eorum imbecillitate constituuntur. Ac proinde nec per discrimen personarum eripitur hominibus naturalis libertas, sed ea quatenus retineri in tam corrupta natura potest, Deo relinquitur gubernanda, ut ipse sua clementia pro necessitate omnium largiatur, qui illis præesse possint. Atque ita quamuis Deus non immediatè hominibus præsit, tamen quia sola illius benedictione, alius alio præstat, non potest dici, quòd per alium, quàm per Deum, homo ab homine discernatur, & cuiquam aliqua in alium potestas concedatur. Sicut nec fœmina aliqua Deo imputare potest, quòd masculo sit inferior natura. Porrò, quòd leges nonnunquam egrediuntur hoc discriminiculum naturæ inter personas, ut in seruitutibus mancipiorum, id in-
10 de fit, quòd propter metum grauioris periculi, necesse est duriorem quibusdam imponere seruitutem. Vt quia metuendum est, ne captus ad hostem confugiat, si ipsi liceat passim uagari, Iure uidetur hæc dominis concessa potestas in eos quos captos seruarunt, ut absque eorum uoluntate nusquam abeant. Atque ita Ciuilis necessitas duriora constituit uincula seruitutum, & tamen quia iura Ciuilia imitatione quadam naturæ constituuntur, nec merentur nomen iuris, si penitus ab æquitate naturali recedant. l. ius Ciuile. ff. de legibus. nulla potest dici legitima potestas personæ, quæ non est coniuncta beneficio. Nam nec natura quenquam alteri subiecit alio consilio, quàm ut ipsi prosit, ac eius iura tueatur, sicut est cernere in potestate patria. Et nos infrà in omnibus reliquis, quas Romanæ leges constituerunt, potestatibus ostendemus.
11 Itaque non est, cur aliquis has potestates personarum, quæ hoc iure constituuntur, tanquam iuri diuino & naturali libertati repugnantes reprehendat. Nam sunt harum potestatum etiam exempla scripturæ in sanctis patribus, qui seruos ijs conditionibus, quæ Romanis legibus describuntur, habuerunt. Quòd autem Paulus dicit, Inter eos,
12 qui in Christum baptizati sunt, neque seruum, neque liberum esse, non sic accipi potest, quòd inter Christianos non debeat aliqua esse personarum in personas potestas. Nam in eo loco, non de libertate Politica, sed fidei & spiritus loquitur. Etenim Galatæ accepto Euangelio in ea erant opinione, quòd nõ consequerentur remissionem peccatorum, quæ per Euangelium promitteretur, nisi legem Moysi, quemadmodum Iudæi, seruarent. Itaq; ut illis stultam opinionem eximeret, asserit nihil referre ad impetrandam remissionem peccati, quòd quis Iudæus uel Græcus, seruus uel liber sit, quia ea gratis pariter omnibus contingat, propter fiduciam in Christum, non propter ullius personæ meritum siue dignitatem. Et quòd ita debeat accipi Pauli locus, inde liquet, quòd in eodem contextu dicit, neque masculum, neq; fœminam esse inter eos, qui baptizati sunt in Christũ. Sicut igitur absurdum esset, ex Pauli loco contendere, nullam debere esse inter Christianos, inter masculũ & fœminam differentiam: Ita non sunt ferendi, qui propter hunc locum, Politicam quandã differentiam inter Christianos esse debere nolũt. Imp. uerò in C. Ne Christian. mancip. non prohibet inter Christianos esse seruos, sed nõ uult Iudæis, alijsq; hostib. Christi subijci, qui credũt se morte Christi liberatos ab

Heroës cur rebushumanis præficiantur

Ciuilis necessitas grauiorem seruitutem constituit.

Dictũ Pauli quomodo accipiendum.

omni seruitute hostium Christi. Hæc ergo breuibus annotanda putaui, ut indicarem Ius personarum non, sicut quidam stultè contendere audent, Iuri naturæ, aut diuino repugnare. Et ut discentes assuefacerem, ut formas Iuris ad causarum fontes referrent, atque ducerent. Nam ista inquisitione originis enitescunt formæ, ut aptè de earum æquitate iudicare possimus.

TITVLI QVIBVS IN GENERE AGITur de discrimine personarum.

ff.	Instit.
De statu hominum.	De Iure personarum.
	De his quæ sui, uel alieni iuris sunt.

QVAMVIS autem in his tit. quædam de seruis & libertinis admisceantur, ut alicui uideri possit, quòd non in genere, uerumetiam in specie de Iure personarum agant: tamen quia peculiariter proditi sunt hoc consilio, eoq; etiam tendunt, ut nobis ostendant, quomodo naturalis libertas sit diminuta, & certis gradibus astricta ex necessitate ciuili, debent quoq; eò referri. Nam quòd quædam admisceantur, de seruis & libertinis, id non inde fit, ut his titulis de illis peculiariter agatur, sed sicut fit in diuisionibus, ad declarationẽ generis enumerantur species, ut differentia, & tota eius ratio fiat dilucidior. Deinde quia leges ff ff. sunt quædam excerpta ex mediis disputationibus Iureconsultorum, ideo fieri non potuit, ut non alicubi quædam illis annexa sint quæ ad institutum titul. non ita multum faciant, cũm ipsi, ex quorum scriptis ea deprompta sunt, suo quodam consilio & occasione negotiorum scripserunt nonnunquam. Itaque sæpe accidit etiam in alijs titulis, ut admisceantur, quæ non peculiariter ad institutum titulorum pertinent. Sed nos sequamur consilium eorum, qui materias iuris ideo in titulos digesserunt, ut certorum locorum notionibus, siue Indicibus discendarum rerum Iuris constaret ratio. Cæterùm hoc in summa agitur his titulis, quòd libertas non sit talis quædam facultas, qua cuique liceat quod libeat, neq; sit ἀναρχία, sed sit certis leg. astricta, uidelicet, ut nunc dicuntur liberi, qui sunt ex legitimis nuptijs & liberis parentibus nati, & tamen legibus Romanis obstricti. Neque uerò leges faciunt multas species huius libertatis, sed relinquunt in hoc discrimine quòd alij sint ingenui, alij libertini. Qui uerò sint libertini, non satis intelligi potest, nisi explicata fuerit ratio, qua homines seruituti obnoxij, libertati restituuntur. Proinde nos secuti exemplum maiorum, nihil amplius de conditione liberorum hic dicemus, donec tractatum de potestatibus personarum absoluerimus. Nam ibi erit locus dicendi, quomodo homines consequantur libertatem ratione ciuili, quam amiserant.

Libertas quæ propriè dicatur.

DIVISIO POTESTATVM, quæ dantur personis in personas. Cap. IIII.

POTESTAS personarum alia est priuata, alia publica. Priuata est, quæ datur singulis in singulos: & hæc aut est administratoria, aut dominica. Administratoria est patris in filium, patroni in libertum, tutoris in pupillum, curatoris in commendatum. Nam hi non habent plenam potestatem dominandi personis, quæ ipsis obnoxiæ sunt, sed certa lege ipsis conceditur, ut illis, eorumq; rebus prospiciant. Dominica uerò dicitur, qua liberum nobis est, persona tanquam rẽ nostra, citra tamen atrocem iniuriam, uti, qualis est dominorum in seruos. Nam illis licet seruos uendere, & tanquam boue suo uti, modò potestatem suam non conuertant in sæuitiam ℣ ultim. Instit. de ijs qui sint sui uel

Administratoria potestas.

Dominica potestas.

uel alieni iuris. Publica potestas, quæ concordi suffragio à pluribus in unum aut plures confertur, & est aut Ecclesiastica aut Politica. Ecclesiastica, qualis est Papæ, Episcoporum aliorũ, qui ordinandorum sacrorum rituum autoritatem habent, de his omnibus & separatim dicemus. Primũm tamen de priuatis potestatibus, non quia potiores sint publicis, sed quia commoda uidetur progressio, ut ab illis, quorum explicatio planior est, ad eas, quæ propter amplitudinem suam intricatiores sunt, procedamus.

DE POTESTATE PATRIA.

Cap. V.

SVMMARIVM.

1. Patria potestas quæ sit & quanta.
2. Naturales & incœstuosi non sunt in nostra potestate.
3. Effectus patriæ potestatis undecim enumerantur.
4. Emancipatis non licet patrem in ius uocare.
5. Filius in iudicio uersari potest absq; patris consensu.
6. Inter patrem & filium ciuilis obligatio esse non potest.
7. Actio inter patrem & filium, si negentur alimenta.
8. Liberorum ueneratio & honor erga parentes.

1 PATRIA potestas est uinculum pietatis, qua liberi parentibus ad præstanda humanitatis & gratitudinis officia obstringũtur. Dicitur autem patria, quia patribus datur tantũm, & non matribus ℌ fœminæ. Instit. de adoption. nisi forte à principe impetrent in solatium eorum, quos in defensione patriæ & legum amiserunt, adoptare aliquos possint. l. mulierem. C. de adoption. Et datur 2 in liberos naturales & legitimos. Nam naturales qui ex illicito coitu nati sunt, non censentur in nostra esse potestate, nisi legitimentur ℌ ultim. Instit. de nup. Incœstuosi uerò non tantũm non sunt in potestate parentum, sed nec liberorum appellatione eos dignantur Romanæ leges. Authent. quibus modis naturales efficiuntur sui ℌ ultim. Appellatione autem liberorum ueniunt filius & filia, nepos & neptis, & qui ex illis procreantur, linea masculina. l. liberorum. ff. de uerbor. significatione. Et tamen qui ex filia alicui in matrimonium data nascuntur, non sunt in potestate aui ℌ ult. Instit. de patria potestate. Nam patris sui familiam & conditionem sequuntur, qui ex eo nati sunt ℌ 1. Instit. de legitima agnatorũ tutela, & l. cũm legitimę. ff. de statu hominum. Itaque in potestate patris esse rectè dicuntur filius, & qui ex eo nascuntur, sed non qui ex filia ℌ penult. Instit. de patria potestate. Quamuis autem ex his, quæ iam diximus, aliquo modo concipi possit, qualis sit potestas, quæ dicitur patria, tamen quia nulla potestas melius cernitur, quàm cũm eius effectus ostenditur, obiter quoque indicabimus, quæ patribus in liberos, quos in potestate habent, conceduntur. Et hoc 3 ideo quoque, quia plerique huius potestatis effectus non traduntur peculiaribus titulis, sed passim in uarijs locis quasi asperguntur alijs tractationibus rerum Iuris, ut non commodè infrà in relatione titulorum annotari queant. Primũm itaque, qui sub potestate patria sunt, illis si quid ex bonis profectitijs obuenit, non ipsis, sed patri acquiritur. Ex aduentitijs si quid illis accedit, ipsi quidem proprietatem, pater uerò usufructum in illis acquirit ℌ 1. Instit. per quas personas nob. acquir. Et hanc administrationem, quam pater habet in bonis liberorum, placuit inter primarios effectus huius potestatis referre, quia latissimè patet, & præterquam reliqui sunt peculiari titulo ab Imperatore declarati, C. de bonis quæ liberis. Secundò non possunt

Potestas patria quæ sit.

Naturales,

Incœstuosi.

Liberorum appellatione qui ueniant.

Primus effectus.

Bona profectitia & aduentitia.

Secũdus effectus.

ne emancipati quidem liberi patrem absque eius uenia in Ius uocare. Ac illi quidem, qui in potestate patris sunt, adeo id non possunt, quia lis nulla potest nobis esse cum eo, qui in potestate nostra est. l. Lis nulla. ff. de iud. Emancipatis autem hoc negatur, propterea quòd ingrati censentur, qui patrem, qui eos ex potestate sua dimisit, ad iudicem trahunt. Itaque si quid tale moliuntur, quo patris reuerentia grauiter offenditur, possunt in potestatem, ex qua dimissi sunt, reuocari à patre. C. de ingratis liberis. Potest tamen filius in iudicio uersari absque consensu patris, si de rebus agatur, in quibus patri non acquiritur usu fructus, ut in peculio Castrensi, & quasi Castrensi, iuxta notat. circ. l. primam. C. de bonis quæ liberis. Tertiò, pater occupat hæreditatem infantis ab alio instituti, si ante aditam hæreditatem fortè moriatur. l. Si infanti. C. de Iure deliberand. & Bartolus circa. l. Ventre. ff. De acquirend. hæreditat. Quartò, filius familias non obligatur ex mutuo, sine consensu patris. ff. ad Macedon. per totum Titulum. Quintò, non potest filius aliquid donare causa mortis, patre recusante. l. Tam is & prim. & ibi Glossa. ff. de donationibus causa mortis. Sextò, non potest filius familias inuito patre condere testamentum, iuxta. l. penultimam, & finalem. C. Qui testament. facere possint. Septimò, filius familias nolente patre, non potest Iure Ciuili contrahere matrimonium, in Instit. de nupt. in principio. Octauò, filius familias non potest sibi deligere Tutorem ignorante patre, nisi pater sit deportatus. l. finali. C. De sentent. pass. Nonò, potest pater filium, quem habet in potestate, obiurgare & castigare. l. prima. C. de emendat. propinquor. & l. Si filius. C. De patria potestate. Decimò, inter patrem & filium familias ciuilis obligatio esse non potest, in Institut. de inutilibus Stipulationibus & Item inutilis. Vndecimò, quamuis pater iuxta l. Qui filius. C. quæ res pigno. oblig. possint, filium in pignus dare non possit, tamen necessitate famis coactus, potest eum uendere, uel obligare. l. secund. C. De patribus, qui filios distraxerunt. Ex his arbitror posse colligi, quam rasit, & in quibus consistat hæc potestas. Quidam contendunt parentes & liberos necessitate Iuris & potestatis obligari, ad mutuam alimentorum præstationem, sed errant. Nam istud Ius est ex obligatione legis, de qua infrà dicemus in Capit. de pactis & obligationis. Quamuis enim & natura idem præcipiat, tamen ad istud uinculum necessitudinis obstringimur magis ex constitutione legis, ita ut competat patri actio in filium, & uicissim filio in patrem, si negentur alimenta. l. Si quis à liberis. ff. de liberis agnoscendis. Cæterùm de obsequijs, ad quæ præstanda parentibus liberi obligantur, peculiarem habemus Titulum. ff. De obsequijs à liberis parentibus præstandis. Vbi liberi non modò ad uenerationem parentum inuitantur, uerùm etiam publicè in eos animaduertitur, si qui maledicere illis, aut contumelia eos afficere audeant. Nam hoc & naturalis gratitudo exigit, ut liberi parentes reuereantur ac honorent. Sed hæc in genere de effectu huius potestatis annotasse sufficiat, tituli quos citauimus, reliqua indicabunt. Nos ad enumerationem causarum accedamus.

Tertium effectus.
Quartum.
Quintus.
Sextus.
Septimus.
Octauus.
Nonus.
Decimus.
Vndecimus.

QVIBVS MODIS PATRIA Potestas acquiritur. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1. Acquisitio patriæ potestatis quomodo fiat.
2. Adoptio quid sit, & eius diuisio.
3. Arrogatio inter quas personas esse possit.
4. Naturæ iudicium iustissimum esse.
5. Adoptio propter sexus imbecillitatem negatur fœminis.

6. Adop-

6. Adoptio & arrogatio quibus effectibus differant.
7. Legitimatio liberorum ad quid inuenta.
8. Legitimatio liberorum quid sit.
9. Qui possint legitimari aut non.
10. Modi legitimandi quinque.
11. Concubinatum iure ciuili esse licitum.
12. Instrumenta dotalia an requirantur in legitimando.
13. Naturales liberi qui dicantur.
14. Naturalis iuris clementia in liberis parentum uitio liberandis.

1 ACQVIRITVR autem hæc potestas, aut iustis nuptijs, aut adoptione, aut arrogatione, aut legitimatione. De nuptiarum iure nihil hic dicemus. Nam inter contractus, qui ex consensu existunt, eas ponemus. Itaque infrà in cap. de obligatio. de illis dicemus. Nam hoc loco ideo tantùm earum fit mentio, etiam in Instit. ut con- 2 stet, quibus ex causis patria potestas nobis concedatur. Et quia earum ratio ex obligationum natura pendet, commodius uidetur, ut ad earum tractationem has referamus. Porrò adoptio in genere ita definitur, quòd sit actus legitimus, per quem qui filius non est, pro filio suscipitur & habetur. Sed diuiditur adoptio in has species, in arrogationem uidelicet, & adoptionem in specie. Atque differunt quidem hæ duæ species uarijs modis. Primò, quòd arrogantur, qui suht sui iuris: Adoptantur autem, qui sunt in aliena potestate. Itaq; ut quis arrogetur, necesse est eum prius interrogari, uelit nec ne eum sibi esse patrem, & uicissim arrogans uelit ne arrogandum sibi esse filiũ. 3 Vnde infans non potest arrogari. l. 1 §. illud. & l. in adopt. & l. etiam infante. ff. de adoptionib. Præterea cogitur arrogator satisdare de restituendis bonis arrogati. Vt si fortè moriatur arrogatus, ad eas personas deueniant eius bona, ad quas alias Iure successionis uentura fuissent, si non esset arrogatus. l. nec ei §. ult. ff. de adopt. Hæc non requirũtur in adoptione speciali. Nam in hac sufficit, ut pater naturalis adoptanti concedat filium suum adoptandũ. Hoc tamen habent inter se commune, arrogatio & adoptio, quòd in utraque necesse est, eum qui adoptat, aut arrogat duodeuiginti annis maiorem esse eo, quem adoptare, aut arrogare expetit. Deinde ut appareat eum sanctissima affectione duci, qui adoptare, aut arrogare aliquem uelit. Neque enim facilè permittitur, ut tutor pupillum, pauper diuitem adoptet, aut arro- 4 get. l. nec. ff. de adop. Et quia naturæ iudicium iustissimum est, Iura ciuilia negant beneficium adoptionis & arrogationis illis, qui naturaliter impediti, liberos procreare non possunt. text. Bartol. cir. l. eadem. ff. de reb. dubijs. 5 Item propter sexus imbecillitatem adoptio negatur fœminis, iuxta gloss. cir. l. in multis. ff. de statu homin. Rursum autem differunt adoptio & ar- 6 rogatio etiam effectibus suis. Nam arrogatus consequitur omnia eatura in bonis eius, ã quo arrogatus est, quæ liberis naturalibus, & legitimis, in bonis parentum aliàs competunt. Etenim ille tanquam suus hæres arrogatori suo succedit, eiusq; familiæ tanquam ex eo natus aggregatur. l. penult §. ult. C. de adop. Imò nec emancipare, nec exheredare eum arrogator potest, sine iusta causa, nisi quartam partem suorum bonorum illi relinquat iuxta constitutionem Antonini Pij, l. Papinianus §. si quis impubes. ff. de inofficio. testa. Id quod ueteri iure ne quidem in liberis naturalibus & legitimis prohibitum fuit. Nam ueteri iure licuit parentibus naturales & legitimos liberos sine causa exheredare. l. inter cætera. ff. de liberis & posthumis. Adoptatus uerò ab extraneo non ita transit in adoptantis potestatẽ, sed manens in potestate parentis naturalis adoptanti solũ ab intestato succedit. At si quis fuerit adoptatus ã persona suæ familiæ, in linea ascẽdente, ut ab auo uel proauo, tum in bonis adoptiui patris, gaudet omni iure, quod aliàs liberis in bonis paternis

Acquisitio potestatis.

Adoptio quid

Arrogatio inter quas personas possit esse.

Naturæ iudicium iustissimum.

Adoptio negatur fœminis.

concedítur.l. cùm in adoptiuis.C. de adopti. Ediuerso, cùm arrogatus, & ab auo adoptatus assequantur Iura liberorum naturalium & legitimorum, postulat Iuris analogía, ut quicquid illi acquirunt, id patri & auo adoptiuo acquirant, omnemq; illis debeant reuerentiam & operam, quam suprà diximus liberos debere patri, in cuius sunt potestate. Porrò de legitimatione liberorum dicemus. Nam & hæc inter modos acquirendæ patriæ potestatis numeratur. Quamuis duplex sit caussa, cur beneficium legitimationis concessum sit patribus, nimirum ne temeraria parentũ libidine irrecuperabiliter læderẽtur liberi, cùm absque remedio excluderentur patria potestate & hæreditate. Ac uideri quidem possit legitimationem nõ tam esse modum patriæ potestatis, quàm modum acquirendæ patriæ hæreditatis: tamen quia liberis patris potestati traditis, quasi ex consequenti datur ius succedendi in paternis bonis, nõ absurdum uidetur, ut legitimatio non tã inter modos acquirendæ patriæ potestatis, quàm hæreditatis numeretur. Est autem legitimatio, remedium Iuris Ciuilis, quo liberis ex non iustis nuptijs natis succurritur, & est actus uerè uoluntarius, ex nulla necessitate Iuris proueniens. Sicut enim Ius patriæ potestatis non soluitur inuitis liberis, ita non inuitis illis in eos constitui potest. Authẽ. Quibus modis naturales efficiuntur sui. Neq; tamẽ ex quauis consuetudine mulieris procreati, possunt legitimari. Nam si qui generantur ex coitu prohibito, illi non possunt legitimari. l. Legem Anastasij. C. de naturalib. liberis. Itaque quibus ratione cognationis & ordinis, interdictæ sunt nuptiæ, illis negatur beneficium legitimationis. Proindesi quis ex serua, Monacha, aut cognata susceperit prolem, regulariter non permittitur illi, ut liberos ita quæsitos legitimos faciat, quia cũ talibus Iure ciuili nullæ possunt contrahi nuptiæ. Sed si quis ex concubina, id est, muliere, quam indubitato affectu secum habuit, susceperit liberos, eos potest legitimare. Nam concubinatus Iure Ciuili est licitus, non autem Iure Canonico, & diuino. Sunt autem hi ferè modi liberos legitimandi. Primus, qui est usitatissimus, ut pater concubinam, ex qua susceperit liberos, in uxorem ducat. In hoc autem modo legitimandi quidam uolunt requiri instrumenta dotalia, iuxta §. nec non Instit. de adoptio. Nec leuiter quidem solet à DD. in hac quæstione excutienda disceptari. Verùm sic potest dissolui hæc controuersia, quòd Iure Ciuili certum sit requiri dotalia instrumenta, præsertim inter personas illustres, & aliqua dignitate eminentes, non autem inter plebeios, & personas, quas leges uocant humiles. l. nuper. & l. Cùm quis. C. de naturalibus liberis. Porrò Iure Canonico sufficit, non clandestinas contrahi nuptias cũ concubina. cap. cum inhibito. extrà de clandestinis desponsationibus. Itaque cùm in gloss. §. finali. Instit. de gradib. Ius Canonicum in constituendis matrimonijs præferatur Iuri Ciuili, planum est, per subsequens matrimoniũ legitimari liberos, etiamsi nulla sint dotalia confecta instrumenta. Secundus modus est, si liberi naturales offerantur à patre Curiæ principis, aut Curiæ metropolitanæ Ciuitatis, uel filiam alicui ex curialibus in matrimonium collocet. l. iij. C. de naturalibus liberis. Dicuntur autem naturales, qui ex concubina procreati sunt, non qui ex prostituta nascuntur. c. reuerent. extrà. qui filij sint legitimi. Tertiò, si quis cùm haberet secum mulierem, quæ permittentibus legibus illi poterat esse uxor, scribat in testamento adhibitis tribus testibus fide dignis, quòd uelit liberos ex ea muliere susceptos esse legitimos. Nam tales consentientibus legibus pro legitimis habentur. l. Si quis. C. de naturalibus liberis. Quartò, si pater non habet legitimã sobolem, supplex rogat principem, ut patiatur liberos suos naturales ipsi esse legitimos successores. Nam si princeps talibus precibus locum dederit, tum absque matrimonio naturales liberi, tanquam legitimi, beneficio principis patri succedunt. Authentic. Quibus modis naturales efficiantur sui §. Illud tamen.

Analogia iuris, id est, conuenientia & proprietas.

Legitimatio liberorũ cur inuenta. 7

Legitimatio quid. 8

Qui possint legitimari aut non. 9

10

11

12

Naturales liberi qui. 13

tamen. Quinto possunt liberi legitimari, si legitima prole patris non existente, se ipsos offerant principi, hoc est, promittant se addictos fore ministeriis Curiæ principalis. Authentic. quib. mod. naturales efficiuntur sui §. Et iste modus. Atque his modis legitimati perinde ac si ex iustis nuptijs nati in patris potestate fuissent ad successionem paternę hæreditatis admittuntur. Olim etiam per adoptionem & arrogationem legitimabantur naturales liberi:
14 Videbatur etenim clementia naturalis Iuris suadere, ut uarijs modis liberi parentum uitio laborantes noxa liberarentur. Sed quia ista remissione legum, petulantia hominum augebatur, cũm facilè eos, quos ex concubina susceperissent, per adoptionem legitimare poterant, sublata est illis modis legitimandi facultas. l. legum Anastasij. in fin. C. de naturali. lib. & Auth. Quib. mod. naturales efficiuntur legitimi §. & non nos.

TITVLI QVIBVS TRADVNTVR MODI acquirendæ patriæ potestatis.

In ff.
De adoptionib.

Instit.
De adoptionibus.

Cod.
De adoptionibus.
De naturalibus liberis & matribus eorum, & ex quibus causis iusti efficiantur.

Auth.
Quib. modis naturales efficiantur legitimi.
Quib. modis naturales efficiantur sui.

His constitutionib. quædam admiscentur de nuptijs & Successionibus, quæ etsi ad sua quædam quoq; schemata pertineant, tamen non prorsus incommodè ad explicandam hanc formam iuris adhibentur. *De nuptijs et successionib.*

In Decretal.
Qui filij sint legitimi.

QVIBVS MODIS PATRIA potestas amittatur. Cap. VII.

SVMMARIVM.

1. Patria potestas qualiter pereat dupliciter.
2. Mors ciuilis quæ sit.
3. Capitis diminutio quæ uocetur.
4. Dignitas eximit filios patria potestate.
5. Patricius est principis consiliarius.
6. Duodecim esse dignitates quæ filios à patria potestate liberant.
7. Emancipatione filius patris potestatem exit.
8. Adoptione item aui.
9. Quæstiones quædam de patria potestate.
10. An pater possit impedire nuptias liberorum, si non consentiat.
11. In discendo singulas res obiter scire satis esse.

1 PERIT patris in liberos potestas, aut morte patris naturali, aut
2 ciuili. Naturali, si pater uita excedat, aut auus moriatur, nec parens extet, in cuius potestatem auo sublato ueniat. Ciuili autem morte quis perire dicitur, qui propter designata flagitia, iure & libertate ciuium priuatur, aut perpetuæ pœnæ addicitur: Vt sunt qui deportantur, aut in metallum damnantur. Et hanc fa- *Mors ciuilis quæ sit.*
3 cultatis & libertatis diminutionem, leges uocant capitis diminutionẽ. Itaque capitis diminutio rectè ponitur inter modos, quibus patria potestas amittitur.
4 Eximit & dignitas filios patria potestate, ut si quis fiat patricius, i. principis
5 consiliarius, aut consequitur uel honorarium, uel ordinarium consulatum,

aut præfectatur urbi, aut magíster militum, aut Quæstor, aut patronus fiſci fiat, aut in eorum uerſetur dignitate, qui à legibus uocantur clariſſimi, aut ſpectabiles, aut principi ſit ab epiſtolis, aut commiſſa ſit ei caularũ cognitio, quę ad principem deferuntur. Item cui contigit Epiſcopalis dignitas. Nec enim quælibet dignitas filios à patria poteſtate liberat, ſed hæ ſolũm, quæ aliãs nos conditione ciuili liberant, quarum xij. ſunt, iuxta gloſſam in ℔ filius famil. in uerbo, non liberat. Inſtit. quib. mod. patr. poteſt. ſoluit. Et enumerantur iſtæ xij. dignitates in Authentic. Conſtitutio. quæ de dignitatib. & in titul. de Decurionibus, libro x. C. Exit item filius patris poteſtatem, cũm à patre emancipatur, id quod fit, cùm ultro & conſentiente filio coram Iudice competenti ſua poteſtate eum ſe dimittere pater profitetur, l. de emancip. liber. Poteſt & adoptione transferri patria poteſtas, ſi pater filium det auo adoptandum ℔ ſed etſi pater. Inſtit. Quib. mod. patr. poteſt. ſol.

TITVLI QVIBVS TRADVNTVR MODI amittendæ patriæ Poteſtatis.

ff.

De adoptionib. & Emancipationib.
De capitis diminutione.

Inſtit.

Quib. mod. Ius patriæ poteſtatis ſoluitur.
De capitis diminutione.

Cod.

De emancipationib. liberorum. Communia de manumiſſionib.

Auth.

Conſtitutio quæ de dignitatib. & epiſcopatu liberat à patria poteſtate.

APPENDIX.

Poſſunt in hanc formam Iuris cadere quædam quæſtiones de poteſtate patria, quas nõ uideamur noſtra commentatione comprehẽdiſſe, Qualis eſt ea, qua quæritur, an pater poſſit impedire nuptias liberorum, ſi non conſentiat. Sed cogitandum eſt diſcentibus, in compendio non poſſe ſingulas quæſtiones Iuris, quæ ex uarijs caſuum circumſtantijs ſubinde in quaque forma Iuris mouentur, comprehendi: atque ſufficere, ut in genere præcipua capita cuiuſque formæ tradantur. Nam & eſt in diſcendo obſeruandum quod Vlpianus in l. quam Tuberonis. ff. de pecul. dicit, uidelicet, non ſingulas res ex neceſſitate ſcire nos debere, ſed παχυμερεστερον, id eſt, per maiores & craſſiores partes. Etenim cũm in Compendio regia quędam uia comprehendendarũ rerum oſtendi debeat, non eſt in ea ad ſingula diuerticula ſubſiſtendum, aut per ea deflectendum. Nam per ea, ſine incommodo ſuo quiſq; digredi poterit, poſtquam in regia illa uia diu uerſatus fuerit, ut nõ facilẽ aberret, etiamſi alicubi ab ea diuertatur. 9 10 11

In regia uia uerſari.

DE PATRONORVM POTEſtate in libertos. Cap. VIII.

SVMMARIVM.

1. Gratitudo debetur illis, à quib. beneficium accepimus.
2. Patronis reuerentia debita in quibus conſiſtat.
3. Liberti patronos alere coguntur.
4. Locuples hæreditas quæ dicatur.
5. Patroni poteſtas in libertum ingratum.
6. Operæ libertorum quæ ſint, obſequiales, fabriles, incertæ, artificiales, certæ.
7. Operæ artificiales quando petantur.
8. Differentia inter certas operas & incertas.
9. Certæ operæ & incertæ quomodo ſtipulari poſſint.

Naſcitur

1 NASCITVR & hęc poteſtas ex gratitudine naturaliter illis de
2 bita à quibus beneficium accepimus. Nam cũm quis ſeruum ma
numittit, poſtulat naturalis æquitas, ut ex ſeruitute ita dimiſſus
dominum tanquam patronum, & libertatis ſuæ autorem reue-
reatur. Nec eum ſuo nomine, abſque uenia Iudicis in Ius uo-
cet. l. Quæſitum. ff. de in Ius uocand. Item neque de dolo, aut iniuriarum,
aut de ui, & omnino nullam actionem, quę aliquid turpitudinis habet, etiam-
ſi non infamet, patrono libertus intentare poteſt. l. honori. ff. de obſequ. à
3 liber. & libert. parent. & patro. præſtand. Cogitur quoque libertus alere
egentem patronum, & eius liberos. Nam obſequium non ſolũm patronis, ue
rumetiam liberis eorum præſtare debere, indubitati Iuris eſt, adeò ut & liber
tus maternus cogatur alere filios patronæ. Non tamen hoc Ius pariter com-
petit in omnibus libertis. Nam ſi quis deſideret ſe ali ab eo, quem ex cauſa fi-
deicommiſſi manumiſit, quemq; ſuis ſumis non redemit, non auditur. l. ſi tu
is. C. de oper. libert. Sõlet autem de alimentis patroni arbiter dari, arbitra-
turus quantum ſit in facultatib. ut perinde poſſint alimenta moderari, quæ
tam diu præſtabuntur, quãm liberto ſuperſit, patrono deſit. Cogũtur liberti,
ſi idoneis ſunt facultatib. patrẽ quoq; & matrẽ patroni alere, ſi egentes ſint, et
patronus & filij eius minime ſuperſint. l. ſi quis ℣ ſolent. ff. de lib. agnoſcend.
& uiciſſim cogitur etiam patronus alere libertum egentem. l. alimenta. ff. de
4 liber. agnoſ. Præterea datur patrono etiã Ius ſuccedendi liberto, ſi locuple- *Locuples hæreditas quæ.*
tem relinquat hæreditatem, utputa ſi plus quãm centum aureos in bonis habe
at. Nam tantam ſummam pecuniæ leges uocant locupletem hæreditatem.
Atq; olim quidem, ſi patronus præteritus fuerat in teſtamẽto liberti, dimidiã
bonorũ partem petere poterat. Sed nouiſſimo iure, tertia tantũm pars illi da-
tur ſine onere. Si uerò inteſtatus deceſſit libertus, neq; reliquit liberos, tum
in totũ ei ſuccedit. Sed ſi minus habeat in bonis quãm centũ aureos, & teſta-
tus decedat, excluditur patronus. l. etiam ℣ & patronus. ff. de bonis libertõ-
rum. & ℣ ſed noſtra. Inſtit. de ſucceſſ. liber. Poſtremò habet patronus & hanc *Patroni poteſtas in liberum ingratum.*
5 poteſtatem in libertum, ut ſi ingratus illi ſit, nec præſtet quas debeat operas,
eum in ſeruitutẽ reuocare poſſit. Sed neq; id pariter omnibus patronis con
ceditur. Nam qui ex neceſſitate aliquem manumittunt, in ſeruitutẽ eum re-
uocare nõ poſſunt, etiamſi ingratus deprehẽdatur, neque imponere illis ope
ras poſſunt. l. iij. & ij. C. de oper. libert. niſi ſciens non poſſe ſibi imponi ope
ras paſſus eſt eas ſibi iniungi. l. campanus. ff. de oper. libert. Porrò dici-
tur opera officium diurnum, quod quis alicui exhibet per diem. ff. de oper. li- *Operæ libertorum quæ ſint.*
bert. l. i. & de condictione indeb. l. ſi non ſortem ℣ liber. Sunt autem operæ
6 aliq obſequiales, aliæ artificiales, aliæ fabriles: Obſequiales, ut ſalutare patro
num, ei aſſurgere, & præeunte eo caput aperire. Et poſſunt obſequiales com *Obſequiales operæ.*
prehendi ſub reuerentia quam libertus debet patrono. Et rurſum poſſunt ob
ſequiales diuidi in operas, quę ſunt in faciendo, ut gerere patrono negotia:
& quæ ſunt in non faciendo, ut non teſtari contra patronum. Atq; hæ qui-
dem operæ, quæ ſunt in non faciendo, tranſeunt ad hæredes patroni, etiam
extraneos, arg. l. uenia. ff. de in Ius uocan. Illę uerò operæ, quæ ſunt in facien
do, nõ tranſeunt ad hęredes patroni extraneos. l. liberti libertęq;. C. de oper.
libert. Sed ad filios tranſeunt. l. qui manumittuntur. C. de oper. libert. & de
obſequijs patrono præſt. l. v. Atq; adeo quidem hæ operæ debentur filijs
patronorum, ut eas etiam exhæredati, niſi conſtet eos iniqua mente exhære
datos, exigere poſſint. l. ſi patronus ℣ ſi quis non mala mente. ff. de bonis li-
bert. Nã obſequiales, præſertim quę ſunt in non faciendo, ut nõ uocare in Ius,
debẽtur patrono ratione naturali à liberto etiã abſq; eorum impoſitione. l. ſi
non ſortem ℣ libertas. ff. de condicti. indeb. Quamuis eadem ratione etiam
operę obſequiales, quę ſunt in faciendo, debeantur patrono. Aut. ut de cętero

liberti §. ij. Hæc de obsequial. operis, iam de fabrilib. & artificialib. quas Azo docendi gratia ita distinguit, quòd fabriles dicantur, cùm patronus in certas operas à liberto stipulatus est. Vt cùm non in spem operarum, sed tantùm in genere passus est sibi promitti operas per diem binas aut denas. Et quamuis leges sub appellatione fabrilium operarum alicubi etiam certas operas comprehendũt, tamen docendi causa nos quoq; retinebimus hanc differentiam, quòd fabrilium appellatione ueniant incertæ, Artificialium uerò appellatione, certæ operæ, ut sunt pictoriæ, & illis similes. Atq; utrisq; his operis, ita inter se conuenit, quòd stipulatione & iureiurando libertis imponuntur. l. ult. §. adeo. ff. de liberali causa. Sed differunt inter se uario iure. Nam certæ operæ statim cedunt, & ueniunt cùm possunt præstari, nisi fortè in earum stipulatione non sit expressum tempus eas præstandi. In isto nanque casu cedunt, cùm à patrono indicantur. l. operæ in rerum natura. ff. de operis libert. Et tamen hoc utrisque regulare est, quòd tum demum peti possunt, quando transierit tantum temporis spacium, quo præstari potuerunt. l. quoties certæ. & l. cum patronus. ff. de oper. libert. Differunt & in solutione certæ operæ ab incertis. Nam certæ etiam alij nomine patroni soluí possunt, incertæ uerò non. l. operæ in rerum. ff. de operis libert. In duob. tamen casibus etiam incertæ operæ alijs soluuntur, ut si patronus uti opera liberti non possit, aut si egestas eius cogat eum, ut promittat liberto, ut alij præstet nomine suo obsequia, ut patronum soluat ab obligatione, qua tenetur alijs, tum possunt etiam incertæ operæ præstari alij. l. patronus qui operas. & l. si libertus arcem. ff. de operis libert. Item differunt, quòd certæ operæ præstantur uictu & amictu patroni, incertæ uerò uictu libert. l. suo. & l. aut certæ. ff. de operis liber. Item certas operas possum ita stipulari, ut eas aut mihi aut Titio præstet, uel ut simpliciter nulla facta mentione personæ eas libertus promittat. Incertas uerò solũm sibi patrono stipulari potest. l. seruus patroni. & l. libertus. ff. de operis libert. Postremò differunt & operæ in transmissione earum ad hæredes. Nam cùm patronus à liberto certas operas stipulatus est, eas transmittit ad suos & extraneos hæredes, Si directè, & non per alios ad successionem ueniant. l. cum patronus §. cùm libertus. ff. de operis libert. Si uerò patronus stipulatus est sibi incertas operas, eas ad extraneum hæredem non transmittit. l. si operarum iudicio. ff. de operis libert. Ex his omnibus iam colligere quemq; facilè posse existimo, quòd Ius patronorum sit talis quædam potestas, quæ tribuat patrono ius exigendi operas obsequiales, artificiales, & fabriles à liberto, & quæ gignant mutuam inter se libertorum & patronorum obligationem præstandorum alimentorum, atque ius succedendi in liberti bonis, potestatemq; reuocandi in seruitutẽ, si libertus cessat edere operas, aut aliàs cõtumaciter ingratus erga patronũ deprehẽdatur. Et tamen non pariter omnibus patronis hęc potestas competit, quia nõ pari beneficio & benignitate libertas ab illis confertur, sicut apparebit ex modis, quib. hęc potestas acquiritur. Cęterùm quæ de effectib. huius potestatis hoc loco annotauimus, promiscuè tradũtur in titulis, quos nũc subijciam.

Fabriles operæ incertæ.

Artificiales operæ certæ.

Differentia inter certas operas & incertas.

7

8

9

ff.

De Iure patronatus.
De bonis libertorum.
De obsequijs à liberis & libertis præstandis.
De operis libertorum.
Si quid in fraudem patroni à liberto factum sit.
Instit.
De successione.

Cod.

De operis libertorum.
De bonis libertorum, & de iure patronatus.
De obsequijs patrono præstandis.
De libertis & eorum liberis.
Si in fraudem patroni alienatio à liberto facta sit.

QVIBVS

QVIBVS MODIS ACQVIRATVR Ius Patronatus in libertos. Cap. IX.

SVMMARIVM.

1. Manumissione acquiritur ius patronatus.
2. Modi recensentur quib. serui liberi fiunt.
3. Vindicta qualis sit libertatis acquirendæ modus.
4. Orxinus libertus quis dicatur.
5. Assignatio libertorum qualis sit modus.
6. Fidei commissaria libertas quæ sit.
7. Collusio affectatæ ingenuitatis.
8. Amplissimi ordines nimia indulgentia non sunt uulgandi.
9. Statum publicum non licere priuatis pactis mutare.

1 VNVS est modus acquirendi hanc potestatẽ, uidelicet, ut quis eum eamũe, quos iusta seruitute obnoxios sibi detinet, manumittat, & liberos esse patiatur. Verũ id non fit uno eodemque modo. Nam manumittuntur serui, aut per uindictã inter uiuos apud iudicem ordinariũ, uel extraordinarium, qui cognita causa seruum, petente aut permittente domino eius, liberũ pronunciet. Ac iudicat quidem Pomponius l. ij. ff. de orig. iur. hunc morem manumittendi apud iudicem hinc esse ortũ, quòd cũm Vitelliorum seruus quidam coniurationẽ proditionis suo indicio detexisset, Brutus eum publicè dignum libertate iudicarit: existimo factum, ut postea omnes, qui iusta ex causa apud Magistratũ manumitterentur per uindictam, siue apud concilium, id est, publica asserti one dicerentur libertate donati. Iusta autem causa sic manumittendi habetur qualiscunque probata fuerit iudici & recepta, tanquam ea, propter quam dominus debeat seruo libertatem tribuere. l. iusta causa. ff. de manu. uind. Qualis est, fuisse diligentem pędagogum, aut nutricem. l. si collactaneus. ff. eod. Sunt & aliæ causæ, ut coniuratores, uirginum raptores, adulteratores monetæ prodere, propter quas serui absque manumissione dominorum libertatem præmij loco, præsidis sententia accipiunt. l. qui necem. ff. qui sine manu. ad libert. perue. & C. quibus ex causis ser. pro præmio libert. accip. Sed de his infrà, ubi de modis, quibus à seruitute serui liberantur, in uniuersum dicturi sumus. Huc tantũm referendæ sunt causæ, propter quas serui à dominis per uindictam dimissi liberti fiunt, non propter quas uel inuitis dominis, seruitutem euadunt, eorumq; potestati penitus eripiuntur.

Serui quibus modis liberi fiant.

Manumissi uindicta.

Hæc de iudiciaria manumissione, nunc de testamentaria, qua non per iudicis sententiam, sed ultima dominorum uoluntate relinquitur seruis Libertas, aut directo, aut per fidei commissum. Directo manumittere seruum dicitur is, qui non ab alio eum dimitti in Testamento suo rogat, sed qui sine ambagibus testatur se illum uel illam, suum seruum aut seruam uelle esse liberum. 4 Vnde ueteres quoque eum, qui sic dimissus seruitute fuerat, dixerunt libertum orxinum, quasi ab eo, qui ad inferos descendisset, manumissum, & libertas ita relicta ipso iure, & absq; iudiciaria ulla cognitione competit seruo, postquam constat de domini uoluntate ex Testamento uel Codicillis Testamento confirmatis. C. de testament. manu. Atque illi quidem, qui per uindictam, aut directo seruos manumiserunt, plenum Ius patronatus sibi, omnibusq; suis hæredibus acquirũt, nisi fortè alicui ex hæredibus patroni assignatus sit libertus. 5 Quamuis enim ad omnes patroni liberos, qui eiusdẽ sunt gradus, libertus mortuo manumissore pertineat, tamẽ licet parenti, qui duos uel plures liberos in potestate habet, uni ex liberis, aut nepoti, loco parentis cum reliquis liberis succedenti, libertum assignare, nec ad cęteros liberos redit.

Manumissi Testamento. Directo.

Orxinus libertus.

redit Ius patronatus, nisi is, cui assignatus est libertus, nullis liberis relictis decesserit. ff. de assig. libert.

Assignatio libertorum.

Potest igitur & assignatio liberti, inter modos acquirendi Ius patronatus 5
& huius potestatis numerari. Per fideicommissionem autem liberti fiunt 6
non tantùm cum propriis, sed alienis, utputa seruuo hæredis mei aut legatarij, aut principis, aut municipij, & omnino cuiusuis extranei seruo libertas relinqui potest. Hac uidelicet ratione atque hoc modo, ut rogatus quandocunque possit eum redimat atque manumittat. l. generaliter. ff. de fideicommiss. libert. atque talis manumissio non tantùm in Testamento, sed & ab intestato alicuius fidei committi potest, & ut eum quem rogatus est, manumittat, si in sua potestate, aut si in aliena, redimat, ut liberare suam fidem possit.

Fidei commissaria libertas

Et quia ex necessitate liberandæ suæ fidei per fidei commissum rogati manumittunt seruos, quamuis manumissi fiant eorum liberti, & non eorum à quibus rogati sunt, tamen plenum Ius patronatus, sicut suprà indicauimus, in eorum bonis ac operis non consequuntur. ff. de fidei commiss. liber. Extra hos modos est & alius quidam quasi extraordinarius, quo non per beneficium manumissionis, sed odio affectatæ ingenuitatis libertus noster fit, is qui non contentus se esse libertum, conniuente patrono ad ingenuitatem proclamat, ut per collusionem sui patroni ingenuus iudicatus, peruenire ad amplissimos ordines possit. Nam si quis intra quinquennium probet tale quiddam 7
per collusionem esse factum, libertus, qui per errorem iudicatus est ingenuus, rursum eius fit libertus, qui collusionem detexit. Indignum nanque uisum est maioribus, permittere, ut nimia indulgentia amplissimi ordines uulgarentur. l. 1. ff. de collus. deteg. Vnde & Noniano Domitiano S. C. constitutum est, ne liceret priuatis pactis statũ mutare. l. 1. ff. de collus. detegen. Ius 9
igitur patronatus etiam acquirit is, qui collusionem fraudulenter affectatæ ingenuitatis in liberto detexit.

TITVLI QVIBVS MODI ACQVIrendi Iuris Patronatus explicantur.

ff.

De manumissionibus. — De manumissis uindicta.
De manumissis Testamento. — De fidei commissarijs libertatibus.
De assignandis libertis. — De collusione detegenda.

Instit.

De libertinis. — De assignatione libertorum.

Cod.

De uindicta libertate, & apud concilium manumissione.
De testamentaria manumissione.
De fideicommissarijs libertatibus. De collusione detegenda.

Serui Reipu.

Hæc obseruantur in manumissione seruorum, qui sunt singulorum dominorum, sed in seruis cuiusque reipub. manumittendis, necesse est, ut Decuriones in manumissionem consentiant, & ut manumittendus uice sua det alium. C. de seruis Reipub. manumitten. Concessit & diuus Marcus Imper. alijs omnibus collegijs, ut quibus coëundi Ius esset, manumittendi quoque haberent potestatem, ac proinde legitimam hæreditatem, liberti iure patronatus uindicarent. C. de manumissi. quæ seruis ad uniuersi. pertinen. impõ. Licet quoque uni ex socijs dimittere seruum communem, directo, uel per fidei commissum, fitqũe eius solum libertus, qui eum manumisit, ita tamen ut hæres manumittentis soluat, uel offerat per publicas personas precii partis aliorum dominorum. C. de communi seru. manum.

QVIBVS MODIS PATRONI Ius suum amittant. Cap. X.

Summa-

SVMMARIVM.

1. Adimi ius patrono uarijs modis, quos recenset.
2. Natales sunt ingenuitas & libertas naturalis.
3. Ius aureorum annulorum quod fuerit olim, nunc est sublatum.
4. Filius non uindicans mortem patris delinquit.
5. An patrono mercedem pro operis à libertis exigere liceat.
6. Beneficio non esse abutendum.
7. Grauis iniuria libertum reuocat in seruitutem.

1 ADIMITVR Ius patrono in libertum, uarijs ex causis, & nūc
2 in totum, nunc ex parte. In totum, si libertus à principe, patro-
no consentiente, natalibus, id est, ingenuitati & libertati natu-
rali, in qua primùm, & ante constitutas respub. omnes homines
fuerunt, restituatur. Nam sic restitutus, adeo eximitur potesta
te patroni, ut nec reuerentiam illi debeat, nec potest ingratus ab eo reuocari
in seruitutem, nec legitimam partem patronis in libertorum bonis debitam
petere, l. ij. ff. de natalibus restitue. & C. eo. l. ult. & ult. & ff. de bonis libert.
3 l. etiam. Olim libertis in signum ingenuitatis dabatur à principe aureus an-
nulus. Nam & si à dominis seruitute erant liberati, nulla tamen iura inge-
nuitatis illis concedebantur. Itaque multi ut suam conditionem redderent
meliorem, impetrabant ius annulorum à principe, quo illis semiplena inge-
nuitas, uidelicet, in contrahendis matrimonijs cum ingenuis, & consequen-
dis honoribus dabatur. Nihilominus enim donati iure aureorum annulo-
rum, manebant sub Iure patronorum, nimirum, ut illis succederent in bonis.

Porrò Iustinianus cupiens has ambages consequendæ libertatis sublatas,
sustulit illud Ius, atque constituit, ut omnes manumissi isto modo pro inge-
nuis habeantur, quo olim impetrato Iure aureorum annulorum fuerunt.
Authen. ut liberti de cætero §. 1. Negatur quoque patrono facultas eum co
gendi ad præstandas operas, si ipse egenti liberto neget alimenta. l. Diuus
Claudi. ff. de iure patron. Reliqua tamen iura patronatus manent illi inte
gra. Item si patronus iure iurando astringit libertum aut libertam, ne contra-
4 hant matrimonia, & liberos tollant. l. adigere. ff. de iure patron. Item si filius patris necem relinquat inultam, seruus qui eam detexit, meretur plenam
libertatem, & filius tanquam patre indignus, amittit Ius patronatus in eum
5 seruum. l. si filius. ff. de iure patronatus. Nec licet patronis mercedem pro
operis exigere à libertis: aut si quid tale faciunt, amittunt ius earum exigen-
darum: non autem alia iura patronatus. l. nec patronis. ff. de operis libert. Sed
est tamen distinguendum in exactione mercedis pro opera. Nam si patro-
nus id faciat, quia eius opera aliter uti non possit, tum magis exigere operas
quàm mercedem cupere existimandus est. l. patronus. ff. de oper. libert. I-
tem si exigat pro neglectis operis mercedem, accepisse precium pro opera in
6 telligitur. secus si de industria quæstum ex operis liberti quærat. Nemo e-
nim petulanter eo abuti debet, quod illi in subsidium iure concessum est. l.
si quàm. C. de ope. libert. Postremò amittit patronus Ius suum, si ultro id re-
mittat liberto, uel in manumissione, uel inter uiuos, aut ultima uoluntate.
7 Quia uerò talis remissio gratitudinem meretur, libertus nihilominus manet
obstrictus ad obsequiales operas, & potest reuocari in seruitutem propter gra
uē iniuriā. l. ulti. C. de bon. libert. & iure patronat. Et Authent. ut liberti de
cætero §. illud. Atque hæ quidem causæ amittendi Iuris patronatus locum
habent pariter in patronis & eorum liberis. Sunt autem & aliæ causæ, pro-
pter quas solùm liberi patronorum Ius patronatus amittunt. Vt si maiores
xxv. annis libertum capitis accusauerint, aut in grauem seruitutem petie-
rint. l. qui maior. ff. de bonis libert.

Filius non uindicans mortem patris.

Beneficio nō abutendum.

Tituli

TITVLI QVIBVS CONTINENTUR modi amittendi Iuris Patronatus.

ff.

De Iure aureorum Annulorum. De natalibus restituendis.

Cod.

De Iure aureorum annulorum, & de natalibus restituendis.

Authen.

Vt liberti de cætero annulo non egeant aureo, & ut pristinis restituantur natalibus.

Reliquæ propter quas Ius patronorum aut tollitur, aut minuitur, non peculiaribus titulis, sed sparsim in illis, quos suprà in hoc schemate Iuris annotauimus, traduntur.

DE ECCLESIASTICO Iure Patronatus. Cap. XI.

SVMMARIVM.

1. Beneficia in Ecclesias collata memoriam & gratitudinem merentur.
2. Fundatores inopes ex redditibus fundationum alantur.
3. Quod onus incumbat patronis.
4. Sacræ rei non est seruitus imponenda.
5. Ius patronatus non licet uendere, sed commutare.

NE illis, qui ante consecrationem Ecclesiarum aliquid in sacrum usum contulissent, beneficium suum perijsse uideretur, sed perpetua quædam memoria & gratitudo extaret, imitatione Iuris Ciuilis, à Canonibus constitutum est Ius patronatus in administratione rerum Ecclesiasticarum, uidelicet, ut qui autor fuisset alicuius Ecclesiæ extruendæ, aut condendi in ea altaris, aut cuiuscunque alterius fundationis Ecclesiasticæ, is habeat Ius præsentandi & offerendi eius, quem præesse Ecclesiæ, & redditibus in eam collatis frui uelit, adeo, ut si absque eius consensu, aut præsentatione recipiatur & ordinetur, iure possit remoueri, c. decernimus. xvi. q. vij. Habent et hoc beneficij fundationũ Ecclesiasticarũ autores, ut si premãtur inopia, ex redditibus earum alantur. c. quicunque. xvi. q. vij. Atque hoc quidem Ius etiam ad hæredes patronorum transmittitur, non proportionibus hæreditarijs, sed ad quemlibet in solidum. c. 1. ext. de Iur. patro. Rursum autem hoc oneris incumbit patronis, eorũmque liberis, ut patrocinium earum suscipere cogantur, scilicet, si interuerti res suæ fundationis animaduertant. c. filijs. xvi. q. vij. Consequuntur autem hoc Ius solũm illi, qui ante consecrationem Ecclesiarum aliquid in eas contulerunt. Nam si post consecrationem alicui hoc Ius concederetur, & obueniret, sacrę rei seruitus uideretur imponi, quod Iure prohibetur. l. seruitus. ff. commu. præd. rustic. & urb. Quod enim Iuris humani esse desinit, seruitutem non recipit. l. caueri. ff. communia rusticorum prædiorum & urbanorum.

Patronorum onus.

Acquirunt autem hoc Ius, uel qui fundant, uel qui ædificant, uel dotant Ecclesias ante consecrationem. c. cũm Abbatem in Monasterio. xviij. q. ij. & c. filijs. xvi. q. vij. Amittimus autem hoc Ius, cũm ultro isti renuntiamus, & in alium id transferimus. c. ex iusiuratione. ext. de iur. patro. Aut si quis suum ius, cum alterius Ecclesiæ patrono commutet. Nam uendere Ius patronatus nemini licet, sed id cum alterius Iure permutare admittitur. c. nemini. xvi. q. vij. Transfertur & nonnunquam hoc Ius, cum uniuersitate bonorum, ut si quis alicui uendat omnes suas possessiones, tum fit, ut occupatione talium bonorum, etiam Ius patronatus, si quod habuit uenditor, ad alium transeat.

transeat.c. cũm seculum. ext. de Iure patronatus. Videri potest & per successionem hæredis amitti hoc Ius. Verum successio non est tam modus amittendi, quàm acquirendi huius Iuris.

Cæterũm de hoc iure agitur originaliter xvi.q.vij.& c. piæmentis, & ibi gloss. usq; ad finem ejus causæ. Deinde in decretalibus vi.& Clementinis sub eodem ubiq; titulo, nempe de Iure patronatus. Et possunt argumenta huius Iuris duci ex ciuilibus constitutionibus eiusdem tituli, sicut passim facit gloss. in Decretis & Decretalibus.

DE TVTELARIA potestate. Cap. XII.

SVMMARIVM.

1. Hoc toto capite agit de onere & periculo administrandarum rerum pupilli.
2. Tutela quid sit.
3. Tutoris onus faciendi inuentarij est necessitas.
4. Quam diligentiam Tutor adhibere cogatur.
5. Tutor non tam rebus, quàm personis præficitur.
6. Sufficientia & conuenientia pupillo alimenta præstentur.
7. Vbi sit alendus pupillus. 8. Res pupilli non sint ociosæ.
9. Vectigalia non conducet tutor pecunijs pupilli.
10. De potestate tutoris.
11. Tutor in re pupilli loco domini habetur.
12. Res pupilli quas tutori liceat diuendere, uel non.
13. Absq; tutoris autoritate non obligatur pupillus.
14. Pupillus sine tutoris autoritate hæreditatem adire non potest.
15. Tutor in rem suam autor fieri non potest.
16. Tutor honorarius quis sit.
17. Administratio tutelæ uni ex pluribus mandari potest.
18. Seuera tutorum consensus exploratio non semper requiritur.
19. Autorem fieri quid sit. 20. Legitimi actus qui.
21. Autoritas tutoris requiritur in iudicio.

1 VAMVIS tanta sit cognatio tutelæ cum cura, ut utriusque potestatis tractatio multis titulis coniuncta sit, tamen quia earum uis & ratio in quibusdam diuersa est, non pigebit nos separatim de illis agere. Est autem tutela uis & potestas in capite li-
2 bero, ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere ne- *Tutela quid.*
3 quit, Iure ciuili data & permissa. l. ff. de Tutelis. Atque incumbit quidem Tutori hoc onus, ut quàm primũm adhibitus sit Tutelæ, præsentibus Iudice & tabellario, res pupilli describi, & in repertorium siue inuentarium referri curet. l. tutores. C. de administrat. tutor. Et est hoc inuentarium illi describendum, non tantũm, ut pupillus rerum traditarum quendam indicem habeat, uerumetiam, ut si aliquo casu pereant Chirographa debitorum, ipse possit debitores pupilli ex testimonio Inuentarij conuenire. l. Chirographis. ff. de administrat. & pericul. tut. Neq; debet quidem Tutor quicquam agere in rebus pupillarib. non descripto inuentario, nisi tale quiddam occurrat agendum, quod nec modicam dilationem ferre possit. l. Tutor qui repertor. ff. de administrat. Tuto. Et nisi Testator inuentarium describi prohibuerit. l. ult.
4 §. ult. C. arbitrium Tutelæ. Suscepta autem Tutela eam cogitur adhibere diligentiam, quam paterfamilias suis rebus bona fide præbere solet. l. generali-
5 ter, & l. à Tutoribus. ff. de administ. & periculo Tuto. Neque uerò Tutor tantũm rebus pupilli, uerumetiam moribus pupilli præficitur. Itaq; in primis danda est illi opera, ut meredes præceptoribus, non quas minimas poterit, sed pro facultate patrimonij, & pro dignitate natalium constituat. l. cũm plures. §. cum Tutor. ff. de administrati, & peric. Tutorum. Proximum, quod

Tutoris curæ incumbit, est, ut sufficientia, & isti ætati conuenientia pupillo præstentur alimenta. C. de alimentis pupil. præst. Quia uerò non satis tutum est, ut ubiuis capiat alimenta pupillus, legibus cautum est, ut si mater uitricum pupillo non adduxerit, apud eam alatur, l. i. C. ubi pupill. ali debe. Ac si fortè oriatur quæstio, ubi ali debeat pupillus, tutius uidetur legibus, 7 ut extraneus præferatur illi, qui est in spe succedendi pupillo. l. ij. C. ubi pupil. ali debe. 6

Dabit autem Tutor etiam seruis & libertis pupilli alimenta, si expediat. l. cùm plures §. cum Tutor. ff. de admin. & peric. Tuto. ut ministrent pupillo, uel ad studia, uel alimenta. Non debet res pupilli tenere ociosas, sed illis 8 aut comparet prædia, aut eas det in usuras legib. concessas. l. tutores & curatores. ff. de admin. & pericul. Tut. Non tamen pet unijs pupilli conducet uectigalia, ne omnia eius bona fisco obligentur. C. Tut. uel. Curat. uectigal. 9 conduc. Cogitur item Tutor nomina debitorum exigere non modò ab alijs, sed à seipso quoq; l. quoties. ff. de admi. & pericu. Tuto. Hæc de onere & periculo administrandarum rerum pupilli, quas ubiq; ea diligentia curare debet Tutor, qua suas in pari necessitate curaturus esset. Authenti. ut hi qui se obligatas habere perhibent minorum res §. ult. Iam de ipsa potestate Tutoris, 10 quę quamuis sit multa, tamen non licet illi quas libet eius res alienare, aut distrahere, multò minus eas alicui donare. Nam iuxta uulgatum dictum: Tu- 11 tor in re pupilli loco domini habetur, cùm tutelam bene administrat, nõ cùm pupillum spoliat. l. qui fundum §. si Tutor. ff. pro emptore. Proinde non nisi in certis casibus, C. Vt in constituenda dote sorori, et ex eodem patre cum pupillo natæ, Et mercede præceptoribus danda, mittendisq; solennibus muneribus amicis, Tutori licet alienare rem pupilli. l. de Tutel. et rationibus distrahendis. Et de admin. & peric. Tut. l. cùm plures §. cum Tutor. Et in uniuersum res pupilli, quæ seruando seruari non possunt, licet Tutori diuendere. 12

De potestate Tutoris.

Pupillum absque Tutoris autoritate non obligari.

Reliquas uerò res, quæ seruando possunt seruari, ut sunt horrea, balneæ, &c. non conceditur Tutori distrahere, nisi per inquisitionem iudicis, & cognitionem causæ, interpositionemq; decreti, ut fraudi locus non sit. l. non omni. & l. lex quæ. C. de admin. Tut. Rursum autem pupillus ita obstringitur Tutori, iure tutelæ, ut cum nullo quicquam possit pacisci, unde mutua oriatur obligatio, nisi Tutor autoritatem suam interponat, id est, cõtractum probet. Nam quod iudicio animi fit, in eo Tutoris consensus necessarius est, adeò ut si pupillus, neglecta autoritate Tutoris, cum quopiam contrahat, ipso iure contractus sit nullus, quia absq; ea pupillus nec uelle nec nolle creditur. l. pupil. ff. de reg. iur. Et l. quod pupillus. ff. de conditio. ind. In ijs autem negotijs, ex quib. non nascitur mutua obligatio, non requiritur Tutoris autoritas, ut si quid dari pupillus sibi stipuletur, non requiritur Tutoris consensus. Nam licet pupillo non adhibito Tutore suam conditionem facere meliorem. Inst. de autoritate Tutorum. In hac autem pupilli licentia, tres casus excipiuntur, quib. etsi uideatur suam conditionem posse facere meliorem, propter metum tamen periculorum, illi non permittitur, ut citra consensum Tutoris sese illis immisceat. Neq; enim statim illi permittitur, ut hæreditatem adeat, aut bono- 14 rum possessionem petat, uel fidei commissum agnoscat, etsi aliqua spes lucri inde affulgeat. Solent enim huiusmodi obuentiones rerum multis controuersijs esse implicitę, ut sæpe præstet eas negligere, quàm auidè sectari. l. minoribus. ff. de minorib. & de admin. Tutorum. l. obligare potest. in l. si pupillũ. Preterea Tutor non potest pupillum sibi obligare, uel autor fieri, ut seruo uel filio suo aliquid promittat. Regula nanq; Iuris est, Tutorem in rem suam 15 autorem fieri non posse. l. i. ff. de autoritate & consensu Tutorum. Ac si Tutori persona obiecta emat aliquid ā pupillo, perinde est, ac si ipse emisset. l. pupillus. ff. de auto. & consen. Tuto. Cæterùm si plures sunt Tutores, tum pupillus

Hæreditatis aditio quandoq; periculosa.

pillus potest uni obligari, alterius autoritate interueniente. l. pupillus. ff. de auto. & consen. Tuto. Per consequentiam tamen (ut uocant) potest pupillus Tutori obligari nullius alterius autoritate interueniente. Vt si pupillus adeat hæreditatem eius, qui debeat Tutori, tum isto casu nomine hæreditatis pupillus tutori obligatur. l. i. ff. de auto. & cons. Tuto. Necp uerò illi tantùm possunt pupillo contrahenti autores fieri, qui gerunt Tutelam, aut quibus ā contutoribus impositā uel concessa est administratio: uerumetiam honorarius Tutor, qui datur pupillo, ut sua autoritate alios in defendendo pupillo adiuuet, & negligentes accuset. l. pupillū. ff. de acquirenda hæreditate, & l. quod si fortē §. i. ff. de solutionib. Et nisi tutela diuisa fuerit inter Tutores, sufficit unum ex pluribus, cui mandata est administratio autoritatem pupillo præstare, exceptis negotijs quibus tutelæ ius dissoluitur, ut si pupillus uelit se in arrogationem dare, necesse est omnes simul Tutores fieri autores. Nam liberari ab onere tutelæ simul ad omnes spectat. Interest igitur tum pupilli, tum tutorū, ut dispiciant, an profuturum sit pupillo, ut tutela soluatur. l. sui. C. de autori. præst. Vt autem ualeat interposita autoritas tutoris, necesse est, eum ad autorandum per uim non cogi, necp ualet tacitus eius cōsensus, puta si morbo impeditus, non reluctetur contrahere uolentibus cum pupillo. l. i §. ult. ff. de auto. & cons. tut. Aut si negotium non satis intelligat, & per imprudentiam assentiat consentientibus. Nulla enim differentia est, non interueniat autoritas, an perperam adhibearur. l. ij. & l. non multum. ff. de auto. & consen. Tut.

Tutor honorarius quis sit.

Necp tamen usqp adeo seuerè requiritur exploratio consensus Tutorum, ut necesse sit eum semper interrogari, an consentiat, ut cum pupillo ille aut ille contractus fiat, sed sufficit, si ultrō dicat, se probare quod agitur. Hoc etenim est autorem fieri. l. ij. ff. de autor. & consen. Tutorum.

Autorem fieri quid sit.

Id uerò est necesse, ut si Tutor existimet profuturum pupillo, quod agitur, præsens statim in ipso negotio autor fiat. Nam si post longum interuallum temporis, aut per epistolam interponat autoritatem, nihil agit. l. obligari §. Tutor. ff. de aut. & conse. Tutorum. Si tamen non longē post perfectum negotium id faciat, cōtractus firmatur. l. Si quis nulli. ff. de acquiren. hered. Necp etiam opus est, ut ambæ partes contrahentium sint præsentes, sed satis est presente pupillo Tutorem consentire, ut cum illo, qui absens est, contrahat. l. obligari §. ult. ff. de aut. & cons. Tutorum. Ac postremō ubicunqp autoritas tutoris interponenda uenit, oratione pura & absoluta, & non conditionali uti debet tutor, etiamsi contractus, cui adhibetur autoritas, sit conditionalis. Legitimi enim actus, id est, à legibus & iure scripto instituti (ut sunt emancipatio, acceptilatio) necp diem necp conditionem accipiūt. l. actus. ff. de orig. iur. Preter alia negotia requiritur etiam in iudicijs autoritas tutoris. Nam pupillus necp ciuilem, necp criminalem actionem suscipere absqp consensu tutoris potest. l. Clarum. ff. de administr. Tut. Sed de his infrā, in c. de iudicijs, ubi dicendum nobis est, qui accusare non possunt, plura.

Legitimi actus qui.

TITVLI QVIBVS ONERA, & Ius Tutelæ describuntur.

ff.

De Tutelis. De administratione & periculo Tutorum & Curatorum.
De Tutelis & rationibus distrahendis.
Vbi pupillus educari uel morari debeat.
De autoritate & consensu Tutorum & Curatorum.

Instit.

De Tutelis. De autoritate Tutorum.

Cod.

De administratione Tutorum & Curatorum.
De periculo Tutorum & Curatorum.

De prædijs uel rebus minorũ sine decreto nõ alienandis uel obligandis.
Quando decreto opus non est. Vbi pupilli educentur.
De autoritate præstanda.

QVIBVS MODIS AC-quiratur Tutela. Cap. XIII.

SVMMARIVM.

1. Tutela quibus modis iniungatur & acquiratur. 2. Qui tutores esse possint.
3. Mulier quando tutelæ officio fungi possit.
4. Renunciatio beneficij Velleiani quando fieri debeat.
5. Filiusfamilias in publicis causis loco patrisfamiliæ habetur.
6. Mutus uel surdus tutores esse non possunt.
7. Seruus testamento tutor dari potest.
8. Quomodo tutores testamento dentur. 9. Codicillus quid sit.
10. De confirmatione tutorum in testamentaria tutela.
11. Voluntas testatorum honesta pro lege habetur.
12. Tutorũ inquisitio quæ sit facienda. 13. Modi tutelę mandandę ab intestato.
14. Vbi successionis est emolumentum, ibi & onus tutelæ esse debet.
15. In succedendo differentia agnatorum est sublata.
16. Legitima tutela quę dicatur. 17. Multitudo administrantiũ est perniciosa.
18. Quæ sit patronorum, parentum, fiduciaria, & datiua tutela.
19. Attilianus tutor unde dictus.
20. Liberti non petentis tutorem liberis patroni pœna.
21. Consilium quando punitur. 22. Locuples est idoneus tutor.
23. Qui petant pupillis tutores.
24. Magistratus quomodo & quando dare possit tutores.
25. Quando habenti tutorem tutor dari possit.
26. Satisdatio tutorum quando & quomodo requiratur.
27. Pupillum indemnem seruare qui teneantur.

Qui tutores esse possint.

TVTELA iniungitur aut Testamento, aut legitima necessitudine, aut fiducia, aut magistratus prospicientia, cũm intestatus decessit, quem dare liberis suis Testamento tutorem oportuit. His uerò modis fit Tutor non quilibet. Primũm enim hoc munus masculorum est, nec conceditur fœminis, nisi specialiter id à Principe impetrauerint. l. fœminæ. ff. de tutelis. Atq; hoc quidem iure ueteri, nouissimo autem iure conceditur tutela fœminis, si auxilijs à iure propter imbecillitatem illis concessis renunciauerint. Vt si promittant se nõ postulaturas, ut beneficio Velleiani S. C. liberentur ab obligationibus, quibus temerè se obstrinxerint, per fidei commissionẽ. Talibus, inquã, auxilijs si renunciauerint auia aut mater, ad tutelam liberorũ admittuntur, Authen. de heredib. ab intestato uenientib. & C. quando mul. off. tut. fung. potest. Ex masculis autem Tutor dari potest, pater uel filiusfa. l. nam quod. ff. ad Trebellianum. Nam in publicis causis filiusfa. loco patrisfa. habetur. l. filiusfa. ff. de his, qui sunt sui uel alieni iuris. Mutus autem uel surdus, illisq; similes, dari tutores uel Testamento, uel ab intestato non possunt. l. i. §. mutus. ff. de tutelis. Item nec minor xxv. annis, aut mente captus. l. si hæreditas. §. si furiosus. & l. Testamento Tutores. ff. de Testam. tutela. Potest autem nõ modò priuatus, sed & is, qui magistratum gerit, tutor dari. l. Tutor incertus. ff. de testa. tutel.

Mulier quando tutelæ officio fungi possit.

Seruus testamento tutor dari potest.

Quanquam autem & seruus propter uilitatem conditionis uideatur minus idoneus ad gerendam tutelam, iuxta l. in seruili. C. qui dare uel dari tutores possunt: tamen si fides & diligentia eius perspecta est domino, ut non dubitet tutelam liberorum suorum illi committere, tum mandata ab eo tutela intelligitur eum quoq; libertate donasse. l. quæro. §. Lucius. ff. de testa. tutel. Siue autem Testamento, siue alijs modis dentur tutores, non rebus, sed personæ, &

impuber-

impuberibus intelligi debent esse dati. l. certarum. & l. quia personæ. ff. de test. tut. Atq; dantur, ne pupilli relinquantur indefensi. Nam hoc anteqū ad tutelam admittuntur promittere debent. l. fin. C. de admin. Tut. Hæc de personarum discrimine, quæ in omnibus modis dandarum tutelarum pariter obseruantur. Iam de singulis, ac primùm quomodo tutela detur testamento. Quamdiu enim speratur Testamento datos esse tutores, de alijs modis dandi

8 Tutores non quæritur. l. si quis. ff. de testamentaria tutel. Dantur autem testamento Tutores à patribus, non à matribus, aut si dati sunt à matribus, per inquisitionem eos firmari necesse est. l. mater. C. de testa. tutel. & l. mulier. ff. de confirm. tut. Vt uerò pater possit Testamento dare tutorem, non requiritur, sicut in adoptione, magna ætas. Nam & minor xxv. annis tutorem suis liberis dare potest. l. iij. §. quamuis. ff. de admin. & peric. tutorum. Potest & à patrono & quolibet extraneo, Testamento dari Tutor impuberi, quem hæredem instituit: l. si patronus. ff. de confirm. tut. Porrò dantur tutores testamento, aut solenni, aut Codicillis, id est, libellis, quibus ultimam uoluntatem mandamus & testamur, cùm insperata aliqua necessitate impedimur, ut testamentum condere non possimus. Nam Iureconsultus in l. pater. §. cùm à patre, hanc defert uoluntati patris prærogatiuam, ut quamuis minus iure ab eo datus sit tutor, tamen debeat sine inquisitione confirmari à iudice, nisi causa propter quam datus uideatur, in eo mutata sit. Veluti si ex amico inimicus, uel ex diuite pauper factus sit. Possunt autem patres testamento non tantùm liberis, sed & nepotibus, atq; etiam posthumis, si eius sint conditionis, ut nati in patris sui potestatem ueniant. l. i. ff. de testa. tut. Item exhæredatis liberis. l. pater. ff. de testamentaria tutela. Naturali quoq; tantùm filio, pater tutorem dare potest, sed eatenus, ut per inquisitionem à iudice confirmetur. l. naturali. ff. de confirm. tut. & C. eodem. l. naturalib. Restat in explicatione testamentariæ tutelæ, ut de confirmatione tutorum quædam dicamus. Solet enim nonnunquam accidere, ut homines Iuris imperiti, in Testamento dent tutores, quos dari non oportuit, & tamen talis appareat testatoris in dato tutore uoluntas, ut ea minimè uideatur negligenda. Proinde ne honesta testatorum uoluntas, quæ pro lege habetur, Authent. de nuptijs §. disponat. periret, permissum est iudici, ut legitimè datum Tutorem per inquisitionem, aut etiam absque inquisitione, si ita uideatur, sua autoritate confirmet, ac pro Tutore habendum pronunciet. Dicitur autem inquisitio, morum & fortunæ hominis peruestigatio. Quoties in disputationem uenit tutelæ commissio, quæri solet à Iudice, an eius, qui datus est tutor, fides & diligentia ita sit perspecta, ut tutò illi possit tutela committi. Deinde an talis sit eius fortuna, ut non inuadendorum bonorum pupilli gratia tutelam ambire uideatur, quemadmodum fusè explicat titul. ff. & C. de confirma. tut.

Testamento tutores quomodo dentur

Codicillus quid.

Inquisitio tutorũ quæ sit.

Modi tutelæ mandandæ ab intestato.

13 Venio nunc ad modos quibus nobis tutela mandat cùm quis intestatus decessit, hoc est, nullum, cùm posset, Testamentum condidit, aut condidit, sed tutores in eo nullos dedit: aut quos dedit, antequam moreretur Testator, decesserunt §. quod autem. Instit. de legiti. agnato. tutel. Est autem inter hos modos præcipuus, quo quis cogitur eius pupilli esse Tutor, cui proximo gradu cognationis coniunctus est: Nam Regula est: Ibi plerunq; debere esse

14 onus, ubi successionis sit emolumentum. Hinc igitur accidit, cùm ueteri iure agnati in successione præferrentur cognatis, tutela quoque prius ad agnatos quàm cognatos deuolueretur. At postquam Iustiniani constitutionibus

15 sublata est differentia agnatorum in succedendo, Authentic. de hæredibus ab intest. uenientibus. Nouissimo iure pariter agnati & cognati, prout quis propiore gradu est pupillo iunctus, ad tutelam uocantur. Et tamen manst

16 eadem huius tutelæ appellatio, ut legitima dicatur, quamuis primùm ideo sic dicta sit, quia deferebatur agnatis, quos ciuilis ordinatio, & non natura in suc

ceſsione præferebat cognatis. Quia uerò accidere poteſt, ut ſimul plures eodem gradu cognationis exiſtentes, ad legitimam tutelam uocentur, conſultum uiſum eſt imperatori, ut ſi tale quid eueniat, habito inter eos delectu, unus aliquis ex multitudine eligatur, cui adminiſtratio tutelæ committatur, ne aliquid incommodi pupillis adferat multitudo tutorum. Vetus nanque eſt Prouerbium: multitudinem Imperatorum Cariam perdidiſſe. Et ferè ſolet eſſe pernicioſa adminiſtrantium multitudo. 1

Itaq; prudenter perſpectum eſt pupillis, ut in tali caſu unus uel duo, aut plures ex multitudine communi, aliorum periculo præficerentur tutelæ. Authent. Sicut. C. de legiti. tutela. Quòd ſi qui recuſant periculum alienæ adminiſtrationis ſubire, poterunt ipſi contutores ſuos ad ſatisdationem prouocare, aut illis eam offerre. l. legitimos §. in legitimis. ff. de legitim. Tutoribus.

Patronorum tutela.

Porrò, ex tranſmiſſione exempli huius Tutelæ, nata eſt quædam alia legitima tutela, uidelicet patronorum. Nam cùm lex duodecim Tabul. patronos adſucceſsionem libertorum uocaret, uiſa eſt prudentibus probabilis ratio, ut quamuis tutela libertorum patronis non eſſet lege expreſſè mandata, tamen exemplo legitimæ agnatorum Tutelæ, illis imponeretur. l. iij. ff. de legit. Tutoribus. Pari exemplo delata eſt tutela emancipatorum liberorum ad parentes. Nam poſtquam Senatuſconſulto Tertulliano parentes uocati ſunt ad hæreditatem liberorum, quos emancipauerunt, æquum uiſum eſt prudentibus, ut ad eos quoque deferretur tutela eorum, quos emancipati non condito Teſtamento reliquiſſent liberos aut nepotes, ſicut patrono pupillorum, quos libertus eius inteſtatus reliquit, tutela iniungitur. l. iij. ff. de legiti. Tut. & Inſtit. de legiti. parent. tutel. 18

Parentum tutela.

Poteſt & fiduciaria tutela inter legitimas numerari. Quamuis enim hæc à Iuriſprudentibus olim dicta fiduciaria, quia nulla lege, de ſucceſsionibus hortante, ſed ſola fraterni amoris fiducia fratribus adtuendos fratres emancipatos, uel eorum impuberes liberos data ſit, tamen quia nouiſsimo iure, C. de legitimis hæredibus. l. fin. §. ſed nec fratres, ad emancipatorum fratrum ſucceſsionem uocantur, poterit ea inter legitimas hodie numerari, ſed placet tamen ut uetus appellatio, diſcriminis cauſa retineatur. Quia ſi quis rem propius conſideret, non tam ratione legitimæ ſucceſsionis, quàm ex mera fiducia de fratrum erga fratres amore & fide hæc fiduciaria tutela defertur. Ac proinde rectè fiduciaria dicitur. Inſtitut. de fiduc. tutel. Sequitur has tutelarum, quas hactenus enumerauimus, formas, tanquam pediſſequa ea, quæ dicitur Datiua. Nam cùm nec Teſtamento datus eſt Tutor, aut qui datus eſt, propter ſuſpicionem remotus, uel per excuſationem dimiſſus eſt, uel quancunque ob cauſum naturalem uel ciuilem deſijt eſſe Tutor, nec eſt in cuius Tutelam ratione legitimæ neceſsitudinis deueniat pupillus, tum tanquam ad extremum præſidium proſpiciendi rebus pupilli ad Datiuam tutelam decurritur, atque ab ordinario magiſtratu illi Tutor datur, qui à ueteribus dictus eſt Attilianus Tutor, propterea quòd Attilius leges tulerit, de dando tali Tutore. Verùm non eſt ſemper expectandum, ut magiſtratus ſua ſponte hanc Tutelam alicui mandet, ſed certis quibuſdam perſonis eorum Tutorum petendi neceſsitas incumbit. Nam ſi mater, aut cognati, & quicunque ſunt in proxima ſpe ſuccedendi pupillo, ceſſent illi petere Tutorem à magiſtratu dari, & pupillus moriatur, tum ab eius ſucceſsione excludũtur. l. ij. ff. qui petant Tutor. & C. eod. l. fin. Item libertus, ſi ſupina quadam negligentia intermittat petere Tutorem liberis ſui patroni, ſubit periculum deſerti obſequij, & in ſeruitutem reuocatur. l. patroni, & ibi gloſſ. C. qui petant Tut. Neque ſatis eſt has perſonas petiſſe Tutores, niſi idoneos quoque petierint dari. Cùm in hoc ſtudio, etiam conſilium punitur. Idoneus autem 19 20 21

Fiduciaria tutela.

Tutela datiua.

Attilianus tutor.

22 tem utcunque uideatur Tutor, si locuples sit, ut damnum pupillo datum
23 possit compensare. l. ij. ff. ad S. C. Tertullianum. Illi uerò qui non sunt in proxima spe succedendi pupillo, Vt sunt affines, extantibus cognatis, nulla pœna ad petendum Tutorem coguntur, sed solius honesti officij ratione id ab illis expetitur. l. si minores. ff. qui petant Tutores. Potest autem per Procuratorem Tutor peti, ut si mater aut legitimi hæredes pupilli, aliquo fortuito casu impediantur, quò minus petere à magistratu Tutores possint, tum licet illis per procuratorem eum petere, Argumento leg. Cùm à matribus. C. qui pet. tut. Porrò, cùm aut nulli sunt, quibus necessitas petendi Tutoris incumbit, aut qui sunt, facere illud negligunt, potest à magistratu nullo etiam
24 petente dari Tutor pupillo. l. i. ff. de iurisdictione omnium iudic. & l. quòd dicis. C. qui dare Tutor. possunt. Neque uerò Tutorem magistratus dare potest, nisi in personas Tutoris & pupilli habeant Iurisdictionem. l. neque à præside. C. qui dare Tutores possunt. Qui uerò habet Iurisdictionem in eas personas, eius potestas etiam ad facultates, quas pupillus in alio habet territorio, extenditur. l. i. in fin. ff. de tutoribus & curatoribus datis ab his. & Bartol. circa legem, magistratus. C. ubi petuntur Tutores. Possunt & magistratus municipales dare tutores, cùm facultates pupilli non excedunt quingentos aureos. l. ius dandi. ff. de tutoribus datis ab his. Ac si quando accidit, ut magistratus ciuitatis absit, manet dandi tutores potestas apud ordinem decurionum. leg. ubi absunt. ff. de tutoribus & curatoribus datis ab his. Non tamen quemuis statim possunt dare tutorem, qui dandi eius habet facultatem, adeò ut nec omnes illi, qui in Testamento dari possunt, à magistratu dari queant. Neque enim seruus, aut colonus patrimonialis, aut fisci curator, aut miles ad aliam militiæ, aut etiam curialis dari Tutor potest, leg. in seruili, & leg. nec magistratum, & leg. militiæ. C. qui dare Tutores possunt, & leg. generali. ff. de tutoribus & curatoribus datis ab his. Quamuis autem ei, qui Tutorem habet, alius dari non possit, tamen certis ex causis, Vt si diu absens sit, si relegetur, uel propter suspitionem remoueatur Tu-
25 tela, potest alius dari Tutor. l. licet. C. in quibus casibus tutores habe. tutor. uel curatores dar. poss. Illustribus autem, ut regum liberis, & clarissimis, ut præsulum liberis, olim personis dabantur Tutores à senatoribus, & confirmabantur à Præfecto urbis, sed hodie à Curialibus talium personarum dantur Tutores, si quos reliquerint pupillos. C. de Tutoribus uel curatoribus illustr. & clarissimarum personarum. Cæterùm solet hodie à Tutore Datiuo requiri regulariter satisdatio §. nos autem. Institution. de Attiliano Tutore, nisi fortè hæ sint Tutoris facultates, ut ei remittatur satisdatio,
26 eò quòd bona eius sufficiant ad resarciendum damna, quæ per eum data deprehenduntur, leg. de creationibus. C. de Episcopis audientibus. Accipitur autem satisdatio à Tutore Datiuo adhibitis pupilli cognatis, si eos habeat qui testentur, nullum illi in testamento datum Tutorem, & se ex sufficientibus causis esse excusatos ab onere Tutelæ. Deinde stipulanti pupillo, Tutor cogitur publico notario promittere se operam daturum, ut pupillum indemnem seruet: ac si opus esse uideatur, petuntur etiam à Tutore fideiussores. His uero omnibus ita actis, ac per notarium scripto conceptis, iudex suam autoritatem interponit, ac se præsente ac probante ista ita gesta esse testatur, iuxta notata Specul. iij. part. i. de Datiuo tut. uers. in
27 datiua. Tenentur autem pupillum indemnem seruare non modò illi, qui satisdederunt, uerumetiam illi, qui satisdationem acceperunt, si apparet, non summam ab illis esse adhibitam operam, ne Tutore idoneo careret §. sciendum. Institut. de satisdat. Tuto. Sed de obligatione indemnem seruandi pupillum, infrà in Actionibus.

Qui petant pupillis tutores.

Idoneus Tutor.

Qui habet iurisdictionem in personam, eius potestas etiam extenditur ad facultates istius personæ in alieno Territorio.

Quando habenti tutorē Tutor dari possit.

Satisdatio tutorum quādo & quomodo requiratur.

TITVLI QVIBVS MODI DANdæ Tutelæ traduntur.

ff.

De teſtamentaria Tutela.

Inſtit.

De legitima agnatorum Tutela.
De legitima parentum Tutela.
De Attiliano Tutore.
De legitima patronorum tutela.
De fiduciaria tutela.

Cod.

De teſtamentaria tutela.
De legitima tutela.
De confirmando tutore.

His titulis traduntur modi & cauſæ dandorum Tutorum, ſequentibus uerō indicantur quædam obſeruationes, quas metus periculi in dandis idoneis tutoribus ratione & reſpectu diuerſarum perſonarum requirit.

ff.

Qui petant tutores uel curatores.
De Tutoribus & Curatoribus datis ab his qui ius dandi habeant, & in quibus caſibus ſpecialiter dari poſſunt.

Inſtit.

Qui dare tutores poſſunt.
De ſatiſdatione tutorum uel curatorum.

Cod.

Qui dare uel dari Tutores poſſunt, uel non.
Qui petunt Tutores uel Curatores.
Vbi petuntur Tutores uel Curatores.
In quibus caſibus Tutorem habenti Tutor uel Curator dari poteſt.
De Actore & Tutore ſeu Curatore ordinando.
De Tutore uel Curatore, qui non ſatis dedit.
Si contra matris uoluntatem Tutor datus ſit.
Quando mulier officio tutelæ fungi poſsit.
De Tutorib. uel Curatorib. illuſtriſsimarum, uel clariſsimarū perſonarū.

QVIBVS MODIS TVTEla finiatur. Cap. XIIII.

SVMMARIVM.

1. Tutelam finiri multis modis.
2. Pubertatis finis in maſculo eſt xiiij. anno, in fœmella xij. anno.
3. Mors ciuilis quæ. 4. Capitis diminutio triplex eſt.
5. Tutores ſuſpecti poſſunt remoueri.
6. Propter aduerſam fortunam non remouetur tutor.
7. Enumeratio cauſarum recuſandi oneris tutelæ.

FINITVR tutela, aut pubertate pupilli, aut arrogatione, aut morte pupilli, uel tutoris, aut deficiente datæ tutelæ conditione, aut remotione tutoris, propter doli ſuſpicionē, aut tutoris ā tutelæ onere excuſatione. Pubertate pupilli finitur, cūm maſculus xiiij. aut fœmella xij. exceſſerit annum. l. ult. C. quando tut. uel cur. eſſe deſi. Arrogatione finitur, quando pupillus arrogatus deſijt eſſe liber. Ac proinde poteſtas tutelę, quę datur in liberum caput, in eum non competit, iuxta definitionem tutelæ. l. i. de tut. Morte aūt pupilli, aut tutoris, finitur tutela, ſiue naturaliter, ſiue ciuiliter mortui dicātur. Ciuiliter mortuus habetur, qui eſt capite diminutus. Eſt autē triplex capitis diminutio. Maxima, cūm quis fit ſeruus pœnæ, Vt eſt damnatus in metallum. Media, ſi quis deportatur in Inſulam, aut relegatur. Miníma, cùm quis ſtatum & cōditionem perſonæ tantūm mutat, ut eſt arrogatus. Sola autem legitima tutela finitur mi-

Mors ciuilis. Capitis diminutio triplex eſt.

nima

nima capitis diminutione. Item sola testamentaria tutela, finitur conditione institutionis deficiente. Nam legitima & datiua, quia sunt actus legitimi, cum condonatione dari non possunt. l. actus. ff. de reg. iuris. Omnes uerò cuiuscunq; generis fuerint tutores, possunt propter suspicionem à tutela remoueri. l. i. §. ostendimus. ff. de suspectis tutoribus. Suspecti autem tutores censentur, qui fraude, aut culpa administrationis suæ officia, de quibus in principio huius formæ diximus, intermittunt. Propter fortunæ autem inclementiam remoueri à tutela tutores non possunt, nisi fortè illi ipsi quoque hæredes sint pupilli. Nam tum à creditoribus hæreditarijs tanquam suspecti ad satisdationem cogi possunt. l. si creditor. ff. de priui. credi. *Fortunæ inclementia.*

Porrò causæ recusandi oneris gerendi tutelæ sunt, ætas, aduersa ualetudo, paupertas, multitudo liberorum, imperitia literarum, absentia quę fit reipub. causa, onera aliarum tutelarum, inimicitiæ capitales, iniuriæ atroces, militia, publicum docendi munus, magistratus, dignitatis splendor, administratio rerum principis, data à principe transferendi domicilij licentia, regionum distantia. Propter has autem causas excusantur à tutelæ onere illi, quibus ritè ea imposita est. Nam illi quibus tutela non ritè imposita est, absq; his causis, ipso iure ab eo onere tutelæ liberati sunt. l. scire oportet. §. qui non. ff. de excus. tuto. & earum temporibus. Quia uerò causæ excusandi se à tutela, peculiaribus titulis complexæ sunt, & diserte, ac perspicuè in illis explicatur, quatenus quæq; locum habeat, ut quis ad harum cognitionem non opus habeat interprete, aut fusiore cōmentatione, ipsos titulos subijcio loco argumēti.

TITVLI QVIBVS EXPLICANTVR MODI adimendæ & recusandæ tutelæ.

ff.

De suspectis tutoribus & curatoribus. De capitis diminutione.
De excusationibus tutorum & earum temporibus.

Instit.

Quibus modis tutela finitur.
De suspectis tut. uel curatoribus. De capitis diminutione.

Cod.

Quando tutores uel curatores esse desinant.
De suspectis tutoribus uel curatoribus.
De excusationibus tutorum uel curatorum, & temporibus earum.
Si ex falsis allegationibus excusatus sit.
Qui ætate excusantur. Qui morbis se excusant.
De excusatione ueteranorum. Qui numero tutelarum se excusant.
Qui numero liberorum se excusant. Si tutor reipub. causa aberit.

DE CVRATORIA POtestate. Cap. XV.

SVMMARIVM.

1. Curatores & tutores in quibus differant, & quibus dentur.
2. Prodigus quis habeatur. 3. Curatores ad bona, & in litem quando dentur.
4. Negotiorum gestor quis dicatur. 5. Curator omnis à iudice datur.
6. Confirmatio curatorum decreto iudicis fiat.
7. Inuentarium bonorum & tutor & curator conscribere cogitur.
8. Iuramentum Curatoris quod & quæ satisdatio.
9. Pericula eadem sunt curatoris quæ & tutoris.
10. Curatoris potestas quando finiatur.
11. Maniaci & Lunatici perpetuò egent curatore.
12. Curator in litem manet donec lis finitur.
13. Excusatio & remotio curatorum eadem quæ tutorum.

CVM

CVM parum admodum differant curatores à tutoríb. l. ſcire. ff. de excuſ. tuto. nos ea tantùm annotabimus, quæ curatorum ſunt peculiaria. Reliqua quæ ueniunt in conſtituendis curatoríb. obſeruanda, uolumus ut quiſq; per ſe ex illis, quæ de datione, adminiſtratione, & autoritate, ac periculo tutorum diximus, petat ac colligat. Nam in pleriſq; eſt eadem obſeruatio Iuris, ſicut inſcriptiones titulorum quoq; indicant, quib. curatores ferè tutoríb. ubiſq; coniunguntur. Eſt autem prima curatorum à tutorib. differentia, q tutores tantùm pupillis & impuberib. dantur, curatores uerò regulariter quidem puberibus atq; adultis, ſi ea ſit in illis mentis & ualetudinis, aut ſexus, aut ætatis imbecillitas, ut reb. ſuis per ſe præeſſe non poſſint. Nonnunq; tamen quoq; impuberibus dantur. §. interdum. Inſt. de curat. Dantur igitur curatores furioſis, & omnib. illis, qui propter alienationem mẽtis, aut ſenſuum defectum, ut ſunt ſurdi, muti, rebus ſuis præeſſe non poſſunt. ff. de curat. fur. uel ali. ext. minor. dandis. Item datur etiam curator prodigo. Habetur aũt prodigus, qui neq; tempus, neq; modum expenſarũ nouit aut obſeruat. C. de curat. fur. uel prod. Porrò ſicut tutor principaliter datur ad defendendam perſonã pupilli, ita curator principaliter datur, ut proſpiciat reb. puberum. Hinc eſt q curator poſſit dari ad curandam certam rem uel cauſam. §. item inuitis. Inſt. de curatoríb. cũm tutor certę rei dari non poſſit. §. certę. inſt. qui Teſtam. tut. dar. poſſunt. Ac proinde dantur curatores bonorum, cũm hæredes inſtituti de adeunda hęreditate deliberant. l. cũm deliberant. ff. de cura. fur. Item dantur curatores in litem perſonis, quib. per ſe uerſari in iudicio non licet, Vt ſunt fœminę, & minores 25. annis. C. de in litem danda tut. uel curat. & talis curator datur etiam inuitis, quamuis regulariter aliãs curator nemini inuito datur. l. uentri. ff. de tut. uel curat. Item datur nõnunq; uentri quoq; curator. Id uerò fit cũm mulier pręgnans in teſtamento eſt pręterita, & tamen nõ dubium eſt, eam ex teſtatore eſſe grauidã. Nam te datur illi curator, qui pro facultate & dignitate defuncti atq; mulieris illi pręſtat neceſſaria ex bonis. l. i. §. quoties. et §. muli. ff. de uen. in poſſ. mit. Tales aũt curatores qui ſunt, pręficiuntur certis negotijs aut reb. neq; procuratores, neq; geſtores negotiorum dici poſſunt. Nam procurator eſt, qui mandato domini, in iudicio eius nomine uerſatur. Negotiorũ uerò geſtor is dicitur, qui ſua ſponte propter honeſtã aliquã rationem aliena negotia ſuſcepit curãda.

Curatores et Tutores in quibus differant.

Prodigus qnis.

Curator. in litem dantur etiam inuitis.

Cæterũm regulariter omnis curator datur à iudice. Nam per leges nulli uocantur ad gerendam curam, pręter agnatos furioſorum & prodigorum, illi per legem xij. Tab. coguntur ſuſcipere curam ſuorum agnatorum, ſi illis opus ea eſſe uideatur. §. furioſi. Inſtit. de cura. Sed nihilominus hodie dantur quoq; illis curatores cum inquiſitione à magiſtratu. Necſi à patre quis datus ſit curator filio ſuo furioſo, aut prodigo, ad gerendam curam admittitur, niſi decreto Iudicis confirmetur. l. de creationib. C. de epiſc. audi. Vbi forma confirmandorum curatorum à Iudice quoq; traditur. Idem autem poſſunt dari curatores, qui tutores. Sic autem datus tutor à iudice, uel ab eo confirmatus, nihilo plus habet autoritatis in alienandis bonis, quæ eius curę cõmiſſa ſunt, q; ſuprà tutorem habere diximus. Cogitur quoq; curator, eodem modo inuentarium bonorũ conſcribere, ſicut tutor, ſed pręter id exigitur etiã ab eo ut ſanctẽ iuret, ſe omnia rectè, & cum utilitate eius, cui datus eſt curator, uelle agere, &c. Authent. ut hi, qui fœminores obli. habe. perhiben. §. penul. collat. vi. Item cogitur omnis curator ſatisdare, atq; etiam fideiuſſores dare, niſi eas habeat facultates, quæ ad compenſanda damna ſufficere uideantur. l. ult. §. Cũm antiquitas. C. de curat. furioſ. uel prodig. Quòd ſi quid ſua ſupinitate neglexerit, eadem illi imminent pericula, quæ tutori in neglecta adminiſtratione tutelæ, iuxta totum titulum ff. de adminiſtrat. & peric. tuto. & curat.

1 2 3 4 5 6 7 8 9

Finitur

10 Finitur autem hæc potestas, quando is, cui datus est curator, desijt opus habere curatore. Vt si ita restitutus est sanitati mentis, aut corporis, ut ipse rebus suis prospicere possit. Item cùm datus est curator insano, tum cessat quis esse curator, quãm primùm menti restitutus est, nisi fortè talis est insania, quę
11 certis temporibus intersistat, ac redeat, qualis est Mania, qui Lunatici uocantur. Nam tum manet curator, donec is, cui ob talem furorem datus est, uiuit, l. prim. §. tamdiu. ff. de curato. furios. & cęte. et l. Cum alijs. C. de curato. furios.
12 Is uerò, qui in litem datus est, curator manet, donec lis finitur, aut controuer
13 sia transigitur, dicta l. prim. ff. de curato. furios. Excusantur, & remouentur curatores ijsdem modis, quibus tutores, iuxta l. Titius §. sed à Prætore, & ibi gloss. de excus. tuto. & curato.

Cura quomodo finiatur.

TITVLI QVIBVS EA, QVAE SVNT curatoribus peculiaria, traduntur.

ff.

De Curatoribus furioso. & alijs extra minores dandis.
De curatore bonis dando.
De uentre in possessionem mittendo, & Curatore eius.

Instit.

De Curatoribus.

Cod.

De Curatore furiosi & prodigi.
De in litem dando Tutore uel Curatore.

HIS titulis præcipuè adiungas l. de creationibus. C. de Episcop. audi. & Authèntic. ut hi qui se obligatas minorum res habere perhibent. Nam his duobus locis traduntur, quæ specialiter in curatore obseruanda sunt.

DE DOMINICA POtestate. Cap. XVI.

SVMMARIVM.

1. Dominica potestas à libertate naturali longissimè recedit.
2. Præferendum est ius, quod naturali æquitati & libertati proximum est.
3. Seruitus unde primùm ducta sit. 4. Libido dominandi insolentissima.
5. Potestas dominorum in seruos quousq; se extendat.
6. Seruorum conditio de iure ciuili, qualis sit hodie.
7. Cum seruo nullum posse esse iudicium. 8. Serui ex delictis obligantur.
9. Serui in dominum torqueri non possunt.
10. Serui non possunt esse notarij.
11. Seruus non sibi, sed domino acquirit.
12. Possessio non tantum corporis sed iuris etiam est.
13. Eosdem esse seruitutis effectus.

CONSVLTO in hunc usq; locum distuli de hac potestate agere. Quamuis enim patronorũ potestas non existat, nisi hęc præcesserit, ut quis contẽdere possit, hanc illi pręponi oportuisse: tñ
1 quia hęc inter priuatas personarum potestates, à libertate naturali longissimè recedit, libuit eam in postremis collocare, ut discentes admone
2 rem in discernendo iure semper pręferendũ esse, quod naturali æquitati & libertati proximum sit. Neq; enim dubiũ est, id esse potissimum, quod naturalis et sana ratio probet, cùm Paul. ad Ro. ca. ij. istud Ius, quod ratio hominibus dictat, δικαίωμα τοῦ θεοῦ uocet. Cœpit aũt hęc potestas homini in hominẽ primũ
3 concedi ã Gentib. loco beneficij, ut eos qui ex clade belli superstites in victorum potestatem uenissent, humanitatis causa seruarent. l. iiij. §. serui. ff. de statu hominum. Postea morib. est receptum, ut eorum, quos clemẽter ita seruassent, ministerio, nõ tantùm in curandis suis reb. uterentur, sed & licentiam tales uendendi alijs sibi sumerent. Ac tandẽ eò progressa est cupiditas dominã

Seruitutes unde primùm ductæ.

di,

Libido dominandi.

di, ut & Romanis legib. uitæ atq; necis potestas dominis in seruos concessa sit. Tam insolens est humana in dominando libido, ut si paululum indulgeas omnis humanitatis statim obliuiscat. Proinde ne qui immodica licẽtia huius potestatis temerè et malitiosè abuterentur, hisce uinculis legum ciuilium rursum cõclusa est, ut castigare quidem seruos ob delicta dominis liceat, sed ita, ut nulla immanitas, aut grauior sæuitia, in ea castigatione deprehendat. Nouissimo nanq; iure non magis impunè fert dominus, si seruum suũ occidat, q; si alienũ interfeciſſet, nisi fortè eum in adulterio cum uxore, aut simili aliquo crimine æquè atroci comprehendat. Nam isto casu iura permittunt dominis in seruos, quod leges alioqui omnibus etiam in liberos indulgent. l. qui seruum. ff. de uerb. oblig. &. C. de emend. seruo. 4

Seruorum cõditio de iure Ciuili qualis sit hodie.

Porrò etsi hodie per leges multò tolerabilior sit seruitus, quàm olim fuit, tamen nulla hominum conditio etiamnum hodie deterior est, q; seruorum. Nam iure ciuili pro mortuis & nullis habentur serui. l. quod attinet. & l. seruitut. ff. de reg. iu. Iuris enim ciuilis cõmunione in totum excluduntur. l. qui testam. §. si seruus. ff. de testam. Nec ciuilib. officijs fungi possunt. l. cum prætor. §. non autem. ff. de iudicijs. Etenim nec testamentum facere, neq; testes esse, nisi de suo facto, possunt. l. seruos. C. de testib. et l. si filius fa. ff. de testa. Itẽ neq; arbitri dari possunt. l. illa uerba. ff. de uerb. sig. Quidam tamen contendunt seruum, arbitratorem esse posse, quia apud eum iudicialis ordo aut cognitio non obseruetur aut requiratur. Sic enim intelligi uolunt, quod uulgo dicitur: cum seruo nullum posse esse iudicium, uidelicet, q; nec iudex, nec reus, nec actor esse possit, ubi iudiciali ordine procedatur in causis. Nam ibi nedum si condemnetur, datur in seruum actio. l. licet §. si seruus. ff. de peculio. Multi tamen sunt casus, in quib. licet seruo non tantũm aduersus extraneos, sed etiam contra dominos consistere in iudicio, qui notantur in l. uix certis, & ibidem in gloss. ff. de iudicijs. Præterea seruis nulla queritur in ciuilib. negotijs obligatio. l. in personã. ff. de Reg. iur. Ex delictis aũt obligantur. l. serui. ff. de actionib. et oblig. Torqueri autem in dominum neq; uolente neq; in uito illo potest seruus. l. seruos qui. C. de quæstionib. Deinde nullum etiam possunt gerere munus publicum serui, quale est notarij. l. generali lege. C. de Tabularijs scribis libro decimo. Postremò quicquid ex quacunq; causa, modò iusta ea sit, seruus acquirit, id domino acquirit. l. qui seruos. ff. acquirend. possess. Licet enim domino permittente seruus peculium habere, & in eo contrahere possit, tamen id non possidet. Nam qui in aliena sunt potestate, rem peculiarem tenere quidem possunt, habere autem & possidere non possunt, quia possessio non tantũm corporis, sed etiam iuris est. l. possessio. ff. de acquir. possess. Atq; id quidem adeo, ut nec si seruus effugiat manum domini, & in libertate moretur, sibi quicquam, sed domino, aut illis, quorum nomine id nactus est, acquirat. l. nunquam §. seruus. ff. de usucap. Potest quoq; dominus non tantũm ad sua negotia, serui operis uti, uerumetiam alijs legare. ff. de operis seruorum. Inde est quòd nonnunquam alius habet proprietatem, alius usumfructum in seruo, & usufructuarius operas serui alijs locet, ut tantũm ea, quę ex operis ipsi proueniunt, consequatur, Proprietario uerò debeantur quæcunq; ex alia causa seruo obueniant §. de his. Instit. per quas personas nobis acquiritur. Item quandiu alicui incumbit uinculum seruitutis, nulla datur ei successio ratione cognationis, nisi fortè constet ei certò competituram libertatem. Isto nanq; casu hoc sortitur commodi, ut ipse alijs, & uicissim alij ipsi succedant, tanq; cognati, iuxta Azonem in summa. Instit. de seruili cognat. Cæterũm nihil refert, an quis uni, uel pluribus dominis, uel etiam uniuersitati seruiat. Nam ijdem sunt seruitutis effectus, quibuscunque debeatur Iure Romano. Et uix duo sunt tituli, quibus peculiariter de ui dominicæ potestatis agitur. Itaque illi loci, quos annotauimus, adiungendi sunt 5 6 7 8 9 10 11 12 13

Proprietarius.

tit ulis,

titulis, quos iam subiungemus, ut eius ratio plenè discētibus constare possit.

ff. Cod.

De operis seruorum. De emendatione seruorum.

DE SVBLATA SERVORUM differentia. Caput XVII.

SVMMARIVM.

1. Seruorum uaria quondam conditio. 2. Hodie nullam esse differentiam seruorū.
3. Personarum seruientium qualitas facit, ut alius alio sit melioris conditionis.
4. Enumeratio seruorum. 5. De mendicis Valentiniani constitutio.
6. Differentia seruorum & colonorum.
7. Regaliæ, Angariæ & Parangariæ quæ.
8. Vasalli & feudatorij quales serui.

1 OLIM uaria erat seruorum conditio, ita ut cūm eadē appellatione omnes dicerentur esse serui, non tamen eodem tenerentur iugo. Nam domini alios habebant in pleno dominio, alios in semipleno, alios nudo iure, id est, sine aliqua utilitate. Et quia ex dissimilitudine dominiorum, cūm quidam plus à seruis postularent, quàm ipsis pro suo iure competeret, uariæ gignebantur contentiones, citò abolita est ea diuersitas seruitutum, quam diuersa dominij ratio gignebat. l. Et seruorum. ff. de statu hominum. Postea Iustinianus edita constitutione sustulit inane nomen seruitutis, quòd nudum Ius Quiritum dicebatur. C. de nudo Iure Quirit. tollen. Atque ita nouissimo iure nulla est differentia seruorum, sed eodem Iure omnes tenētur, quicunque eius conditionis esse censentur. §. fin. Inst. de iure personarum. Est autem hoc ipsum accipiendum de iure seruilis conditionis, nō de personarum, quę seruitutem seruiūt, qualitate. Nam ea sæpe facit, ut alius alio sit melioris conditionis in ipsa seruitute. 3 Primūm enim sæpe accidit, ut domini naturali quodam fauore hunc magis ament, quàm illum. Ac proinde sic præferunt alium alij, ut hunc mediastinum, alium atriarium faciant. Quod enim quidā ex philosophis de amicis 4 principum dixit, eos similes esse calculis supputatorijs, qui parum aut multū ualeant, prout ad superiores uel inferiores lineas tabulæ numulariæ transferuntur, idem de seruis dici potest. Nam ipsi in tantò meliore sunt conditione, quantò magis propitiū quisq; nactus dominum. Vnde est, quòd quidam sunt Ordinarij, quidam Vicarij. Deinde ipsa quoq; exercitatio facit, ut uectigal. ranus in maiore sit precio, quàm nouitius, cùm eius propter ruditatem exiguus esse possit usus. l. interdum. §. quoties. ff. de pub. & uectiga. Sed præter has quæ in seruorum personas cadunt differentias, uidetur etiam aliud quodam genus seruorum esse, qui dicuntur serui glebæ, ut sunt ascriptitij, qui literis obligatorijs ita addicuntur alicui fundo aut agro colendo, ut inde discedere ipsis nullo modo liceat. l. cūm scimus. C. de agric. & censitis, lib. xi. Itē censiti, qui annua pensione agrum colunt, nec ita sunt addicti agro colendo, sicut ascriptitij, sed donec pendēt domino censum, de quo inter eos conuenerum est, agro quoq; utūtur. l. ij. C. in quib. coloni uel capite censiti lib. xi. Vocantur autem quidam perpetui coloni, & est utile, ac dignum memoria huius seruitutis exemplum. Nam in odium eorum, qui cùm nullo corporis morbo laborarent, tamen suæ desidiæ, & ignauiæ debilitatē prætexerent, & mendicando uictum quererent, hoc à Valentiniano Imperatore constitutum est, ut 5 qui talem mendicum prodat, illius dominio subijciatur, ut donec uiuat, eum in colendo agro exerceat, ne emēdata sua mendicatione alijs porrò sit onerī. c. de mend. ualidis lib. xi. Præter hos quidam uocantur coloni conditionales, propterea quòd se tantūm ad certum temporis spacium agriculturę obstringunt. l. cum satis. §. cūm autem. ff. de agric. & censitis. lib. xi. Est & usu receptum, ut

umdum uus.

Ordinarius anschaffer, q alijs præscribit operas.

Vicarius qui obtēperat dicto ordinarij

Ascripticij, serui glebæ.

Quō aūt assūpticij ex coniunctione matrimonij fiāt liberi, uide l. si q̄s. C. de agric. et cēsit. lib. xij.

De mendicis constitutio.

Coloni conditionales.

quidam coloni dicti sint Inquilini, nimirum qui non sicut adscripticij, aut cen
Inquilini. siti, aut condictionales, addicti sunt agro, sed illis liceat etiam alibi habitare
quàm in eo agro, quem colendum acciperent. l. diffinimus. C. de agric. & cen
Originarij. sitis lib. xi. Qui uerò ex his, de quibus hactenus diximus, nascuntur, originarij uocantur, præter eos, qui ex perpetuis colonis procreati sunt. Nam illorũ liberi non sicut cæterorum obstringuntur ad colendos agros, quibus parentes eorum addicti fuerunt. Neque enim æquum uideretur, ut liberi propter parentum delicta in peiore essent conditione. Nati igitur ex adscripticijs, censitis, conditionalibus & inquilinis colonis, eodem iure tenentur colere terrã, quo illi ex quibus nati sunt, ei addicti fuerunt, nec alio modo liberantur ab obligatione colendi agri, quàm illorum parentes liberati fuissent, si superstites mansissent, uidelicet finito tempore locationis. Itaque nihil admodum uidentur à seruis differre coloni sic terræ colendæ addicti. Nam & cum fundis, quibus addicti sunt, tanquam pars eorum, uenduntur, & præscribuntur, ac reuocari quoq; ad agriculturam possunt, si forte fugiant, plane, sicut serui fugitiui. l. omnes omnino, cum sequenti. C. de agricult. & cens. lib. xi. Atq; extant eius reuocationis exempla, C. de colonis palæstinis, de colonis Thracensib. de colonis Illyricanis libro xi. Nam cũm illi freti fauore principum, ut temerè agrorum culturam desererent, Imperatores eos in uincula conijci, & agriculturæ mancipari, eorumq; receptatores puniri iusserũt. Proinde negari non potest talium colonorum conditionem non multò tolerabiliorem esse seruorum, & tamen merè serui dici non possunt. Nam conditione censentur ingenui, etiamsi ita obnoxij sint possessoribus suis, ut dominorum potestate in eos utantur. C. de colonis Thracens. l. un. Etenim differunt multis
Differentia inter seruos et colonos adscripticios. commoditatibus à seruis, sicut notatur in gloss. penult. circa. l. ne diutius. C. de agric. & cens. libro xi. Sed hæc tantùm est essentialis inter seruos glebæ, & alios seruos differentia, quòd hi nullo constituto præmio aut censu in incertum euentum suæ libertatis domino seruiant, Illi uerò possessorum uoluntati parere, deputato suo emolumento, donec conuentionis inter eos lex duret. Porrò aliqui coloni, qui non ita addicti sunt agris colendis, sed mercede conducti colunt agros, dicuntur simplices coloni: eius generis censeri possunt Emphiteotæ. Nam & illi ex conducto certa pensione & emolumento suo agros colunt. Quoties autem in legibus, colonum, non adiuncta aliqua differentia, fit mentio, semper coloni simplices intelligũtur, nisi ratio rerum et negotiorum, de quibus agitur, aliud postulent. Neque est quidem alia inter colonos simplices differẽtia, quàm ea, quę ex mercedis diuersitate colligi potest. Nam alij colunt agros pro certa parte fructuum, qui partiarij uocantur, alij pro numerata pecunia, alij dant pensionem alterius cuiuspiam rei, etiamsi ea res in fundo quem colendum accepit, non nascatur. Bart. circa. l. si apes. ff. de furtis. Et tales plerique sunt ex rusticis nostris, sicut uidere est in specul.
Coloni simplices. Saxo. libro ij. articulo quinquagesimonono. Sed sunt & alij coloni qui suum agrum colunt, nec si quid pendunt illis, sub quorum ditione degunt, tan
Saxones uocãt, die loscn, id est relicti. quam dominis agrorum, sed nomine defensionis & tributi pendunt, siue habeant agros quos colunt, siue non. Et illi non possunt inter seruos censeri, cũm in eorum corpora & res nulli detur plus iuris quàm in liberum alioqui, nisi fortè serui quasdam seruitutes regaliarum, quæ nunc uocantur Angarię & perangariæ, gloss. infr. quæ sunt Regaliæ in usibus feudor. Sed propter eas seruitutes non minus possunt dici serui, quàm uasalli, & feudatarij, qui cũm loco stipendiorum prædia feudalia habeant, certas operas dominis, ã quibus ea acceperunt, debent. Ex his igitur manifestum iam esse arbitror, quòd nulla hodie sit seruorum differentia, cũm satis constet, non statim eos seruos dici posse, qui operas, aut censum, aut tale quid alijs debeant. Neque arbitror necesse, hic denuo titulos, quibus ea traduntur, subiungere, cũm supra eos aliquoties etiam repetiuerim.

QVI-

QVIBVS MODIS QVIS IN seruitutem ueniat. Cap. XVIII.

SVMMARIVM.

1. Serui iure gentium fiunt. 2. Partus sequitur uentrem.
3. Modi recensentur, quibus quis in seruitutem uenit.

IVRE gentium serui fiunt, qui capti ab hostibus seruantur §. seruí. Instit. l. de iur. personarũ. Iure Ciuili, quod imitatione iuris gentiũm liberiore indulgentia aduersus naturalem libertatem constitutũ est, fiunt serui, qui maiores xx. annis cũm scirent se esse ingenuos, passi sunt se uenire, ut ad ipsos precium perueniret. l. liberis. ff. de liberali causa. & C. eod. l. si ministerium. Deinde fiunt serui 2 Iure Ciuili, etiam illi, qui ex seruilis conditionis parentibus nascuntur, maximè si mater fuerit serua. Nam in consideratione status hominum, partus sequitur uentrẽ. l. partum. C. de rei uendic. Nec censetur quis liber, etiamsi patrem habeat liberum, si mater serua sit. Atqui olim quidẽ dubitatũ est, utrum seruus, an liber esset, qui ex ascripticio, & libera natus erat. Sed ea dubitatio sublata est per constitutionem Iustiniani, in qua præcipit, sic natos pro liberis habere, collatio. v. in Authentic. Constitut. qui ex ascriptit. & libe. nat. libe. Item serui fiunt liberti, cũm propter ingratitudinem ã patrono in seruitutẽ reuocãtur. l. Si manumissus. C. de libert. & eorum liber. sicut & assertus domino aduersarij subijcitur, cũm legitimẽ citatus per annum manet contumax. l. prim. §. penult. C. de assert. tollen. Item filius familiãs, cũm pater necessitate famis coactus eum uendit. l. ij. C. de patribus, qui filios distrah. Redigitur quoq; in seruitutem pristinam, qui cũm factus sit liber, propterea quòd clericorum ordini ascriptus est, si ministerium ecclesiæ deserat, & se ad prophana negotia conferat. Auth. si seruos §. ult. C. de epis. & cleri. Sunt & propter odium scelerum olim in seruitutem coniecti homines, ut si libera mulier erita deperibat seruũ, ut dehortante domino non posset ab eius consuetudine deterreri, rem simul & libertatem suam amittebat, & amatoris conserua esse cogebatur per S.C. Claudianum. Verũm, quia pœna in hoc casu delictũ excedere uidebatur, Iustinianus eius Senatusconsulti autoritatem sustulit. C. de Claudiano Senatusconsulto tollend. Sic et Diocletianus, & Maximianus, cũm propter quorũdam receptatorum perfidiam comprehendere quosdam ex familia latronum non possent, ius fecerunt eorũ perquisitorib. ut quoscunq; cepissent, pro seruis suis uterentur. l. ij. C. quib. ad libert. proclam. nõ licet. Sed istud ius nulli hodie competit, nisi speciali rescripto illi concedatur. Hi ferè sunt modi quib. dominiũ in personas acquirimus. Et quia peculiarib. titulis illi nõ tradũtur, ex locis, quos annotauimus, copiosior explicatio eius petẽda erit.

Partus sequitur uentrem.

Filius famil. fit seruus.

Mulier propter amorem serua.

QVIBVS MODIS QVIS EVADAT seruitutem. Cap. XIX.

SVMMARIVM.

1. Benignitas iuris medetur seruituti. 2. Libertas loco præmij conceditur.
3. Libertatem esse rem omnium maximè fauorabilem.
4. Enumeratio eorum, quib. non licet ad libertatem proclamare.

SVPRA uidimus iugum seruitutis hominibus loco carceris esse impositum à Iure gentium. Vnde quia benignitas Iuris non patitur, quin pro ratione societatis humanę affectis inueniat remedia. Auth. quib. mod. naturales effic. legit. Videndum nunc est, quomodo uinculum seruitutis dissoluatur. Nam & hoc à legum conditoribus prospectum est, ut serui, aut uolentibus, aut nolentibus dominis libertatem recuperent. Ac quomodo quidem liberentur uolenti-

bus dominis, suprà dictum est, de modis, quibus Ius patronatus acquiritur. Itaque, nequid ociosè repetam, discentes eò remitto. Nam planè ijsdem modis dominia in seruos uolentes amittimus, quibus Ius patronatus in libertos acquirimus. Restat igitur, ut de illis tantùm modis dicam, quibus libertatem consequantur serui inuitis dominis. Id uerò fit, Aut ut loco præmij libertatem accipiant propter uirtutem. Vt cùm deferunt uirginũ raptores, adulteratores monetæ, militiæ desertores. Nã istis casibus dato dominis eorum precio, libertate donantur à Præside. Sed si necem domini sui uindicauerint, absque numeratione precij liberantur. C. ex quib. causis serui pro pretio libertatẽ accipiãt, Aut cùm aliqua conditione in seruitutem traditi sunt. Nam tum cessante conditione, cessat et in eos dominium, ut si uenditus est seruus, ut intra certum tempus manumittatur, aut puella uendita est, ne prostituatur. Nam si quid secus, quàm pactum uenditionis condictionalis postulat, à domino factum fuerit, seruus inuito domino liberatur. Eodẽ modo dominus amittit dominium suum, si seruum ob grauem infirmitatem pro derelicto habuit. ff. qui sine man. ad libert. peruen. Aut cùm per uim, uel errorem pro seruis uenditi sunt, qui erant ingenui. Nam illi, qui suam ingenuitatem probare poterunt, ad libertatem proclamare, ut seruitute eripiantur, possunt.

Libertas loco præmij.

Sed antequam de illis dicam, qui isto pacto ad libertatem inuitis dominis perueniunt, dicendum est, qui manumitti, aut ad libertatem peruenire possint. Nam quamuis libertas sit res omnium maximè fauorabilis, tamen sunt caussæ, propter quas Iura negant, eam pariter omnibus concedi. Itaq; nunc eos enumerabimus. Primùm igitur non possunt proclamare ad libertatem omnes illi, qui eo modo, quo suprà diximus, uidelicet maiores xx. annis scientes suam conditionem, passi sunt sese uenundari, etiamsi postea uelint, & possint suam ingenuitatem probare, tamen non audiuntur, quia Iuri suo ultro renunciasse uidentur, cùm passi sunt se in seruitutẽ, auiditate consequendi precij coniici. Si uerò nulla pars precij ad eos peruenit, aut si minores fuerint xx. annis, cùm uenderentur, licet illis ad libertatem proclamare. l. i. C. quibus ad libertatem proclamare non licet. Solet autem in hoc ipso casu id quoq; spectari, an emptor notam habuerit conditionem eius, quem emit. Nam si nesciuit eum esse liberum, tum retinet proclamantem in seruitute. Si uerò eius libertatem sciuerit, amittit eius dominium si prouocet, quia de precio nihil accepit. Idem obseruatur, si duo emant hominem, quem alter ignorat liberum, alter sciret, dum emeret. Nam sic emptus manet eius seruus, qui nesciuit eum liberum, non alterius. l. ult. ff. quib. ad libert. proclam. non licet. Sed quomodo fiat proclamatio ad libertatem, quibusq; modis, infrà dicemus in c. de actionib. ubi dicendum nobis est, quomodo libertatem nostram tueamur, aut amissam recuperemus apud Iudicem. Præterea non possunt ad libertatem proclamare, qui orti ex familia latronum rescripto principis in seruitutem redacti sunt. l. ij. C. quib. ad libert. proclam. non licet. sicuti si filius fa. à patre sit uenditus urgente necessitate famis, is euadit seruitutem, si ab ipso uel eius amicis, uel à quocunq; extraneo offeratur domino precium, quo uenditus est. l. ult. C. de patrib. qui filios distraxerunt. Item seruus noxæ à domino deditus, eius potestatem euadit, si damnum illi, ã quo propter noxam accusatus est, resarciat. Videtur. n. dominus eum dimisisse, cùm noxæ eum dedidit dominis, Instit. de noxalib. action.

Qui scientes sese passi sũt uenundari.

Orti ex familia latronum.

Qui hostiũ manus euadunt.

Postremò liberãtur nonnunq; seruitute inuitis dominis, qui hostium manus euadũt, aut se ab illis redimunt. l. ij. & ult. C. de captiu. & postliminio reuers. Præter hos autem, de quib. hactenus diximus, sunt quidam serui, qui nec uolentib. nec nolẽtib. dominis eripi seruitute possunt, ut sunt qui ad perpetua uincula damnati sunt. l. i. C. qui non possunt ad libertatem peruenire. Item si quis hac conditione fuerit uenditus, ne manumitteretur. l. ea quidem.

Ad perpetua uincula damnati.

Venditus sic ne manumitteretur.

C. si

C. si mancipium ita fuerit alienatum, ne manumittatur, Aut si prohibeatur manumitti propter quæstionem, cui certa ex causa subiiciendus uidetur. l. prospexi. ff. qui, & à quib. manumissi lib. non fiant. Fit quoq; ut serui non possint liberari, quia dominis ipsorum negatur potestas eos manumittendi, Vt cũm sint minores xx. annis, aut in fraudem creditorum, siue fisci, uideãtur manumitti. l. si minor, & l. si in fraudem. C. qui manumittere non possunt.

TITVLI QVIBVS CONTINENTVR modi consequendæ libertatis amissæ.

ff.

Qui sine manumissione ad libertatem perueniunt.
Qui, & à quib. manumissi liberi non fiunt.
Quibus ad libertatem proclamare non licet.

Instit.

Quib. ex causis manumittere non licet.

Cod.

Ex quib. causis serui pro præmio libertatem consequantur.
Qui manumittere non possunt.
Qui ad libertatem peruenire non possunt.
Quibus ad libertatem proclamare non licet.
Si mancipium ita uenierit, ne prostituatur.
Si mancipium ita fuerit alienatum, ne manumittatur, uel econtrà.

HIS Titulis si adiunguntur, quos suprà de modis acquirendi Iuris patronatus annotauimus, patebit omnis ratio consequendæ libertatis.

DE PRIVATA DIGNITATE ET Vilitate personarum. Caput XX.

SVMMARIVM.

1. De politica nobilitate seu priuata dignitate.
2. Commendationes personarum quæ sint, & unde. 3. Dignitas priuata quæ sit.
4. Fœminæ à publicis munerib. excluduntur.
5. Maiorem dignitatem esse generis masculini. 6. Homines usu peritiores fieri.
7. Senectus sola non sufficit ad dignitatem.
8. Natalium splendore personarum augeri dignitatem.
9. Monstrosus partus non censetur liber.
10. Romana dignitas in aliam formam mutata est.
11. Nobilitandi consuetudo à Zenone cœpit.
12. Diplomatis Cæsarum priuilegia donantur.
13. Virtutem causam esse præcipuam nobilitatis.
14. Temporis cursus cuius initium non memoratur, obtinet uim priuilegij.
15. Monachatus diminuit personæ dignitatem.
16. Nobilitatem esse adiunctam bonis feudalibus.
17. Antiquitate rerũ precia augeri. 18. Quæ feuda habeantur pro nobiliorib.
19. Paupertas non facit ignobilem.
20. Neminem recte à fortunæ bonis laudari aut uituperari.
21. Feudalia bona loco stipendij, non dignitatis concessa esse.
22. Nobilitas uirtute parta, uera est nobilitas.
23. Sigismundi Imperatoris responsum de nobilitate.
24. Studiorum & artium ratione personæ excellunt & uilescunt.
25. Militaris dignitas in quo consistat. 26. Equites aurati qui habeantur hodie.
27. Triplicem esse militiam. 28. Studia & artes ingenia excolentes.
29. Artes odiosæ sordidæ.
30. Mercatores quæstum contra honestatem sectantes.
31. Propolæ pro usurarijs habendi.
32. Pulchra artium differentia secundum Aristotelem.

VNT & aliæ differentiæ personarum, propter quas alius alij nō nunc̄ præfertur, & melioris iuris esse censetur, cuiusmodi sunt cōmendationes, quas sexus, ætas, natales, ordo, mores, studia singulorū merentur, huncc̄ illis conciliant fauorem, ut in pleriscp casib. mitius cum illis agendū censeāt leges, c̄ cum reliquis, qui illis cōmendationib. careāt. Proinde usum mihi est nostri instituti ratione requirere, ut cūm in hoc cap. ius personarum cōplecti debeam, & cupiā, obiter quoque hic mentionem harum cōmendationū, ppter quas alius pro alio emi nere, & iure illi anteponi censetur, facerē. Possunt aūt omnes illæ cōmendationes personarum uocabulo dignitatis comprehendi, præsertim cū quis dignitatē ab administratione bellicorū munerū, quā ea cōmitatur, separet, & dignitatem uocet eam existimationem, quam quisc̄ indole, fuisc̄ moribus & studijs parat: quemadmodum quoc̄ accipienda est in quac̄ disputatione, ubi de priuata dignitate & utilitate personarū disceptatur. Nam & alia est ea dignitas, quæ publica munia, tanquam umbra corpus sequitur: alia, quæ priuatis commendationib. cuiusc̄ personæ colligitur: & sicut fortuna, quod est in prouerbio, ex cuiusc̄ moribus cuique fingitur.

Commendationes personarum.

Dignitas priuata quæ.

Sui cuiusque mores fortunā parant.

Est autem inter causas, propter quas personarum dignitas augetur, uel minuitur, leuissima, quę à sexus discrimine ducitur. Nam cūm non nostra culpa masculi aut fœminæ nascamur, reprehendi imbecillitas sexus iure nō potest. Et tamen ut muliebris pudoris, & publicorum officiorum, quę sustineri ab infirma natura cōmodē uix possunt, aliqua ratio haberetur, fœminæ iure cōmuni ciuilib. munerib. exclusæ sunt, ita ut ad gerendam publicam dignitatem, quę administrationi coniuncta est, non admittātur. l. ij. ff. de reg. iur. & c. dilecti. ex. de Arbitris. In ea uerò dignitate, quā remota administratione exnatali, & maritorū splendore consequūtur, manēt, nisi inferioris dignitatis uiris nupserint. l. fœminæ. ff. de Senat. Est igitur maior dignitas in genere masculino, nimirū, quia masculi in gerendis publicis honorib. præferūtur fœminis.

Sexus.

Affert autem & ætas personis suam quandam dignitatem. Nam cūm longo usu rerum homines peritiores fieri non frustra credamus, semper apud omnes gentes senectus uenerata fuit. Et Callistratus in l. semper. ff. de iure immunitatis, testatur senes tam reuerenter esse habitos à Romanis, ut penè eundem honorem illis, atque magistratibus tribuerent. Sed ætas tamen senilis non tanti fit, ut sola citra commendationem aliarum uirtutum, quib. sola dignitas personarum existit, sufficiat. Proinde nec̄ hanc inter præcipuas dignitatis causas ponimus, sed eam inter illas cōmendationes personarū relinquimus, quib. existimatio augetur, non autem acquiritur. Cæterūm quib. beneficijs, ac priuilegijs quæc̄ ætas gaudeat, non est huius loci recensere, sed ea infrā in postremo cap. doctrinæ iuris enumerabimus.

Ætas.

Senectus sola non sufficit ad dignitatem.

Porrò natalium splendore quoc̄ personarū augetur dignitas. Nec̄ enim audiendi sunt, qui temerè contendūt in origine nihil esse nobilitatis. Natura enim docet, quòd plurimū referat, à quib. quisc̄ genitus sit. Vnde Horat.

Natalium splendor.

Carm. 4. Od. 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrū
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Sed hanc natiuæ indolis nobilitatem amittunt, qui degenerant, aut eam prauis moribus aut studijs contaminant. l. nec̄ famosis. C. de dig. lib. xij. Itac̄ Horatius subijcit:

Doctrina sed uim promouet insitam.
Rectic̄ cultus pectora roborant.
Vtcunc̄ defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

Non igitur dubium est, magnam esse commendationem ex bonis & fortibus esse natum. Verūm quia iuxta Homerum παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ φίλονται, οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀμείνους, non multa est de hac commendatio-

mendatione natalium in legib. Romanis disceptatio. Sed hoc in genere obseruatur, quòd non magnã præbeat existimationẽ, sed eam extingui, quam primũm expectationi non respondeant. Sicut monstrosus partus non censetur liber, etiamsi ab ingenua editus, l. non sunt liberi. ff. de statu hominum. Cùm igitur hæc dignitas propagetur in liberos beneficio naturæ, leges Romanæ uidentur uoluisse ordinatione ciuili eius deriuationem constituere, & ad aliam nobilitatem, qua dignitas patris consularis, prætoria, & his similes ad liberos transmittuntur, respexerunt, eamq; tanquam magis ciuilem, quàm naturalem his gradibus descendere ad nepotes uolũt, ut tam fœmellæ, quàm masculi usq; ad pronepotem eiusdem censerẽtur dignitatis, cuius maiores eorum fuissent, iuxta tot. tit. C. de dignit. lib. xij. Sed quia post translationem imperij pleræq; istarum dignitatum desierũt esse in usu, & tota illa publicarũ dignitatum eminentia in aliam quandam formam mutata est, nos hic de ea nobilitate nihil amplius dicemus, donec infrà in explicatione publicarum potestatum & dignitatum, quosdam gradus earum dignitatum, quæ imitatione ueterum, nunc in imperio sub alijs nominibus constitutæ sunt, fecerimus.

Monstrosus partus non cẽsetur liber.

Porrò longo usu inoleuit, ut hodie penè in solenni dignitate priuata esse censeantur, quos princeps priuilegijs donauit, & quasi numero plebeiorum exemit. Ac apparet quidem hanc nobilitandi consuetudinem, quæ hodie in usu est, non nuper adeò, sicut quidam existimant, cœpisse. Extat enim constitutio Zenonis, qui antè annos mille imperium tenuit, qua expresse mentionem facit nobilitatis, quam sine administratione per honorarios codicillos collatam quibusdam testatur. l. Quoties §. Viros. C. ubi Senat. uel clarissimi, ciuil. uel criminal. conue. Inde igitur satis conijci potest, quòd planè eodem modo à ueteribus Imperatoribus ordini nobilium, ut nunc uocantur, ascripti sunt plebeij. Sicut nunc diplomatis Cæsarum priuilegijs istius ordinis donantur. Neque cogitandum est, sicut indocti quidam stultè existimant, huius ordinis dignitatem esse ortam ex sola insignium collatione. Nam illa sine collatione priuilegiorum non eximunt aliquem numero plebeiorum, sicut nec uirtus, quæ tamen præcipua causa est omnis nobilitatis, nisi per principem in eum ordinem collocetur. Est enim hæc dignitas, quæ ex ordine planè iuris ciuilis, nec nostra uoluntate, aut studio, sed principis autoritate paratur. Itaque Bart. circa l. 1. C. de dignit. lib. xij. dicit eam esse datiuam, non natiuam, & idem in Tractatu de insignijs, & armis, dicit insignia conferri, ut discernantur familiæ eorum, qui in hunc ordinem à principe ascisi sunt. Neque uerò impedit, quò minus quis non huius ordinis censendus sit, si cui indignus uideatur, qui est in eum ascitus, modò extet testimonium principis, quòd dignitate huius ordinis eum ornarit. Nam dubitare de eo, ac dignus sit, quem princeps elegit, sacrilegij instar est. l. disputare. C. de crimine sacrilegij. Siue igitur uerbo tenus, uel diplomate princeps in concedenda huius ordinis dignitate suam uoluntatem edat, nõ est de ea ambigendum: aut si quis careat testimonio uoluntatis Imperatoriæ, & tamen tanto temporis spacio, cuius ordinis sit habitus, ut hominum memoria non constet, quando cœperit talis haberi, tum deijci de gradu eius ordinis iure non potest. Nam regulariter cursus temporis, cuius initium non extat in hominum memoria, obtinet uim priuilegij, etiã ad regalia obtinẽda, iux. Canonistas circa c. super quibusdam §. præterea. extr. de uerb. signific. Transmittitur autem huius ordinis dignitas ad agnatos, uel cognatos, etiã p consuetudine cuiusq; regionis. Leges autẽ Romanæ eam adimunt illis, qui exercent uiles artes, & sectãtur quæstũ ignominiosum, aut religioni se addicũt, aut infames fiunt propter flagitia. l. Neq; famosis. & l. nequis. C. de dignit. lib. xij. & c. 1. extr. de purg. Cano. in gl. fin. quę expresse dicit, quòd Monachatus diminuat personæ dignitatem.

Nobilitandi consuetudo à Zenone cœpit.

Priuilegia Cæsarea

Dignitas datiua non natiua.

Est autem politica hæc nobilitas, siue dignitas ita coniuncta feudalibus bo

nis,ut non desint inter Doctores,qui contendant possessorem nobilitari feudo. Ac Bald. quidem uult istud feudum uideri nobilissimum, quod sit antiquissimum,argum.l. seminata.ff. de grad. cognationum. Nam sicut quarundam aliarum rerum precia augentur antiquitate, ita existimat etiam feudum censeri debere nobilius, quod diutissimo beneficio militiæ datum sit,x. diui sione feudi, in præludijs feudorum . Sed reliqui Doctores ferè omnes magis hanc opinionem sequuntur, uidelicet, quòd nobilius sit feudum, quod conferatur ā superiore dignitate, ut feudum, quod immediatè ab Imperatore accipitur, sit nobilius eo, cuius conferendi ius Dux aut Cõmes aliquis habeat. Vnde factũ postea est, ut & gradus quosdam nobilitatis feudorum quidam constituerint, ac dixerint aliud feudum esse nobile, aliud minus nobile: aliud aliqualiter nobile, aliud ignobile. Sed si quis rem rectè considerabit,intelliget possessores feudalium bonorum, non ratione bonorum, sed dignitatis, quæ illis coniuncta est,nobilitari. Nam si quem bona feudalia nobilitarent, sequeretur ut paupertas faceret aliquem ignobilem, quod sentire,humanitatis ratio,& legũ autoritas prohibent,argum. l. humilem.C. de incœst. & inutil.nupt. Quamuis enim id uulgò fiat,ut propter inclementiam fortunę quis ignobilior habeatur,tamen sapientes & docti homines semper ita censuerunt, quòd nemo rectè à fortunæ bonis laudetur, aut uituperetur. Quare & nos decet magis illorum & uulgi iudicium sequi. Et ne quis fortè existimet,olim ita esse à Cęsarib. collata feuda, ut inde nobilitarentur, poterit uel autoritate gl. cir. consuetudines feudorum Saxoniæ conuinci,quòd loco stipendij, non dignitatis conferendæ causa militib. de repub. præclarè meritis à Romanis concessa sint bona feudalia.

Quæ feuda habeãtur pro nobilioribꝫ.

Paupertas non facit ignobilem.

Sic igitur breuiter de politica nobilitate iudicandum est, quòd eius sint duæ species,quarum altera deriuetur à gestis honorib. parentũ in liberos, ac proinde eam posse dici natiuam nobilitatem, Altera uerò Imperatoria benuolentia conferatur,Itaq; datiuam eam rectè dici,sed utranq; coniunctam esse feudo, aut non.Prior si coniuncta est feudo,tum ea trāsit ad nepotes & agnatos,donec fruuntur beneficio feudi.Si non est coniuncta feudo,ultra pronepotes non prorogatur.Posterior uerò,siue coniuncta est feudo, siue non, pro consuetudine cuiusq; regionis ad posteros transmittitur.

Natiua nobilitas.

Datiua nobilitas.

Porrõ præter politicam nobilitatem est alia quędam dignitas,quam sua uirtute quisq; sibi parit,quæ quidem uerè sola dicitur nobilitas à Iuuenale, cùm inquit Satyra octaua: Nobilitas sola est,animum quæ moribus ornat. Nam ea non existit constitutionum humanarum, aut consuetudinis iure, sed naturali iudicio, & admiratione uirtutum. Itaq; Sigismundus Imperator cũm quidam eum interrogaret, ut eum insignijs nobilitatis ornaret, atq; isti ordini ascriberet, respondisse fertur,se quidem posse eum plebeiorũ numero eximere, sed nobilem eum facere non posse. Quippe sensit sapientiss. princeps eos demum meritò cęteris anteferri,qui propter eximias animi dotes omnium in se conuerterent oculos,quosq; susciperent homines propter admirationẽ uirtutis, quam in illis cernerent. Sed quia hęc felicitas diuinitus contingit, nõ est ob id defraudanda sua laude reliqua nobilitas. Sed huic suus tribuendus est honor,quem illi principis beneuolentia decreuit,& qui iure publicæ consuetudinis illis habendus est.

Sigismundus Imperator.

Postremò excellunt,& uilescunt personæ etiam ratione studiorum,& artium,quibus incumbunt,Primùm autem,sicut duplices sunt artes, quib. tuetur & cõseruatur Respub.nempe artes pacis,& belli: ita duplex quoq; ex his oritur dignitas. Qui armis student Rempub. defendere, illi consequuntur dignitatẽ militarem,eiusq; priuilegia: sed non statim in militari est dignitate qui stipẽdia militię meretur.Nam nuda,siue simplex militia nõ est dignitas, iux.gl.C.de equest.dig.lib.xij.sed necesse est eũ castra sequi,& absentẽ com

munis

munis Reipub. & Imperij Romani cauſa periclitari, ſicut teſtatur gloſſ. in l.
86 final. ff. Ex quibus cauſſis maiores xxv. annis in integrum reſtit. quæ recenſet ſolennitates, quib. aliquis ſacræ militiæ initiatur. Et tales hodie poſſunt haberi Equites aurati. Qui uerò conſilio, doctrina, atque prudentia pacem atq; tranquillitatem Reſpub. retinent, illi quoq; cenſentur milites, nec minoris, quàm reliqui, autoritate legum ſunt dignitatis. Tales autem ſunt, Iuriſprudentes, Aduocati, Iudices. Nam qui dirimunt ambigua cauſarum, non minus prouident humano generi, quàm ſi prælijs atq; uulneribus patriam, parentesq; ſaluarent. l. Aduocati. C. de Aduoc. diuerſor. Iudi. Item milites quo que habentur Clerici. Nam & illi gaudent priuilegijs militum, iuxta gloſſa.
87 circa l. miles. in uerbò poteſt. ff. de re iudicata. Proinde triplex habetur militia, uidelicet, armata, legalis, & cœleſtis, iuxta gloſ. l. penult. ff. de militari teſtamento. Quamuis autem & procuratores interſunt iudicijs, ut lites inter homines ortas explicent, tamen quia operam ſuam tantùm priuatis locant, officium eorum uile iudicatur. l. ſi quis procuratorem. C. de decurionib. lib. x. Si uerò principis alicuius negotium procuratorio nomine in iudicijs ſuſtineat, tum ratione perſonæ, cuius cauſam agit, in dignitate eſſe cenſetur, iuxta priuilegium talium Aduocatorum, qui recenſentur in l. laudabile. C. de Aduocatis diuerſ. iudic. Sic decuriones, eorumq; exemplo Doctores Iuris prohibentur eſſe tabularij. l. uniuerſos. C. de decurionib. lib. x. Nam illorũ officium uile cenſetur, cùm operam priuato, & non principi locant.

Equites aurati.
Docto Iuris.
Aduocati.
Iudices.
Clerici.
Triplex militia.
Procuratorũ officium uile eſt.
Decuriones.
Tabellarij.

Ex his igitur manifeſtum eſſe iam arbitror, quòd ea ſtudia, quę immediatè impenduntur Reip. aut illis, qui ei præſunt, in præcipua ſint dignitate pro-
88 pter Rempub. Proximæ dignitatis ſunt, ſtudia, quibus excoluntur ingenia: ut ſunt artes liberales omnes, quæ appellatione philoſophiæ comprehenduntur. Deinde quibus induſtria magis, quàm fortuna dominatur, ut eſt ars pingendi, ſculpendi, architectura, & his ſimiles. Poſt has ſunt, quibus corpus maximè defatigatur, non ingenium, ut ſunt omnes artes, quas uulgò uocant Mechanicas. Atque hę quidem tanquam ſeruiles habentur, utputa cùm earũ opifices tanquam iumenta eas exerceant. Non tamen ſunt ex eo genere, ut illi, qui ſunt in aliqua dignitate, cum fœminis, ex talibus opificibus natis matrimonia iure ciuili contrahere non poſſint. iuxt. gloſſ. l. humiles. ff. de incœſtis
89 & inutil. lib. nupt. Quæ uerò artes odioſæ ſunt propter aliquam impuritatẽ, illarum ſectatores tanquam ſordidi contemnuntur, quales ſunt ſalſamentarij, cerdones, &c. Extremæ autem utilitatis ſunt, qui turpem quæſtum ſectantur, Vt ſunt lenones, hiſtriones, tabernarij, &c. Et hoc loco quæri poterit de dignitate & utilitate mercatorũ. Nam & horum plurimi ſatis impudenter quæ
90 ſtum contra omnem honeſtatem ſectantur. Sed quia non unũ eſt mercaturę genus, ſed alia ratione à diuerſis hæc exercetur, ſic de illorum dignitate ac utilitate iudicandum erit, quemadmodum iam in genere de reliquis omnib. ſtudijs iudicauimus, nempe, ut eos in aliqua dignitate habeamus, qui hinc exportando, & ex alijs regionibus reportando merces, publicè proſunt. Propolæ
91 autem, & quicunque ſui quæſtus cauſſa merces cogunt, ut ſtatim pluris uendant, tanquam uſurarij haberi poſſunt. Nam talis conceptio non caret uitio, cùm uix unquam fieri poſſit, quin ciues per eam grauentur. Itaque tales mercatores ſemper habiti ſunt indigni, in quos aliqua dignitas conferretur. Etenim leges Romanæ eos à militia arcent. C. negociat. ne militent. lib. xij. Quòd autem ita iudicandum ſit de utilitate perſonarum, quam ſubeunt ratione ſtudiorũ, teſtantur non modò dd. Iuris, uerumetiam Ariſtotel. lib. 1. Po-
92 lit. cùm ita inquit de artibus: Sunt illæ artificioſiſſimæ, in quibus minimum eſt fortunæ: illæ ſordidiſſimæ, quibus maximè inquinatur corpus: illæ ſeruiliſſimæ, in quibus corporis eſt plurimum: illæ ignobiliſſimæ, in quibus minimum requiritur uirtutis. Et Cicero in Officijs, eos inter infimos artifices

Philoſophi.
Artes liberales.
Artes mechanicæ.
Artes odioſæ
Mercatores.
Propolæ prohibendi.
Artium differentia ſecundum Ariſtotelem.

artifices ponit, qui operam suam tantùm uendunt, nec spectetur in illis industria. Et natura quemque docet, quòd quantò quisque remotius discedit, & minus præstat ea parte, qua differimus à reliquis animantibus, tantò uilioris conditionis habendus sit. Qui uerò propter infamiam facti, aut Iuris in nulla sunt dignitate, illi exosi sunt, suopte, non studiorum uitio, nec est de illis hic dicendum. Subijcio titulos.

Cod.

De dignitatib. lib. xij. De equestri dignitate. Vt ordo dignitatũ seruetur.

DE PVBLICA PERSONArum potestate & dignitate. Cap. XXI.

SVMMARIVM.

1. De iure regnandi. 2. An Christianus publicum magistratum gerere possit.
3. Differentia inter ministerium Euangelij & administrationem politicam.
4. Doctrina fidei non est hominum iudicio subiecta.
5. Potestates sunt ὐπερέται & benefactores.
6. Magistratum gerere non est impium.
7. Res humanæ doctis rectè committuntur.

SVPRA in initio huius capitis de iure personarum ostendimus, diuino & humano Iure fieri atque concedi, ut homo homini præsit, illique dominetur. Itaque superuacuum alicui uideri fortè posset, quòd hic denuò de iure regnandi disputem. Verùm, quia multi uersantur in errore, ut existiment, Christianam doctrinam talem quandam politiam tradere, quæ nullo magistratu regatur, & in qua homines ex mutua charitate ultrò, ac non coacti legibus faciant quæ oporteat, operæ precium uidetur, ut cùm de magistratib. hic dicturi simus, paucis ad ea respondeamus, quibus error de non gerendo per Christianos magistratu apud quosdam oritur & alitur. Nam præter id quòd talis doctrina de non gerendis publicis honoribus, magnam habeat pietatis speciem, uidentur quoque non leuia esse eius opinionis argumenta, cùm Christus in Euangelio manifestè prohibeat Apostolis, ne ambiant dominia. Sic enim inquit Lucæ xxij. Reges gentium dominantur eis, uos autem non sic. Item Matthæi xxiij. Vos autem nolite uocari Rabbi, Vnus enim magister uester, omnes autem uos fratres estis. Proinde mandato Christi interdictum uidetur Christianis, ne magistratum suscipiant, uel aliquem titulum dignitatis sibi usurpent. Nam ista dicit esse gentium, quæ ignorent Christum, non eorum, qui per ipsum omnis suę salutis & dignitatis autorẽ agnoscant & pfiteantur.

Christianis condendi nouos articulos fidei, non gladij gerendi potestas interdicta est.

Ad hæc simplicissimè respondendum est, quòd Christus in istis locis non damnet magistratus & titulos honorum siue dignitatis, sed prohibeat ne quis sibi autoritatem aliquid constituendi discernendiq; in doctrina fidei Christianæ præter uerbum Dei sumat. Loquitur enim Christus in ijs locis cum apostolis & ministris Euangelij. Nam cùm animaduertisset eos in ea esse opinione, ut existimarent perinde ipsis Euangelij ministerium committi, sicut alioqui hominibus administratio rerũ, & tituli dignitatum in Politicis rebus conceduntur, reuocat eos ab isto errore, ac monet secus se habere cum ministerio Euangelij, quàm cum administrationib. Politicis. Magistratus & dignitates politicas concedi hominibus, ut sua autoritate præcipiant & decernant, quid ipsis uideatur esse è Repub. Ministerium autem Euangelij esse alligatum uebo Dei, nec licere eius ministris, sua autoritate quicquam in ea doctrina præter mandatum Dei constituere, quia Euangelium sit doctrina humanis mentibus ignota, & à cogitationibus hominum aliena, iuxta illud: Oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparauit his qui diligunt illum, Esaiæ lxiij. Proinde obiurgat Apostolos conten-

contendentes inter se de eminentia autoritatis suæ, quasi & hæc doctrina hominum iudicio subijci possit, sicut iudiciorum ciuilium iura Magistratuum cognitioni & decisioni committuntur. Nam doctrina fidei, quia ex sola reuelatione uerbi nobis innotescit, & iudicio rationis prorsus repugnat, non potest ad hominum iudicium ea sic referri, ut ulla de ea constituendi autoritas præter uerbum Dei concedatur. Quapropter dicit Christus: Nolite uocari Rabbi. Nam unus est Magister uester, quasi dicat, doctrina Euangelij nõ recipit hominum de ea iudicium. Ergo de ea constituendi nulli potest concedi autoritas. Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse narrauit. Ioan. primõ. Hic igitur solus audiendus, & pro magistro huius doctrinæ habendus, nec ulli hominum deferenda est hæc potestas, ut citra aut contra uerbũ Christi, nouos articulos fidei condendi habeant autoritatem. Reges gentium dominantur, id est, in illis rebus, quæ subiectæ sunt rationi humanæ, licet tenere principatum constituendi & iudicandi. Et subijcit commendationem eius potestatis ijs uerbis: Qui potestatem habent super eos, εὐεργέται, id est benefactores uocantur. Grauis profectò uox, & summa politicæ potestatis prædicatio, quòd benefactores sint, qui res politicas administrent.

Non igitur Christianis interdicta est potestas gladij gerendi, sed potestas condendi nouos articulos fidei, illis per Christum negatur. Nam potestas politica, qua boni aduersus improbos tuentur legib. & armis, non modò conceditur, sed etiam amplissimis encomijs ornatur in sacris literis, Rom. xiij. Qui resistit potestati, ordinationi diuinæ resistit, 1. Petri. ii. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi, tanquam præcellenti, siue ducib. ab eo missis, ad uindictam malefactorum, laudem uerò bonorum. Et confirmant nos sacrorum Patrum ueteris Testamenti exempla, quòd gerere magistratum, non sit impia functio. Itaq; non potest dici Christum prohibuisse Christianis, ne haberent, aut administrarent Politiam, præsertim, cũ statim ab initio mundi manifesto uerbo Dei potestas gladij à Deo constituta sit, Geneseos ix. Quicunque fuderit humanum sanguinem, fundetur per hominem sanguis eius. Ne igitur contra scripturã ex uerbis Christi quæramus, aut admittamus absurdam sententiam, necesse est ea sic accipi, quòd nolit quenquam sibi sumere autoritatem condendi, aut mutandi aliquid in doctrina fidei. Non autem ideo prohibet Christianis omnem rerum politicarum, aut Ecclesiasticarum administrationem. Nam noua doctrina de iustitia fidei, non est nobis commiscenda, quia ista iustitia solo uerbo Dei reuelatur. Res autem quę intellectui humano expositæ sunt, ut sunt iudicia, contractus, possessionum distractio, discrimina dierum, uestium, ciborum, & aliorum rituum ecclesiasticorum, rectè committuntur Doctorum & piorum curæ, sicut infrà in tractatione singularum potestatum ciuilis & Ecclesiasticæ latius explicabimus.

Magistratũ gerere nõ est impium.

DE POLITICA POTESTATE personarum. Cap. XXII.

SVMMARIVM.

1. De quatuor formis politiarum, & earum explicatione.
2. Populus quid sit.
3. Libertas non est ἀναρχία.
4. Monarchiam esse utilissimam reipub. formam.
5. In Romano imperio sæpe formam Reip. & gradus dignitatum, appellationesq; magistratuum mutatas esse.

POSTQVAM ostendimus licitum esse Christianis gerere magistratum, quærendum nunc erat, an cuiusque politiæ administrationem pariter suscipere, an uerò aliam pro alia magis eligere, & meliori conscientia Christiani tueri possint. Non enim tantũ una est forma politiæ, sed quatuor eius quasi species omnibus

De formis politiarum.

Aristocratia. Oligarchia. omnibus iam seculis extiterunt. Prima dicitur Aristocratia, qua bonis & sapientibus summa potestas rerum conceditur. Eadem uocatur & Oligarchia, id est, paucorũ principatus. Nam ubicunque respub. nõ multitudinis, sed optimorum consilio regitur, ibi oligarchia. Semper enim pauci sunt, qui uirtute & sapientia præstent. Talis forma reipub. esse intelligitur, ubi summa Imperij apud senatũ, aut optimates regni est. Secunda reipub. forma uocatur Democratia, in qua ex suffragijs & consensu omnium ordinum totius populi res gerũtur. Talis fuit Romæ respub. cũm plebs simul cũ Senatorib. & equitib. dominaretur. Neque enim sola plebs dicenda est populus. Nam latinè populus secundum Cic. lib. 1. de Repub. sicut citat eum D. Augustinus de Ciuitate Dei, non est cœtus multitudinis, sed cœtus Iuris consensu & utilitatis communione sociatus. Itaq; democratia intelligenda est, non ubi plebis furore, sed omnium ordinum suffragijs res administrantur. Et in tali Repub. præcipuè censetur esse libertas. Nam libertas non est ἀναρχία, sed ibi ea est, ubi æquis legib. pariter omnib. Ius dicitur. Tertia Reipub. forma dicitur Monarchia, quę est, ubi uni alicui summa imperij cõmittitur. Et huic similis esse uidetur quarta Reipub. forma, quæ Tyrannis appellatur. Nam & in ea apud unum summa rerũ gerendarum potestas est. Sed differunt, quòd Monarchia ex certis legib. Tyrannis sine legib. pro libidine Ius dicat. Quare Tyrannis tanquam adulterina Reipub. forma, semper detestata est. Monarchia autem in primis laudata inter omnes alias formas rerum publicarum, adeo ut quidã non insciter collegerint, sicut unus sit Sol, quo mundus illustretur, ita utile quoque esse, ut unus teneat orbis imperium. Et extat apud Herodotum lib. iij. elegantissima disceptatio de formis imperiorum, qua Persæ sublatis Magis inter se contendunt, utra inter eas magis recipienda sit ipsis. Ac demum in id consentiunt, quòd reliquis omnib. præstet monarchia, id quod & Homerum uoluisse uidetur, εἷς βασιλεὺς ἔσω. Et idem testatur multorum experientia, ut utile sit rebus pub. ut propter uariam imperiorum dissensionem apud unum aliquem summa sit imperij, præsertim periclitante repub.

Libertas. Monarchia. Tyrannis. Vnus Sol. Vnus Rex. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.

Iam igitur cũm tot sint formæ administrationis reip. dubitari poterit, quæ forma magis Christiano esset eligenda. Sed quia in confesso est, quòd Monarchia sit utilissima reipub. forma, nec nos tam quærimus, quæ forma reipub. sit præferenda, quàm qualis ea sit, quæ Romanis legib. continetur, & nunc in nobis usu est. Omissa illa disputatione, de uaria Romanorũ magistratuum potestate & dignitate dicemus. Nam sæpe & forma Reip. & gradus dignitatum, appellationesq; magistratuum in hoc imperio mutatæ sunt.

DE MVTATIONE Imperij Romani. Cap. XXIII.

SVMMARIVM.

1. Romæ Monarchiam fuisse initio urbis.
2. Romulus regiam potestatem communicauit senioribus urbis.
3. Propter uiolentam Tarquiniorum iniuriam exacti sunt reges.
4. Romani ab externis armis quiescentes foralia bella inter se gesserunt.
5. Cæsar Iulius oppressa nobilitate imperium inuasit.
6. Idem Imperator potius quàm Rex dici maluit.
7. Potestas uiolenta, non est diuturna.
8. Roma sub Augusto Cæsare primùm cœpit esse Monarchia.
9. Prouinciarum Imperij diuisio.
10. Multitudinis conuentum esse formidolosum.
11. Procuratores Cæsaris qui.
12. Præfectus prætorio negotia aulæ expediuit.
13. Præfectus Augustalis in Aegypto.

INITIO

INITIO urbis, Monarchia Romæ fuit. Quamuis enim reges ibi dominarentur, tamen Romulus regiam potestatem ita communicarat senioribus urbis, ut centum ex illis delegerit, quorum consilio & opera in curandis regni negotijs tanquam consortibus usus sit. Ac si quando creandus erat Magistratus, aut decernenda bella, populus quoq; consulebatur. Itaq; licet nullo certo Iure regnum Romanum reges primùm gubernarint, tamen quia consensu optimatum negotia Reipub. gesserunt, non potest eorum imperium dici Tyrannis. Exactis regibus propter uiolentam iniuriam Tarquiniorum, inter nobilitatem atq; plebem uariè certatum est de imperio, ut iam patritij sibi solis honores publicos & iudicia uendicarent. Iam uerò plebs illis rursus extorqueret, ut alter consulum plebeius crearetur, cognoscendiq; potestas à Senatu ad equestrem ordinem transferretur. Vnde uarij in Repub. Romana exti terunt motus: sicq; Patricij cum reliquis ordinibus in Republica de Aristocratia & Democratia certauerunt, ut cùm ab externis armis quiescerent, fora lia bella inter se gesserunt Romani, donec tandem Cæsar Iulius, præter omnium spem oppressa nobilitate, Imperium inuasit, & assumptis hominibus maximarum potestatũ in ea Repub. regnum sibi constituit, etiamsi propter inuidiam nominis, Rex appellari nollet. Nam imperatorem se ueteri appellatione ducum exercitus dici maluit, cùm interim censuram, tribunitiam potestatem, Dictaturam & Pontificatũ sibi sumeret, & solutus legibus esse uellet.

Porrò, non potuit potestas tam uiolenta esse diuturna. Itaq; Cæsare occiso, & deuicto Antonio & Lepido, cùm Imperium ad Augustum exercitus fauore atq; metu, tanquam ad hæredem Cæsaris deuolueretur, & populi suffragijs, iuxta l. Regiam collata in eum omni sua potestate & Iure, Imperator electus esset, ita moderatus est eam potestatem, ut sua populo iura, sua senatui munia obire permitteret, comitiaq; creandorum Magistratuum tribunis relinqueret. Sub hoc igit Cęsare primùm Roma uera cœpit esse Monarchia.

Cùm autem amplissimum esset imperium, & eripere Ius creandorum magistratuum populo uellet, ita prouincias imperij diuisit, ut alię essent Proconsulares, aliæ Prætoriæ, aliæ Præsidiales. Proconsulares senatui, prætorias populo domandas tradidit. Præsidiales ipse misso in eas præside aut legato tenebat. Atq; ita etiam populo quandam decernendorum magistratuum, iuxta ueterem morem reliquit potestatem. Sed quia conuentus multitudinis formidolosus uidebatur, senatui quoque postea prætoriarum prouinciarum per sortem decernendarum potestas data est.

Vt uerò hæc ipsa partitio prouinciarum haberet quandam speciem benignitatis erga Senatum & uniuersam Rempublicam, pacatiores senatui per Proconsules & Prætores, permittebat regendas, & eas quæ propter uicinitatem hostium, aut amplitudinem suam difficilius tenebantur, suo præsidio administrabat & tuebatur. Quamuis autẽ Proconsulares & Prætorias prouincias Imperator suo præsidio non teneret, tamen in eas mittebat Procuratores suos, qui dicti sunt Procuratores Cæsaris, logistæ, & rationales. Item Procuratores patrimonij. Nam his incumbebat cura, ut tributa, quę in fiscum Cęsaris, & non ærarium publicum referenda erant, in prouincijs colligerent. In urbe aũt hos constituit Augustus magistratus, ut uidelicet, præfectum urbis, Prętorem, præfectum uigilũ, & exemplo Regum ac Dictatorum apud se quoq; semper habuit prętectum, per quem negotia aulę expediret, qui dictus ob id est præfectus prætorio, & in proxima à principe dignitate fuit. Reliquit & in urbe Quæstoribus suam dignitatem & potestatem, & in exercendis iudicijs, & in Aegypto peculiarem quendam constituit prętectum, quem uocauit Augustalem, propterea quòd præcipuè emineat potestate & dignitate.

Cæterùm quæ fuerint horum omnium officia, uidere est in legibus titulo-

Vide Dionysium Halicarnaß.

Foralia bella.

Iulij Cæsaris regnum.

Tacitus li. iij.

Suetonius in uita Augusti.

Strab. li. ult.

Multitudinis conuentus formidolosus.

Procuratores Cæsaris qui.

Magistratus ab Augusto constituti.

Præfectus prætorio.

Augustalis præfectus.

rum ff. ueteris, quos nunc subijciemus. Quamuis enim hi magistratus nunc non sunt in usu, tamen propter exempla utile est, eius formam Imperij, quam Augustus instituit, & quæ usque ad Constantini tempora in usu mansit, no tam habere.

ff.

De Senatoribus. De officio Consulis.
De officio præfecti prætorio. De officio præfecti urbis.
De officio quæstoris. De officio prætoris.
De officio proconsulis & legati. De officio præfecti Augustalis.
De officio præsidis. De officio procuratoris Cæsaris & rationalis.

DE RERVM COMMVNIONE & proprietate. Caput XXIIII.

SVMMARIVM.

1. De rerum communione sententiæ ueterum.
2. Meum & tuum discordiæ esse uocabula.
3. An liceat Christiano possidere proprium.
4. In primitiua Ecclesia clericos omnia habuisse communia.
5. Ciuilis necessitas cauendarum turbarum coëgit sapientes, ut non paterentur rerum dominia esse indistincta.
6. Iustitiam Christianam non consistere in externa politiæ obseruatione.
7. Christianorum innocentia maior esse debet quàm reliquorum.
8. Perfectio Christiana est remissio peccatorum.
9. Charitas Christiana in quibus consistat.
10. Legibus iudicandum, non exemplis.
11. Christianis licere habere proprium. 12. Furtum quid.
13. Quare communio rerum Hierosolymis ab Apostolis instituta sit.
14. Confessio Euangelij requiritur, qua gloria Dei propagatur.
15. Periculo se non temere committendum.
16. Crates philosophus pecuniam proiecit in mari.
17. Sua copia aliorum inopiæ succurrendum.
18. Decet bonũ ciuem, ut id custodiat quod morib. & consuetudine introductũ est.
19. Communio rerum non est mandata expresso uerbo Dei.
20. Tranquillitatem publicam non pati, ut publica necessitate res omnium usui pariter pateat.

SICVT quidam in dubium uocant Ius personarum, eò quòd natura uideatur inter homines nullum facere discrimen, ita sæpe in controuersiam rapitur rerũ communio. Nam & hoc naturæ maximè consentaneum uidetur, ut cùm ad mutuam huius uitæ societatem simul omnes nati simus, rebus communiter utamur, nec quisquam sibi soli ita aliquid uendicet, ut non alijs, cùm opus sit, eius patet usus. Necq; uerò id tantùm infimæ notæ homines, sed docti atq; etiam sapientes contenderunt. Nam & Plato lib. v. de leg. censet eas Respub. fore beatissimas, ibiq; optimas esse leges, ubi quod in prouerbio est, de rerum communione inter amicos, quàm maximè fieri possit, à ciuib. obseruetur. Et Seneca Platonis sententiam, & uerba imitatus, iudicat homines quietissimè in terra uicturos, si hæc duo uerba, Meum & Tuum, è medio tollerentur. Nec defuerunt inter gentes quoq;, qui Respub. ita constituerent, ut nemo quicquam proprium haberet. Refert etenim Strabo lib. 7. Geographiæ, talem Rempub. tenuisse Numades, gentem Scythicam, & testatur eos tam præclarè defendisse eam Rempub. ut Hesiodus de terræ ambitu, dixerit eos exteris inexpugnabiles et inuictos hanc præcipuè ob causam, quòd nihil possideant, cuius conseruãdi causa, iugum hostium, sicut fit, subierint, ac satisquidem per se spaciosa

Plato.

Amicorum omnia communia. Seneca. Meum. Tuum.

se speciosa est hæc opinio de communione rerum, præsertim apud eos, qui naturam hominis extra uitium originis collocant, ac eam, ac si integra esset, considerent, sicut fecerunt Philosophi, & nunc quoq; illi, qui non ex necessitate ciuili, sed imaginaria quadam societate mutuæ inter homines beneuolentiæ res æstimant. Et ut maximè quidem etiam intelligant, res non posse tranquillè teneri, nisi pro necessitate rerum præsentiũ dominia earum distinguantur & conseruentur, tamen communionem illis sæpe persuadet religionis species. Magnum nanque multis uidetur esse exemplum, quòd Chri-
3 stiani non debeant tenere proprium, in actis Apostolorum, ubi textus manifestè ostendit omnia Christianos, qui tum fuerunt Hierosolymis, habuisse communia: & Christus Matthæi decimonono, adolescenti qui abundabat possessionibus, dicit: quòd si cupiat esse perfectus, debeat omnes suas possessiones uendere, & dare pauperibus. Ad perfectionem igitur uitæ Christianæ requiri uidetur, ut qui eam religionem profiteantur, proprium non possideant, sed id in communem usum conferant. Et certè apparet ex sermone
4 diui Augustini, de communi uita Clericorũ, quòd in primitiua Ecclesia Clerici omnia habuerint communia. Nam prohibet eos habere ἰυθήκας, id est, asseruacula, quibus pecunia sua reconderent. Idem testantur aliorum ecclesiasticorum scriptorum testimonia, quæ à Gratiano, qui congessit Decretũ, sub titulum causæ 12. quæst. 1. congesta sunt. Et posteriores uocauerunt collegia Monachorum, cœnobia, quia putabant necesse esse inter eos rerum communionem, qui pr̃ cæteris perfectam uitam profiterentur.

An liceat Christiano tenere proprium.

Cœnobia.

Iam igitur dicturi de modis acquirendi rerum proprietatem, non absurdè quis dixerit, frustra nos in perquirendis illis modis operam collocare, nisi contra ea quæ iam retulimus, ostenderimus, homini Christiano licere proprium tenere. Etenim si religio est, nihil possidere, quid prodest inquirere modos, quibus res acquirantur. Proinde ad argumenta de communione rerum sic respondeo. Primũm, quòd uerum sit, natura nos tacito quodam sensu moueri, ut æquum ducamus, ut omnium necessitati pateat rerum usus. Naturaliter enim fit, ut necessariò leuari aliorum egestatem nostris facultatibus putemus. Verũm, maior est petulantia corruptæ naturæ, quàm ut conseruari tranquillitas posset in rebus humanis, si cuique liberum esset alterius rebus, quoties opus sit, eo inuito uti. Facilè enim quisque apud animum colligere poterit, quantæ iniuriæ & incommoditates secuturæ essent istam licentiam. Cùm hic in summa suâ desidia alterius facultatibus, quas uix multo labore cõparasset,
5 frui suo arbitrio uellet. Quapropter ciuilis necessitas cauendarum turbarũ cogit sapientes, ut non patiantur rerum dominia esse indistincta. Quamuis enim naturalis benignitas nos inuitet, ut nostras facultates aliorum necessitatibus communicemus, tamen propter hominum improbitatem, hoc Ius non potest esse publicum, ut omnium facultates cuiuslibet necessitati & libidini temerè expositæ sint. Itaque Ius communicandi res priuatum est. Nam cùm natura quenque doceat, quòd non sui, uerumetiam aliorum causa sit natus, per se intelliget, quòd teneatur pro modo suarum facultatum aliorum necessitatibus inseruire, easq; illis liberaliter communicare, etsi lege publica ad ista communia officia humanitatis non obstrictus sit. Extant autem adhuc in legibus & Canonibus quædam uestigia, de naturali communione rerum, etsi eam nusquam præcipiant. Nam in difficultate annonæ liberant actione furti, cùm quis egens panem uel uestem abundanti surripuerit, & benignè satis interpretantur, quòd dicitur Iure naturali omnia esse communia, uidelicet, tempore necessitatis communicanda. l. ij. ff. cùm in eadem naue, in fine. ff. ad legem Rhodiam. c. si quis. extrà. de furtis. c. Ius naturale, distinct. 1. & ibi gloss. Sic igitur non penitus sublatum est Ius naturæ de communione rerum, sed quatenus eam ciuilis necessitas seruari permittit in singulorum

uoluntatibus, obligatione naturali retinetur, cùm ea citra iniuriam multorum aliter in Repub. consistere non possit.

Porrò, ad allegatos & similes scripturæ locos, respondeo quòd non possint trahi in argumentum necessariæ communionis rerum inter Christianos. Nam iustitia Christiana non consistit in ulla externa Politiæ obseruatione, 6
iuxta illud: Non uenit regnum Dei cum obseruatione, Lucæ decimoseptimo. Est enim Christiana iustitia non externa quædam Politia, sed spiritus in corde erga Deum de remissione peccatorum propter Christum fiducia, Lucæ eodem, Regnum Dei in uobis est. Non igitur refert quicquam ad ipsam iustitiã, Christianus habeat res cõmunes, seu proprias. Nam cùm Christiana iustitia sit iustitia spiritus, manifestum est, eam non existere ex ulla externa inter homines conuersatione, sed animo & mente iam concipi, & spiritu diuino per uerbum Dei mouente in nobis excitari. Neque dici potest, quòd communio rerum ad uitam Christianam requiratur propter perfectionem, uidelicet, ut in externa quoque conuersatione Christianorum plus sit sanctimoniæ quàm cæterorum. Nam ut demus, esse maiorem Christianorum debere in communi hac uita innocentiam, quàm reliquorum, ne propter ipsorum impuritatem Euangelium malè audiat, & infirmi offendantur, tamen hoc non est concedendum, quòd innocentia morum, & uita externa, sit unica, & summa Christianorum perfectio. Nam talis innocentia non tam Christianũ, quàm bonum uirum efficit. Vera enim & præcipua perfectio Christiana 8
est, remissio peccatorum, quam credit sibi per Christum à patre impetratam, & eius fiducia aduersus terrores legis, mortis, & inferorum, pugnat atque subsistit, ad Romanos decimo. Perfectio legis Christus ad iustificationem omni credenti. Nemo igitur patiatur sibi extorqueri huius perfectionis necessitatem, ulla specie exterioris iustitiæ. Habet enim & externa uita Christianorum perfectionem suam, in qua consistit, uidelicet, charitatem, sic nanque Paulus ad Col. iij. postquam eos cohortatus esset ad uaria officia societatis in hac uita tuendæ, subijcit supra omnia hæc charitatem, quæ est uinculum perfectionis. Vnde satis liquet, quòd perfectio externæ uitæ & conuersationis inter Christianos non sit in communione rerum, sed in mutua dilectione & charitate. Vocatur autem charitas in sacris literis non le- 9
gitima aliqua obligatio, qua legibus iubentibus ad certa officia obligemur, sed qua nos ipsos & res nostras omnium necessitatibus, exemplo Christi propter amorem Dei, quem in Christo nobis declarauit, & commodum proximi, subijcimus. Quamuis igitur charitas nos doceat, ut liberaliter nostra inuicem communicemus egentibus, tamen non exigit, ut promiscuè res communes habeamus. Nam charitas non agit ex necessitate legis cogentis, sed spiritu Dei mouente. Est enim fructus spiritus, ad Gal. v. Itaq; non inseruit aliorum necessitatibus, quasi ex obedientia erga legem exigentem, sed igne amoris Dei accenso ultro se aliorum necessitatibus submittit. Illi igitur, qui contendunt inter Christianos constitui necessariò rerum communionem, primùm in eo peccant, quòd Christianam iustitiam existimant nouam quandam politiam esse, & nõ magis credunt uerbo, quòd sit iustitia spiritus in cordibus credentium. Deinde cùm communio rerum expresso mandato dei nusquam præcepta sit, ut inter Christianos publicè institueretur, peccant, quòd spiritus libertatem alligare ad eam ex necessitate publica uolunt. Neque enim uel exemplo, quod ex actis Apostolicis afferunt, uel Christi uerbis, quibus opulentum adolescentẽ omnia sua diuendere iussit, istud euincent. Non
enim exemplis, sed legibus iudicandum est, l. nemo. C. de sentent. & inter. 10
omnium iud. Extant autem pleræque leges & sententiæ in ueteri & nouo Testamento, quæ testantur Christianis licere habere proprium. Quid enim aliud est, quòd in Decalogo prohibetur furtum, & concupiscentia alieni, 11
quàm

Charitas uinculum perfectionis.

Charitas Christiana in quib. consistat.

Christianis licere habere proprium.

ení, quàm quòd quísque debeat esse contentus suo, non insidiari alienis. Ergo si quísque debet suum citra alterius iniuriã tenere, manifestum est, quòd iure diuino liceat habere proprium. Et sunt multa sanctorum patrum exempla, qui suas possessiones pleno dominio habuerunt. Neq; potest quidem dici, quòd in ueteri testamento concessa fuerit proprietas rerum, sicut líbellus repudij. Renunciatione autem Euangelij maiorem iustitiam requíri à Christianis, sicut cernere sit in quinto capite Matthæi. Nam ista separatio iustitiæ Pharisaicæ & Christianæ in eo capite, non est institutio nouæ legis, sed est interpretatio ueteris legis, obscuratæ prauis & impijs opinionibus sacerdotum. Etenim ostentatione & prædicatione externæ munditiæ & innocentiæ, ita imbuerant animos, ut existimarẽt se legi Dei satisfecisse, si manus haberent abstinentes, etsi pectus esset plenum prauis cupiditatibus aduersus legem Dei. Quare Christus, ut eos reuocaret ab ea opinione, ostendit legem etiam munditiem cordis requirere, non igitur ista concio Christi sic accipi potest, quòd in nouo Testamento maior requiratur à Christianis iustitia, ac proinde non liceat illis habere proprium, etsi in ueteri Testamento id promissum fuerit. Nam Paul. prima ad Corinthios sexto, damnat fures & rapaces, & negat illos hæreditatem regni Dei accepturos. At ubi sunt omnia com
12 munia, ibi nulli possunt esse fures. Est enim furtũ rei alienæ contrectatio, l. 1. ff. de furtis, non eius, quę nullius est propria. Itaq; cũm detestatur fures apud Corinthios, ostendit Christianos, qui in ciuitate fuerunt, habuisse proprium. Ac proinde manifestum est, Christianos non ubiq; habuisse res communes, nec Apostolos docuisse, ut necessariò omnia communia, sicut Hierosolymis, haberent. Nam si Apostoli inter Christianos necessariam docuissent communionem, non dubium est, quin eam pariter ubiq; instituissent, sed quia id nusquam alibi eos fecisse constat, necesse est, & pium, nos cogitare, aliam eos habuisse causam specialẽ, instituendi communionis rerum Hierosolymis, quàm
13 ut eam inter Christianos necessariam ducerent communionem. Ego sanè existimo, quòd ad subleuandã inopiam eorum, qui nouitate rerũ excíti, undiq; magna frequentia & quotidie confluebant, facultates suas in commune ita contulerint. Quòd autem Christus diuiti adolescenti dicit: quòd si uelit esse perfectus, debeat omnia sua uendere, & ea dare pauperibus, non sic accipiendum est, quòd ad perfectionem uitę Christianæ necessariò requiratur, ut nihil prorsus possideant Christiani. Nam & Christus habuit loculos, quibus, ut testatur Iohannes cap. decimotertio, asseruauit pecuniam, quam in usum suorum per dispensatorem Iudam erogare solitus est. Itaque ne ipse secum pugnet, referenda sunt ista uerba ad æquanimitatem cedendi omnibus fortunis suis propter Euangelium. Nam hoc requiritur à Christianis, ut susque deque ferant quamuis suarum rerum iacturam, si id confessio Euangelij exigat. Potius enim uitam, nedum res amittere debent Christiani, quãm ut uocati, aut ducti ad professionem Euangelij, metu talium periculorum ab ea desistãt. Sic enim inquit Chistus, Matthæi decimo: Qui negauerit me coram hominibus, negabo & eum coram patre. Requiritur igitur confessio Euangelij, ut
14 iacturam nostrarum rerum propter Christum æquo animo patiamur. Quapropter cùm adolescens uideri uellet ualde diligens cultor iustitiæ, Christus dicit ad perfectionem iustitiæ requiri, ut curæ suarum rerum non ita sit deditus, quin earum iacturam facere possit, si aliqua necessitas profitẽdi Euangelij id postulet. Neque enim ex toto corde amare Deum is dici potest, qui propter gloriam Dei, quæ per confessionem propagatur, recusat obire egestatis periculum. Vt igitur adolescentem tam magnificè suam iustitiam iactantem pudefaceret, indicat illi, quòd præter externam sanctimoniam uitæ, requiratur in iusto etiam animus, qui Dei gloriam præferat omnibus creaturis, nec illarum illecebris sinat se ab amore Dei auelli.

Iudas dispensator pecuniæ.

Proinde non communio rerum, sed celsitudo animi, res humanas præ gloria Dei contemnentis, ad perfectionem uitæ Christianæ necessaria est.

Atque ea ipsa animi magnitudo non sic à Christianis requiritur, ut necesse sit, nulla urgente necessitate celebrandi nominis Dei, quenquam abjicere suas possessiones. Nam sicut Christus non uult, ut temere se quis subjiciat periculo mortis, quamuis uelit nos contemnere mortem propter Euangelium: ita nec uult nos nostras facultates temerè relinquere, etsi exigat, ut urgentibus Tyrannis & hostibus Euangelij, eas æquo animo deseramus. Et quòd hæc uera sit sententia uerborum Christi, ostendere potest collatio diuersorum locorum scripturæ. Matthæi decimo dicit Christus: Qui inuenit animam suam, perdet illam. Paulò antè in eodem capite dicit: Cùm persequentur uos in ciuitate ista, fugite in aliam. Sic prohibet possidere aurum, argentum, pecuniam, Matthæi eodem, & apud Lucam capite vi. iubet mutuum dare, id est, nostrum dare alijs citra usuram utentium. Ergo non uult, ut temere nos committamus periculo mortis, neque uult, ut nihil possideamus, aut nostra, sicut Crates Philosophus, projciamus, sed anxiam sollicitudinem de uictu prohibet, & ea quæ habemus, legitimis contractibus alijs communicare iubet. Sicut nec Paulus, secunda ad Corinthios octauo, uult, ut ipsi suas facultates ad subleuandam inopiam Hierosolymitanorum exhauriant, & egeant, sed hortatur, ut sua copia aliorum inopiæ succurrant. Insaniunt igitur, qui non collatis inter se scripturæ locis Christianos obligare ad rerum communionem publica necessitate contendunt. Nam sicut inciuile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula eius proposita iudicare, & de Iure respondere, l. inciuile. ff. de legibus, ita impia temeritas est, una aliqua excerpta ex sacris literis sententia citra collationem aliorum locorum, de religione Christiana nouum dogma in uulgus spargere.

Crates Philosophus.

Postremò est & ideo eorum, qui contendũt Christianos debere omnia habere communia, opinio peruersa, quia pugnat cum publica obseruatione & Iure gentium. Decet enim bonum ciuem, ut in ijs causis & rebus, de quibus scriptis legibus non utimur, id custodiat, quod moribus & consuetudine introductum est. l. de quibus. ff. de ll. Cùm igitur communio rerum non sit mandata expresso uerbo Dei, nec publicis legibus constituta, sed priuatæ cuiusque pietati & benignitati commissa, non debet ea contra receptam consuetudinem commerciorum urgeri. Satis enim est, quenque per se tenere, quòd humanæ necessitudinis societas, & Christiana charitas eum obliget, ut aliorum necessitatibus sua benignè impartiat. Nam tranquillitas publica non patitur, ut publica necessitate res omnium usui pariter pateat. Itaque sufficit eam priuata obligatione egenorum causa, in usu retinere. Atque ita manifestum iam esse arbitror, quòd Christiano liceat tenere proprium, & eum eatenus ad rerum communicationem obligari, quatenus egestas proximi id exigat, & charitas iubeat. Cæterũm quia leges Romanæ communi consensu orbis Christiani receptæ sunt, debet illis Christianus in distinctione dominiorum acquiescere, & iuxta eas commercia rerum exercere, ac modis acquirendarum rerum, qui ab illis traduntur, tanquam legitimis uti.

Communio rerum non mandata.

DE DIFFERENTIA Iuris, tenendi res.

Cap. XXV.

SVMMARIVM.

1. De modis tenendi proprium.
2. Res quid significet.

Ius &

3. Ius & dominium quid sit.
4. Possessio dupliciter distinguenda.
5. Differunt in possessione esse, & possidere.
6. Naturaliter & ciuiliter simul possidere quid.
7. Quasi possessionem rerum incorporalium esse.
8. Seruitus duplex, realis & personalis.
9. Vsusfructus est res incorporalis, & quasi possidetur.
10. Habitandi ius est res incorporalis.

1 POSTQVAM ostendimus Iure diuino & humano licitum esse, ut quisque habeat proprium, uidendum nunc est, qui sint modi tenendi proprium. Neque enim uno eodemq; Iure pariter ab omnibus tenentur res. Nam alius plena potestate res habet proprias, alius uerò tantũm Ius utendi uel fruendi. Itaque Iura tenendi res, distinguenda sunt, ne quis existimet, res eadem ratione dici nostras, & ne quis putet cũm in hoc capite doctrinæ Iuris dicturi sumus de modis acquirendi res, ijsdem modis ad nos peruenire.

2 Vocantur autem in hac tractatione Iuris res generali appellatione non modò corpora rerum, uerumetiam Iura, quę nobis in utendis rerum corporibus competunt, ut sunt: Actus, Iter, Vsus, Vsufructus. *Res.*

3 Ius quo tenemus res corporales, dicitur aut Dominium, aut Possessio, Dominium uocatur Ius, quo ipsa res nostra est, & Ius Dominij, aut est Directum, aut Vtile. Directum Dominium est libera potestas agendi cum re sua quod ipsi commodum uideatur, citra alieni Iuris in ea re obligationẽ. Vtile Dominium dicitur facultas rei, certa lege potestatis circumscripta, ut est Emphiteosis, Ius utendorum bonorum Feudalium. Possessio autem dicitur ius, 4 quo tenetur res. Et est hic accuratè distinguendum inter possessionem, quæ res alicui tanquam custodi committitur, & eam, qua quis rem tanquam suam 5 in potestate habet. Longè enim differunt inter se, esse in possessione, & possidere. l. si quis ante. ff. de acquir. possessione. Nam dicitur in possessione esse, etiam is, qui absente domino rem nullo legitimo titulo occupat. Sed talis possessio non est Iuris, sed facti tantũm, ergo de acquirenda ea hic non agitur. Nam in hoc capite doctrinæ Iuris traduntur modi, quibus res non ipso solũm facto nostro apprehenduntur, sed Iure in nostram potestatem ueniunt. *Ius. Dominium. Directum. Vtile. Possessio.*

Vt igitur Ius possidendi res eluceseret magis, ueteres dixerunt, aliam possessionem naturalem tantũm, aliam ciuilem tantũm, Aliam naturalem & ciuilem simul. Naturaliter possidere is dicitur, qui quoquo modo rem apud se, uel in conspectu suo detinet, etiamsi Iuris sui certam nesciat rationem aut originem. Itaque Græcis talis possessio dicitur κατοχὴ, quasi detentio. Sicut naturaliter quoque primũm rerum dominia ex detentione acquisita sunt, & Iure gentium res derelictæ conceduntur primũm eas occupanti. Ciuiliter possidere dicitur, qui cũm res bono titulo habeat, tenere eas iudicatur, 6 etsi procul ab eo remotæ sint. Naturaliter & ciuiliter simul possidet, qui res iusto titulo adeptas apud se habet, quamuis earum dominiũ ad alium ipso nesciente pertineat. De hac possessione acquirenda in hoc capite doctrinę Iuris potissimum agi intelligendũ est, quoties possessionis mentio in eo habetur. *Naturalis possessio. Ciuilis possessio.*

7 Cæterùm est & alia species possessionis, quæ uocatur quasi possessio, sed ea ideo à superioribus speciebus possessionis remouenda est, quia tantũm res incorporales per eam possideri finguntur. Proprie enim loquendo res incorporales nõ possidentur, quia corporaliter apprehendi non possunt, sed quia & hæ patientia aliorum, & nostro usu nobis acquirũtur, & quasi nostræ potestati subijciuntur, earum usus nobis competens, quasi possessio uocatur. *Quasi possessio rerum incorporaliũ.*

Seruitus realis. Sunt autem duæ ſpecies quaſi poſſeſſionis rerum incorporalium, ſcilicet, ſeruitus Realis, & ſeruitus Perſonalis. Realis eſt, quæ rei debetur ā re, quales ſunt ſeruitutes prædiorum ruſticorum, ut eſt aquæ ductus, & ſeruitutes prædiorum urbanorū, ut eſt Ius Stillicidij auertendi in tectum, uel aream uicini. 8

Perſonalis ſeruitus. Perſonalis ſeruitus dicitur, quæ perſonæ debetur in re, ut ſunt uſus, habitatio, & Vſufructus. Nam talia Iura habentes quaſi poſſidere ea dicimur. Ne-

Vſusfructus quaſi poſſidetur. que obſtat quidem quò minus dicamus uſumfructum quaſi poſſideri, etſi in l. naturaliter. ff. de acquirenda poſſeſſione naturali tantūm poſſeſſione eam teneri dicatur. Nam uerum eſt Vſufructuarium, rem, in qua habet Vſumfructum, poſſidere tantūm naturaliter, ſed Ius, quo illi debetur Vſufructus, poſſidet naturaliter & ciuiliter, iuxta gloſſ. l. ſi plures. §. Directum. ff. de ui & ui armata. Ac proinde cūm Ius Vſufructus ā re ſeparatur, facile eſt intelligere, 9

Vſus fructus eſt res incorporalis. legem loqui de re Vſufructuaria, non de Iure fruendi ea. Ius enim Vſufructus, quia eſt incorporalis res, non poteſt naturaliter tantūm teneri, ſed naturaliter & ciuiliter ſimul, quaſi poſſidetur, ſicut aliæ ſeruitutes perſonales. Nā qui habet ius habitandi, ille quidem rectè dicitur domum tenere naturali 10 poſſeſſione, cūm domus ipſa nullo titulo ipſi debeatur, ſed ius habitandi in ea quaſi poſſidet, quia res incorporalis eſt, & poſſidet id naturaliter & ciuiliter, quia iſto ſuo iure præſens & abſens uti poteſt. Quare nō eſt cur quis propter iſtam legem nos reprehendat, quòd Vſufructum quaſi poſſideri naturaliter & ciuiliter diximus. Hæc de diſcrimine Iuris & poteſtatis, qua res tam corporales quàm incorporales tenentur. Quia uerò quarundam rerum conditio & ratio non patitur, ut uſibus hominum ſubijciantur, antequam iudicemus quibus modis res in dominium aut poſſeſſionem noſtram ueniant, annotanda uidetur rerum iuxta uariam Iuris in illis differentiam diuiſio, ut appareat, quæ res acquiri per nos poſſint, uel non.

DIVISIO RERVM IVxta Ius acquirendi eas. Caput XXVI.

SVMMARIVM.

1. Diuiſiones rerum.
2. Ius diuinum & humanum quid.
3. Res ſacræ, religioſæ, ſanctæ quæ.
4. Horti olim ſepulturæ deſtinati.
5. Diuinæ res nullius ſunt in bonis.
6. Humanæ res ſunt aut publicæ aut priuatæ.
7. Tredecim modi enumerantur dominia rerum acquirendi.
8. Quæſtio, an res publicæ acquirantur.
9. Volucres natura communes capientium fieri.
10. Aërem inficere nemini licet.
11. Rebus communibus non abutendum aliorum incommodo.
12. Interdicta prætorum quid prohibeant.
13. Adam ante lapſum non agnouit ſuam nuditatem.
14. Dominia rerum eſſe de iure gentium, ſed modos acquirendi de iure ciuili.

Res ſacræ. SVMMA rerum diuiſio eſt, quòd aliæ ſint Iuris diuini, aliæ Iuris humani. Vocamus autem Ius diuinum, quo res publicis & 1 ſacroſanctis uſibus conſecrantur. Ius humanum, quo res pro ſalute & neceſſitate publica uel priuata hominū uſib. concedun- 2
tur. Porrò Iuris diuini ſunt res ſacræ, religioſæ, ſanctæ. Sacræ dicuntur, quæ publicè religioſo uſui dedicatæ, cuiuſmodi ſunt templa, decimæ, prędia ad impenſas ſacrorū collata. Religioſę dicūtur, quę priuata uolun- 3
tate piis uſib. deſtinatę ſunt, ſicut apud Romanos fuerūt horti, à familijs ſepulturę deſtinati. Sanctę uocantur, quę ſanctionib. publicis aduerſus iniuriā ho- 4
minum & uiolationem publicę maieſtatis munitę ſunt, ſicut ſunt pomeria, &

omnes

omnes loci priuilegijs imperialib. donati. Quæ huius sunt notæ res, non possunt alienari, aut in priuatorum uenire potestatem, nisi paucis de causis, quæ legibus comprehensæ sunt, & sigillatim in Auth. de non aliena. aut commu.
5 reb. ecclesia. coll. 2. enumerantur. Itaq; hæ res nullius esse censentur. Nam quod diuini iuris est, id nullius in bonis est §. nullius. Instit. de rer. diuis. Iu-
6 ris autem humani, aut sunt Publicæ, aut Priuatæ. Publicæ sunt, quę omnium aut multorũ usui patent, & rursum, aut hæ sunt communes, aut uniuersitatis, Communes sunt, quæ naturali iure sine discrimine proprietatis & usus, omnibus conceduntur, ut sunt aër, aqua. Vniuersitatis sunt, quæ ciuili consensu et publico consilio ad multorũ usum parata sunt: et usu quidẽ cõmunia uidentur, sed proprietate cuiusq; Reip. ut sunt Theatra, scholę &c. Priuatę uerò dicuntur, quę singulorũ possessione tenentur, ut sunt omnia mobilia & immobilia bona, atq; etiam Iura & obligationes. Nam hic redeundũ est ad generalẽ diuisionem rerũ, qua dicitur, quòd aliæ sint corporales, aliæ incorporales, quę-cunq; enim res iuris humani sunt, acquiri permodos, quos iam subijciemus, nisi aliquo alio priuilegio exemptę sint (sicut res fisci & pupilli) putandũ est.


QVIBVS MODIS DOMINIA RERVM acquirantur Iure gentium.

7 1. Occupatione. 2. Captiuitate. 3. Alluuione. 4. Confictione. 5. Inuentione. 6. Natiuitate. 7. Specificatione. 8. Aedificatione. 9. Accessione. 10. Commixtione. 11. Cultura. 12. Satione. 13. Traditione. Et quia horum modorum quisq; suas habet Iuris regulas, sigillatim ordine de singulis dicemus: Antè uerò quàm istud faciã, dissoluenda uidetur quæstio, quę
8 ex rerum diuersitate apud cuiusque animum existere potest, uidelicet, an res publicæ, cõmunes, & quæ sunt uniuersitatis ijsdem modis acquirãtur, quibus priuatę. Ac certũ quidem est, eas sic acquiri, quia iuris humani sunt. Nec enim impedit earũ acquisitionem, quòd cùm publicę ac cõmunes sunt, non-nullis deantur singulorũ esse posse. Nam modi acquirendi sunt reb. publicis ac priuatis cõmunes, id quod ex ipso textu l. 1. ff. de acquirendo rer. domi. patet,
9 ubi res natura cõmunes, ut sunt uolucres, dicuntur capientium fieri. Itaq; manifestũ est, inter eas, quod ad ius acquirendi attinet, nullam esse differentiã. Non enim ideo cõmunes, uel publicæ dicuntur, quòd non possint in priuatam potestatem peruenire, sed quòd non unius alicuius tantùm usui obnoxię sunt. Patent enim omnium, aut multorum usibus res cõmunes, publicæ & uniuersitatis, licet regionum & populorum proprię sint. Est enim præcipua hæc rerum publicarum & priuatarum differentia, quòd publicæ sunt usu cõmunes, proprietate singulorum populorum, Priuatæ uerò sint & usu & proprietate singulorũ. Proinde accuratè quoq; obseruandum est, quòd quamuis mare, littora, portus, flumina, sunt publica, tamen arceri ab illis aliquis potest, si quoquo modo eorum usus futurus sit deterior, si promiscue omnib. concedũtur. l. littora. ff. ne quid in loco, uel itine. pub. fi. Sicut enim nemini licet
10 inficere aërem, quamuis omnium rerum maximè communis sit, quia cuiusque regionis iurisdictione proprius censetur: Ita nec aliæ res publicæ aut communes omnium libidini temerè seruiunt, sed potest earum usus prohiberi iurisdictione præsidentium rebus publicis, licet moderatus & necessarius
11 earum usus omnibus alioqui pateat. Nam res eatenus manent communes & publicæ, quatenus quis eis non abutatur aliorum incommodo. Isto nanque casu potest earum usus prohiberi ab illis, quibus Iurisdictio commissa est, quemadmodum abunde ostendunt interdicta prætorum lib. 43. ff. quæ
12 prohibent quicquam in publicis, uel itineribus & fluminibus fieri, quod communiter utentibus noceat. Vnde pleraque facta sunt iurisdictione priuata, & propria, quæ naturali iure sunt cõmunia, ut ferę, gemmæ, pisces, aues. Par enim est, ut quęq; regio, quisque populus gaudeat sui territorij commodis.


Quæstio, an res publicæ acquirantur.

Itaque

Itaq; autoritate publica in pleríſq; regionibus ſublata eſt earum rerum cõmunio. Neq; poteſt quidẽ talis iuriſdictio reprehendi, tanq; iuri naturali & gentium contraria. Nam tales conſtitutiones non tollunt Ius naturæ aut gentiũ, ſed potius conſeruant, cũm Iuris naturalis æquitatem communibus & publicis neceſſitatibus attemperant, illiq; addunt modum, quo conſeruari citra iniuriam in hac improbitate & audacia hominum queat. Neque poteſt quidem Religio prætendi, propterea quòd ſcriptura dicit: Dominamini piſcibus maris & uolatilibus cœli & uniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram. Nam ſi iſta uerba abſolutẽ, & ſine ullo reſpectu rerum eſſent accipienda, requireretur, ut nec uaccam, nec equum habere poſſemus proprium. Quippe cũm ſcriptura uniuerſa animantia, quæ mouentur ſuper terram, noſtro dominio ſubijciat. Quare moderanda eſt huius dominij poteſtas ac licentia, 13
iuxta rerum communionem, quam uſus & neceſſitas hominum patitur. Sicut enim Adam ante lapſum non agnouit ſuam nuditatem, nec ullam huius uitæ incommoditatem ſenſit, ſed poſtea coactus eſt, ſuæ nuditatis & aliarum incõmoditatum huius uitę quærere præſidium: Ita illi, qui ab eo nati ſunt, inualeſcente ſubinde malitia & audacia hominum, coacti ſunt, rerum communionem, & certas neceſſitatum uires contrahere, ne ſi omnium libidini temerè omnia pateant, ſinguli multis neceſſarijs carerent. Vnde rectẽ & præclarè Bart. in l. 1. ff. de acquir. rer. domi. dicit, Dominia rerum eſſe de Iure gentium, ſed modos acquirendi eas eſſe de Iure Ciuili. Nam ciuilis neceſſitas facit, ut res natura aut publicè communes priuatis uſibus dedicentur, ne rerum conſeruandarum nulla extet ratio, ſi ſine modo earum utendarum omnibus pateant. Habetis quæ res acquiri poſſint per annotatos modos. Nunc de ſingulis ordine dicemus. 14



Hæc acquir-



DE OCCVPATIONE RERVM.

Caput XXVII.

SVMMARIVM.

1. Quod antè nullius est, occupanti conceditur.
2. Res nullius quæ dicantur.
3. Deserere & derelinquere quid significent.
4. Res derelictæ quæ dicantur.
5. Hæreditatem esse hæredis fictione iuris.

REGVLA iuris in hoc modo rerum acquirendarum est: quod
1 antè nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. l. iij. ff.
2 de acquir. rer. domi. Res aũt nullius dicũtur esse, aut nostro, aut publico hominũ instituto, aut facto, aut tẽpore, aut casu. Nã natura nullius esse cẽsentur, quas usus & necessitas huius uitę patitur esse cõmunes, ut sunt omnia animantia, quę in terra, mari, cœloq; capiũtur. l. i. ff. de acquir. rer. domi. Atq; hæ quidẽ res, quę natura nullius sunt, iuxt. regulam, occupãtis fiunt. Vnde ubiq; gentiũ aucupari cuiuis licitum est, nisi fortè propter aliquã ciuilem necessitatẽ alicubi id prohibitum sit. Nam ius ciuile naturalẽ libertatem publicis & ciuilib. necessitatib. accõmodat. l. Ius ciuile. ff. de iust. & iur. Hinc est, q; plæręq; res, quę natura nullius sunt, in alio atq; alio loco ius ciuile uetet nos occupare. Publico hominis instituto nullius sunt, quas religio sacrosanctis usib. cõsecrauit, aut quas dominio nostro subijcere lege prohibemur, ut liberũ hominẽ, & in his reb. occupationis regula nõ habet locũ. Nam sicut res sacrę nõ fiunt occupantiũ, ita nec res publicis sanctionib. occupari prohibitę, fiunt nostrę §. i. Instit. de inut. stip. & l. unica §. sed scimus. C. de latina libertate tollẽda. Facto hominis res nullius fiunt, quę cùm essent propriæ, domini sui negligentia, pro desertis ac derelictis haberi cœperunt. Res derelictæ.
3 Deserit autem, qui colere agrum desijt: dereliquit, qui nulla cura possidendę rei tangi

Res nullius quæ dicãtur.

rei tangi uidetur. arg. l. qui agros. C. de omni agro deser. l. xi. Et res sic derelictæ aut desertæ iux. reg. fiunt occupantium, l. i. & ibi gl. ff. prodere. Tempore nullius censentur res, quarum possessor uetustate temporum ignoratur. Sed quatenus res, quæ tempore nullius habentur, fiant occupantium, dicemus infr. de inuẽtione. Nam eò pertinet earum acquisitio. Casu res nullius habentur, quæ euentu quodam in incerta possessione esse cœperunt: non tamen desunt, quib. debeantur, ut sunt hæreditates nondum aditæ. Et quæ hoc modo nullius uidentur, non fiunt occupantium, quamuis enim possessore uideantur carere, tamen quia hæreditas statim ut è uiuis excessit is, à quo relicta est, fingitur esse hæredis. l. omnis hæreditas. ff. de reg. iur. non conceditur ea occupanti. 4 5

DE INVENTIONE RERVM.

Caput XXVIII.

SVMMARIVM.

1. Occupare, & inuenire res quid sit.
2. Eius fieri qui inuenit, quod alterius non est. 3. Sex regularum enumeratio.
4. Thesaurus inuentus quando cedat inuentori, & quando non.
5. Aequitas scripta rigori præferenda.
6. Ecclesiastica potestas distincta ab Imperatoria.
7. Pietatis causa plæraque solùm pro iure habentur.
8. Magicis ut indignis thesaurus aufertur.
9. Canis doctus inueniendi thesauri.
10. Emphiteutæ ius quale in uendicando thesauro.
11. Emphiteuta fundi dominus habetur.

Occupare. Inuenire.

OCCVPATVR res quæ cùm in prospectu multorum sit, tamen certo possessore caret: inuenitur, in quam aliud agentes casu incidimus, unde homines primùm terram occupasse, cùm uacua esset, & inuenisse insulas, quas antè ignorabãt, dicimus. Habet autem hic modus acquirendi non unam iuris regulam. Nam pro dominio locorum, in quib. res inuentæ sunt, aliud atq; aliud ius inuentori de re inuenta competit. Prima igitur regula huius modi hæc est: Eius fit, qui inuenit, quod alterius non est, donec enim probari eius, quod inueni, dominium à quoquam potest, iure id mihi uendicare nullo modo possum. Nam si quis aliquid uel lucri, ut frumentum: uel metus, ut in bello aurum: uel custodiæ (ut in seditione ornamenta aurea, uel mundum muliebrem) causa defodiat, nec dum eius depositionis memoria exoleuerit, tum non cedit inuentori, sed furtum committit, qui sibi id, cùm dominus non sit, uendicat, l. nunquã. ℣ thesaurus. ff. de acquir. rer. domi. & l. thesaurus. ff. ad exhibendum, & de acquir. possessione. arg. l. peregre, & familiæ herciscundæ. l. item Labeo. Proinde nec naufragio expulsum, nec salutis causa naui eiectum, aut aliquo alio quouis infortunio deperditum, & absque uoluntate domini amissum, iure inuentionis uendicare nobis possumus. l. interdum ℣ quod ex naufragio. ff. de acquir. possess. Secunda Regula est: thesaurus à dño loci data opera, uel fortuitò inuentus cedit inuentori. Nam cùm ignoretur à quo sit depositus, naturali æquitate uidetur domino loci reddendus, tanquam res, quæ in nullius bonis sit. Idem ius statuitur de thesauro in loco sacro reperto ℣ thesaurus. Instit. de rer. diui. Quia enim & locus sacer in nullius est bonis, non impediendus uidetur inuentor, quò minus inuentum in loco, quem nemo possidet, sibi uẽ dicet, sed contrarium constituitur l. iñ ℣ penul. ff. de iur. fisci. Nam uult ibi tex. ut media pars thesauri, in loco religioso reperti, cedat fisco, atque conatur quidem gl. cir. eam l. dissoluere iſtam Antinomiam hac distinct. quòd in ff. constitutum sit ius huius schematis ex rigore iuris ciuilis: In Instit. uerò ex æquitate naturali. Iam autem, quia Ius ciuile ailquando derogat aliquid Iuri naturali 1 2 3 4

Thesaurus in loco religioso inuentus cui debeatur.

Antinomia.

naturali, ſicut in uſucapionibus, quib. aliquis contra naturam alterius iactura locupletatur, Ius ffff. in hoc ſchemate uidetur ſequendum. Rurſum quia æquitas ſcripta iuris rigori eſt præferenda, l. placuit. C. de iudicijs. uidetur æ-
5 quitas in Inſtitut. ſcripta rigori l. ffff. anteponenda. Sic diſputando ita diſtrahitur conſtitutio iuris huius ſchematis, ut neſcias quid potiſsimum ſequaris. In hanc tamen ſententiam magis inclinare uidentur DD. quòd media pars theſauri in loco religioſo inuenti debeat cedere fiſco. Ang. ſuper Inſtit. cenſet, nouiſsimo iuri conueniens, ut media pars theſauri in loco religioſo reperti cedat Eccleſiæ, id quod & mihi placet, ſed non ob eam cauſam, quam ipſe refert, ſumpto arg. ex princip. Authen. quomodo oporteat epiſc. & cleric. ad or-
6 dines produci, &c. Quamuis enim diſtincta ſit poteſtas eccleſiaſtica ab Imperatoria, ita ut neutra alteriùs ius ſibi uendicare poſsit, tamen inde non ſequitur, quòd ideò eccleſiæ debeatur media pars theſauri in religioſo loco reperti. Nam ſicut glo. ibidem teſtatur, & ratio diuerſitatis in poteſtate eccleſiaſtica & imperatoria requirit, iuriſdictio rerum temporalium ad eccleſiaſticam poteſtatem non pertinet. Ergo contra ius Hadriani Imperatoris, quod in ff. extat, eccleſia non poteſt ſua iuriſdictione præripere fiſco mediam partem theſauri in loco religioſo reperti. Magis autem debetur eccleſiæ, quàm fiſco, quia pietas ſuadet, ut quod citra cuiuſquam iniuriam inter ſacra eſſe cœperit,
7 pijs uſibus dedicet. Nam pleraq; ſolùm pietatis cauſa pro iure habentur, iux. Bal. cir. l. 1. C. de ſacroſan. eccl. & priui. eor. Tertia regula eſt: Theſaurus in alieno loco priuato, uel pub. non data opera, ſed fortuito inuentus, inter dominum loci & inuentorem diuiditur. & hoc in locis fiſcalibus adeò eſt regulare, ut ſi quis ſupprimat partem fiſco debitam, cogatur loco pœnæ totum cũ altero tanto fiſco ſoluere. Deferre tamen ſe, qui theſaurum inuenit, nemo cogitur, niſi quæ pars ex eo fiſco debeatur. l. iij. §. ult. ff. de iur. fiſc. Quarta reg. eſt, ſi quis data opera domino ignorante uel permittente in alieno loco inue-
8 nerit theſaurum, non inuentori, ſed domino is acquiritur. Quinta reg. eſt, ſi arte magica theſaurum quis uſquam inuenerit, eum ſibi fiſcus uendicat. Nam
9 talibus, ut indignis aufertur, quippe qui arte religioni contraria rem quæſiuerunt. Sexta reg. eſt: ſiquis habeat canem, uel quodlibet animal ad id doctum, & per eum aliquid inueniat, inuentum cedit domino canis, arg. l. ſtatutæ. ff. de uſufruct. Verũm hæc, quæ ã dominorum iure in uendicando theſauro inuento diximus, de dominio directo accipienda ſunt: nunc de illorum iure,
10 qui tantũm utile dominium locorum habent, ut Emphiteutę. Nam quæri poteſt, an idem ius habeant in uendicando theſauro quod domini directi. Ac uidetur quidem naturalis æquitas ſuadere, ut domino directo theſauri pars cedat, cũm utili domino tantũm ea conceſſerit, quæ ſua induſtria ex ſoli cultura conquiſierit, non ea quæ in infimis ſoli abſcondita inueniuntur, & tamen communis eſt opinio, quòd illi, qui habent utile dominium loci, accipiat quic quid utilitatis ex eo quoquo modo emergat. Vnde & Emphiteutæ theſaurus cedere dicitur, etiamſi ipſe dominus directus eum in agro, quem Emphi-
11 teutæ colendum dedit, inueniat. l. unic. ff. ſi ager uectiga. peta. Nam Emphiteuta habetur dominus fundi. l. poſſeſſores, in fin. C. de fundis priua. & Emphi. li. xi. Itaq; quicquid utilitatis præter eam obligationem, qua domino directo obſtrictus eſt Emphiteuta, ex fundo exiſtat, id tanquam in ſuo ſolo natum ſibi uſurpare iure cenſetur, ac proinde etiam uendicare theſaurum in fundo ipſi ad colendum dato inuentum tanq; rem ſuam poteſt. Nam competit Emphiteutæ actio in rem etiam aduerſus eum, à quo in Emphiteuſin datus eſt fundus. l. unic. in fi. ff. ſi ager uectig. uel Emphiteu. peta. Multò magis igitur uidetur rem in fundo Emphiteutico inuentam uendicare poſſe. Item uidetur dominus utilis directo præferendus, cũm alius quiſpiam theſaurum in agro Emphiteutico inueniat, exẽplo procuratoris, qui q̃uis directã habeat

actionẽ ex ſtipulatione ſua, tamen dominus, cui tantùm utilis actio per eius ſtipulationem quæſita eſt, ei præfertur, iux. l. in cauſæ, in fi. ff. de procu. Eadẽ ratione & illi, qui bona fide, & cum tit. præſcripſit fundum, theſaurus in eo inuentus uidetur concedendus, & non domino directo. Nam cũm & fundus ita præſcriptus à præſcriptore uendicari poſsit, l. ſi quis emptiones, in prin. C. de preſcrip. xxx. an. planum eſt eum mediam partem theſauri in fundo preſcripto ab alio inuenti petere poſſe iuxta ea, quę iam de utili domino diximus. Si uerò abſq; tit. quis præſcripſit fundum, is etiamſi xxx. annorum preſcriptione eum teneat, tamen ſi dominus fundi fortè præripiat illi theſaurum, non poteſt eum præſcriptor repetere, quia nec fundum uendicare poſſet, ſi à poſſeſſione decidiſſet. d. l. ſi quis empt. Cæterũm exiſtunt hoc loco & aliæ quędã queſtiones, ſcilicet, an uſufructuarius, hypothecarius, maritus poſsint uendicare inuentum in fundo ipſis in uſumfructum, aut hypothecam, aut uſum dato, & communis eſt opinio, quòd non poſsint, iux. l. ſiis qui in alieno §. quòd ſi ſeruus. & §. fin. ff. de acq. rer. dom. & l. diuortio. §. fundum. ff. ſolut. matri. Idẽ iudicandum eſt de ſimilib. quæſtionib. Ad totam autem tractationem huiuſmodi acquirendi res peculiariter pertinet titul. Codicis, de Theſauris, lib. x.

Hypotheca eſt res immobilis data in pignus.

DE CAPTIVITATE. Cap. XXIX.

SVMMARIVM.

1. Captum legitimo bello fit capientium.
2. Chriſtianus Chriſtianum captum non redigit in ſeruitutem.
3. De bello legitimo. 4. Belli non legitimi uis, latrocinium eſt.
5. Bellum legitimum quod ſit, oſtendunt Canones.

Capti in bello an fiant capientium.

REGVLA eſt, id quod captum eſt legitimo bello, fit capientium, arg. l. poſtliminium, in prin. ff. de capt. & poſtli. reuerſ. Necq; ueteri quidem iure homo liber excipitur, ut non protinus fiat capientis. l. ſi quis pro redemptione. §. i. C. de donat. Sed religione pietatis Chriſtianæ hoc obſeruat, ut ſi Chriſtianus cum Chriſtiano gerat bellum, capti non redigantur in ſeruitutem, aut uendantur iuxt. Bar. cir. l. hoſtes, in fi. ff. de capti. & poſtl. reuer. Secus ſit cũm Chriſtianus gerit bellum cum Ethnico. Nam tum iux. regulam, & homines & res fiunt capientium, ſiue mobiles ſint, ſiue immobiles. Quamuis hoc quoq; cautum eſt de bello, quod inter gentes, quæ Romanum imperium agnoſcunt, geritur, ut res tantũm mobiles fiant capientium, & Ducis arbitrio militib. aſſignent pro cuiuſuis merito, immobiles uerò immediatè cedant fiſco. Cenſentur enim tales gentes communis imperij ciues. At hoc etiam ueteribus placuit, ut in ciuilibus diſſenſionibus capti, non amitterent ingenuitatem. l. ſi quis ingenuam. §. in ciuilibus. ff. de capt. & poſtli. reuer. Itaq; perſonæ bello inter gentes imperij orto captæ, non fiunt hoſtium, ſed res, ſicut indicauimus, inter milites, & fiſcum diſtribuuntur, iux. Bar. cir. l. ſi quid in bello. ff. de capt. & poſtli. reuerſ. Cæterũm quæ illegitimo bello capiuntur, non fiunt capientium. Nã talis uis non bellum, ſed latrocinium eſt, quod nullo iure ſubſiſtit. Itaq; capti ã latronibus non fiunt ſerui. l. hoſtes. ff. de capt. & poſtli. reuerſ. Quod autem bellum ſit legitimum & Chriſtianis licitum, oſtendunt Canones xxiij. q. ij. & Bart. cir. l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iur.

1 2 3 4 5

DE NATIVITATE. Cap. XXX.

SVMMARIVM.

1. Nata ex noſtris animantibus noſtra fiunt.
2. Mater non pater in dominio natorum conſideretur.
3. Partus ſequitur conditionẽ matris. 4. Fœtus animantiũ haberi loco fructuũ.
5. Ancillæ partum in fructu non eſſe.

IVRE

1 IVRE gentium & ea, quæ nobis ex animantibus noſtris naſcuntur, noſtra fiunt. l. idem Pomponius ℣ idem ſcribit. ff. de rei uend. Neq; intereſt, an ex rationali, ut ex ſerua, uel irrationali, ut ex uacca, quid nobis natum ſit. Nam idem ius de utroq; genere animantium. l. partum. C. de rei uendi. Quare nihil ambiguitatis eſt in hoc modo acquirendi, niſi fortè quis dubitet, an ex ſexu fœmineo ſolùm, non etiam ex maſculis nobis putentur naſci animantia, ut cùm tuus equus meam equam prægnantem fecerit, quæras utri fœtus cedere de-
2 beat. Verùm indubitati iuris eſt, quòd in conſiderando dominio natorum,
3 non pater, ſed mater reſpiciatur. Nam ſicut in rationalibus animantibus partus ſequitur conditionem matris, ita & in irrationalibus eius ſit fœtus, cuius eſt mater, iuxtà iam allegatas ll. Porrò id quæri in hoc modo poteſt, cuinam cedat fœtus, ſi contingat, ut aliquis uaccam prægnantem à non domino emat, & poſtea fœtu iam edito, dominus uaccam tanquam iniquè ſibi ſubductam,
4 & ſe inuito à non domino uenditam cum fœtu repetat. Iureconſultus in l. bonæ fidei ℣ fin. ff. de acq. rer. domi. Reſpondet, ſibi uideri, ut fœtus illi cedat, qui uaccam bona fide emit, ac poſſidet, propterea quòd & fœtus animantium habeantur loco fructuum. Proinde cùm aliarum rerum fructus cedant bonæ
5 fidei ſucceſſoribus, non eſſe fœtum ex bruto editum ipſi eripiendum, ſecus autem ſit in ancillæ partu, abſurdum enim uidetur hominem in fructu eſſe, cùm omnes fructus rerum, hominũ gratia compararit natura. l. in pecudum. ff. de uſuris. *Homo in fructu non eſt.*

DE ALLVVIONE
Cap. XXXI.

SVMMARIVM.

1. Alluuio quid ſit.
2. Quod paulatim noſtro ſolo adiicitur, noſtrum eſſe cenſetur.
3. Paulatim adiicere quid ſit.
4. Vniri res dicuntur quando inuicem cohærent.
5. Vſufructuarius, hypothecarius quaſi dominium in fundo habent.
6. Tiberiadis tractatus Bartoli.

1 ALLVVIO eſt terræ per impetum aquæ ad terram non euidens *Alluuio quid*
2 aggreſsio. Vnde regul. eſt: quod paulatim noſtro ſolo adiicitur,
3 noſtrum eſſe cenſetur. l. adeò ℣ præterea. ff. de acq. rer. do. Paulatim autem adiici dicitur, cùm intelligere non poſſumus, quantum quoq; temporis momento accedat. Si enim uis fluminis magnam aliquam partem alieno prædio detrahat, & meo appellat, manet alterius. l. item ſi fundi ℣ hinc. ff. de uſufru. Si tamen pars de tuo fundo ablata accreſcat meo, ita ut etiam arbores in meum fundum radices agere cœperint, adeo quæ meus fundus cum parte tui fundi factus ſit contiguus, priuſquam eam tibi uendicares, tum acquiſiuiſſe me eam partem non dubitatur. l. adeò ℣ planè. ff. de acqui. rer. do. Nihil uerò impedit Ius alluuionis, ſiue terram puram, aut lapidibus mixtam, aut etiam ligna, argentum, uel aurum, aut pecuniam pariter cum terra noſtro fundo flumen adiiciat, modò ſic adiiciat, ut ſimul cũ
4 terra uniatur. l. in re ℣ item quæcunq;. ff. de rei uendic. Vniri uerò res dicuntur, quando inuicem cohærent. Nam ſi quid per flumen, ita in fundum noſtrum proiicitur, ut terræ non cohæreat, tum non nobis propter alluuionem, ſed occupanti conceditur, quia nullius eſt. Nam id ſolum fundi eſt, quod intra ſe tenet affixum. l. fundi, in prin. ff. de actio. empt. & uend. Atq; hoc modo acquiri directo domino, quod per alluuionẽ eius fundo adiectũ eſt, nullũ eſt dubium, ſed an id eodem modo fiat illorũ, qui quaſi dominiũ in fundo habẽt,
5 ſicut uſufructuarius, hypothecarius, quæri poteſt. Et uidetur quidem, quòd eodem modo acquirant. Sicut enim illi, cui nuda proprietas fundi pignori da

ta est, usufructus, qui postea accrescit, cedit, ita etiam fundo in hypothecam dato cedit, si quid per alluuionem ei adijciatur. l. si conuenerit §. si nuda. ff. de pignora. act. & de pig. l. si fundus, in prin. Vsufructuarius autem ideo acquirit, quia quod per alluuionē fundo accrescit, simile fit ei, cui accessit. l. si ego §. idem. ff. de publi. in rem act. Itaq; usufructuarius cùm habeat quicquid ex fundo prouenit, uidetur & hoc quoq; ei concedendum, ut ex eo quod fundo accreuit, fructum capiat. & hoc ueterib. placuisse Celsus testatur. l. item fundi. §. etsi metalla. ff. de usufru. Et arg. huius iuris in usufructuario, idem permitti emphiteutæ quidam contendunt, iux. Spe. de locato §. nunc aliqua. uers. xiij. An uerò alluuio prosit hæredi, uel legatario, uide notata cir. l. Iulianus §. si Titius, de actio. empti & uen. Præterea hoc loco dicendum esse de insula in flumine nata, cui ea cedat, & alueo à flumine relicto, cuius agro is accedat. Sed quia nimis longum esset ista omnia in compēdium annotare, malo ut ea discentes petant à Bar. Nam is hæc omnia in tractatu, cui fecit titulum, Tiberiadis, diligentissimē complexus est. Et continet pleraq; huiusmodi peculiaria titulus Cod. de Alluuionib. & paludib. ac pascuis ad aliū statum translatis. 6

DE SPECIFICATIONE.

Cap. XXXII.

SVMMARIVM.

1. Homines improuidi aliorum materia sæpe utuntur prō sua.
2. Error in usu materiæ.
3. Distinctione casuum quærenda est æquitas.
4. Actio in factum competit domino materiæ.
5. Ignorantibus aliena materia utentibus succurritur.
6. In surripientem materiam furti actio datur.

SAEPE accidere solet, ut homines improuidi aliorum materia utantur pro sua, & per errorem ex ea aliquid faciāt, aut fieri per alios curent, quod dissolui, ut materia suis dominis reddatur, citra ipsorum iacturam non queat. Quapropter uariē interueteres disputatum est, utri rectius species per errorem materiæ confecta attribueretur. Alij nanq; contenderunt illi relinquendam esse materiam, qui ex ea fecisset, quod antea nullius fuerit, nempe speciem, ut scyphum ex alieno argento: alij quia sine materia nihil possit effici, magis consentaneum iuri censuerunt, ut illi species cederet, cuius materia fuisset. Sed cùm neutrorum ratio satis probaretur, distinctione casuum quæsita est æquitas, scilicet, si facta species possit reduci ad rudem materiam, tunc iure illum, cuius fuerit materia, eam repetere, acsi ita uideatur, factam ex ea speciē sibi posse seruare. Si uerò facta species non possit reduci ad rudem materiam, tum æquum uideri, ut quod ex aliena materia factum sit, cedat factori, maximē, si bona fide aliena materia usus uideatur. competit autem in hoc casu domino materiæ actio in factum, nempe ut materia æstimetur, & ipsi compensetur. l. in rem §. item quæcunque. ff. de rei uend. Si uerō quis mala fide ex aliena materia aliquid fecisse deprehenderetur, placuit ut is operam & sumptus, quos in confi cienda specie fecisset, perderet, ac ipsa species domino materiæ cederet. Idem obseruatur, si plures simul ex aliena materia aliquid facerent, quippe solis illis, qui ignorantes aliena materia utuntur, succurritur: qui uerō scientes ex aliena materia aliquid conflant, amittunt operam & impensas. l. de eo §. cūm quis. ff. ad exhibendum. Si quis autem conuincitur, quòd materiam quoque surripuerit, in eum furti datur actio. l. adeō §. cum quis. ff. de acquir. rerum domin.

Scyphus ex alieno argento.

1 2 3 4 5 6

DE ACCESSIONE.

Cap. XXXIII.

SVM-

SVMMARIVM.

1. Lignum alienum in suum ædificium coniectum acquiritur.
2. Tria esse genera corporum.
3. Accessorium sequitur principale.
4. Gemmæ auro cedunt, & aurum cedit gemmis.
5. Pictura in muro alterius cui cedat.
6. Accessio fraudulenta non gignit ius.
7. Præscriptionis ius malæ fidei possessorem non adiuuat.

1 RES acquiruntur specificatione, quando ad constituendam speciem usurpantur, ut cũm lignum alienum in tuum ædificium conijcis. Accessione acquiruntur, quando ornatus, aut splendoris causa alijs adhibitæ sunt. Vt autem huiusmodi ratio expeditior sit, uerba Pomponij exl. rerum mixtura. ff. de usucap. non piget ascribere.
2 Tria, inquit, sunt genera corporum: Vnum, quod continetur uno spiritu, & Græcè ἡνωμένον. i. unitum uocatur, ut homo, lignum, lapis, & similia. Alterum, quod ex contingentibus se, id est, ex pluribus inter se cohærentibus constat, quod συνημμένον. i. connexum uocatur, ut ædificium, nauis, armarium. Tertium, quod ex distantibus constat, ut corpora plura non soluta, sed uni nomini subiecta, ueluti populus, legio, grex. Iam uide si qua res primi generis fuerit alicui naturæ rei uenustatis gratia de alieno adiecta, iure accessionis nobis ce-
3 dit, sicut aliàs accessorium sequitur principale. c. accessorium. extr. de reg. iu-
4 ris in sexto. Sic gemmæ auro ornatus causa inclusæ cedunt auro, & è diuerso aurum cedit gemmis, si ornatus causa illis adhibitum est. l. etsi non sunt. §.
5 perueniamus. ff. de auro & arg. leg. Idem iuris est in rebus secundi generis, ut pictura in murum alterius composita. Tertij generis res, ut sunt oues gregi adiectæ non cedunt possessoribus ratione accessionis. Nam harum facilis est separatio. l. rerum mixtura. §. quid ergo. ff. de usucap. Cæterũm & in hoc
6 modo uidendum est, ut alienæ res bona fide nostris adijciantur. Nam fraudu-
7 lenta accessio non potest nobis ius accessionis gignere, sicut nec præscriptionis ius malæ fidei possessorem adiuuat.

DE CONFVSIONE ET COMmixtione. Cap. XXXIIII.

SVMMARIVM.

1. Confundi res, & commisceri quid sit.
2. Mulsum ex uino & melle commixto fieri.
3. Commiscentur metalla & frumentum.
4. Dominorum uoluntate mixtio facta manet dominis.
5. Actio communi diuidundo datur pro rebus confusis.
6. Bonam fidem requiri in confusione & commixtione.
7. Actione ad exhibendum tenetur, qui sciens alienam rem suis miscuerit.
8. Nummi alieni mixti reliquæ pecuniæ retineantur.
9. Actione facti conuenitur qui alienos nummos dedit, non qui eos in solutum acceperit.

1 CONFVNDI dicuntur, quæ mixta mutant speciem, ut uinum
2 cum melle mixtum non possunt separari, ut unumquodq; suæ restituatur speciei, sed fit ex illis simul noua species, nempe mul-
3 sum. Commisceri autem dicuntur, quæ mixta non mutant speciem, ut sunt metalla, frumentum. Nam harum species commixtæ separari facile possunt. Proinde quamuis inter confusionem & commixtionem magna sit similitudo, tamen diuersa sunt acquirẽdi per hos modos iura.
4 In rebus confusis hoc obseruatur, quòd si dominorum uoluntate misceantur, tum id, quod ex confusione factum est, manet dominis commune, nec; potest

quisquam eorum inde repetere suam speciem, sed detur communi diuidundo actio, ita, ut cuiq; sua portio, non sua species de communi reddatur. Idem obseruatur in fortuitò confusis. l. idem Pomponius. §. i. ff. de rei uen. Si quis uerò incautus & bona fide alienam materiam nesciente domino cum sua cõfuderit, tum iure specificationis confusum cedit confusori, ut suprà de specifica. In commixtis diuersum fit. Siue enim dominorum uoluntate, aut fortuitò res misceantur, commixtum non fit commune, sed singulis dominis datur actio suæ rei uendicandæ, quia mixtarum species separari possunt, ut si ex cupro meo, & argento tuo aliqua confletur species, non erit ea nostra communis, quia separari argentum à cupro potest. l. lacus. §. fin. ff. de acq. re. do. & l. idem Pomponius. §. sed plumbum. & l. adeõ. §. cũm quis ex aliena. ff. eo. Vt autem quis hoc iure gaudeat, in qualibet confusione & commixtione requirirur bona fides. Nam si quis sciens alienam rem suis miscuerit, tenetur actione ad exhibendum. l. de eo. §. si quis. ff. ad exhibendum. Et sicut ibi dicit glo. potest etiam condictione furtiua conueniri. Verũm contrarium decidtur in l. si alieni. ff. de solutio. & liberat. Nam ibi permittitur, ut si cui in solutionem debiti dentur alieni nummi, & postea per eum, qui in solutum eos accepit, illis sic admisceantur reliquæ pecuniæ, ut discerni nequeant, alienos nummos retineat, glo. ibidem respondet, quòd hoc sit speciale in pecunia, iux. l. singularia. ff. si cert. pet. & contendit ideo alienam pecuniam creditori solutam cedere, quia pro debito eam nesciens alienam esse acceperit. Itaq; conueniendum eum actione facti, qui alienos nummos dederit, & non, qui eos in solutum acceperit. 1 5 6 7 8 9

DE AEDIFICATIONE.

Cap. XXXV.

SVMMARIVM.

1. Nulli sua temeritas alterius damno proficere debet:
2. Quæ sunt uel bona uel mala fide alieno solo affixa, cedunt solo.
3. Aedificia spacio xv. pedum à publicis horreis non remota destruenda.
4. Aedificiũ quando cedat solo. 5. Cõductor domus impensas repetere potest.
6. Aedificanti in alieno non datur actio repetendorum sumptuum.
7. Actio in duplum contra ædificantem.
8. Iurare in litem dominus materiç potest.

Aedificiũ cedit solo.

Aedificans in loco sacro

IT quoq; hominum temeritate, ut nonnunquam in alieno solo ponãt sua ædificia, itaq; ne cui sua temeritas alteriũs damno proficiat, tradita est in hunc casum hęc à legibus Iuris regula: Ea quę sunt uel bona uel mala fide alieno solo affixa, cedunt solo. l. adeõ. §. cũ in suo. ff. de acq. re. do. Patiẽ aũt hæc regula uarias exceptiones. Nam cũm in loco, qui priuatis usibus interdictus est, ædificium ponit, ut in loco sacro, aut publico, non cedit solo, sed leges dirui id iubent. l. fidei commissa. §. si quis illicito. ff. de legatis iij. & ne quis in publico. l. i. Vnde & ædificia spacio xv. pedum à publicis horreis non remota destruuntur, aut annua pensione illis imposita fisco applicantur. C. de ædificijs priuatis. l. Meuiana. ff. ne quid in loco publico. l. ij. §. si quis. Item non cedit solo ædificium, cũ non est ita affixum illi, ut inde amoueri sine magno incommodo possit. l. Titius. ff. de acquiren. rerum domin. & l. granaria. ff. de actio. empt. Item si ædificium ab Emphiteuta in solo Emphiteutico positum est: Paulus de castro circa l. seruitutes prædiorum. ff. de seruitut. dicit distinguendum esse, quòd si possit remoueri, tum non cedat solo, iuxta l. Titius. ff. de acquirendo rerum dominio. Si autem non possit remoueri, tum cedat domino soli, modò soluat expensas, quas fecerit Emphiteuta. in usibus feudorum. titul. hic finitur lex. §. Vasallus. Idem ius habent & alij, qui utile habent soli dominium, ut Vsufructuarius colonus. l. Sed & si quis. in principio. ff. de usufructu. & l. sed ad- 1 2 3 4

de

5 de. §. Si inquilinus. Præterea & conductor repetere potest impensas, si quas in facienda domo conducta fecit. l. habitator. & ibi Bartolus de rei uendica. Quod uerò de repetitione impensarum dixi, de eo intelligendum est, qui bona fide in alieno solo ædificauit. l. sin autem. §. iure petita. ff. de rei uendic.
6 Addit & ibi Bartol. Nam si quis mala fide, & sciens, in alieno solo ædificauit, tum ædificatum cedit solo, nec datur ei actio repetendorum sumptuum. Etenim talis sua uoluntate alienasse suam materiam uidetur. Itaque nec rei uendicatio illi competit, quia res alienata, non potest uendicari. l. si is contra quem. C. de ædificijs priuatis. Sed hæc de ædificijs ex sua materia in alieno solo positis: uidendum nunc est, quid iuris habeat is, qui ex aliena materia in
7 suo solo aliquid ædificet. l. adeò. §. cùm in suo. ff. de acquiren. rer. domin. & de tigno iniuncto. l. i. Dant domino materiæ in tali casu actionem aduersus ædificantem in duplum. Nam ne si domino reddenda sit sua materia, ædificia diruantur, aut deformentur, placuit ut materia aliena in ædificium coniecta, nõ uendicetur, etiãsi sciens quis aliena materia usus sit. Itaq; tolerabilius
8 quoque esse uidetur, ut dominus materiæ iuret in litem, hoc est, præstito iuramento profiteatur, quanta pecunia materia surrepta carere nolit, ut condemnatio eius, qui temerè usus est aliena materia, procedat ad interesse. l. qui restituere. §. sruerò. ff. de rei uend. & de acquir. poss. l. uniuersis. Quòd si domino, cui surrepta est materia, id minus placeat, poterit in duplum agere, & pœnæ loco duplex precium materiæ ab ædificatore postulare. l. i. in fin. ff. de tig. iniunct.

DE CVLTVRA ET SATIONE.

Caput XXXVI.

SVMMARIVM.

1. Semen aut planta in alterius solum coniecta, eius fit, cuius est solum.
2. Eius manet arbor, qui eam plantauit.
3. In rem præsentem uenire uicinus potest.
4. Impensæ reddantur alienum agrum bona fide colenti.
5. Mala fide alienum agrum colens, perdit operam & oleum.
6. Paupertatis respectus habendus.

1 IVS ædificium cedit solo, ita semen, aut planta in alterius solum coniecta, eius fit, cuius est solum, maximè si semen, aut planta radices egerint. Nam si radices nondum egerint, domino seminis & plantæ datur ius repetendi. l. adeò. §. si alienum. ff. de acquir. rer. dom. Quod autem de radicibus diximus, ita accipiendũ
2 est, ut si arbor agat radices in uicini fundo, & tamen stipes posita sit in eius solo, qui eam plantauit, tum nulla pars eius cedat uicino, nisi appareat arborem non posse ali, si non radices in fundum uicini extendat. Donec enim hoc nõ est in conspicuo, eius manet arbor, qui eam plantauit: nec licet quidem uici-
3 no rescindere alienæ arboris radices, nisi prius id denunciet, ut in rem præsentem uicinus uenire possit, atq; explorare, ex quibus radicibus arbor maximẽ alatur. l. si plures. §. final. ff. arbor. furt. cæsar. Cęterũm & alia est regula in hoc modo acquirendi. Nam cũm possit euenire, ut quis citra omnem fraudẽ
4 in alienum fundum suum immittat semen, aut plantam, æquum uidetur, ut tali casu reddantur impensæ, illi qui alienum agrum bona fide colit, ac consecuit. l. qua ratione, in prin. ff. de acquir. rer. do. Si uerò quis deprehendatur, q
5 mala fide alienum agrum coluerit, perdit (quod dicitur) operam & oleum, tanquam is, qui sua sponte rem alienauit. Neq; tamen omnes impensas bonæ
6 fidei cultor semper repetere potest. Nam si dominus fundi fortè tam pauper sit, ut si impensas reddere cogatur, laribus, auitisqũe sepulchris, hoc est, rebus propter maiorum splendorem charissimis illi carendum sit, tum sufficit, si

reddat necessarias & utiles impensas,& permittat, ut ea quæ præter necessitatem in colendo fundo facta sint,tollantur.l.in fundo.ff.de rei uendica.

DE TRADITIONE.
Cap. XXXVII.

SVMMARIVM.

1. Nuda traditio non transfert dominium. 2. Causa iusta traditionẽ præcedat.
3. Traditio est modus acquirendi proprius.
4. Traditio omnibus contractibus interuenire debet.
5. Contractibus res fiunt tantùm debitæ,sed traditione fiunt nostræ.
6. Contractus traditione ualidantur & perficiuntur.
7. Propriè tradit qui rem suam in alterius potestatem confert.
8. Res uendita loco pignoris teneri potest.
9. Res empta non interueniente precio tradi potest.
10. Manu apprehensæ res traduntur.
11. Res incorporales per patientiam tradi.
12. Traditionem sine causa uera aut putatiua non esse ualidam.
13. Donatio quibus personis negetur.

NVNQVAM nuda traditio transfert dominium, sed ita,si uenditio,aut aliqua iusta causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur.l.nunquam. ff. de acquir. rerum domin. Mirari igitur quis posset,qui fiat,quòd traditio inter modos acquirendi rerum dominia ponatur,sed si quis rem propius considerabit,intelliget nullum esse modum acquirendi dominia rerum,aut magis uulgatum,aut iuri gentium magis proprium. Rarò etenim accidit, ut res desertæ occupentur aut casu inueniantur,aut Alluuione adijciantur, aut propter incautam usurpationem alienentur. Nam postquam homines iuris consensu,& utilitatis communione sociati sunt, res necessariæ ultrò citroq; uendendo,emendoq; ferè communicantur. Sed in omnibus rerum transferendarum contractibus ad dominium conse uendum,necesse est, ut interueniat traditio. Nam contractibus res fiunt tantùm debitæ,sed traditione fiunt nostræ. Neq; enim res empta in tuo dominio est,nisi tradatur, licet ratione emptionis sit tibi debita. Quare rectè quidam dicunt contractus ualidari traditione. Quod enim contractibus agitur,istud traditione perficitur. Vnde factum quoque existimo, ut ueteres Iureconsulti traditionem, & non cõtractus inter modos acquirendi rerum dominia ponerent. Cùm igitur traditio sola res per contractus debitas transferat, nemo non uidet hunc modum esse uulgatissimum,quippe omnibus contractibus communem, & iuri naturæ proximum,quia nihil tam uidetur alteri ab altero concedi, quàm quod quisq; sua manu, aut cessione,in alterius potestatem confert. Porrò propriẽ tradere dicitur, qui rem corporalem,& suam dando,in alterius dominiũ transfert, Improprie, qui imaginarias quadam suarum possessionum traditione coram magistratu solennitate usitata se alteri fundum, aut prædium suum cedere testatur. Sp. de em.& uen. §. i. uer. tradere. Vt uerò ualeat traditio præter causam obligationis, necesse est, ut is,qui tradit,rei sit dominus,& in re uendita,hoc singulare est, ut dominium eius non transferatur,nisi precium numeratum sit,quia loco pignoris res uendita,& non soluta teneri potest. l. Iulianus. §. offerri. ff.de act. empt.& uend. Hoc tamen eatenus fit, quatenus uenditor non fuerit secutus fidem emptoris,ut ultrò rem uenditam illi tradat, fretus eius integritate in soluendo promisso precio, Importuna enim uidetur diligentia, eorum fidem uelle uinculis alligare,qui ultrò sibi fidem habeant. leg. procuratores. §. penul. ff. de tribu. act. Item potest res empta non interueniente precio tradi, si l. commissoria.i.ea conditione uendita sit,ut si ad constitutum diem non soluat precium, res pro non uendita habeatur. Quamuis enim in hoc casu non soluto ere res uendita emptori tradatur,tamen quia solutio æris ex l.cõmissoria

Propria traditio.
Improprie.

dilata

dilata est, pro non tradita habetur, cùm ad constitutum diem nõ soluitur pre
10 cium. l. commissoriæ. C. de pact. inter empt. & uen. Porrò, quia eas demum res alijs tradere uidemur, quas manu apprehendimus, manifestum est res incorporales, ut sunt seruitutes, per traditionem non posse acquiri. l. seruis qui.
11 §. incorporales. ff. de acq. rer. do. Et tamen quia res incorporales nunc his, nunc illis cedunt, uident tradi posse, si nõ manu, tñ taciturnitate & patientia nostra. Vnde tritum est illud Vlp. quõd res incorporales per patientiam tradantur. l. si ego. §. secundo. ff. de publ. in rem act. Vt si quis fortè patiatur aquæ ductum per hortum suum duci, tum eius patientia seruitus aquæ per hortum eius ducendæ cõstituitur. l. i. §. fi. ff. de seruit. rust. præd. Nam in talib. casibus patientia loco traditionis habetur, idq; accuratè obseruandum est discentibus, ut sciant hoc solõ modo iurisgentium, res incorporales, i. iura in re
12 bus acquiri. Postremò & hoc annotandum uidetur, q; q̃uis regulariter ea traditio ualeat, quam causa uera, aut putatiua præcesserit, si res à domino tradatur, tamen esse quasdam personas, in quarum dominio cùm sint res, non tamen fiunt accipientium, etiamsi tradantur, ut si pupillus, furiosus, prodigus, maiestatis reus, res suas quacunq; ex causa tradat, non transfert earum dominium, sed de his infr. ubi dicendum nobis est in genere, per quas personas res alienari
13 possunt. Hic sufficiat, quõd & in hoc modo, sicut in donatione, & alijs ciuilibus modis alienandi res suas talibus personis negetur.

Res incorporales quomodo traduntur.

Traditio sine causa non est ualida.

QVIBVS MODIS DOMINIA rerum iure gentium amittantur. Cap. XXXVIII.

SVMMARIVM.

1. Res ijsdem modis amittuntur, quibus acquiruntur.
2. Legitimi modi amittendi res, pariunt exceptionem aduersus agentem de iure suo.
3. Vis & dolus pariunt actionem aduersus raptores.

De modis amittendi res.

1 IISDEM modis res desinunt esse nostræ, quibus acquiruntur. l. i. in fin. ff. pro derelict. Sicut enim ratione naturali feræ, & uolucres, & gemmæ fiunt occupantium, ita ubi nostram custodiam euaserint, aut amissæ fuerint, ut de domino earum non constet, rursum eodem iure cedunt illis, qui eas consequuntur, aut apprehendunt. Idem iudicandum est de alijs modis acquirendi res iuregentium. Est igitur expedita ratio iuris gentium, ut qui teneat modos acquirendi res, idem & modos amittendi eas perceptos habeat. Quoties uerò fit mentio modorum amittendi iura, accuratè obseruandum est, ut intelligantur modi, quibus legitimè à nostro iure cadimus, uel desistimus. Nam hoc non agitur, ut ostendantur modi, quibus per uim, aut dolum, ius nostrum nobis eripiatur, aut extorqueatur, quoties leges modos amittendi alicuius iuris recensent. Etenim illud esset uiam indicare alieni iuris subuertendi. Itaq; sic est iudicandum, q; leges tradant modos, quib. quis sua culpa, aut ignauia, aut casu fortuito, non aliena fraude aut uiolentia ius suum amittat. Atq; est quidem hoc ideo obseruan
2 dum, quõd legitimi modi amittendi res pariunt exceptionem aduersus agen-
3 tem de iure suo. Vis uerò & dolus pariunt actionem aduersus eum, qui ius nostrum nobis eripuit. Sed hæc semel atq; obiter in hoc compendio annotasse sufficiat. Porrò tota hæc tractatio de modis acquirendi dominia rerum iure gentium, extat in titulis, quos iam subijciemus.

ff.

De rerum diuisione. De acquirendo rerum dominio.

Instit.

De rerum diuisione. De rebus corporalib. & incorporalib.

QVIBVS

QVIBVS MODIS POSSESSIO rerum acquiratur, & amittatur. Cap. XXXIX.

SVMMARIVM.

1. De possessione in genere agit.
2. Dominium & possessio sibi mutuam acquirendi causam præbent.
3. Leges diuersa significatione uocabulo possessionis uti.
4. Naturalis possessio quomodo acquiratur.
5. Possessio quæ uera dicatur.
6. Rem nostram fieri, cùm accedat uoluntas tradentis.
7. Vera possessio non tantùm facti, sed iuris est.
8. Ad ueram possessionem acquirendam quæ requirantur.
9. Prædo quis sit. 10. Solo aspectu possessionem adipisci.
11. Traditio incerta non transfert possessionem.
12. Secundum decretum iudicis confert possessionem & dominium.
13. Patientiam pro traditione haberi.
14. Possessio imperiorum, iurisdictionum, & dignitatum patientia acquiritur.
15. Possessio cum proprietate miscerí non debet.
16. Bonæ aut malæ fidei possessio quæ sit.
17. Iniustè possidere quis dicatur.
18. Contra leges qui mercentur, enumerantur.
19. Iustè possidere quis uideatur.
20. Extra dolum esse quis uideatur.
21. Benignitas iuris erga bona fide accipientem. 22. Tertij improbitas.
23. Inuasorem leges execrantur tanquam uiolatorem iustitiæ & honestatis.
24. Vsucapio & præscriptio sunt certa temporum spacia.
25. Hominum malitiam maiorem esse, quàm ut naturalis æquitatis amore ab in iuria aliorum abstineant.
26. Possessio nudo animo citra corporis apprehensionem acquiri non potest.
27. Possessio an solùm animo acquiratur.
28. Traditio supplet actum corporalem.
29. Possessio solo animo retineri potest.
30. Quid differat dominium à possessione. 31. Possessio quando amittatur.
32. Violentus casus amittendæ possessionis.
33. Locus quando desinit in possessione esse.
34. Captus amittit res cum libertate. 35. Ius postliminij.
36. Cauere nolens de damno infecto quando amittat possessionem.
37. Ignorantia quomodo amittamus possessionem.
38. Immobilium rerum possessio quomodo amittatur, & quando.
39. Patientia rerum incorporalium possessio amittitur.

HOC sunt causæ acquirendæ possessionis, quot sunt modi acquirendi dominij, l. possideri §. genera possessionum. ff. de acquir. pos. & gl. cir. l. quod meo. ff. eo. Præbent enim dominium, & possessio sibi mutuam acquirendi inuicem causam, adeò ut difficile sit hæc iura usq; quaq; separare. Nec obscurum sit, teste Bartol. quod uariè, & sæpe ã DD. in tractatione iuris possessionum erratum sit, atq; erretur. Operæprecium itaq; uidẽtur facere, qui hæc iura diligenter excutiunt. Ac nos sanè, quia uidemus occasiones errorum inde ferè in hac materia nasci, quòd leges alio atque alio loco diuersa significatione uocabulo possessionis utantur, repetitas hic uolumus, quas suprà posuimus possessionum differentias, & sigillatim singularum specierum iura, & causas acquirendi eas explicare. Naturalis igitur possessio acquiritur, cũm quis rem animo possidendi apprehendit, & talis possessio non tam est iuris, quàm facti, unde est, quòd ea quoq; corporalis dicitur. Nam in apprehensione corporali consistit, licet animo aliquando etiam retineatur, iuxta Bartol. cir. l. 1. ff. de acq.

acq. poſ. Sed de huius poſſeſsionis acquiſitione non eſt magna diſceptatio: per ſe plana eſt, ſi quis aduertat quomodo à ciuili ſeparanda ſit, aut illi adiungatur. De ea quæritur, qua res non ſolũm apprehenſione noſtra, ſed legitimis ex cauſis in noſtram poſſeſsionem ueniunt. Nam hæc demũm uera dicitur poſſeſsio, & de hac poſſeſsione accipiendum eſt, quod in prin. huius ca. de cauſis poſſeſsionum diximus. Atq; eſt quidem obſeruandum, non ſatis eſſe ad hanc poſſeſſionem acquirendam, ex tali aliqua cauſa quamcunq; rem tenere. Nam uidẽdum eſt, num quis uacuam rei poſſeſſionem acceperit, an uerò ad alium ea pertineat. Si uacua fuerit, ualet poſſeſſio ex cauſa occupationis, ſicut noſtræ fiunt, quæ terra, mari, cœloq;, uel ex hoſtibus capimus. l. poſſideri. §. item feras. ff. de acquir. rer. domi. Si res ex aliqua iuſta cauſa nobis debita, ut ex legato, donato, ab alio poſſideatur, tum non ſufficit apprehendiſſe rem, niſi tradatur, aut de animo poſsidentis in tradenda ea manifeſtis indicijs conſtet. Neq; enim ſatis eſt, habere cauſam rei poſsidendæ, niſi accedat uoluntas tradentis. l. quod uerò. §. fi. ff. de acq. poſſ. ut non ſtatim res empta in tua poſſeſſione eſſe dici poteſt, ſi eam neſciente uendítore inuadas, ſed neceſſe eſt eam tibi tradi. Vera enim poſſeſsio non tantũm facti, ſed iuris eſt. l. poſſeſsio quoq;. §. fi. ff. de acq. poſſ. Quamuis igitur ad acquiſitionem poſſeſſionis requiratur corporalis apprehenſio, tamen ea nõ ſufficit, niſi legitimo apprehendatur modo. l. de traditione. C. de pact. Itaq; ne poſsidere uidetur, qui iure familiaritatis amici fundum ingreditur. l. qui iure. ff. de acq. poſſ. Primũ igitur ad acquirendam ueram poſſeſſionem requiritur, ut quis iuſtam habeat cauſam, qualis eſt iure gentium occupatio rei, quæ nullius habetur. Et ad talis rei poſſeſſionem non opus eſt traditione, quia uacua eſt eius poſſeſſio, requiritur tamen, ut animo poſſidendi eam occupet. Nam hoc ſecundum eſt in acquirenda poſſ. Tertium eſt, ut cũm nactus ſit cauſam acquirendę rei, traditionem eius expetat, ſi in alterius ſit poſſeſſione. Atq; id ideò requiritur, ut prędo habeatur, qui ſine uoluntate uendentis rem emptam nactus eſt, nec poſſit dici in poſſeſſionem uenisſe, qui rem quacunq; ex cauſa debita nõ acceperit. l. ſi ex ſtipula. & l. fundi uenditor. ff. de acq. poſſ. Neq; tamen ut res tradita uideatur, ubiq; neceſſe eſt corpore & actu apprehendere poſſeſſionem, ſed ſi res ſunt eiuſmodi, quæ propter magnitudinem ponderis moueri nõ poſſunt, ſufficit, ſi tradens & accipiens, aut alij ipſorum nomine in re præſenti conſenſerint. Nam & ſolo aſpectu rerum nonnunquam poſſeſſionem adipiſcimur. l. i. §. ſi iuſſerim. ff. de acq. poſſ. Sic qui fundum poſſidere uelit, non opus habet ut omnes glebas circumambulet, ſed ſufficit quamlibet partem eius fundi introire, dum ea mente ac cogitatione ſit, ut totum fundum uſq; ad terminum poſsidere uelit. Sed rurſum, ut maximè ſufficiat habere cogitatione conceptam poſſeſſionem, opus tamẽ eſt, ut expreſſe conſtet, quas res poſſidere uelit. Neq; enim talis traditio (quicquid mei iuris in eo fundo eſt, tibi promitto) transfert poſſeſſionem. Nam incertam partem tradere & poſſidere nemo poteſt. l. iij. §. incertam partem. & l. locus certus. ff. de acq. poſſ. Præterea nec acquirunt poſſeſſionem, qui rei ſeruandæ cauſa legatorum, damni infecti, aut uentris nomine in poſſeſſionem mittuntur, aut quib. aliàs res pro debito (quẽ admodum pignora ſolent) primo decreto Iudicis adiudicantur. Nam qui ſic mittuntur in poſſeſſionem, non poſſeſſionis, ſed cuſtodiæ cauſa eas in incertũ euentum tenent. l. ſi quis ante. ff. de acq. poſſ. Si uerò Iudex ſecundo decreto alicui adiudicet rem pro debito, nanciſcitur eius poſſeſſionem & dominium. l. ſi finita. §. Iulianus. ff. de dam. infe. & l. penu. §. ſpecies. ff. de acqui. poſ. Poſtremò acquiritur poſſeſſio, cũm quis rem ſciente, & patiente eo, à quo eam emit, uel aliquo alio accepit titulo, apud ſe detinet, & diu tanquam re ſua utitur. l. ſecunda, C. de acquir. poſſeſſ. Nam talis patientia pro traditione habetur, ſicut ſuprà de tradit. diximus. Et hoc modo præcipuè acquiritur quaſi poſſeſſio

Traditio incerta.

possessio rerum incorporalium, ut sunt seruitutes. l. si à te. ff. si seruit. uend.
Atque hoc modo acquiritur etiam possessio Imperiorum, iurisdictionum, 14
& dignitatum, de quibus suprã de iure personarum. Neque differt quidem possessio sic acquisita à proprietate, aut dominio. Nam quandiu in causa talis possessionis, mala fides non deprehenditur, tanquam dominus plena possessione utitur, iuxta Bart. & DD. cir. l. quidam in suo. ff. de conditionibus. Instit. Non tamen miscerí possessio cum proprietate debet, nam præter iura actionum, quæ pro illis competunt, distingui possessionem à proprietate 15
tanquam diuersa iura necesse est. Nihil enim inter se commune habent, ubi de utraque separatim agitur. l. naturaliter. ℣ nihil commune. ff. de acqui. pos. Neque inusitatum est, ut in eadem re alij competat dominium, alij possessio. l. permiscerí. ff. de acquir. poss. Porrò hæc in genere de possessione dicta sunt, nunc digrediemur ad species eius in quibus uariæ oriuntur iuris quæstiones de tradentis & accipientis fide. Sunt autem duæ possessionis spe
Bonæ fidei possessio. cies, quarum altera dicitur bonæ fidei, altera malæ fidei. Bonæ fidei dicitur, 16
quæ de bono tit. à non domino per traditionem rei acquisita est. Malæ fidei
Malæ fidei. uerò, quæ clam, aut manifesta ui occupata est, in re aliena. Ac licet inter has species magnum sit discrimen iuris tenendi res, tamen utraque rem possidere uidemur, quia corpore & animo apprehensa est. Vnde dicitur, quòd in summa possessionis non multum interest, iustè quis, an iniustè possideat. l. possidere. ℣ ex contrario. Neque uerò is tantùm iniustè possidere dicitur, 17
qui uiolenta manu aliquem deiicit de possessione sua, aut dolo aliquem inducit, ut suam rem ipsi cedat, uerumetiam qui contra leges mercatur. l. quemad 18
modum. C. de agri. & censitis. li. xi. Vt qui emit ab eo, quem sciebat uendere non posse, ueluti à pupillo sine tutoris autoritate. l. qui ã quolibet. ff. de contrah. empt. Item qui emit res ecclesiasticas. Neque enim istæ in patrimonio nostro esse, nisi certis ex causis possunt. Authentic. de non alie. aut permut. rebus Ecclesiast. collatio. ij. Et quicunque alio titulo nactus fuerit res, quas leges metu priuatæ, aut publicæ iniuriæ prohibuerunt alienari, de quibus partim in singulis alienationum titulis, partim infrà in ca. de doctrina iuris de obligatione, dicemus. Nam ibi peculiari quodam titulo complectemur omnes eas obligationes, quæ ã legibus, non priuatorum hominum uoluntate proditæ sunt, ad coërcendam insidiosam distrahendarum rerum teme
Iusta possessio. ritatem, & perfidiam. Iustè autem possidere uidetur, non is solùm, qui bono 19
titulo rem à uero domino consecutus est, uerumetiam is, qui specie probitatis delusus, bona fide rem â non domino adeptus est. l. bonæ fidei. ff. de uerb. signi. Nam & extra dolum esse uidetur, qui probabili errore facti ductus ali- 20
enam rem acquisitam existimat, Vt si cui res à seruo, uel procuratore tradita est, quam mandauit illis emendam, & ipsi eam non emerunt, sed surripuerunt. l. quod uulgò. ff. pro empto. Iuris tamen error (ut quod existimet alienare eum posse, cui leges eam facultatẽ denegant) nulli prodest, ut bona fide possessionem recepisse uideatur. l. nunquam. ff. de Vsucapio. & de iur. & facti ignora. l. iuris ignorantia. Quamuis autem possessio bona fide acquisi- 21
ta, non eius sit iuris, cuius ea est, quam ueri domini uoluntate nacti sumus, tamen quia benignitas iuris non patitur, ut is qui bona fide rem à non domino consecutus est, suo iure prorsus fraudetur, prospectum illi est prudentia ciuili, ac in talem casum inuentus est modus, quo sic medentur iniuriæ leges, ut non enormiter lædatur, qui bona fide rem accepit, nec dominio suo priuetur, cui per improbitatem tertij, i. non domini, res sua interuersa est. 22
Deinde licet malæ fidei possessio pugnet cum æquitate naturali, & qui isto iure aliquam rem inuadat, eum leges execrentur, tanquam uiolatorem iu- 23
stitiæ, & honestatis, tamen ne dominia sint incerta perpetuò, & litium nullus esset finis, odio illorum, qui negligunt res suas in tempore repetere,

constitu-

constituta sunt certa temporum spacia, in quib. si quis suum non postulet, nõ ius, sed ipse sibi defuisse uideatur. Quę spacia temporum pro diuersitate rerũ
24 dicta sunt, Vsucapio, & Præscriptio, de quibus infrà in explicatione modorum acquirendi res iure ciuili dicemus. Neque uerò reprehendi consilium eorum iure potest, qui tales possessiones constitutis temporibus inualescere uoluerunt. Sicut enim non omnes beneficio lucis, quam à sole habent clarissimam, cauent ne impingant, aut inquinentur, sed quidam etiam suo uitio, aut aliena culpa contaminati, sordes aqua abluere coguntur: Ita in Repub.
25 cũm maior sit hominum malitia, quàm ut naturalis equitatis amore ab iniuria aliorum abstineant, & tranquillitatem ciuilem non interturbent, necesse est illorum improbitatem tolerabili remedio curare, & è medio tollere. Atque ita rectè dictum est à Iureconsultis, quòd ad summam possessionis nihil interest, iustè quis, an iniustè possideat. Nam utraque uia cõsequimur possessionem rerum, licet altera, directè, nimirum ex naturali æquitate, altera indire-
26 ctè propter necessitatem publicam. Cæterũm possessio nudo animo citra corporis apprehensionem acquiri nõ potest. l. licet. C. de acquir. & retinen. possess. Nec obstant huic regulæ isti casus, qui in gloss. l. 1. C. eod. enumerantur,
27 tanquam illi, quibus solis citra actum corporis possunt acquiri. Nam ut ad unũ loco omnium respondeam, quum par in illis sit ratio, quamuis certum sit me possidere, quod uenditorem in domo mea deponere iusserim, etiamsi id manu non attigerim, tamen cũm talis traditio rei suppleat actum corporalem,
28 l. quod meo §. si uenditorem. ff. eod. non potest dici, quòd solo animo ulla
29 possessio acquiratur. Retinetur autem possessio solo animo. Nam si quis peregrè profectus relictis possessionib. aut rebus mobilibus, & interim aliquis eas clam, aut aperta ui occupet, non ob id possessionem amisisse dici potest. Neque enim qui metu, aut negociorum causa extra fundum agit, possessione cessisse uideri potest, cũm non animo deserendi eas reliquerit. l. clam possidere §. quid ad nundinas. ff. de acquiren. possessio. Est igitur expediti Iuris
30 quòd possessio solo animo retineri possit: & peculiaris hæc inter dominium & possessionem habetur differentia, quòd hæc statim recedit postquam rescisit quis se nolle possidere, Illud uerò nihilominus retineri possit, etiamsi quis possidere nolit. Vt si quis ea mente alicui tradat rem, ut post certũ temporis spacium eam restituat, ipse statim desinit possidere, sed potest dari à domino res animo non possidendi, ut tamen dominium rei apud eum maneat. Vt cũm Vasallus accipit feudum à domino, res cedit Vasallo, manente apud collatorem feudi dominio. l. si quis §. differentia. ff. eo. & ibi. Bart. Et a-
31 mittitur quidem animo omnis possessio, retineturq; etsi quidam de retinenda naturali possessione per animi cogitationes dubitent. iuxt. gloss. circ. l. li
32 cet. C. eod. Præter illam autem uoluntariam cessionem possessionis amittitur ea quoque nonnunquam uiolento casu. Vt cũm inundatione, aut terrę motu res demerguntur aut perduntur. l. cum unus §. ult. ff. de bonis autor. iudi.
33 possid. & l. unum §. item quod mari. ff. de acquir. possess. Item desinit locus esse in possessione nostra, cũm religiosus esse cœpit. Vt cũm sepulturæ, aut alijs pijs usibus subijcitur, quia talis in possessione nullius esse censetur. supr.
34 de diuis. rer. Amittit & captus ab hostibus possessionem, quia illi qui in aliena potestate sunt, cum libertate res amisisse uidentur, nisi in ijs casibus, in
35 quibus Ius Postliminij eas in ciuitate fuisse tempore captiuitatis fingit. l. qui uniuersas §. 1. & duab. seq. ff. eod. Item amittit possessionem, qui de damno
36 infecto cauere noluit, si secundo decreto iudicis in possessionem mittatur is, cui de damno infecto cauere noluit, suprà in hoc ipso cap. ubi de illis qui in possessione sunt, cũm non possideant, diximus. Postremò amittitur possessio rerum mobilium usucapione, immobilium præscriptione. ff. de usucap. l. furtum §. fundum. Est autem in ipsa amissione possessionis quædam etiam

differentia propter rerum diuersitatem. Rerum mobilium possessio amittitur ignorantibus possessoribus. Vt si surripiantur. l. rem, quæ. ff. eod. Nam quando id quod possidemus ita perdiderimus, ut ignoremus ubi sit, desinimus possidere. l. si id quod. ff. eod. Sed recipit tamen talis ignorantia hanc distinctionem, ut donec spes sit eius inquirendæ, nõ amittatur possessio. Quia sic perdens, animum possidendi retinet, etiamsi nescit ubi sit res. Rerum immobilium possessio, non amittitur, donec ab ea depellimur, aut suspicemur iure nos depelli posse ab eo, qui ingressus fundum nostrum absentibus nobis tenet. l. si id & fin. ff. eod. Nam ut talium rerum possessionem amisisse uideamur, necesse est, nos animo & corpore illis excludi. In his namque præcipuè locum habet. l. quemadmodum. ff. eod. Quia ignorantes earum possessionem non amittimus. Quasi autem possessio rerum incorporalium generaliter eodem modo, nimirum patientia, & quasi traditione dominorum, amittitur, quo acquiritur, iuxt. reg. quam suprà in prin. de amissione dominij posuimus. Sed quomodo singulæ iuris species, quæ quasi possessione tenentur, in ea esse desinant, infrà de seruitutibus indicabimus.

PER QVAS PERSONAS NOBIS Dominium, Possessio, & Obligatio acquirantur. Cap. XXXX.

SVMMARIVM:

1. Extranea persona nihil nobis acquiri. 2. Recapitulatio de doctrina acquirẽdi.
3. Procuratores nobis iure mandati acquirere.
4. Posito uno contrariorum alterum esse intelligendum.
5. A priore rectè fit semper denominatio.

PLACVIT huius quęstionis hoc loco facere mentionem, non quòd peculiariter huius tractationẽ huc pertinere existimemus, sed ut discentes admonerem, hanc ex alijs doctrinę Iuris cap. huc esse transferendam, tanquam auctarium, quo Ius acquirendi fusius explicetur & extendatur. Neque enim me fugit, quòd huius Iuris notitia, quæ per hanc quæstionem requiritur, in cognitione Iuris personarum consistat. Potestas enim, quæ à Iure ciuili personæ datur in personam, facit, ut non modò per nos, uerumetiam per alios dominium, possessionem, & obligationem acquiramus. Nam per extraneam personam nihil nobis acquiri, certi Iuris est. Itaque ratio, quæ dat nobis Ius acquirendi per alios, ex Iure personarum requirenda est. Per liberos igitur, & seruos, aut per tutores, aut Curatores nostros, quare acquiramus, ex descriptione patriæ, dominicæ, tutelariæ potestatis requirendum est. Liber uerò homo, aut seruus alienus, qui bona fide possidentur, quia donec sunt in aliena potestate, pro seruis habentur, etsi nobis, qui eos bona fide possidemus, uerè non seruiant, tamen non dubium est, per eos nos acquirere, tanquam per seruos nostros. Per alienos autem seruos, in quibus habemus Vsumfructum, aut nudum usum, quomodo acquiramus, plenius poterit responderi in ipsis formis talium seruitutũ, quàm hoc loco. Verùm, quia in tit. de acquir. possess. passim quoque fit mentio, quomodo per has personas acquiramus, libuit obiter quoque huius formæ & Iuris per alios acquirendæ possessionis hoc loco mentionem facere, ac semel monere in genere, quod in omnibus formis acquirendi dominij, possessionis, obligationis, obseruandum est. Præter eas autem personas, quę nostræ potestati subiectæ sunt, nobis etiam per Procuratores nostros acquiritur. Sed id fit ratione alterius cuiusdam Iuris, nimirum mandati. Itaque & in eum usque locum, ubi de mandati obligatione dicendum est, differemus de acquisitione per Procuratorem dicere. Pertinent autem huc ad totam illam doctrinam acquirendi, tituli, quos nunc subijciemus.

1 2 3 4 5

ff.

De acquirenda & amittenda possessione.

Cod.

De acquirenda & retinenda possessione.
Per quas personas nobis acquiritur oblig.

Instit.

Per quas personas nobis acquiritur.
Per quas personas obligatio acquiritur.

APPENDIX.

Obseruandum est, quòd in lib. digestorum non extet peculiaris titulus, de acquisitione iuris, per alienas personas nostræ potestati subiectas, aut non. Nam tit. quib. de ista quæstione agitur uel quæritur, non de peculiari forma Iuris, sed de quæstione, & re, in quaque forma consideranda, tractant. Quamuis autem in Epigraphe horum titulorum tantùm fiat mentio acquisitionis, 4 tamen de amissione agunt, ut posito uno contrariorum, quod est potissimum, 5 alterum intelligendum sit. Rectè enim à priore semper fit denominatio. *De acquisitione iuris.*

QVIBVS MODIS RES acquirantur Iure ciuili. Cap. XLI.

SVMMARIVM.

1. Consilium suum huius dispositionis indicat.
2. Prius de modis acquirendi res, quàm de earum seruitutibus agendum
3. Acquisitio rei præcedit seruitutem eius.
4. Res acquiri iure ciuili dupliciter.
5. Quomodo singulæ res, aut per uniuersitatem acquirantur.
6. Fidei commissum esse duplex.
7. Conuentio seu contractus traditione confirmantur.
8. Cur hi modi iuris ciuilis dicantur.

1 IN Institutionib. non statim post enumerationem modorum Iuris gentium, modi quib. acquiruntur res Iure ciuili ponuntur. Sed tractatio seruitutũ interiicitur, eo, sicut uidetur, consilio, ut diuisio rerum corporalium & incorporalium declararetur, ante quam modi, per quos partim acquiruntur res incorporales, sub iicerentur. Quod quidem consilium ut non reprehendo, ita commodum exi 2 stimo, ut prius tradantur modi, quibus res ipsas acquirimus, quàm de seruitutib. quæ inuicem à rebus debentur, aut earum dominijs agamus. Nam ne constitui quidem prædiorum seruitus potest, nisi constet in quarum dominio res sint. l. 1. ff. commu. prædior. Itaque rectè atque ordine fieri uidetur, si modos acquirendi dominia rerum explicemus, antequam ad tractationem seruitutum accedamus. Quamuis enim & inter hos modos sint quidam, per 3 quos seruitutum Iura adipiscamur, tamen ordine naturæ, acquisitio rei præcedit seruitutem eius. Et habebit hæc collatio seruitutum hoc quoque compendij, ad ipsas cognoscendas, ut earum acquisitio & amissio euidentior fiat, postquam earum rerum dominium, quibus incumbunt, tanquam clitellę asi no, declaratum fuerit. Hæc de consilio dispositionis, nunc ipsam rem aggre 4 diemur: Sunt autem duo quasi genera modorum iuris Ciuilis, quorum altero singulæ res, altero multæ simul per uniuersitatem, id est, Iure ad totam alicu 5 ius hæreditatem competenti acquiruntur. Singulas res acquirimus, Vsucapi one, Præscriptione, Donatione, cui ueluti species subijci poterunt legatum, & fidei commissum. Neq; enim aliud sunt, quãm testamentarię quædam do nationes, quib. aliquid per testatorem alicui relinquitur ab hærede præstan dum. Per fidei commissum tamen non solùm singulæ res, sed hæreditates re linquuntur. Itaq; potest ea in tertio quasi genere modorum acquirendi poni, 6 uidelicet, quo nunc singulæ, nunc per uniuersitatem res acquirantur. Nam

est aliud fidei commissum generale, aliud speciale, sicut testantur tit. Instit. de fidei commiss. hęre. & de singu. reb. per fidei com. relict. Per uniuersitatem autem acquiruntur res successione ex testamento, uel ab intestato. Item arrogatione & adiectione bonorum, causa libertatis seruandæ. Videntur & per contractus res acquiri, sed pręter id quòd illi sunt Iurisgentium, alia etiam est eorum ratio, quām ut inter hos modos referri possint. Nam Ius eorum 7 ex conuentione existit, & traditione confirmatur. Itaque in obligationibus de illis dicendi erit locus. Cęterūm dicuntur hi modi esse Iuris ciuilis, quos 8 in hoc capite tractabimus, quia ordinatione ciuili constituti sunt ad res inter ciues alienandas & acquirendas, sicut in singulis modorū formis audiemus.

DE VSVCAPIONE.

Caput XLII.

SVMMARIVM.

1. Vsucapio cingit possessionem ne defluat. 2. Vsucapio præsidiarium est auxilium possessionis.
3. Vsucapio cursit inuenta.
4. Certum temporis spacium repetendi res suas omnibus est constitutum.
5. Vsucapio est modus auxiliaris acquirendi res.
6. Vsucapio quid sit. 7. Vsucapiuntur res mobiles, præscribuntur res immobiles.
8. Ad usucapionem quæ requirantur.
9. Titulus quid & quomodo accipiendus.
10. Tituli quorū iure usucapio procedit. 11. Possessio rei requiritur ad usucapionē.
12. Res furtiuæ aut ui occupatæ non usucapiuntur.
13. Bona fides ad usucapionem requiritur & quæ ad bonam fidem requiruntur.
14. Iustus error quando loco tituli habeatur.
15. Conditio ipsarum rerum quando impediat usucapionem.
16. Res quæ non possunt esse in commercio nostro, non possunt usucapi.
17. Ex contractibus improbatis non oritur usucapio.
18. An possint usucapi, quæ clam uel precario possidęantur.
19. Triennio res usucapiuntur mobiles.
20. Continuatio possessionis & triennij requiritur ad usucapionem.
21. Vsucapio quomodo interrumpatur.

CVM usucapio cingat possessionē, ne defluat ex imbecillitate Iu 1
ris, quo acquisita est, meritò de ea proximè post illam agitur tan 2
quam præsidiario auxilio, ad quod recurritur, cùm in nostra possessione inquietamur, quam bona fide nacti sumus. Potest nanque multis modis accidere, ut quis rem alienam aliquo errore deceptus tanquam suam uendat, aut alteri donet, & multò facilius, ut nesciens alienam à non domino eam bona fide comparet. Veluti si hæres rem defuncto commodatam aut locatam, uel apud eum depositam, existimans hæreditariam, uendat, & emptor ab eo accipiat. Proinde, quia in tali casu nō ex com 3
posito, res contra naturalem æquitatem suis dominis subtrahuntur, ne perpetuò fraudi esset bonæ fidei possessori sua ignorantia, & in infinitum prodesset negligenter res suas curanti, Iurisconsultis fauore possidentis, & odio negligentis, utile, & ex tranquillitate publica esse usum est, ut certū temporis 4
spacium repetendi res suas omnibus constituerent, ne si liberum esset repetere quandocunque libuisset, dominia rerum semper essent incerta. l. 1. ff. eod. Et ut aliquis esset finis litium. l. ultima. ff. pro suo. Est igitur Vsucapio non 5
per se modus acquirendi res, sed modus auxiliaris, quo succurritur bonæ fidei possessoribus, ut dominiorum incertitudo de medio tollatur. Sub appellatione autem usucapionis passim in ll. comprehenditur præscriptio, ut generale sit uocabulum ad utranq; speciem. Et una eademq; definitione comprehenduntur quoque, qua dicitur, quòd usucapio sit addictio dominij, per con- 6
tinuationem possessionis, temporis lege definiti. l. iij. ff. eod. Nec in lib. digestorum

7 gestorum peculiaribus titulis separantur, præscriptio & usucapio. Vsus tamen obtinuit, ut propriè usucapi dicantur solùm res mobiles, præscribi uerò
8 res immobiles. Vt igitur quis usucapiat rem mobilem, necesse est, ut eius pos
9 sessio bono titulo adepta sit, per titulum autem accipiendus est omnis actus & modus, per quem dominium transferri solet. Itaq; tum in ff. tum in C. sta
10 tim usucapioni subijciuntur quidam tituli, quorum Iure usucapio ut plurimum procedit, puta pro soluto, pro emptore, pro transacto &c. Nam ut quis usucapiat, opus est eum habere rem pro legato, pro donato, & similibus titulis. Alia nanque est ratio usucapionis, qua res sine titulo, aut mala fide acceptę præscribũtur, iuxt. l. omnes. C. de præscriptio. longiss. temp. 30. & 40. an
11 norum, quarum rerum præscriptionem infrà audiemus. Deinde ut quis usucapiat, requiritur rei possessio. Nam sine possessione usucapio contingere non potest. l. sine. ff. eod. Et quia absque titulo usucapio non procedit, ideo
12 nec possessio malæ fidei ad usucapiendum sufficit. Vnde est quòd res furtiuæ, aut ui occupatę nõ usucapiantur. §. furtiuæ. & §. quòd autem. Instit. eod.
13 Neque uerò sufficit ad usucapionem, quòd quis rem bono titulo nactus sit, nisi eam bona fide quoque, id est, citra cuiusquam ea in re Iuris interuersionem, credat sibi traditam, existimans uidelicet, eum esse dominum, à quo rem bono titulo comparauit. Nam hoc à bonę fidei possessore requiritur, iux. l. bonæ fidei. ff. de uerb. sign. Videtur & hoc exigi, ut quis habeat bonam fidẽ, ne emat ab eo, quem sciebat protinus consumpturum pecuniam, impuris uoluptatib. l. si quis. ff. pro emptore. Atque ita ad bonam fidem requiritur, ut quis nõ modò faciat, quę leges iubent, sed & quod honestas suadeat. Quia uerò, sicut suprà indicauimus, non solùm per nos ipsos, uerumetiam per Procuratores nostros acquirimus, ac per eos quos in potestate habemus, uariẽ contingit nos decipi. Itaque obseruandum est, neque nostrum neq; alienum errorem nobis patrocinari ad usucapiendum, si is exignorantia iuris nobis
14 eueniat. Vt si quis emat à pupillo, non interueniente tutoris autoritate, aut accipiat à quouis alio, quem leges prohibent alienare, non prodest illi uel titulus, uel bona fides ad usucapiendum. l. si ab eo. & l. ubi lex. ff. eo. Secus si quis iusto errore facti ductus sit, ut si quis emat à furioso, quem putat esse sanæ mentis. l. ij. §. si à pupillo. ff. pro emptore. Nam in tali casu iustus error, loco tituli habetur, & usucapio procedit. l. nunquam. & l. non solum §. quod uulgo. ff. eod. Sufficit autem in initio possessionis bonam fidem habuisse. Neque enim ex posteriore scientia rei alienæ interrumpitur usucapio. l. unica.
15 C. de usucap. transformanda. Porrò impedit nonnunquam & ipsarum rerũ conditio usucapionem, etiamsi eas bono titulo & bona fide teneamus. Nam
16 regulariter res, quæ non possunt esse in commercio nostro, non possunt usucapi, quia nec possideri possunt, cùm nullius esse censeantur. l. usucapionẽ. ff. eo. Sic res pupilli non recipit usucapionem, quascunque enim alienationes rerum, & quoscunque contractus improbant leges, ex illis oriri usu-
17 18 capio non potest. l. ubi lex. ff. eod. Quæri quoque solet, an ea possint usucapi, quæ clam uel precario possideantur. Et is qui precario possidet, quia cum domini uoluntate rem tenere uidetur usucapere. l. commune §. inter prædones. ff. communi di. At nisi quis rem uiolenter celet, non uidetur clandestina possessio obstare, quò minus usucapiatur, iuxt. l. clam. ff. de acquir. possess. Po
19 stremò, ut usucapiatur res, oportet, ut continuetur eius possessio, donec triennium, quod nouissimo Iure l. unic. C. de usucap. transfor. constitutum est spacium usucapiendi, effluxerit. Neque uerò de momento ad momentũ
20 in usucapionib. computatur tempus, sed totum ad extremum diem defertur, quem qui attigerit, triennium absoluisse creditur. l. in usucap. ff. eod. Neq; tantùm tempus utile, sicut in iudicialium præscriptione, sed pariter omnes dies, in tempus usucapionis computantur. l. nunquam. §. in usucapione. ff. eo.

Cæterũm interrumpitur usucapio, si quis possessione deturbetur, ita ut natu 28
raliter possidere desinat. l. naturaliter. ff. eo. Itẽ si in iudicio conueniatur, tum post litis contestationem continuatio possessionis impeditur, ita ut continuari tempora, nisi rursum nanciscatur possessionem bonæ fidei. Nam isto casu quidã uolunt, quòd statuto tempore quis usucapiat, argumento legis, si is qui pro emptore §. si qui bona. ff. eodẽ. Aliàs non continuatur possessio, nec res quarum usucapio sic interrupta est, usucapiuntur, nisi præscriptione 30. uel 40. annorum. l. fin. C. de præscript. 30. annorum. Quomodo autem continuentur tempora inter testatorem, & hæredem, emptorem & uenditorem, dicemus infrã de præscriptionibus, ubi propter temporis, quòd requiritur, diuturnitatem, magis talis adiectio, quàm in usucapione triennij requiritur.

DE PRAESCRIPTIONE.
Cap. XLIII.

SVMMARIVM.

1. Præscriptionis ius ex qua causa sit.
2. Vsucapio rerum mobilium est, præscriptio rerum immobilium.
3. Ad præscriptionem iustus titulus, bona fides, & continua possessio requiritur.
4. Vsucapio & præscriptio in quibus differant.
5. Immobiles res inter præsentes decem, inter absentes 20. annis præscribi, mobiles triennio usucapi.
6. Præscriptio longi temporis quæ sit.
7. Præsentes & absentes qui intelligantur.
8. Vsucapione directum, præscriptione utile dominium acquiri.
9. Lites extinguendæ magis quàm alendæ.
10. Vsucapio fauore, præscriptio odio negligentis introducta est.
11. Quæstio, an autorum nostrorum possessio nobis prosit.
12. De accessione possessionis, & temporis adiectione.

EADEM ex causa Ius præscriptionis proditum est, qua usucapio, uidelicet, ne dominia rerum sint incerta. l. 1. ff. de usucap. 1
Nam sub appellatione usucapionis ambæ comprehenduntur, & apparet D. Antonini temporib. primùm inoleuisse, ut rerum 2
mobilium usucapio, significatione specifica sub appellatione generali diceretur usucapio. Immobilium uerò rerum usucapio uocaretur præscriptio, iuxt. l. rescriptis. ff. de diuers. temp. præscript. &c. Neq; uariat quidẽ præscriptio immobilium ad usucap. mobilium in causis acquirendi. Nam & huiusmodi Iure nemo se tueri potest, nisi iusto titulo, & bona fide, rem quã 3
leges non prohibent alienari, continua possessione tenuerit. Itaq; ex proximo cap. de usucapione petentur, quæ ad harum causarum explicationem requiruntur. Nam quod ad eas attinet, nullum est inter hos modos acquirendi discrimen. Variant autem primùm in curriculis temporum, quibus consu- 4
mantur, nam res immobiles acquiruntur, si eas continua possessione tenue- 5
rimus, inter præsentes decem, inter absentes uiginti annis, cùm mobiles triennio usucapiantur. Authen. ut sponsal. largit. special. sit contract. §. rursus. coll. 9. Vbi hoc quoque adijcitur, quòd sufficias ad præscriptionem immobilium istis spacijs temporum possedisse, si uerus dominus sciuerit rem suam esse apud præscribentẽ, & eum in possessione non inquietauerit, secus si nesciuerit fundum suum ab illo teneri: nam isto casu demum iuuari possidentem præscriptione 30. annorum. Et quia ad præscriptionem immobilium aliquan- 6
tò longius requiritur tempus, in C. sic discernitur à reliquis speciebus præscriptionis, ut longi temporis esse dicatur. Præsentes uerò ad præscribendum in- 7
telliguntur, qui in eadem prouincia domicilia habent, siue res sint in eadem, siue in uicinia, uel etiam in longissimo interuallo regionum positæ. Absentes uerò qui in diuersis prouincijs domicilia habent, ubicunq; res sita sit, l. ult.

C. de

C. de præscript. longissimi temporis. Deinde uariant usucapio & præscriptio
8 etiam effectu. Nam usucapione acquiritur directum dominium, præscriptione uerò longi temporis tantùm utile dominium. Et uidetur huius diuersitatis esse ratio, quia cùm facilior sit translatio rerum mobiliũ, quàm immobilium, ad tollendam dominiorum incertitudinem, utile est, negligentibus earum dominium prorsus eripi, ne si permittatur, ut in aliqua parte dominij earum hæreant, postquam usucaptæ sint, in tam facili earum alienatione, cùm ad
9 multos facilè transirent, magis alerentur quàm extinguerentur lites, contra consilium eorum, qui usucapionum iura constituerunt. E diuerso quia immobilia non facilè transferuntur, satis uidetur, ut per præscriptionem quis ac quirat utile dominium, ne domino directo prorsus precludatur omnis ad rem suam aditus, si quod ius in ea fortè sibi competere existimet, quamuis depelli ab eo, qui præscripsit, possit, si titulum & bonam fidem probet. l. si quis emptionis §. 1. C. de præscript. 30. annorum. Salicetus cir. l. traditionibus. C. de
10 pactis, adducit hanc quoque rationem, quòd usucapio solo fauore, præscriptio uerò etiam odio negligentis introducta sit. Sed ista collatio fauoris & odij magis locum habet in discernendo effectu præscriptionis 30. uel 40. annorum, quàm huius, quæ dicitur, longi temporis. Porrò, quia propter rerum humanarũ inconstantiam paucis contingit, ut decennaria, aut uicẽnaria pos-
11 sessione res teneant, queri solet, an nobis prosit ad præscribendũ tempus, quo in autorum nostrorum, à quib. eas accepimus, possessione fuerunt. Et quamuis lex de accessionibus. ff. de diuers. temp. præscrip. dicat nihil in perpetuum,
12 neque generaliter de accessionibus possessionum definiri posse, tamen expediti iuris est, quòd illis, qui in aliorum locum, siue ex contractu, siue ex ultima uoluntate succedunt, tribuatur talis adiectio temporum alienæ possessionis, unde est, quòd hæres & legatarius ad præscribendum gaudeant accessione temporis, quo testator rem hæreditariam & legatariam possedit. l. id tempus. ff. de usucap. Item emptori adijcitur non solũm istud tempus, quo apud eum fuit, unde is emit, sed & eius possessio, qui ei uendidit, à quo uenditor emit. Atq; ita præcedentium possessorum tempus accedit sequentib. ad supplendũ tempus præscriptioni à lege definitum. Sed hoc eatenus uerum est, quatenus inter præcedentes nõ aliquis fuerit, qui rem non possederit, & quatenus præscribens quoq; statim à suo autore in possessionem acceperit. Nam si medius aliquis ex autoribus, non possederit, præcedentium autorum possessio non prodest sequenti, nec adiuuatur autoris sui possessione, nisi ipse quoq; rei plenam habeat possessionem. Nec; uerò impedit hanc accessionem temporum, quòd res ã non domino sit empta, aut tradita, modò constet de dominorum uoluntate, aut de autoritate & potestate eorum, à quibus eas consecuti sumus. l. penult. & ult. ff. de diuers. & temp. præscript.

DE INTERRVPTIONE Præscriptionis. Cap. XLIIII.

SVMMARIVM.

1. Præscriptio interrumpitur ciuiliter & naturaliter.
2. Præscriptio quando cesset.
3. Impeditio similis est cessationi.
4. Præscriptio quando interrumpi dicatur.
5. Interruptio prodest omnibus qui habent ius in re.
6. Vsucapionem interrumpi in quatuor casibus.
7. Præscriptionem semper interrumpi per litis contestationem.
8. Iustæ causæ præscribendi quæ sint.
9. Præscriptio longissimi temporis etiam absque titulo existere potest.
10. Titulus pro suo, omnes iustas causas rerum acquirendarum tanquam sub genere comprehendit.

CAETERVM præscriptio interrumpitur ciuiliter & naturaliter, sicut usucapio, nonnunquã etiam cessare dicitur: ut in tit. C. in quibus casibus cesset longi temporis præscriptio. Itaque ne discentes existiment idem significari, cũm prescriptio interrumpi, aut cessare dicitur, ponendum est horum uocabulorum discrimen, antequam de præscriptionis interruptione latius dicamus. Cessare præscriptio dicitur, quando propter aliquod priuilegium personæ, cuius est res, aut conditionem ipsius rei, non habet locum præscriptio, Vt cũm aliquid à pupillo, uel ab aliqua alia persona aliquid accipitur, cuius res interuerti, propter imbecillitatem ætatis, aut sexus Iura prohibent. Item cũm res propter ueneratione eorum, quorũ sunt, communi Iure à legib. exemptę sint, huiusmodi sunt res sacræ & res principis. Sed quia talis cessatio euenit ratione priuilegij, nec ea interrumpitur præscriptio iam cœpta, sed magis impeditur, ne incipiat, Talia priuilegia personarum & rerum enumerare in suum usq; locum differemus, ubi de illis peculiariter agendum erit. Similis huic cessationi uideri potest impeditio, qua præscriptio quasi interstitit, ut, propter publicum aliquem motum, iudicia exercere, & Ius suũ requirere non licet, ut tempore belli. c. ex transmissa, extrà de præscript. & quia isto, & similibus casibus præscriptio non prorsus intermoritur, sed ut quadam impedita interquiescit, Panor. cir. c. illud ext. de præscipt. dicit præscriptionẽ nonnunquam dormire. Interrumpi uerò prescriptio dicitur, cũm cœpta retrahitur, ne progredi possit, Id uerò fit duobus modis, naturaliter, cũm possessio nobis non ui legitima, quam uocant compulsiuam, sed uiolenta eripitur. l. naturaliter. ff. de usucap. & est ratio, quia sine possessione præscriptio non procedit. l. sine. ff. de usucap. Quidã dicunt prescriptionem etiam naturaliter interrumpi, quando ea deficit in substantialibus, ut cũm aut deest illi iustus titulus, uel constat possessorem non habuisse rem in continua possessione: uel talis sit res aut conditio personæ, ut prescriptio non habeat locũ, sed talis defectus magis impedit prescriptionẽ, ne possit existere, quàm ut ortam tollat situe impediat.

Præscriptionem cessare quid sit. 2

Impeditio. 3

Interrumpi. 4

Vis compulsiua, uiolẽta.

Ne igitur confundantur causæ propter quas præscriptio aut cessat aut interrumpitur, nos istas causas ex quibus oritur præscriptio, aut quibus deficientibus non potest incipere præscriptio, non ponemus inter modos, quibus interrumpitur, sed eas inter causas, quibus existit, relinquimus. Est autem in naturali interruptione hoc regulare, quòd ea prodest omnibus, qui habẽt Ius in re. l. naturaliter. ff. de usucap. sed si ciuiliter id fiat, tum prodest tantùm interrumpenti ad excipiendum. l. intra quatuor. ff. de diuers. tempore præscription. Quòd autem suprà dixi, præscriptionem interrumpi ciuiliter sicut usucapionem, id cum hac moderatione accipiendum est, quòd sicut usucapio interrumpitur ciuiliter in quatuor casibus, qui notantur in l. ut perfectius. C. de annali except. ita & præscriptio. Nam usucapio præter quàm in illis quatuor casibus per litis contestationem nõ interrumpitur. l. si post acceptum. C. de rei uend. & pro emptore. l. ij. §. rem alienam. Præscriptio uerò semper interrumpitur per litis contestationem, quoties præscribenti lis de re, quam præscribere cupit, intenditur. l. more litis, & ibi gloss. C. de rei uendi. Cæterùm quia magna est præscriptionis, quę dicitur longi temporis, cum usucapione cognatio, & promiscuè earum modi, quibus existunt, aut desinunt, in titulis tradantur, nos quoque titulos, qui peculiariter ad utriusq; explicationem pertinent, coniungemus. 5 6 7

ff.

De Vsucapionibus & Vsurpationibus.

De diuersis temporis præscriptionibus, & accessionibus possessionum.

Cod.

Communia de Vsucapionibus.

De longi

De longi temporis præscriptionibus, 10. uel 20. annorum.
Inquibus causis cesset longi temporis præscriptio.
De annali exceptione Italici contractus tollẽda, & de diuersis temporibus & exceptionib. & præscriptionib. & interruptionib. earum.
De Vsucapione transformanda.

EXEMPLA IVSTARVM CAVsarum Vsucapiendi & præscribendi.

ff.

Pro soluto. Pro emptore. Pro hærede. Pro donato.
Pro derelicto. Pro legato. Pro dote. Pro suo.

Cod.

De Vsucapione pro emptore. De Vsucapione pro donato.
De Vsucapione pro dote. De Vsucapione pro hærede.

His titulis de singulis causis, ex quib. oriri usucapio & præscriptio potest, agitur, & peculiariter ad explicationem usucapionis mobilium, & prescriptionem longi temporis pertinet, nõ ad prescriptionẽ longissimi temporis. Nam ea etiam absque titulo existere potest. Neque uerò cogitandum est, quòd nõ plures sint causæ usucapiendi, quàm quę in iam annotatis titulis assignantur. Nam omnino omnes iustæ causæ rerum acquirendarum eandem uim habent, quę omnes sub titulo pro suo, tanquã sub genere comprehenduntur.

DE PRAESCRIPTIONE rerum incorporalium. Cap. XLV.

SVMMARIVM.

1. Res incorporales neq; per traditionem, neq; per usucapionẽ nos recipere posse.
2. Vsucapio sine possessione non procedit.
3. Seruitutes ut res incorporales nunquam per se usucapiuntur.
4. Res incorporales quæ sint. 5. Exceptiones esse res incorporales.
6. Processu iudiciali pleraque terminantur.
7. Tempus iusgignit in actionibus & iudicialibus obseruationibus.
8. Exceptiones seu præscriptiones temporales cur dicantur.
9. Longissimi temporis præscriptionem perpetuam esse.

GENERALIS regula est, res incorporales, neque per traditionem, neque per usucapionem nos recipere posse. l. seruus. §. incorporales. ff. de acquir. rer. domi. Et ratio in promptu est, quòd non possunt usucapi, quia cũm non possint apprehendi, nulla est earum possessio: sine possessione autem usucapio non procedit. l. sine. ff. de usucap. Itaque nec præscribi posse uidentur. Ac uerum quidẽ est planè, quòd per se non possint prescribi, sed cum reb. tamen, in quibus hærent, simul acquiruntur. Sic seruitutes, quæ sunt res incorporales, nunquam per se usucapiuntur, sed cum ædificijs possunt usucapi. l. si alie. §. fi. ff. de usucap. Proinde constituí quoq; tum demum de seruitutum acquisitione agere, ubi modos, per quos res acquirimus, explicauerimus. Prẽter seruitutes autem sunt & alię res incorporales, ut sunt exceptiones, quib. Ius agendi non nunquam per continuationem temporis extinguitur eodem modo, quo negligenti per præscriptionem res eripitur, si in tempore eam non requirat. Et in processu iudiciali, pleraque terminantur temporis cursu, quæ antequam excessissent constitutum tempus, erant libera. Quare possunt & actionum distinctiones, & iudicialium obseruationum terminationes, inter præscriptiones collocari, & hoc loco enumerari. Nam & in illis tempus gignit Ius, sicut in præscriptionibus, & eadem de causa proditæ sunt, qua præscriptio, uidelicet, ut litium aliquis constitueretur finis. Sed quia commodius ista declarari poterunt, & per se dicenda ueniunt in tractatione actionum & iudiciorum, ne idem bis repetamus, libet ista in suum usque locum

Res incorporales.

locum differre. Interim obseruent studiosi, quòd omnes istæ præscriptiones, de quibus hactenus diximus, uocentur exceptiones siue præscriptiones temporales, quia certis temporum spacijs circumscriptæ sunt. Longissimi uerò temporis præscriptio, de qua nunc dicturus sum, uocatur perpetua, non quòd ea in nullo concludatur temporis spacio, sed quòd tale sit illi præfixum tempus, quod hominis durabilitatem propemodum excedat, ut uix unius hominis seculo absoluatur.

DE LONGISSIMI TEMporis præscriptione. Cap. XLVI.

SVMMARIVM.

1. Auxilia extrema, uiolenta esse. 2. Litibus finis imponendus.
3. Hominum negligentia præscriptione longissi. temporis punitur.
4. Longissimi temporis præscriptio quando locum habeat.
5. Ad longissimi temporis præscriptionem non requiritur bona fides.
6. Beneficium iuris in re dotali & minorenni.
7. Ad longissimi temporis præscriptionem quæ requirantur.
8. Filio famil. non currit præscriptio in aduenticijs.
9. Res dotalis à marito in hypothecã data præscribi non potest nisi soluto matrimonio. 10. Annuæ pensionis præstatio non præscribitur.
11. Præscriptione 30. annorum tolli omne ius agendi.
12. Pignus apud debitorem præscribi 40. an.
13. Potentiorum artibus sæpe impediri tenuiores.
14. Præscriptio & priuilegia sacrarum rerum.

QVEMADMODVM extrema auxilia ferè omnia sunt uiolenta, ita & hæc præscriptio reliquis succedit, non sine Iuris in speciem uiolentia. Nam cùm prudẽtes in prodendo iure prescriptionis hoc sint secuti cõsilium, ut litibus finem imponerent, uidentur hanc prescriptionem tanquam extremũ aliquod remedium in desperatum casum ceteris adiecisse. Neq; enim rarò admodum accidit, ut supina hominum negligentia res, quæ propter suum, aut possessorum uitium usucapi uel præscribi non poterant, tam diu in aliorum maneant potestate, ut nulla extẽt uestigia iuris, quo in eorum potestatem ueuerint, ac proinde difficile sit, si illis moueatur â quopiam controuersia, discernere propter iuris obscuritatem, utri magis concedi debeant. Quapropter cùm molestum sit, diuturnas possessiones, exoletis titulis inquietari, odio negligentium constituta sunt longissima temporum spacia annorum 30. & 40. ut qui intra ea tempora, rem, quam suam existimet, à possessore eius non repetat, frustra illis annis elapsis, de iure suo queratur. Est igitur prima regula in hac præscriptione: quòd ubicunque cesset longi temporis præscriptio, ibi hæc locum habeat. Ea uerò regula accipienda est, quòd ubi res talis sit, quæ præscribi longi temporis præscriptione non possit (cuiusmodi sunt res dolo, aut ui arreptæ) ibi diuturnitatem temporis longissimæ præscriptionis, nobis parere Ius, ut eam retinere liceat. Neque enim hanc præscriptionem impedit defectus tituli aut fidei, sed sufficit ad eam sola possessio annis 30. & 40. continuata. Non tamen obstat quò minus ea currat, si quis iustum titulum & bonam fidem suæ possessionis habeat. Imò multum inde accedit commodi, licet per se hanc non remoretur, etiamsi bona fide destituatur. Nam qui ad præscriptionem contulit bonam fidem, ille etiam actionem rei uendicandæ consequitur, cùm illi, cui ea desit, tantùm detur aduersus petentem exceptio. l. si quis emptionis. C. de præscript. 30. uel 40. annorum. Quando autem cesset longi temporis prescriptio, non propter uitium rei, aut personæ præscribentis, sed propter beneficium iuris, quo res, aut personas eius contra quem quæritur, donata est (ut res dotalis, & persona minoris 25. annis) non est huius loci

ut annote

ut annotetur. Nam talis commentatio ad priuilegia pertinet, unde talium cognitio petenda est, ut quis tenere possit, in quibus ubique casibus hæc præscriptio locum habet: quod monendum duxi, ne quis existimaret, me temere præterire. Porrò ad hanc præscriptionem quamuis satis sit continua rei possessio, tamen non sufficit, precario, uel ex conducto, uel alia quapiam conuentione rem tenuisse. Nam cùm illi, quibus ex pacta mercede, uel gratis rei usus conceditur, non sibi, sed dominis rerum possideāt, iniquum esset, propter solum tempus huius præscriptionis Ius suum dominis eripere, quod nunquam cuiquam cesserint, aut neglexerint. l. qui ex conducto. C. communia de usucap. Ergo quamuis sine iusto titulo procedat hæc præscriptio, tamen necesse est hac saltem specie, ut minimum rem tenere, ut eam non alij, sed sibi possideat. Nam ubi id constat, tum hæc præscriptio longi temporis non habet locum, quam absque titulo incipere non potest. l. ij. C. eod. Præterea ut incipiat hæc præscriptio, oportet eum, cuius est res, potuisse in initio præscriptionis eam repetere: quamdiu enim illud negatur domino rei, non potest
8 hęc præscriptio incipere, ut non currit præscriptio aduersus filium fam. in rebus aduentitijs, quia donec est in patria potestate, non licet illi absque consensu patris litem cuiquam de aduenticijs mouere. l. 1. §. ultimo. C. de anna. præ-
9 script. Sic nec res dotalis, à marito in hypothecam data præscribi potest, nisi soluto matrimonio. l. in rebus §. omnis. C. de Iure dot. Et eadem ex causa, uidelicet, quia non potest agere, nec creditoris res, nisi conditione contractus existente, uel solutionis die adueniente præscribi potest. Nam si tum negligat rem suam repetere, odio huius Iuris grauatur, non antè, cùm facultas pe-
10 tendi negaretur. l. cum notissimi §. illud. C. eod. Sic nec tueri quis se potest Iure præscriptionis, nec soluat annuam pensionem, etiamsi longissimo tempore non soluerit, nisi supputationem à tempore cessationis, & non obligationis fecerit. l. cum notissimi §. in his. C. eod. Atque hæc ferè in summa ueniunt obseruanda, in constituendo Iure huius præscriptionis. Sed hoc etiam uidetur explicandum, quòd cùm duo spacia temporum in hac præscriptione ponantur, quę res 30. quæ 40. annis præscribantur. Et breuiter quidē respon- *Præscrip. 30. an.*
11 deo, quòd triginta annorū præscriptione tollatur omne Ius agendi, petendi, *an.*
persequendi, siue istud sit priuatum, siue publicum, nisi priuilegio rei, aut
personæ, peculiariter id ne fiat cautum sit. l. omnes. C. eod. & ibi glo. Præ- *Præscript.*
scriptio autem 40. annorum succedit superiori propter odium aut fauorem. *40. an.*
12 Longius Iura extenderunt tempus præscriptionis, ut pignus si apud debito- *Pignus quan-*
rem, uel eius hæredem fuerit, præscribatur demum, si 40. anni effluxerint, *to tempore*
cùm aliàs regulariter, si ad alium deueniat 30. annis præscribatur. Grauandus *præscriba-*
etenim uidetur, qui cùm debeat pignus quod ad eum casu aliquo redierit, re *tur.*
13 tineat. l. cognitissimi, in princ. C. eod. E diuerso, quia sæpe accidit, ut potentiorum artibus impediātur tenuiores, quò minus Ius suum consequi queant, ne aliorum uiolentia ipsis fraudi sit, Leges nolunt ipsis eripi Ius agendi, etiamsi post litis contestationem triginta anni effluxerint: sed succurrunt illis extensione temporum, ut demum quadragesimo anno Ius suum amittant. l. ulti. C. eodem. Præscribuntur & res sacræ, ut plurimum non minore sapcio, *Priuilegia sa-*
quàm 30. annorum, sed quia id fit ratione priuilegij, nec pariter in quibusque *crarum re-*
reb. sacris eadem iura ualent, nos in suum locum horum priuilegiorum an- *rum.*
notationes differemus.

DE AMISSIONE.

Caput XLVII.

SVMMARIVM.

1. Vt tardissimè perficitur præscriptio longiss. temporis, ita nulla citius interrumpitur. 2. Præscriptio longiss. temporis quib. modis interrumpatur.
3. Litis contestatio quamlibet actionem temporalem facit perpetuam.

4. Solutio

4. Solutio interrumpit præscriptionem.
5. Odia esse restringenda.
6. Malæ fidei possessor nullo tempore præscribit.
7. An præscriptio longissimi temporis iure Canonico sit sublata.

CAETERVM quamuis tardissimè perficiatur hæc præscriptio, tamen nulla citius quàm hæc interrumpitur, ac naturaliter quidem sicut superiores, si casu, aut aliqua ui, possessionem rei quis amittat. l. cùm unus §. fin. ff. de bonis autor. iud. possi. uel etiam si tam diu rei possessionem negligat quis, ut obliuio quædam possessoris inde oriatur. l. furtum. in fin. ff. de Vsucap. Similiter autem multis modis interrumpitur, præcipuè tamen litis contestatione, nam ea quamlibet actionem temporalem facit perpetuam. Non enim similis est, qui penitus ab initio tacuit, illi, qui postulationem deposuit, & certamina subijt, etiamsi postea quibusdam casibus impediatur, ne litem prosequatur. l. ult. C. eod. Item per quasi contestationem litis. l. ij. C. ubi in rem act. exer. de. Item si quis à Iudice mittatur executor, qui actorem in consequenda re petita adiuuet. l. sicut §. sufficiat. C. eod. & ibi glos. Interrumpitur quoque solutione partis debiti, aut fœnoris. Videtur enim agnoscere debitum, qui aliquid nomine debiti soluit. l. cùm notissimi §. sed etsi quis. C. eo. Imò per solam quoque libelli oblationem, sed hoc in certis casib. tantùm. l. 1. & ij. C. quando libel. princ. dat. fac. lit. contestat. l. ut perfectius. C. de annali except. Item per apprehensionem & detentionem rei obligatæ. l. cùm notissimi §. imo. C. eo. Sunt præterea & alij quidam modi, quibus hæc præscriptio interrumpitur, sed non ita usitati, quos quisque sibi ex glo. circa cap. illud. extrà de præscript. & ex glos. l. cum notissimi. cir. uerbum innouata. C. eod. poterit colligere. Neque uerò alia est causa, cur tam facilè interrumpatur, quàm quòd odiosa est præ ceteris. Itaque quia, iuxt. regulam, odia sunt restringenda, Iura permittunt facillimè eam interrumpi.

Existit autem circa hanc præscriptionem quæstio, quam non possum præterire, cùm nisi ea diserte explicetur, penitus hanc, præsertim si mala fide incipiat, tanquam iniquam damnare necesse est. Notum enim est, quòd malæ fidei possessor nullo tempore præscribat. c. possess. ext. de reg. iur. in sexto. Itaque quæri solet, an leges ciuiles corrigantur Canonico Iure, ac uidetur sanè pertinere ad autoritatem Ecclesiæ, ut improbet leges, quæ pugnent cum ratione, & approbent peccatum. Sed de autoritate corrigendarum legum per ecclesiam, alibi est disputandi locus, hoc tantùm nobis uidetur hic defendendum, quòd non peccent, qui huius præscriptionis Iure utantur. Nam cùm id autoritate Iuris publici faciant, secundum diuum Augustin. 14. q. 4. c. quid dicam. iustè facere uidentur. Et non leues sunt causæ, cur hæc præscriptio quoque in reb. publicis probetur. Nec desunt scripturæ exempla, quibus talis acquisitio Iuris approbetur. Nam & Leuitici 25. unius tantùm anni spacio alterius Ius in certo casu tollitur. Proinde non est sentiendum, quòd Ius Canonicum prorsus damnet hanc præscriptionem. Nam licet non probet, quòd quis contra conscientiam alterius re utatur, tamen dissimulandam hanc iniuriam, propter bonum publicum censet. Neque alia est differentia Iuris Canonici & ciuilis in probanda hac præscriptione, quàm quòd Ius Canonicum non permittat, ut si mala fide quis hanc inchoauerit, illi aut actionem aut exceptionem det propter eam. Sed Ius ciuile permittit, ut pariat exceptionem contra eum, qui ocioso animo res suas in tot annorum spacio non repetiuerit, & hoc Iure uti licet, quia sicut suprà dictum est, publica autoritate id nobis ministratur. Vide Panor. cir. c. quoniam omne. ext. de præscript. Huc autem pecu iariter nullus pertinet titulus præter eum, qui est in C. de præscriptione 30. uel 40. annorum.

DE DONA-

DE DONATIONE.
Caput XLVIII.

SVMMARIVM.

1. Donatio duplex, pura & conditionalis.
2. Donatio est liberalis & munifica rerum largitio.
3. Quod ex obligatione confertur, non est donatio.
4. Donatio quid sit. 5. Ad liberalitatem necessariò non obstringimur.
6. Antidora quæ sint. 7. Donatio conditionalis quæ sit.
8. Donationum duo genera, inter uiuos, & causa mortis.
9. Donationum facilis est temeritas.
10. Aetas, conditio & crimen personæ quandoque prohibent alienationem.
11. Quæ personæ non possint donare, enumerantur.
12. Quæ crimina impediant donationem.
13. Donatoris & donatarij cõsensum extare sufficit quibuscũq; uerbis aut literis.
14. Donatio ultra 500 aur. insinuationem requirit.
15. An traditio in donatione requiratur.
16. Donatori incumbit tradendi necessitas.
17. Liberalitatem esse causam finalem donationis.
18. Donationes affectionis gratia non sunt prohibitæ.
19. De accidentibus quæ uitiant donationes.
20. Donatio immodica, inofficiosa, aut fraudulenta non ualet.
21. An ualeat obligatio testandi uoluntatem auferens.
22. Iurata donatio supplet solennitatem.
23. Renunciationis pactum de non reuocanda donatione.
24. Donationes an possint reuocari.
25. Donationis pœnitere non licet.
26. Donatio irreuocabilis remunerationis causa facta.
27. Libertorum conditionem esse duram.
28. Quas ob causas reuocentur donationes perfectæ.
29. An ualeat donatio Ecclesiæ facta in fraudem liberorum.
30. Ius politicum quod sit. 31. Matris donatio filiæ facta.
32. Matri ad secũdas nuptias conuolanti non licet reuocare donationem.
33. De dandi eleemosynis.
34. Liberalitas in pios usus, & quatenus donationes ad pias causas in hæredum fraudem factæ reuocari possint.

1 DONATIONVM alia pura, alia conditionalis est, Pura & simplex dicitur, quæ ea fit mente, ut quod det alijs, statim uelit fieri accipientis, nec ullo casu ad se reuerti, quam quis propter nullam aliam causam faciat, quãm ut liberalitatem & munificentiam exerceat, & talis rerum largitio propriè dicitur donatio, l. i. ff. eod. Neq; enim donari uidetur, quod quis ex aliqua obligatione alteri confert, aut dat, l. Ergo hoc Iure. §. fin. ff. eod. Vnde rectẽ sic definitur donatio, quòd sit rei licitæ nullo iure cogente, mera liberalitate facta collatio, iuxta l. donari. ff. eodem. Quod autem dicitur, quòd ex mera liberalitate proficiscì debeat donatio, non ita accipiendum est, quòd nec is donare uideatur, qui familiarium suorum fide atque officijs prouocatus aliquid cuipiam ex illis largiatur. Nam quamuis honestas & naturalis æquitas suadeat, ut nostros liberalitate foueamus, quantum res nostræ ferant, tamen nulla legis necessitate obstringimur ad compensationem talium obsequiorum. Proinde & is ex mera liberalitate largiri uidetur, qui liberẽ, nulla necessitate obligationis cogente, in alium aliquid confert, honestate & humanitate suadente. l. rem legatam, in fin. ff. de adi. leg. & Vlpianus ut separaret ea quæ ex necessitate obligationis dantur, ab illis, quæ ex mera liberalitate conferuntur, Græco

Donatio duplex.

Antidora. uocabulo ἀντίδωρα, id est, remunerationes dicit uocari, quæ in beneficiorum compensationem dantur. l. sed etsi. §. consuluit. ff. de petit. hæred. Licet igitur non donet, qui ex naturali obligatione pacti, aliquid alicui concedat, tamen obligatio ad ἀντίδωρον non impedit, quò minus donare uideatur, qui propter eam aliquid de suo alij largitur. Quia uerò donatio ex mera liberalitate facta, penè sola retinet naturam ueræ donationis, dicitur ea perfecta, conditionalis autem imperfecta. 6

Donatio perfecta.

Donatio conditionalis. Fit autem conditionalis Donatio, quando aliqua causa, uel modus, uel tempus, uel conditio in eius deputationem ponitur. Causa, ut si quis ita cum quopiam pacisca tur, quòd uelit eum donatum isto uel illo fundo, quia fidem eius expertus sit in summo periculo suarum fortunarum. Modus, si cui quid donetur, ut alimenta ministret donatori, donec uiuat. Tempus, ut cùm datur alicui uinea, hac lege, ut ipso mortuo ad donatorem, uel ad hæredes eius redeat. Conditio, cùm in incertum euentum aliquid donatur, hoc modo, Titius à me dono accipiet 100. aureos, quàm primùm ex uxore filium susceperit. Et possunt conditionalium donationum uaria exempla concipi, iuxta titul. de donationibus, quæ sub mo. uel conditio, uel sub cert. tempus confici. Sed in maximo usu sunt: donatio propter nuptias, inter uirum & uxorem, donatio causa mortis. Et ex his exemplis natura conditionalium donationum æstimari facilè potest. Vnde quidam quoq; dixerunt donationum duo esse genera. 7

Causa.

Modus.

Tempus.

Conditio.

Donationes usitatæ.

8 Alterum, quo comprehẽdantur donationes, quę fiunt inter uiuos, Alterum quo in euentum mortis donationes inter homines destinentur. Quare & nos de usitatioribus illis donationibus peculiariter agemus, ut appareat quòd hęc sit differentia conditionalium donationum, quòd sortiantur effectum, aut uiuentibus, aut mortuis donatoribus. Prius tamen indicabimus, quæ requiran tur in genere ad omnium donationum analogiam & solennitatem, ut ritè factæ censeantur, & iure subsistant.

Vt igitur à causa efficiente incipiam, uidendum est, qui possint donare, uel non. Neque enim omnibus id pariter licet. Itaque & Imperat. in Institut. statim post titul. de donatio. generali titulo quærit, quibus alienare licet, uel non. In nullo nanque modo rerum alienandarum facilior est temeritas alie- 9 nantium, aut magis expedita occasio circumueniendi homines, & res interuertẽdi, quàm in donationibus. Sed & in cęteris, qui hunc sequuntur modũ, idem cauendum est. Quare uideri potest Impe. isto titul. uoluisse complecti, quæ generaliter in omnibus sequentibus essent obseruanda. Quia uerò in alijs modis quædam nonnunquam conceduntur quibusdam personis, quæ illis in alijs modis non permittuntur, Nec posset ferè quicquam tam generaliter dici, quod non in quoquo modo uariet: istum titulum sic explicatum relinquam, ut dicam eo nos moneri, quòd quoties aliquid, quocunque modo a- 10 lienandum ueniat, spectandum sit, num ætas, conditio, aut crimen personæ prohibeant id fieri. Deinde & singulis modis esse requirendum moneo, quæ specialiter propter suam quandam causam personis negentur in illis. Sic do- 11 nare non posse eum dicimus, qui minor sit xxv. annis. l. ult. §. ult. si mal. fact. alienat. rat. hab. Senectus autem non impedit donationem, nisi delirium attulerit. l. senectus. C. eod. Et quòd nec illi possint donare, qui sunt in aliena potestate, manifestum est ex Iure patriæ potestatis & dominij. Itaque neque filiusfamilias, nisi habeat peculium castrense uel quasi, uel habeat liberam administrationem peculij, l. filiusfa. ff. eod. neque furiosus, neque prodigus donare possunt, cùm habeant curatores: mutus tamen & surdus donare non prohibentur. l. qui id. ff. eod. Speciale autem est in donatione, quòd uir non possit donare uxori, ne fœminæ amorem conjugalem in quæstu habeãt, sed de hac prohibitione infrã, ubi ad species donationum peruenerimus.

Quæ personæ non possint donare.

Donari autem possunt, quæcunque in commercium nostrum uenire possunt,

sunt, aut quorum dominium transferri potest, siue sit corporalis, siue incor-
12 poralis, potest citra corporis dationem ualere donatio. l. in ædib. ff. eo. Crimina autem, propter quę donatio quibusdam interdicitur ā lege, sunt maiestatis læsio. l. ult. C. ad l. Iuliam maiest. Hæresis, sed ea non impedit, nisi quis de ea condemnatus est, sicut nec ob aliud crimen publicum alicui aufertur suarum rerum administratio, nisi damnato. l. post contractum, & l. donationes. §. fin. ff. eodem. Perficitur uerò donatio, donatoris & donatarij consensu interueniente, non enim potest liberalitas nolenti acquiri. leg. hoc Iu-
13 re. ff. eod. Sed sufficit consensum eorum extare quibuscunque uerbis aut literis. Itaque & inter præsentes & absentes, siue quis per epistolam, uel nuncium, uoluntatem suam declaret, uel seruo cuiuspiam, rem donatam deferendā tradat, fieri potest. l. etiam, & l. absenti. ff. eod. Neque enim hodie, sicut olim
14 per stipulationem fieri donationes necesse est. l. si quis argentum. C. eod. Neque requiritur, ut mittatur in literas, nisi summa donationis excesserit quingentos aureos. Nam in istū casum necesse est, ut ea publicetur apud competentem iudicem, adhibitis personis publicis. Non enim exiguntur priuati testes, cūm publicum testimonium fidem eius facere possit. Quoties autem id fit, tum donator debet exprimere suam uoluntatem & quantitatem donationis, atq; curare, ut literis mandentur. l. in donationibus. C. eod. Quamuis autem non superstitiose requiratur, quibus uerbis donantis uoluntas exprimatur, iux. l. ult. C. eod. tamen nuda ratio non sufficit: utputa, quod donare uolumus, licet referamus in rationes nostras, debere nos, nulla tamen donatio intelligitur. l. nuda ratio. ff. eod.

Quæ crimina impediant donationem.

Insinuatio ad donationem quando requiratur.

15 An igitur & traditio rei donatæ requiratur ad perfectionem donationis, quæri potest. Nam cūm nuda ratione nō existat, uidetur nec nudo pacto posse contrahi, sed necesse est, ut traditio interueniat. Ad hanc quæstionem respondet Imperator in l. sis quis argentum. §. penul. C. eod. quòd non inutilis sit donatio, etiāsi res non sint traditæ, nec confirmetur ex traditione, sed hanc
16 tamen nasci ex donatione obligationem, ut donatori incumbat tradendi necessitas. Cūm enim in arbitrio cuiusq; sit, uelit nec ne donare, non esse permittendum, ut sine iusta causa quis recuset rem promissam tradere. Intelligitur autem res quoque tradita, quæ cūm concessa est donatario, tamen in ea donator V sumfructum ex pacto donationis retinuerit. l. si quis argent. §. sed siquidem. C. eodem.

17 Causa uerò finalis, propriè nulla est donationis, quām quòd exerceatur liberalitas. Hinc est, quōd omnes donationes, quæ fiunt propter aliquam cau-
18 sam, per catachresin, & non propriē, appellantur donationes. Affectionis autem gratia non sunt prohibitæ donationes. Itaq; Iure ciuili toleratur, ut gratificandi causa concubinæ, uel amicæ aliquid donet. l. affectionis. ff. eod.

Donationes affectionis.

19 Sed & considerandæ sunt accidentia in formis iuris. Sicut enim propter symptomata morborum, alia atque alia adhibentur remedia, ita & rerum modus, & hominum studia uaria adferunt impedimenta, nec pariter ubiq; negocijs accōmodari possunt formę iuris de illis constitutę. Nam si donatio est im-
20 modica, aut inofficiosa, aut fraudulenta, tum nō ualet, etiāsi habeat omnia substantialia, quæ suprā recensuimus. Etenim in hoc sequitur penitus naturam contractuum, & pactorum, ut nō subsistat, si talis deprehendatur. Censetur autem immodica, cūm pater in unum ex liberis plus confert, quàm ut reliqui legitimam suam ex bonis suis consequi queant. Auth. de immens. donat. in fil. fact. Inofficiosa uerò dicitur, cūm in extraneos quis sua effundit, neglectis liberis sine iusta causa. C. de inoffi. donat. Tanquam immodica quoque reprobatur donatio, qua quis, cūm non habeat suos hæredes, omnia sua alicui
21 donet, neq; quicquam sibi reliquum seruet. Non enim ualet ulla obligatio, per quam uoluntas testandi intercludit. l. stipulatio hoc modo. ff. de uerb. ob

Inofficiosa donatio.

ligat. Paulus tamen de Castro indicat, ualere eam, si mortis causa fiat, quia tacitè tum uideatur sibi usumfructum conseruasse. Fraudulenta habetur, cùm in fraudem fisci aut aliorum creditorum facta est. Et tum nec si traditio sit secuta, aut etiam insinuata ualet. l. i. & ibi Bart. C. de iure fisci. lib. x. & Bal. circa l. illud, in prima quæstione. C. de sacrosan. eccles. Præsumitur autem uarijs modis fraudulenta. Sed non fert compendij ratio ista omnia hoc loco congerere, præsertim cùm & ea in pactis & contractibus rursum dicenda ueniãt. Et hæc de accidentibus, quæ prorsus uitiant donationes. Si uerò aliquid desideratur in donatione ratione solennitatis, tum ea subsistit, si firmata est iura- 22
mento, iuxta Docto. circa Authent. sacramenta puberum. C. si aduersus uenditionem. Sicut nec reuocantur propter reliqua uitia, cùm illis appositum 23
est pactum renunciationis per eos, qui de iniquitate donationum queri poterant, sicut infrã de pacto renunciationis dicemus.

Cæterùm donatio semel perfecta non potest per donatorem inuito dona- 24
tario reuocari, nedum si quis impetrarit à principe rescriptum, ut liceat id facere. l. si donationum. C. de reuocand. donat. Neque licet quidem ulli apponere nouam conditionem donationi, postquàm semel perfecta est. l. perfecta. C. de donat. quæ sub modo. Non igitur pœnitere aliquem donationis, quoti- 25
es libet, potest, nec si constet quem pœnituisse, ob id res donata statim repeti potest. l. ij. & iij. C. de reuoc. donat. Inter cæteras autem donationes, ea præci- 26
puè non potest reuocari, quæ remunerationis causa facta est, Vt si quis ab eo aliquid accipiat, quem à latrunculis, uel hostibus eripuerit, irreuocabilis est donatio. Nam merces eximij laboris appellanda est, quod contemplatione salutis certo modo existimari non placuit. l. si pater emancipati. ff. eodem.

Sed possunt tamen interuenire causæ, propter quas perfecta donatio reuocetur, & hoc præcipuè, si quid liberto donatum sit à patrono. Nam si libertus neget obsequia patrono, licet illi non modò rem donatam, uerumetiam rem, quæ pro pecunia empta est, repetere. l. i. C. de reuo. dona. Item si patronus cùm nullos haberet liberos, aliquid donauit liberto, is si postea suscipiat liberos, potest ab eo donata repetere in uniuersum. l. si unquam. C. de reuo. don.

Est igitur libertorum conditio in amittendis rebus donatis aliquanto duri- 27
or, quàm reliquorum. Non enim ob quamuis ingratitudinem reliquis donata auferuntur, sicut libertis. Nam tum demum datur ius reuocandi dona-
Iniuria atrox & contumelia. tionem alijs præter patronos, cùm donatarij uiolentas manus donatoribus 28
iniecerint, aut atroci iniuria & contumelia eos affecerint, aut graue damnum illorum rebus irrogauerint, uel uitę illorum insidiati fuerint. l. ul. C. de reuo. donat. & c. fin. extr. de donat. Si uerò liberi nascuntur donatoribus, postq; exhauserunt suas facultates donationibus, tum non penitus rescinditur dona-
Donatio rescindenda. tio, sed res ad bonorũ subsidium, & quantum sufficit ad legitimam portionẽ hæreditatis consequendã, repetunt, sicut aliãs quoq; fit, cùm immodicę, aut inofficiosæ donationes esse conuincuntur. l. si totas. C. de inofficios. donat. Quidam tamẽ uolunt, quòd etiam isto casu penitus reuocentur donationes, cùm non sit ueri simile aliquem alienas successiones suorum necessitatibus anteponere. Et uidentur quidem duci autoritate D. Augustini, qui ne eccle- 29
siam quidem uult retinere donata, quibus liberi defraudentur. c. fin. xvij. q. iiij. Sed cùm Augustinus in eodem loco dicat licitum esse ecclesiæ, ut ea iure fori retineat, licet Ius Politicum, id est, naturalis æquitas non scripta aliud 30
Ius politicũ. suadeat, non uidetur eius distinctio negligenda, quin sentiamus Iure Ciuili permitti, ut natis liberis donata reuocentur, ad suppletionem legitimæ tantùm, licet Ius Politicum suadeat ea penitus reddenda.

Reuocatur quoque donatio, siue liberto, siue alij sit facta, propter conditionem adiectam, si ea non existat, aut si præstare id quod donatarijs iniunctũ est, negligant. c. uerùm, extra de cond. appos. & l. si repetendi. C. de condi. ob causam. Vt uerò existat, uel impleatur conditio apposita, sufficit quoquo

modo

31 modo effectum eius dari, Vt si mater donet aliquid filiæ in patris potestate constitutæ, hac conditione, quòd id ab ea acceptura sit, si sui iuris intra biennium facta sit, tum non solùm consequetur rem donatam, si emancipetur à patre, uerumetiam si patris morte ab eius potestate liberetur. l. ultim. C. de condic. sub modo. Quando autem sufficiat conditionem impleri per æquipollens, copiose disputant Doctores circa l. Gallus. ff. de libe. & posthum. Insti-
32 tu. Matri uerò non licet reuocare donationem, si ad secundas nuptias conuolauerit, aut aliàs turpiter uixerit, nisi donatarius uiolentas manus iniecerit, aut uitæ eius periculum machinetur, aut eius facultates irreparabili damno attriuerit. l. his solis. iuncta Authentic. C. de reuoc. donat. Sunt autem hæ omnes reuocationes personales: non enim transeunt ad hæredes donatorum. l. finali. C. de reuoc. dona.

TITVLI QVIBVS PROMISCVE AGITVR de omnis generis Donationibus.

ff.

De Donationibus.

Cod.

De Donationibus.

De Donationibus, quæ sub modo, uel conditione, uel certo tempore perficiuntur.

De Reuocandis Donationibus.

De inofficiosis Donationibus.

Auth.

De immensis Donationibus in filios factis.

Instit. Decretal.

De Donationibus. De Donationibus.

HIS adiungi potest c. non satis, cum aliis multis, distinct. 86. Quamuis e-
33 nim præcipuè ibi agitetur quæstio de dandis eleemosynis, tamen qualis libe-
34 ralitas in pios usus probetur, inde colligi potest. Et uenit in hoc quoq; schemate iuris considerandum, quatenus ualeãt donationes rerum ab episcopis factę, et quatenus reuocari possint, quę in hęredũ fraudẽ ad pias causas datę sint.

DE ARRIS. SPONSALITIA LARgitate, Dote, & Donationibus propter nuptias.

Caput XLIX.

SVMMARIVM.

1. In hoc capite de quatuor speciebus donationum nuptialium agit.
2. Collatio specierum eas magis perspicuas facit.
3. Arra quid sit. 4. Sponsalitia largitas quid uocetur.
5. Donationes ex causa factæ sunt arra & sponsalitia largitas.
6. Sponsalitia largitas an possit repeti, si alter contrahentiũ recedat à sponsione.
7. Matrimonia debent esse libera.
8. Pœna promissa onerat libertatem matrimonij contrahendi.
9. Arra quando repetatur, & quibus casibus cesset.
10. Minor xxv. ann. reddit arram in simplum.
11. Sponsalitia largitas quando reuocetur.
12. Donatio caduca reuocatur. 13. Osculo donatio firmatur.
14. Differentia inter arram & sponsalitiam quæ sit.
15. Dotis appellatione quid ueniat. 16. Dotis nomen ius significat.
17. Dos quid, & quale ius sit.
18. Donatio propter nuptias quæ dicatur. 19. Antipherna quid.
20. Dos sine matrimonio nulla est.
21. Dos & donatio propter nuptias per omnia pari iure censentur.

22. Donatio antè & post nuptias in quo differant.
23. Dos an & quando possit augeri. 24. Dos quomodo constituatur.
25. Dos profectitia, & Aduentitia quæ uocetur.
26. Mater an cogatur dotare filiam.
27. Tutores & curatores quando dotem constituere debeant.
28. Dos amplior quàm facultates patiantur, non constituenda.
29. Quæ res in dotem dari possint.
30. Multas constituendarum dotium formas esse.
31. Ex nudo pacto nulla obligatio nascitur.
32. Patri licet promittere dotem quam ipse arbitratur.
33. Dotis priuilegia multa esse.
34. Acceptilatio extinguit obligationem iam existentem, non futuram.
35. Delegare est alium debitorem sua uice dare.
36. Priuilegium meræ liberalitatis promittentium.
37. Res in dotem datæ æstimari possunt.
38. Actio repetendi datur circumscripto.
39. Aestimatio rerum dotalium literis mandatur propter memoriam.
40. Fideiussores causa dotis non exigi.
41. Dos constituitur ad ferenda onera matrimonij.
42. Dotem æstimatam maritus potest alienare, nisi uergat ad inopiam.
43. Qui promisit dotem, tenetur ad euictionem rerum dotalium.
44. Maritus in rebus dotalibus tam dolum quàm culpam præstat.
45. Dos quomodo repetatur.
46. Diuortium est causa repetendæ dotis.
47. Bona mariti tacitè sunt hypothecata uxori.
48. Dos soluto matrimonio redit ad mulierem.
49. Dos quando repetatur constanti matrimonio.
50. Donatio propter nuptias hypothecæ loco est doti.
51. Paraphernalia bona exigit mulier.

SVPRA in genere exposuimus, quæ ueniant in qualibet donatione considerãda. Quia uerò certæ quædam species dònationum sunt, quæ suas quasdam, præter communes illas, habent obseruationes, seperatim de illis nunc dicemus. Libuit autem quatuor species donationum nuptialium coniungere, quoniam cuius & natura ex aliarum collatione magis perspicua fit. Inter has autem longissimè à natura donationum recedit, quæ uocatur arra. Est enim arra, donarium à sponso & sponsa utrinq; alteri datum in testimonium, & quasi pignus factæ de futuris inter eos nuptijs sponsionis. Itaq; uideri posset, non debere inter donationem arram sponsalem numerari, quia non liberalitatis, sed fidei causa datur & accipitur: sed quia imperator eam reliquis sponsalibus donationibus adiunxit, C. de sponsalibus, nolui eam abillis seperare, præsertim cũm eius declaratio cæteris aliquam lucem possit adferre. Neq; enim quisquam melius intelliget, quid propriè leges uocent sponsalitiam largitatem, quãm cũm arræ descriptionem adhibeat. Nam & sponsalitia largitas uocatur donatio, quę fit sponsæ à sponso, uel ẽ diuerso ante subsecutũ matrimonium, iux. l. si à sponso. C. de donat. ante nup. Itaq; procliue est, aliam pro alia accipere, nisi diserte inter se seperentur. Possunt igitur utræq; inter donationes, quæ fiunt ex causa, censeri & collocari. Vtraq; enim fieri intelligitur causa matrimonij contrahendi, etiam cùm purè & simpliciter factæ sunt. Nam tacitè semper subesse hæc cõditio in illis putatur, ut matrimonium inde sequatur. Inde quoq; est, quòd repetantur arræ, uel sponsalitię largitatis nomine donata, si alter ex contrahentib. recedat à spõsione de futuro matrimonio inter eos facto.

Ac uideri quidem posset iuri non consentaneum, metu reddendæ arræ, aut rei ex sponsalitia largitate donatæ contineri matrimonia, cùm liquidum sit le-

gibus

Arra.

Sponsalitia largitas.

Donationes ex causa factæ quæ.

gib. ꝙ matrimonia debeant esse libera in contrahendo, dissoluendo, & retinẽ
do, adeò ut nec pœnę promissio teneat cõtrahentes. l. Titia. & l. si stipulatio
facta fuerit. ff. de uer. obli. Debet enim libera esse prorsus potestas in contra-
hendis nuptijs. l. ul. in fi. C. de sponsal. Verũm permissa est repetitio arræ, &
sponsalitiæ largitatis, quia sic data, etiamsi repetuntur, non sunt oneri liberta
8 ti recedendi à matrimonio contracto, cũm antea sint accepta. Pœnæ uerò no
mine promissa, cũm non sint antè accepta, onerant libertatem, quia metu sol
uendę pœnę imponitur necessitas contrahẽdi. Nulla aũt ualet stipulatio one-
randę libertatis causa facta. l. i. §. quę oneran. ff. quar. rer. actio nõ detur. Pro-
pterea cũm sponsalia propter legitimam aliquam causam, quas infrà de nupti
is enumerabimus, dissoluuntur, arram repetit duplicatam persona, per quam
stetit, quõminus existeret matrimonium, nisi fortẽ inter contrahentes pœna
arrarum specialiter in quadruplum constituta sit. Nam in eam usq; quantita-
tem permittunt leges arrarum pœnam extendi. l. mulier. C. de sponsalibus.
9 Cessat autem hæc repetitio arrarum, si alter ex sponsis moriatur, aut causa,
propter quam matrimonium contractum dissolui, aut non existere possit, in-
terueniat, tum enim sola arra, perinde ac si nulla fuissent facta sponsalia, resti
tuitur, nisi fortè persona mortua præbuit causam, quõminus celebrarentur
nuptiæ, nam isto casu amittit arram. l. arris. C. de spons. & arris. Item nisi is,
qui dedit arram, scilit interdictum, aut legitimẽ dissolui posse inter contra-
hentes matrimonium, nam & illi perit, quod arræ nomine dedit. l. mulier. §.
10 patrem. & ibi glos. C. de spon. & arris. Cessat quoque repetitio arræ, si mi-
nor xxv. annis eam per tutores uel curatores uel parentes uel amicos acce-
pit, si recuset nuptias. Neq; enim cogitur nisi arram ipsam in simplum redde-
re, illi tamen, per quos eam accepit, tenentur in duplum. l. ult. in princ. C. de
spon. & arris. Si uerò magistratus, uel eius familiares extorserint à subditis,
ut ipsorum uotis consentirent, & ad sponsalia uenirent, non possunt cogi, ut
reddant arræ nomine donata, sed ipsorum arbitrio stat uelint nec ne restitue
re, si pœniteat subditos factæ sponsionis, & habeant causas cur matrimonium
recusent. C. si rector prouinciæ, uel ad eum pertinentis &c. Idem iudican-
dum est de pignoribus, si qua data sunt, ea conditione, ut non existente matri
monio, quod leges non prohibeant fieri, restituantur, argumento c. & si ne-
cesse. ext. de donat. inter uirum & uxorem.
11 Quod uerò ex sponsalitia largitate datum est, id repetitur etiam propter in
gratitudinem, sicut alioqui donationes puræ reuocantur, Ac si quidem matri
12 monium non fuerit secutum, quia is, qui dedit, recusat, tum donatio fit cadu-
ca, uel potest reuocari. l. cùm ueterum. C. de donat. ante nupt. Si uerò casu a-
13 liquo impediantur nuptiæ, tum si sponsus dedit, penitus rescinditur donatio,
nisi osculum interuenerit. Nam ubi istud interuenerit, donatorum dimidia
pars apud sponsam remanet, sed sponsæ conditio benignior est, siue enim in
terueneritosculum, siue non, donata ab ea reposcuntur. l. si à sponso. C. de do
14 na. ante nup. Nihil igitur inter arram & sponsalitiam differentiæ est, nisi ꝙ
hæc muneris, illa uerò pignoris loco datur.
15 Iam de dote & donatione propter nuptias. Dotis appellatione uenit, quic- *De dote & donatione propter nuptias.*
quid à muliere, uel alijs eius nomine datum marito fuerit, ut donec matrimo-
nium inter eos duret, apud eum maneat. Bart. cir. epigraphen. ff. solu. matri.
16 contendit nomen dotis non res, sed ius quoddam tenendarum rerum signifi-
care, sicut hæreditas non dicuntur res hereditariæ, sed ius succedendi in uni
17 uersum ius, quod defunctus habuit. Et uerum quidẽ est, si accuratè quis rem
expendat, quia dos est ius utendi rebus, quæ marito ab uxore, uel eius nomi-
ne ab alijs datæ sunt ad sustinenda matrimonij onera. Sed figuratẽ tamen ap-
pellatione dotis, res eius nomine marito datæ intelliguntur, sicut per metony
miam in historijs gesta hominum sub appellatione seculi intelligimus.

Donatio propter nuptias.

E diuerso donatio propter nup. dicitur, quæ fit sponsæ, uel alijs eius nomine à marito, uel eius necessarijs, ad prospiciendum illi de dote consequenda, si matrimonium fortè dirimatur. Vnde ea quoq; dicitur ā Græcis ἀντιφέρνα, quasi pro dote, & ad compensationem dotis data. Quondam ea dicta est ante nuptias, quia contractis iam nuptijs non potuit fieri. Nouissimo autem iure, tam ante, quàm post nuptias fieri eam licitum est. l. cūm multæ. C. de donat. ante nuptias, ita tamen, ut constet de matrimonio, ut propter futuras nuptias fieri uideatur. Nam sicut sine matrimonio dos nulla est, adeō, ut nec dotis appellatio referatur ad ea matrimonia, quæ consistere non possunt, l. dotis appel. ff. de iur. dot. ita nec donatio propter nuptias consistere potest, nisi matrimonium de iure & facto consistat. Dos enim & donatio propter nuptias, pari iure hodie consistunt, tanquam reciprocæ donationes. Auth. de æqual. dotis. propter nupt. don. Non igitur impedit siue antè, siue post nuptias fiat hæc donatio, si modò fiat constante matrimonio. 18 19 20 21

Quamuis autem hæ duæ donationes ita exæquatæ sint, iure nouissimo, ut non solùm eodem modo, uerumetiam pari quantitate, & lucris pactorum adiectorum constitui eas necesse sit, tamen quibusdam uidetur hæc esse diuersitas iuris in facienda donatione ante nup. & post nup. uidelicet, ut ubi donatio fiat ante nup. ea possit excedere quantitatem dotis, uel infrā subsistere, nō autem post contractas nup. l. ex mort. & l. ul. C. de pactis conuentis, tamen super dote. Atq; ita quidem ex consuetudine passim obseruatur, ut quoties libeat, liceat augere uel minuere dotem, aut donationē propter nup. sed iure Authen. ex necessitate iuris augetur donatio propter nup. si aucta sit dos, & è diuerso. Et si quidē maritus non est obæratus, licet mulieri augere dotem in rebus quibuscunq;. Si uerò sint quibus debeat, tum non nisi in mobilibus reb. dotem augere illi licet, ne plura quām dederit in præiudicium creditorum, nomine dotis petere facilē possit, Auth. de æqualitate dotis. §. aliud quoq;. 22 23

Porrō quia ostendimus eadem obseruari in constituenda dote & donatione propter nuptias, iam recensebimus, quibus modis dos constituatur, deinde sibi quisq; colliget, quibus modis donatio propter nupt. fiat. Constituitur dos aut à patre, uel auo paterno, uel à quocunq; ipsorum nomine, qui eam de bonis eorum marito, uel alijs ipsius loco promittit, & talis dos uocatur profectitia, quia de profectitijs soluitur. Si uerò pater promittat, aut det dotem de eo, quod aliunde accepit, ut filiæ daret in dotem, Aduenticia dos tanquam ab extraneo profecta dicitur. Idem est, cūm aliquis alius promittat, aut det pro sua liberalitate, uel coniunctione. l. profectitia. ff. de iure dotium. Cōstituitur autem quælibet dos, aut uoluntariè, aut necessariō. Mulier per se, uel per alium ipsius nomine ex libera uoluntate promittit dotem. l. promit. ff. de iure dotium. Ex necessitate uerō constituitur ā patre, cæterisq; maioribus. l. ult. §. neq; enim. C. de dotis promiss. & l. dedi. ff. de collatio. bon. Non autem mater cogitur dare dotem, nisi hæretica sit. l. neq; mater. C. de iure dotium. & C. de hæret. l. cognouimus. Tutores quoq; & curatores coguntur pro dignitate natalium & facultatibus constituere dotem illis, qui ipsorum fidei commissi sunt. l. tam dementis. C. de Episco. audien. l. quære. ff. de iure do. Videndum autem curatoribus est, ne ampliorem, quàm facultates mulierum patiantur, dotem constituant. Nam talis donatio, ipso iure nulla est. l. siue gene. ff. de iure do. Est & patri cauendū, ne dos tanq; inofficiosa possit accusari. C. de inof. do. 24 25 26 27 28

Possunt autem in dotem dari res mobiles & immobiles, corporales & incorporales, quæ non prohibentur in nostro esse commercio: si tamen mulier minor sit xxv. annis, dabit immobilia, non nisi decreto iudicis interposito. l. ex C. de admini. tutor. 29

Formæ constituendarum dotium.

Forma uerò promittendæ dotis, non una est, aut enim per stipulationem, aut nuda pollicitatione, traditione, aut acceptilatione, aut remissione, aut delegatione 30

legatione constituitur, uel testamento legato. Per stipulationem, cùm præcedente interrogatione, certum quiddam, uel incertum, causa dotis promittitur, iuxta formam stipulationis, quæ traditur in Insti. de uerb. oblig. in prin. Nuda pollicitatione, si citra interrogationem sola offerentis pollicitatione dos promitatur, iux. definit. pol. iij. ff. de pollicita. & l. ad exact. C. de promiss. dotis: sed eatenus tamen nuda pactio dotis ualet, quatenus certa quantitas, aut species rei in dotem dandæ expressa in ea fuerit. Nam si quis in genere polliceatur dotem, tum nulla ex nudo pacto nascitur obligatio, etiamsi id in literas missum est. l. i. C. de dot. promiss. & glo. circa l. cùm post. §. gener. à socero, in uer. plac. ff. de iure doti. *Stipulatione* *Nuda promissione.*

Est & hoc in dote speciale, quòd liceat patri promittere dotem, quam ipse arbitratus sit, quamuis ista promissio propter incertitudinem uideatur nulla, tamen fauore dotis intelligitur in boni uiri arbitrium collata. l. si cum ea. C. promiss. dot. Sunt & alia dotis priuilegia multa, sed de his in suo capite infrà. Potest autem pactio dotis fieri purè, uel sub conditione expressa, uel tacita. l. stipu. cum seq. & l. dotis promiss. ff. de iur. dot. Item fit pactio dotis in diem, uel in certum tempus. l. tali facta stipul. ff. de iu. dot. non autem fieri potest in incertum tempus, ut si mulier promittat se daturam dotem, cùm moriatur. Nam ista conditione, dos confertur in tempus, quo matrimonium non est futurum, ac proinde nec dos. Si tamen simpliciter promissa sit dos, possunt cõiuges inter se pacisci, ne altero uiuente petat. In suam quoq; mortem pro filia pater dotem promittere potest. l. Iulian. scribit, & l. si pater muli. ff. de iur. dot.

Traditione, si res dotalis marito, uel alij tradit, ita tamen, ut maritus post ea id ratum habeat, alioquin mulier periculum præstaret. l. quemad. §. tradit. ff. de iure dot. Acceptilatione, si maritus cùm debeat mulieri, uel illis, per quos constituitur dos, acceptam ferat illis dotem, ut simul liberetur solutione debiti, & se obliget ad reddendam dotem mulieri. Aut si mulier, uel alij, qui daturi sunt dotem, acceptum ferunt marito debitum, ut ipse profiteatur sibi solutam dotem. Vt autem facta fuerit acceptilatio causa dotis, semper subesse intelligitur conditio, si sequantur nuptiæ. l. promit. §. acceptila. de iure doti. Nam si non sequantur nuptiæ, non præiudicat acceptilatio cuiusquam obligationi. Natura enim acceptilationis est, ut extinguat obligationem iam existentem, non futuram. l. sicut accepti. ff. de solut. Cùm igitur nuptiæ non sequuntur, in quam conditionem acceptilatio facta est, mulier ex ea nõ acquirit ius petendi dotem à marito, nisi fortè quid sit, quod causa dotis acceptum tulit, ita dedit, ut istud donatũ penitus mulieri uelit. Nam ubi tale quid apparet, creditur à muliere id breui manu acceptũ, & corporaliter illi traditũ, ut marito daret. Itaq; in istum casum potest oriri actio, ut mulier repetat dotem. Remissione constituitur dos eodem modo, quo acceptilatione, nisi quòd solennitas acceptilationis non interuenit, sed simpliciter debitum causa dotis constituendæ remittitur. l. si pater. & l. quòd si nuptura. & l. si sponsal. §. si muli. ff. de iu. do. Delegatione, si mulier suo loco aliquem debitorem dotis constituat. Est enim delegare alium debitorem sua uice dare, sed uidendum est in hoc casu, an delegatus ex liberali uoluntate, an uerò ex necessitate aliqua se obliget pro dote danda. Nãli ex liberali uolũtate passus est se delegari, & non adiecta est summa, quã nomine dotis promisit maritus, non potest plus ab eo exigere q̃ cõmodè facere possit. Nã nec mulier amplius ab eo extorquere posset, propter priuilegiũ mera liberalitate aliquid promittentiũ. Si uerò summa in dotẽ soluenda est adiecta, tum cõtractis nuptijs, potest conueniri ad soluendam eam. Et maritus suo periculo cessat, perinde ac si ex necessitate quid promissum illi esset. l. si extra. ff. de iur. doti. *Traditione.* *Acceptilatione.* *Remissione.* *Delegatione.*

Quocunq; autem modo dos constituatur, possunt res dari æstimatę, aut inæstimatę, ut soluto matrimonio aut rẽ, aut preciũ eius, quo æstimata est, reddat maritus,

maritus,& quia euenire potest,ut in æstimatione inuicem circumscribantur coniuges,datur circumscripto repetendi actio, quanto minoris res æstimata, 38
aut quanti pluris,quàm æstimata est,fuerit.l.si res. §.i.ff.de iur.dot.& l.si circum.C.solu.matri. Solet autem talis æstimatio rerum dotalium literis mandari propter memoriam, sicut testatur Spe. de sponsal.& matri. §.ij.in prin. 39
Fideiussores autem exigi à marito causa dotis non possunt,nec si facta talis alia qua satisdatio sit,ipso iure ualet. Odiosum nãq; uidet legibus si mulier exigat 40
fideiussores à marito,cui seipsam crediderit.C.ne fideiuss.uel man.dot.dent, 1
& ibi gl.Si uerò dos legetur,nõ opus est ullis instrumentis,quibus testata fiat eius promissio,cũm testamenti scriptio id præstet.ff.de dote legata. Vt autem dos constituatur,non potest in alium usum destinari,quàm ut utatur maritus ad sustinenda matrimonij onera.l.dotis fruct.ff.de iure dòti. Vnde quãuis dominium dotis apud mulierem maneat, tamen quamdiu constat matrimonium,marítus omnem fructum & commodum ab ea percipit.l.pro oneribus.C.de iure doti. Itaq; nec illi licet res dotales alienare,præsertim si sine æstimatione illi traditæ sunt. Nam dote æstimata, non tenetur ad res reddendas,sed ad earum precium. Itaq; nisi uergat ad inopiã maritus, mulier non potest prohibere,ut res æstimatas non alienet. Nam ideo quoque ad eum spectat incommodum & periculum rei æstimatæ,quia isto casu dos planè transit in contractum uenditionis, marítus enim fit debitor summæ,uel precij æstimatæ dotis.l.cum do.C.de iure dot. Et qui promisit dotem, tenetur ad euicti 41
onem rerum dotalium. Si uerò res dotalis,priusquam marito traderetur,ab alio euincatur,potest maritus extemplo mulierem, uel eum qui pro ea dotem dare promisit,conuenire l.i.C.de iure dot.& l.quoti.ff.eodem. 42

Testamento legato.

Dos æstimata.

Si uerò dos sine æstimatione promissa est,& non datur, poterit maritus cõtra promittentem ex pacto agere.l.ubi §.ul.ff. de uerb.obli. Quòd si res dotalis deterior fiat,periculum ad mulierem pertinet,si res nõ sit æstimata.l.plerun.ff.de iu.dot. Cogitur tamen maritus in rebus dotalibus tam dolum ẽq; culpam præstare,quia sua causa dotem accepit. Itaq; ab eo requiritur diligentia in custodiendis & conseruandis rebus dotalibus, quã in suis rebus exhibet.l. 44
in rebus.ff.de iure dot. Ex his iam manifestum arbitror,quòd maritus non directum,sed utile dominium in rebus dotalibus consequatur, ac solet illud ipsum dominium uarijs pactis extendi aut contrahi. Sed de illis infrà de pactis, hic satis est tenere, quo iure res dotales à marito teneantur, & ob quas causas illi usus earum eripi possit.

Videtur autem solum diuortium esse legitima causa,propter quam mulier 45
dotem à uiro repetat. Nam quamdiu constat matrimonium,dos oneribus ma 46
trimonij meritò seruit,cũm ea ex causa data sit. Proinde quoq; bona mariti ta 47
citè sunt hypothecata uxori durante matrimonio, nec si restituat illi dotem, consistente matrimonio,liberatur maritus,nisi fortè ideò reddita sit mulieri, ut æs alienum solueret,aut idonea prædia emeret,aut ut fratribus,aut parentibus consuleret,uel eos ex hostibus redimeret.l. ẽjus. ff.sol. matri.aut si apparet uiri facultates ita esse diminutas,ut uix ad restitutionem dotis sufficiant. Nam & hæc causa est,propter quam maritus ius tenendæ dotis amittit. leg.si constante.ff. solut.matrimon. Verùm etiamsi mulier emat prædia pro reddita dote,tamen cogitur usumfructum ad sustinenda matrimonij onera in illis concedere marito. leg. ubi. C. de iure doti. Si uerò soluatur matrimonium,redit ad mulierem dos,omni iure mariti in eo extincto, nisi aliud pactum 48
fuerit: sed in isto casu tamen aduertendum est, quòd liceat mulieri repetere dotem, si uiri culpa matrimonium solutum sit: secus si mulieris noxa id factum sit. Nam sunt quædam crimina, quæ si committantur à muliere, ius repetendæ dotis amittit in uniuersum, iuxta totum titulum Digestorum & C. solut. matrimoni. quemadmodum dos pet. Potest autem dos 49

etiam

49 etiam repeti constante matrimonio, si maritus deportetur, aut relegetur, aut tali aliquo crimine damnetur, propter quod bona eius fisco subijciantur. Nã tum si fiscus conetur res inuadere marito in dotem datas, potest mulier eas sibi uendicare. l. i. C. de repudijs.

Cæterũm quod de dote diximus, idem de donatione propter nuptias accí-
50 piendum est. Nam ea, quãm diu dos restituta penitus non fuerit, hypothecæ loco est, & sicut dos peti potest, scilicet soluto matrimonio, nec minus licet res per eam obligatas alienare, quãm quę in dotem datę sunt. l. ubi. §. fi. C. de iu. dot. Præter dotem autem si quid mulier in ædes mariti detulerit, id eatenus fit mariti, quatenus illi dedit uxor. Nam si non constat de uoluntate mu lieris, non transeunt sic res ad eum translatæ, in dominium mariti, etiamsi illi
51 traditæ fortẽ sint. Plerunq; enim traduntur, ut maritus eas custodiat, itaque reddit eas tanquam depositum, cũm mulier eas exigit. Vocantur autem res sic datæ Græco & usitato uocabulo nunc in scholis παραφερνα, quasi propter dotem datæ. l. si ego Seiæ. ff. de iur. dot.

SEQVVNTVR TITVLI PECVLIARITER de donationum nuptialium speciebus.

ff.

De iure dotium. De dote legata.

Cod.

De sponsalibus & arris sponsalitijs, & proxeneticis.
De donationibus ante nuptias, uel propter nuptias, & sponsalitijs.
De dotis promissione, & nuda pollicitatione.
Si rector prouinciæ uel ad eum pertinentes sponsalitias dederint arras.
De iure dotium.
Ne fideiussores uel mandatores dotium dentur.

Auth.

De æqualitate dotis & propter nuptias donationis.
Vt immobilia ante nuptialis donationis neq; hypothecæ dentur, neq; omnino alienentur ã uiro neq; consentiente uxore, nisi postea satisfieri possit uxori. Hæc uerõ etiam in dote ualere.
Vt sponsalitia largitas specialis sit contractus, & diuersis capitulis.

Decretal.

De dote post diuortium restituenda.

DE DONATIONE INTER VIrum & uxorem. Cap. L.

SVMMARIVM.

1. Donatio inter coniuges cur prohibita sit.
2. Priuignus non potest donare nouercæ.
3. Donatio inter personas, quæ iuri coniugum, aut earum potestati subiectæ sunt, non ualet.
4. Donatio inter coniuges illicitos utrum ualeat.
5. Delinquentes non sint melioris conditionis, quàm rectè facientes.
6. Donatio inter coniuges putatiuos facta non ualet.
7. Donatio concubinæ facta non improbatur.
8. Militum continentiam quantam imperator exigat.
9. Quibus casibus donatio inter coniuges permittatur.
10. Coniuges maximo affectu coniuncti sunt.
11. Donatio remuneratoria concessa est coniugibus.
12. Senes mariti possunt donare uxoribus puellis.
13. Donationem mortis causa reuocare licet.
14. Donatio causa mortis coniugibus præcipuè licita est.
15. Vter præmoriatur, dubium est, & conuentio conditionalis.
16. Reciproca donatio inter coniuges.

17. Donatio

17. Donatio inter uirum & uxorem quando reuocetur.
18. Seruitus morti æquiparatur.
19. Donatio reuocatur pœnitentia donatoris.
20. Voluntas ambulatoria ad supremum uitæ exitum intelligitur.
21. Pœnitentia donatoris manifestè constare debet.
22. Venditiones simulatæ mariti.
23. Genitor & genitus una eademq; persona censentur.
24. Donationes inter parentes & liberos licitæ quæ sint.
25. Ratihabitio donationum.
26. Res donata tradita, censetur morte donatarij confirmata.
27. Donationes ut reuocantur expresse uel tacitè, ita & confirmantur.

PROXIMO capite retulimus donationes, quæ ualent propter nuptias, nunc quæ non ualent, quia matrimonium inter donantem & donatarium cõsistit. Prohibent autem donationes inter 1
cõiuges hãc maximẽ ob causam, quia si liceret coniugibus inuicem donare, quod uellent, matrimonia fierent uenalia, & sæpe eueniret, ut distraherentur, si non daret is, qui posset. l. i. ij. & iij. ff. eo. Neq; 2
uerò inter coniuges solũ prohibita est donatio, sed & inter eos, qui aliquo uinculo potestatis ipsis coniuncti sunt, Vt priuignus non potest donare nouercæ, quia maritus id facere uidetur, cũm is sit in patria eius potestate. Nec uicissim nouerca priuigno, quia patri quæritur, quod illi donatur. l. iij. §. qui in eius. ff. eo.

Regula itaq; generalis est, quòd non ualeat donatio inter personas, quæ iuri coniugum, aut earum potestati subiectæ sunt. l. nec sint. C. eo. nisi istæ per- 3
sonæ dent aliquid de castrensi peculio suo. Nam de eo tanquam de suo quisque etiam si sit in aliena potestate donare potest. l. utiq;. ff. ad Maced. Atq; talium quidem personarum donatio prohibita est dum constat matrimonium. Sed quæri potest, an etiam improbetur donatio, si ipso iure non ualeat matri- 4
monium, ut si nubat mulier ei, cui non liceat per leges. Nam cũm non probetur matrimonium, dubitari potest, an donatio quæ propter matrimonium nõ admittitur, ualeat, si leges consistere contractum matrimonium prohibeant. Nec uidetur quidem talem donationem, propter matrimonium non consistens, quisquam improbare posse, sed ne melioris sint conditionis, qui delin- 5
quunt, quàm illi qui rectè faciunt, leges uolunt nec inter illas personas ualere donationes. l. si ex uolunt. C. eo. Neq; igitur uel inter cõiuges putatiuos fa- 6
cta donatio ualet. Si tamen quis concubinæ aliquid det, non improbatur do- 7
natio. l. affecti. ff. de donat. nisi fortè miles id faciat. Vult enim Imp. tantam 8
esse militum continentiam, ut nec in concubinas uelit eos esse indulgentes. l. si ancill. C. eo.

Inter has autem omnes personas præcipuè non ualet donatio, si ex ea donatoris facultates attenuentur, donatarius uerò locupletior fiat ex ea. lege quòd autem. ff. eo. Vbi uerò id fieri non animaduertitur, leges permittunt aliquo 9
modo donationes fieri inter illas. ut, si maritus institutus, repudiet hæreditatem, ut uxor substituta consequatur eam: aut si rogatus sit restituere hæreditatem, uel legatum, nec retineat quartam, non improbatur donatio. l. si spon. §. si marit. & §. si quis. ff. eo. Valet quoq; donatio, si res aliena donata sit uxori à uiro. l. & si constan. ff. eod. aut si quid det, ut in pios usus conferatur. l. si spon. §. conces. ff. eod. Item si quid necessarij usus causa, & omnino quicquid dederit, ut apud coniugem non maneat rei donatæ dominium. leg. quod autem. ff. eod. Vt si quid det ad refectionem ædium combustarum. leg. quòd si uir. ff. eo. Aut si annuos aut menstruos reditus illi pro uirib. dotis ad eius usum permittat. l. ex an. ff. eo. & l. sicut. C. eo. Aut si usum ædium, uel uestium concedat.

concedat.l.si uir.ff. eo. Aut si uectigal, aut tale aliquid pro uxore soluerit.l. si quis pro uxor.ff.eo. Aut si seruos illi dederit utendos. Neque enim seuerè tanquam inter infestos prohibetur donatio inter coniuges, sed ne se inui-
10 cem defraudent, & ad inopiam redigantur, cùm maximo affectu coniuncti sint.l. si id quod. §. si quis.ff. eo. Itaque nec prohibetur uxor, ut uiro honoris consequẽdi causa aliquid donet.l. quod adipiscendę.C.eo. Bart.cir.l.si ex uo lunt.C.de. do.promiss.cõtendit inter coniu.licit.esse donat. quę obsequiorũ præstitorum causa fiant. Quamuis enim simplex donatio prohibita sit inter
11 coniuges, tamen remuneratoria concessa est illis. Sicut nec in genere impro batur, quæ fit ad compensationem accepti beneficij, aut exhibitæ beneuolen tię, l. Aquilius.ff. de. donat. Vnde & Bald. cir.l.ij. §. fin. §. si certum petatur,
12 sentit ualere donationem, quam senex in uxorem puellam, muneris causa fa ciat, quia beneficij locò sit, si senilis ætatis molestias benignè patiatur ac de-uoret. Atque hæ quidem omnes donationes ideo ualent inter coniuges, quia non ex mera liberalitate proficiscuntur, cùm in eis honestæ cuiusdam pro-missionis causa uertatur, ita ut nec per eam aliquis coniugum defraudetur, etiamsi aliquid de suo alteri concedat.

Porrò sunt casus, in quibus ualeat donatio inter coniuges, & si donatarius re ipsa fiat locupletior cum detrimento donatoris, uidelicet, si donatio confe ratur in tempus solutij matrimonij, siue tum enim matrimonium soluatur mor te naturali, siue bona cum gratia propter religionem, ualet donatio. Primùm quia in dubium euentum collata est, deinde quia tempore, quo fieri poterit, nimirum matrimonio non consistente, facta fuisse uidetur. l. si eum. §. ult. & l. uitricus.ff. eò. Manet enim interim dominium rei promissæ apud dona
13 torem, donec conditio soluti matrimonij extiterit.l. sed int.ff.eo. Itaque licet eam quoq; reuocare, sicut aliam quamuis mortis causa factam donationem. Nam si ita promissa sit, ut nullo casu liceat eam reuocare, perinde habetur, ac si inter uiuos ex mera liberalitate citra conditionem mortis fuisset facta, ideò que nec inter uirum & uxorem ualet. l. ubi ita.ff. de donat. causa mortis.

14 Est autem inter uxorem & uirum pręcipuè licita donatio causa mortis, qua inuicem ita alter alteri sua bona cedit, ut qui inter coniuges superstes sit, altero mortuo, ea capiat. Nam cùm aliàs cõmuniter omnibus permissum sit, ut in euentum suæ mortis, bona sua uel partem eorũ aliis donet, l.1. C. ut actio ab hęre. & contra hęre. incip. §. Post mortem, Non uidetur id negandum coniu gibus: potest enim & inter eos conuentio esse conditionalis, qualem obliga-
15 tionem suspendat. Etenim & inter illos dubium est, uter præmoriatur. l. lega ta. ff. de conditionibus & demonstrationibus. Itaque nec propriè donatio di ci potest talis conuentio in mortem utrinque facta inter coniuges, cùm in ea mutui commodi consideratio uertatur. Ac proinde in alterius fraudem fa-
cta uideri non potest. Addit autem Salicetus in Reg. 104. quòd ista uera *In continenti* sint, quando in continenti, unus ex coniugibus sequitur alterius donationẽ, secus si ex interuallo fiat. iux. l. quę iam nuptæ. ff. de donat. inter uir. & uxor.
16 Ac uidetur eius opinionem iuuare appellatio huius donationis, dicitur enim reciproca, quia continuato per uices motu fiat. *Donatio reciproca.*

Cæterùm quæ præterea ueniunt in harum donationum constitutione ob-seruanda, partim ex generali omnium donationum forma, quoniam suprà in dicauimus, partim ex proximo sequenti capite, de donatione causa mortis, petenda erunt. Nam eadem ferè ubique obseruantur in illis constituendis. Idem dici potest de reuocatione huius donationis. Sed hæc specialia sunt in
17 reuocanda donatione inter coniuges. Primò quòd ea reuocatur, aut tacitè, aut expresse. Tacitè, cùm matrimonium facto diuortio soluitur, nisi fortè a-liud inter se pacti sint, uel paciscantur. Præsumitur enim donatorem ductũ pœnitentia donationis, quoties interuenit diuortium, nisi aliud de uoluntа-

Friuiusculũ. te eius constet. Si uerò friuiusculum tantùm interceſſerit, nec coniugalis amor penitus extinctus sit, ualet donatio quiescente friuiusculo, ita ut nõ quę rant palàm diuortium fieri. l. cum hic status. §. si diuortium. ff. eo. Item si prius decedat is, cui donatum est, quàm is, qui donauit. eadem l. §. diuortium. Nam donatio propter amorem coniugalem ferè semper intelligitur recíprocè facta, ita ut altero decedente ad superstitem ueniat res donata. Et quia seruitus 18
morti æquiparatur, perimitur quoq; donatio, cùm donatarius in seruitutem redigitur. eadem l. §. si donator.

Sicut autem aliàs donatio causa mortis facta confirmatur morte donatoris, ita & inter coniuges fit, Itaq; siue ciuiliter siue naturaliter moriatur cõiunxdonator, non potest reuocari donatio: si tamen maritus uxori donauerit, & mortem sibi ob sceleris conscientiam conscíuerit, uel etiam post mortem memoria eius damnata sit, reuocatur donatio, quamuis ea, quę alijs donarit, ualeant, si non mortis causa donauerit. eadem l. §. si maritus. Si uerò ambo coniuges simul pereant aliquo casu, ualet donatio, & transit ad hæredes, quia in extinctione huius donationis tantùm spectatur, uter coniugum prior decesserit, eadem l. §. si ambo.

Expresse uerò reuocatur per extremam pœnitentiam donatoris. Neq; e- 19
nim sufficit aliquando eum pœnituisse, nisi cõstet illum in ea pœnitentia perseueraſſe. Nam cuiuslibet uoluntas intelligitur ambulatoria, usq; ad supre 20
mum uitæ exitum. Proinde quoq; si non manifestè constat de pœnitentia, in 21
dubio pronunciare lex iubet, quod ualeat. eadem l. §. ait. & §. pœnitent. Iudicatur & inter coniuges palàm reuocata donatio, si res donata in pignus, aut hypothecam à marito data sit, uel quoquo modo eam alienet. Nam specialis obligatio rei donatæ regulariter perimit donationẽ inter coniuges factam. l. si mari. C. eo. Si tamen ab initio rem donatã, maritus hoc animo obliget, quòd nihilominus uelit firmam manere donationem uxori factam, dicendum est, ualere donationem, ac mulierem posse exceptione doli consequi rem donatam ab illis, quib. obligata est. l. cum hic status. §. si maritus ea. ff. eo.

Quicquid autem hactenus dictum est de hac donatione, idem accipiendũ 22
est de uenditionib. nominatim à marito simulatis, ut eo prætextu aliquid in uxorẽ transferret. Nam & id, quod de precio rei remissum est uxori in uenditione, reuocari potest, si appareat aliàs uenditurũ fuisse. Vbi uerò id non apparet, tum tota uenditio redditur inutilis, & reijcitur sicut donatio simplex inter coniuges. l. si sponsus. §. circa. ff. eo. Indicat & tit. Cod. de dona. inter uir. & uxor. quòd Impe. uoluerit par, uel ut minimum, cognatũ esse Ius huius donationis cum ea, quę fit à parentib. in liberos. Nam ambas eadem Epigraphe tituli cõiunxit. Videtur enim & inter illos prohibita donatio, quia genitor & 23
genitus, una eademq; censentur esse persona l. ult. C. de impub. & alijs substitu. Itaq; sibi ipsi daret genitor, si genito aliquid donaret, qualis donatio nulla est. Sed suprà dictum est, non procul à principio de donationib. quòd sint quidã 24
casus, in quibus licita sit inter parentes & liberos donatio, & qui præter illos, quos ibi annotauimus, sint casus, quibus ualeat parentum in liberos donatio, indicat glos. cir. l. filius familias. ff. de donat. In eadem Epigraphe Imperator 25
facit mentionem ratihabitionis, quia sæpe accidit, ut donationes inter uirũ & uxorem, item inter parentes & liberos inutiliter factæ confirmentur, si donatores moriantur, non reuocatis donationib. Nam ubi id factum non est, præsumitur eas uoluisse ratas haberi.

Inutiliter autẽ inter has personas fiunt donationes, aut quia inter eas consistit matrimonium, aut quia personę, inter quas fit donatio, aliquo potestatis 1
uinculo sibi obligatę sunt inuicem, aut quia donatio legitimam summam excedit. Et regulariter quidem in his obseruatur, ut si nuda promissione facta sit 26
donatio inter istas personas, nec res donata tradita sit, ea nõ confirmetur mor

te dona

te donatarij. Si uerò res donata tradita est uera uel ficta traditione, censetur morte donatarij confirmata, etiamsi donator expressis uerbis eam non ratificauerit: & hoc de donationibus quæ propter pietatem & matrimonium inutiles sunt. Quòd si inutilis est donatio, quia excedit legitimam summam, non confirmatur morte donatoris, nisi palàm testetur eam se ratam habere. l. antepenult. C. eo. & l. Papinianus. & ibi Bart. ff. eo. Obseruandum itaq; est, quòd sicut donationes reuocantur expresse uel tacitè, ita & confirmantur.

72 Subijcio Titulos hanc formam donationis peculiariter explicantes.

ff.

De donationibus inter uirum & uxorem.

Cod.

De donationibus inter uirum & uxorem & à parentibus in liberos factis, & de ratihabitione.

In Decretal.

De donationibus inter uirum & uxorem.

DE DONATIONIBVS CAVSA Mortis. Caput LI.

SVMMARIVM.

1. Donare mortis causa quis dicatur.
2. Donare causa mortis, & capere causa mortis in quo differant.
3. Donatio mortis causa, metu mortis, seu cogitatione mortalitatis fit.
4. Donatio inter uiuos quando facta præsumatur.
5. Qui donare mortis causa possint. 6. Filius famil. donare mortis causa potest.
7. Tempus in contractib. inspici. 8. Res donandæ quales sint.
9. Donatio causa mortis non requirit monumenta literarum.
10. Donatio causa mortis quid commune habeat cum donatione inter uiuos.
11. Quibus casibus reuocetur mortis causa donatio.
12. Perfecta censetur morte secuta.
13. Pariter decedentium hæredes nihil repetunt.
14. Donatio causa mortis exæquatur legatis.

1 VI id quod donat, se magis habere uelit, quàm eum, cui donat, magisq; donatarium, quàm hęredem suum, mortis causa donasse dicitur. Neq; uerò hęc donatio tantùm confertur in euentũ mortis eius, qui donat, uerumetiã alterius, ueluti si quis filio, uel fratre moriente donet Meuio, ut si conualuerit alteruter eorum, reddatur sibi res: si decesserit, maneat apud Meuium. l. mortis causa. ff. eo. Proinde Iureconsulti ut diuersis appellationib. ea, quæ quis in euentum suæ mortis donasset, ab illis, quæ propter alterius mortem promisisset, discernerent, hæc capi, illa donari mortis causa dixerunt. Atq; ita duæ sunt factæ huius donationis species, Donatio mortis causa, cùm quis suæ mortis causa aliquid alteri promisit uel dedit. Capio mortis causa, cùm alterius mortis causa aliquid alicui conceditur. Itaq; & huius formæ titulus in ff. ambas has species complectitur, & Gloss. cir. l. qui precio. ff. eo. accuratè differentias earum annotat. Vtraq; autem fit, cùm quis de sua uel alterius morte sollicitus est. Neque enim in præsens solùm, uerumetiam futurum periculum mortis fit, ut si quis proficiscatur in bellum. Mortis tamen causam, uel periculum exprimi 3 in ea necesse est. Non enim quia moriens, sed quia metu mortis quis donauit, hæc donatio mortis causa facta esse dicitur, l. Seia. ff. eo. Non tamen superstitiose requirenda sunt in hac donatione uerba, quibus exprimatur, eam mortis causa factam, quia sufficit, si ex circumstantijs colligi possit, quòd cogitatione mortalitatis facta sit. argumento l. Seia. ff. de do. præleg. Si uerò nihil tale in ea apparet, ex quo consilium mortis eluceat, præsumitur inter uiuos esse facta, l. Seia. in fin. ff. eo. Possunt autem omnes illi causa mortis donare, qui 4

bus testamentum condere permittitur, de quib. in tit. Cod. qui testamentum facere possunt, & nos infr. de successione ab intestato, qui illi sint, indicabimus. Sed filius fa. eorum numero exemptus est, & donandi causa mortis 6
facultas concessa, nisi pater id fieri prohibeat. l. tam is. ff. eo. Item potest omnibus causa mortis donari, quibus legari. l. omnibus. ff. eo. Sed ut capaces habeantur, nō consideratur, quales fuerint tempore donationis (sicut in alijs cō tractib. tempus, quo factus est contractus, regulariter inspicitur) uerūm quales fuerint sub id tempus, cùm moreretur donator. l. in mortis causa. ff. eo. 7

Nihil uerò impedit, res sint aut mobiles, aut immobiles: corporales, aut 8
incorporales, quæ mortis causa donantur, modò tales sint; quæ in communi hominum commercio esse possint. Nam & chirographa debitorum tradi, & cæteræ obligationes remittti animo donandi possunt. l. mortis causa. §. Titia. ff. eo. At fit ea quidem uel sola traditione, aut per stipulationem, aut per pollicitationem quinque testibus adhibitis. Necp enim requiritur, ut insinuetur hæc donatio publicis monumentis literarum. l. fi. C. eo. Et fieri potest 9
eius promissio purè, uel sub conditione, sicut suprà de donat. in genere dixi mus. Potest quocp ea, sicut dotis promissio, per delegationem & acceptilationem fieri, & in alias soluendi formas transfundi, sicut cernere est in casu l. quod debitori. ff. eo. Hoc autem huic peculiare est, quod necesse sit eā fieri in expectationem mortis cuiuscunp. Vbi enim ita donatur causa mortis, ut mors non expectetur, nec ullo casu reuocetur donatio, perinde haberi ea debet, atp alia quæuis inter uiuos facta donatio. l. ubi ita. ff. eo. Sed habet hoc 10
cōmune cum simplici donatione inter uiuos, quòd aut solam liberalitatē, aut causam meriti spectet. Præstat autem hoc iuris, ut quoquo modo sit facta, si ante mortem donatoris non reuocetur res donata, uendicari possit, si nōdum tradita sit: Si uerò tradita est secuta morte donatoris, licet eam retinere. l. Senatus. §. 1. & l. si mortis causa res. ff. eodem.

Chirographa debitorum.

Incidunt autem & in hanc donationem uariæ quæstiones facti, ut quæratur, quibus uerbis, & quo consilio facta sit. l. si aliena. ff. eod. Item an fraudulenta, an immodica, uel inofficiosa sit. Nam & hæc si talis fuerit reperta, euertitur, iuxta ea, quę suprà in generali donationum explicatione annotauimus. Quòd autem possit quocp sicut donationes alię reuocari, id indę liquet, quòd 11
ea nunquam censetur perfecta antequam mors insequatur. l. non uidetur. ff. 12
eo. Itacp hęc donatio magis quām ulla alia, mortē donatoris cōfirmatur, sed reuocatur, si donatarius prius, quàm donator decedat. l. filio fa. ff. eod. Itē si donatorem pœniteat donationis, aut si periculum mortis, quod illi imminebat, euadat: aut si deficiat conditio, in quam facta sit, aut si causa, propter quam promissa est, non præstetur. l. non omnis. ff. si cert. pet. & ibi Doct. & l. Senatus. §. nec dubitauerunt. ff. eod. Et peculiariter in hac donatione obseruatur, ut si hi, qui inuicem mortis causa sibi donauerūt, pariter decesserint, neu 13
trius hæres aliquid ex ea repetere possit. l. si hi. ff. eod.

Cęterūm poterat huic donationi adiungi tractatio legatorum, & fideicommissorum. Nam & illis singulas res acquirimus, iuxta tit. Instit. de sing. reb. per fideicommiss. relict. Et iure nouissimo donatio causa mortis ferè penitus 14
exęquata est legatis, adeo ut hęc donatio non minus uideatur testamentaria, quàm sunt legata. Nam in hac donatione substitutio locum habet. l. ei cui mortis causa. ff. eod. Quare tum cognatio horum modorum, tum ipsa etiam compendij ratio requirere uidetur, ut cōiungantur legata, fideicommissa, & donatio mortis causa. Quippe ut modi, quib. singulę res ab illis, quib. per uniuersitatem res acquiruntur, separantur. Sed quia planior erit legatorum, & fideicōmissorum tractatio, ubi condendi testamenti rationē explicauerimus, placet earum tractationem in eum usque locum differre. Ideo autem hic eorum feci mentionem, ut reuocarem discentibus in memoriam ea, quæ suprā de diuer-

de diuersitate modorum Iuris Ciuilis in acquirendis rebus diximus. Sequuntur tituli peculiariter huc pertinentes.

ff. Cod. Decretal.

De donationibus causa mortis.

DE SVCCESSIONE ex Testamento. Cap. LXII.

SVMMARIVM.

1. Aliarum successionũ nulla admittitur, nisi constet nõ esse conditũ testamentũ.
2. Testamentum quid sit. 3. Institutio hæredis est præcipua clausula testamenti.
4. Variæ apud ueteres testamentorum differentiæ fuerunt.
5. Testamentum solenne quod dicatur.
6. Qui testamenta facere non possint enumerantur.
7. Cæcus quomodo testari possit. 8. Filius famil. non potest testari.
9. Testamenti factio publici non priuati iuris est.
10. Monachus an possit condere testamentum.
11. Clerici quibus de rebus possint testari.
12. Capti ab hostibus & obsides censentur in aliena potestate esse.
13. Consuetudo Christianorum, ut capti à Christianis non fiant serui.
14. Intestabiles qui habeantur.
15. Quibus personis in testamento relinquere liceat.
16. In matrimonialib. sequimur ius Canon. cum.
17. Serui quomodo instituantur hæredes.
18. Adulterio cum domina accusatus seruus alienus institui non potest.
19. Tabellionibus & testibus potest relinqui.
20. Tria tempora in hæredis institutione consideranda.
21. Testator perspicuis uerbis exprimat institutum hæredem.
22. Voluntas testandi debet esse libera.
23. Pacta improbantur quæ testandi libertatem auferunt.
24. Hæredis institutio est proprium testamenti.
25. Instituti uniuersaliter qui dicantur.
26. Assem faciunt tot unciæ, quot testator uoluerit.
27. De iure accrescendi.
28. Quot testes in quolibet testamento requirantur.
29. Forma & modus conficiendi testamenti in scriptis.
30. De testamento nuncupatiuo.
31. Inter parentes & liberos testamentorum solennitas ualde non requiritur.
32. In relictis ad pias causas duos testes sufficere.
33. Qui testes adhiberi testamentis possint.
34. Quibus uerbis institutio hæredis fiat.
35. Substituere quid sit. 36. Substitutionum species recenset.
37. Qui possint substituere & substitui.
38. Causas quatuordecim enumerat, ob quas liberi à parentib. exhęredari possunt.
39. Causæ sex recensentur ob quas parentes à liberis exhæredantur.
40. Odia restringenda esse. 41. Testatorem cogit necessitudo, scribere hæredem personam quæ est inter parentes & liberos.
42. Frater in testamento fratris licitè potest præteriri.
43. Adire hæreditatem nemo cogitur præter seruum.
44. Filius familias ipso iure hæres est.
45. Differentia inter emancipatum, & eum qui est in potestate.
46. Adoptiui inter liberos numerantur.
47. Naturalis necessitas obligat parentes & liberos.
48. Liberti patronos hæredes faciant in tertia bonorum parte.
49. Frater germanus præteritus impugnat testamentum.
50. De exhæredatione liberorum & parentum.

SEQVVNTVR modi, quibus res non ſigillatim, ſed per uniuerſitatem acquiruntur iuxta diuiſionem modorum acquirendi res, ſuprà in capite (quibus modis res acquir. iure ciuil.) poſitam. De ſucceſsione autem ex teſtamento duas ob cauſas prius, quàm de reliquis modis, dicemus. Primùm, quia pleræque donationes in teſtamento fiunt, itaq; ut donationum faciendarum forma explicetur, & abſoluatur, de teſtamentis proximè poſt illas tanquam de obſeruatione, quę ad illas requiratur, dicendum uidetur. Deinde, quia nulla aliarum ſucceſſionum admittitur, niſi conſtet, non eſſe conditum teſtamentum, ex quo hęc ſucceſſio detur. Quia uerò hęc ſucceſſio ex teſtamento exiſtit, quid ſit teſtamentum, quot ſint eius ſpecies, quibuſq; obſeruationibus quęq; earum fiat, indicabimus. Eſt igitur teſtamentum, uolũtatis noſtrę iuſta ſententia, de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri uelit, cum inſtitutione hæredis. l. 1. ff. de teſtamentis. & ibi glo. Eſt autem in hac definitione teſtamenti præcipuè obſeruanda clauſula, qua dicitur teſtamentum fieri cum inſtitutione hæredis. Nam hac differentia excluduntur omnes aliæ ultimæ uoluntates, ut ſunt Codicilli, legatum, fideicommiſſum, donatio cauſa mortis facta, quę itidem atq; teſtamentum dici poſſunt, iuſta uoluntatis noſtræ ſententia, de eo quod poſt mortẽ noſtram fieri uelimus, ſed in illis hæres inſtitui non poteſt, iuxta l. non Codicillum. C. de teſta. & annotata glo. cir. l. 1. ff. eo.

Teſtamenti definitio.

Porrò uariq; fuerunt apud ueteres teſtamentorum differentiæ, propterea, quòd alia calatis Comitijs, id eſt, coram populo per cornicinem conuocato edebantur, alia in procinctu militũ, id eſt, in ipſo belli apparatu ob dubiam belli aleam fiebant: alia uerò imaginaria quadã uenditione, qua uocatis hęredib. bona teſtatoris præſentib. teſtib. addicebantur. Verũm quia talis condendorum teſtamentorũ conſuetudo iam in uſu eſſe deſijt, duo nobis relíqua ſunt genera teſtamentorum, quorũ alterum quod ſolenniter fit, omnib. legitimis obſeruationib. adhibitis uocabulo generis, ſed ſignificatione ſpecifica dicitur teſtamentũ. Alterum uerò, quod minus ſolenniter fit, uocatur Codicillus.

Teſtamẽtum ſcriptum.

Sed de iſto poſtea, nunc de ſolenni teſtamento, cuius duæ ſunt ſpecies, aut enim teſtamentũ in literas mittitur, & ſcriptũ teſtamentum uocatur: aut uiua uoce teſtatoris profertur, & nuncupatiuum, quaſi nominatim proditum & publicatum dicitur.

Nũcupatiũ.

Neq; uerò cuiuis permiſſum eſt, ut condat teſtamentum, in quacunq; eius ſpecie id facere cõtendat. Quamuis enim humaniſſimè fieri uideatur, ut quiſque ultimam ſuam uoluntatem de rebus ſuis ad poſteros tranſmittat, tamen propter uitioſos hominum affectus, & mentis in quibuſdam inopiam plericq; id facere à ll. prohibentur. Impuberes igitur non poſſunt teſtari, quia carent animi iudicio, multò minus furioſi, quia mente capti. l. furioſus. C. qui teſt. fa. poſ. Item natura mutus uel ſurdus. Nam ſi caſu aliquo factus eſt aut mutus aut ſurdus, & ſua manu ſcribere teſtamentum poteſt, idq; à Principe impetrauerit, tum licet illi condere teſtamentum. l. ſi mutus. ff. de teſta. Quis autem natura mutus dicatur, uide in l. diſcretis. C. qui teſt. fac. poſ. In eadem conditione eſt & cęcus, niſi tabellarium, & ſeptẽ teſtes adhibuerit. l. hac conſultiſſima. C. qui teſt. fac. poſſ. Atq; hæ quidem ſunt perſonæ, quib. iure gentium teſtandi facultas negata uidetur.

Impuberes. Furioſi. Mutus? Surdus. Cęcus.

Iure Ciuili duas maximè ob cauſas quibuſdam perſonis adimitur teſtandi facultas, uidelicet ſi perſona alienæ poteſtati addicta ſuam libertatem amiſerit, aut ſi propter flagitia, uel impuritatem uitæ leges & Magiſtratus Ius teſtandi illis adimant. Filius igitur familias non poteſt teſtari, quia ſub poteſtate patris eſt. l. penult. C. qui teſta. face. poſſ. Atque id quidem adeò non permittitur filio familias, ut nec ſi pater illud ei concedat, teſtamentũ ualeat, propterea quòd teſtamenti factio publici & nõ priuati ſit Iuris. l. iij. ff. de teſta. Quia uerò

uerò regulariter omnibus illis, qui in aliena potestate sunt, negatur condendi
10 testamenti facultas. l. qui in potestate. ff. de testamentis, nec̃ seruis nec̃ monachis id permissum uidetur. Et de seruis quidem nulla est disputatio, Sed de monachis hęc traditur regula in Authent. si qua mulier, C. de sacrosan. eccle. Quod si se suosq; addixerit monasterio, & habeat liberos, permitti illi, ut illis relinquat, ut minimũm, legitimam. Si uerò cupiat illis relinquere quantũ plurimum, tum posse eum æquam & uirilem portionem sibi & monasterio cum liberis retinere. In casum autem, si moriatur antequam condat testamentum, liberos legitimam tantũm petere de bonis paternis à monasterio posse. Quí uerò non habent liberos, illorum bona cedunt monasterio, quia renunciasse illis existimantur, Authen. ingressi. C. de sacrosanct. eccle. Reliquis
11 clericis permissum est condere testamentũ de omnib. illis rebus, quas acquisiuerunt Iure eius personæ, quam sustinent, non ex beneficio Ecclesiæ. Authen. licentiã, & Authen. presbyteros. C. de epis. & cler. An autẽ & episcopi, & omnes illi, qui præsunt ecclesijs, possint de bonis ecclesiæ aliquid in testa-
12 mento legare, uide dd. circa eadem Authen. Censentur autẽ & ab hostibus capti, & in obsides dati in aliena potestate esse, ac proinde nec̃ illis testamenti factio permissa est. l. obsides. & l. eius. ff. de testamentis. Non tamen amittunt libertatem suam, qui a latronibus & illegitimis hostibus capiuntur. l.
13 qui à latronibus. ff. de testa. Et generali consuetudine apud Christianos receptum est, ut capti à Christianis hostibus non fiant serui, iux. dd. circ. l. si quis ingenuam. ff. de captiuis. Ergo nec testamenti factio illis negari potest. Sed qui de statu suo dubitant, & nesciũt, an emancipati, uel sub potestate patris, manumissi, an sub domino sint, eos prohibent leges Romanæ testari. l. qui in domino. & l. de statu. ff. de testa.

Seruí. Monachi. Clerici. Episcopi. Obsides.

14 Propter alteram causam intestabiles habentur maiestatis rei, hęretici, apostatę, proscripti, prodigi, & omnino omnes illi, quibus interdictum est bonis, aut qui in mortẽ naturalẽ aut ciuilem propter flagitia condemnati sunt. l. eius qui. §. 1. & l. is cui. ff. de testa. & §. item prodigus. Instit. quib. non est permiss. fac. testa. Quia uerò Iura ciuilia tantũm his personis negant facultatem testandi, possunt ea Iura morib. & statutis singulorum populorum laxari, non autem quibus naturalia Iura eam facultatem negant. Cæterũm an hanc facultatem Iura Romana permittant, aut negent infamibus, excommunicatis, usurarijs, ascriptitijs, cẽsitis, & his similibus personis, copiosẽ disputat Bartol. cir. l. si quæramus. ff. de testa. Inde licebit cuiuis ea petere, si quid tale à nobis hic fortẽ aliquis requirat.

15 Restat ut dicamus de personis, quibus licet in testamento aliquid relinquere, quoties enim incidit quæstio de facultate condendorum testamentorum, duo sunt in personis consideranda. Primõ, an is, qui testari uelit, habeat Ius testandi. Deinde, an is, qui hæres institutus sit, instituí poterit, uel cui legatum sit aliquid, dignus à legibus habeatur, ut accipiat. Nam odio scelerum plerisque etiam capiendi aliquid ex testamento facultas negatur, ut deportatis, in metallum damnatis. l. 1. C. de hæredib. instit. & l. si in metallum. ff. de his, quæ pro non script. habentur. Item hæreticis, apostatis, collegijs illicitis. l. Manicheus. l. de hæreticis. &. C. hic qui fidem. C. de apostatis. & l. collegium. C. de hæredib. instituen. Item ex damnato coitu natis. Authen. quibus modis natur. effici. sui. §. fin. Olim etiam intra tempus luctus nubentes amittebant facultatem testandi, sed hodie, quia in matrimonialibus sequimur Ius
16 Canonicum, ista pœna liberatur mulier, secundo nubens, c. penult. & fin. ext. de secund. nupt.

Quondam quoque nulli instituí poterant hæredes, nisi essent ciues Romani. Verũm hodie licet etiam seruos instituere, maximè si illorum fuerint
17 serui, qui possunt hæredes instituí. l. non minus. ff. de hæredibus instituend.

Sed etsi seruus eius qui capere non potest, instituatur, & antequam adeat hæreditatem, manumittatur, poterit suo arbitrio eam adire. l. si seruus eius qui. ff. de acquir. hæred. Potest quis & proprium seruum instituere, & sic institutus semper existimatur libertate donatus. §. proprios. & ibi glos. Instit. de hæred. instituen. Siue autem proprius siue alienus sit seruus, non potest 18
institui, si de adulterio cum domina commisso accusatus est. l. his uerbis. §. interdum. ff. de hæred. instit. Præterea leges nec illi, qui in humanis rebus non est, aliquid relinqui in testamento uolunt, ut non antè Iuris ratio quàm persona quæratur. l. quidam referant. ff. de Iure Codicillorum.

Sed tabellionibus & testib. qui à testatore adhibentur ad conficiendum te 19
stamentum, posse relinqui, uulgò creditur & obseruatur argumento §. legatarijs, instit. de testa. ord. Nec obstare uidetur quòd lex secunda C. de his qui sibi adscrib. in testa. adimit potestatem petendi legati tabellionibus, si sibi quid ascripserint. Nam ea lex locum habet in scripto testamento, quod tabellio simul dictet & scribat, secus igitur in nuncupatiuo, quod testatore dictante excipit. Spec. de instrumentorum editione. §. viij. Vers. Item excipitur quòd in negotio. Postremò, & liberis eorum qui maiestatis rei sunt, relinqui in testamento nihil potest. l. quisquis. §. filij. C. ad legem Iul. maiest. Reliquæ conditiones personarum non impediunt testatorem, quò minus illis aliquid ex testamento relinquere possit. Nam & imperator atq; Augusta Iure cõmuni in hac parte Iuris utuntur. l. cum heredes. C. qui testa. face. pos.

Cæterũm possit quis hęres instituí uel non, trib. temporib. spectatur, nem- 20
pe tempus conditi testamenti, medium tempus inter conditum testamentum & mortem testatoris, aut conditionis euentum. Atq; hęc quidem tempora spectantur, cũm extranei sunt instituti, Et ea quę de incapacitate personarũ hactenus diximus, ad extraneos quoq; hæredes pertinent. l. si alienum. §. in extraneis. ff. de hæred. instit. In suis aũt hæredib. tantũm spectatur tempus mortui testatoris. §. sui. Instit. de hęredum qualitatè & diff.

Sed in personarum deputatione & hoc regulare est, quòd necesse sit, ut te 21
stator perspicuis uerbis exprimat & describat personam, quam instituat hæredem, aut cui aliquid relinquat. Nam si de persona non satis constet, frustra quid relictum iudicatur. l. qui plures. ff. de usu & usufructu legato. & §. legari. Instit. de legatis, nisi pietatis fauore ista incertitudo personarum excusetur, aut euentu declaratio personæ relicta sit. Valet enim institutio, si quis pauperes instituat, etsi nulla certa persona expressa sit, iux. l. id quod. C. de epis. & cler. Item si quis relegatus ita in testamento scribat: quicunq; mihi restitutionem ab Imperatore impetrauerit, si antè fortè decessero, quàm ei gratias agerem, illum hæredem meum esse uolo. l. quidam. ff. de reb. dubijs.

In primis quoq; requiritur in testatore, ne quid in testamento faciat alio co 22
gente, nam libera debet esse testandi uoluntas, iux. Bald. cir. l. humanitatis. C. de impub. & alijs substitu. & Bart. cir. l. ij. ff. de testa. Etenim ut ea uoluntas cuiq; maneat integra, leges etiam pacta improbant quib. libertas testandi 23
aufertur. l. stipulatio hoc modo. ff. de uerb. oblig.

De rerum autem qualitate in instituendo hærede, ideo non quæritur, quia hæredes sunt successores Iuris, non rei. §. legatarijs, & ibi glo. Instit. de testa. ord. Nihil enim aliud est hæreditas, quàm successio in uniuersum Ius, quod defunctus habuit. l. nihil. ff. de uerbo. signific. Proinde quia proprium hoc 24
est testamenti, ut in eo instituatur hæres, & à reliquis ultimis uoluntatibus, quamuis in eo quoq; fiant, uel maximè differt, quòd in illis nõ possit instituí hæres. l. non Codicillum. C. de testa: Obseruandum est, Ius defuncti, non res relinqui per institutionem hæredis, atq; ideo in institutione hæredis non quæri de rerum qualitate, sicut in legatis & cæteris ultimis uoluntatibus, quibus res conferuntur. Potest tamen quis hæres instituí in re certa

nuncupata

nuncupata,ut:ex fundo Tuſculano Titius mihi hæres eſto:ſed ita inſtitutus habetur loco legatarij, ſi alius cum eo uniuerſaliter inſtitutus eſt.l. quoties. C.de hæred.inſtitut. Si nullus eſt alius cum eo inſtitutus, ſuccedit intotũ, de tracta mentione fundi,perinde atq; ſi ſine eo inſtitutus eſſet,l. ſi ex fundo,& l. ſi ita quis.ff. de hæred. inſtit. Si uerò plures ſimul inſtituti ſunt, in rebus certis, & nullus alius uniuerſaliter cum illis, æquas accipiunt portiones pro quantitate hæreditatis,niſi fortè duo ſint coniunctim, alter ſeparatim inſtitu
25 tus. Nam coniunctim inſtituti uicẽ unius in diuiſione hæreditatis obtinent. l. ſi alterius.& ſequenti.ff. de hæred. inſtitut. Neque enim ſolũ illi dicuntur uniuerſaliter inſtituti, qui ad totam hæreditatem ſoli uocantur, ſed & illi, quibus certa portio abſq; ſingulari mentione rerum in ea deputatur.

Ac ueteres quidem in aſſignandis portionibus hæreditatum uſi ſunt communibus illis appellationibus partium aſſis, ſicut in alijs multis diuiſionibus
26 rerum .l. ſeruum. §. ult. ff. de hæred. inſtit. Sed ut tota inſtitutio pendeat ab arbitrio teſtatoris, tot unciæ faciunt aſſem,quot teſtator uoluerit. Nam ſiue plures, ſiue pauciores quàm duodecim uncias ſuorum bonorum hæredibus aſſignauerit, cuiq; pro rata, ſua portio proportionaliter inde deducta attribui poteſt.l. interdum. §. ſed & ſi duos.ff. de hæred. inſtit. Atq; hoc quidem fit,cùm apparet teſtatorem uoluiſſe extendi numerum partium aſſis:ubi uerò id non apparet,existimandum eſt teſtatorem uoluiſſe proportionabiliter uni adimi,quod in alterum contulerit.l.cũm quæſtio.C.de legatis. Vt ſi teſtator tres inſtituat,& quemlibet ex aſſe, quilibet trientem habebit. Item ſi Carolus ex dodrante,Lotarius ex ſemiſſe,Ludouicus ex quadrante inſtitutus ſit, & conſtet teſtatorem uoluiſſe,ut hereditas ultra uſitatum numerum partium aſſis non extendatur, ſingulis proportione ſuæ partis deputanda eſt portio, quam duodenaria diuiſio partium aſſis patitur,ſcilicet,ut Carolus ex ſemiſſe, Lotarius ex triente, Ludouicus ex ſextante, hæres ſcriptus intelligatur. Si uerò teſtator aſſe iam per deputationem hæreditatis partium expleto, quempiam ex reliqua parte hæredem eſſe iubeat,is quoniam nihil reliquum eſt, ex nulla parte hæres inſtitutus eſſe cenſetur.l. Item ut Sabinus. §. ſed ſi aſſe .ff. de hæred. inſtit. Secus ſi expleto aſſe aliquem citra clauſulam ex reliquo ſine parte hæredem ſcripſiſſet, nam is in alium aſſem ueniret, eadem l. & §. Sed ſi aſſe non expleto,unus aut plures ſine nuncupatione partis inſtituantur,illi conſequentur id, quod ex aſſe non expleto reliquum eſt.

Aequalis autem diſtributio partiũ hæreditatis, tum demum neceſſariò fit, cũm aut plures nulla deputata parte inſtituti ſunt, aut ex uerbis inſtitutionis appareat, quòd ex æquis partibus hæredes ſibi eſſe omnes eos,quos inſtituit teſtator,uoluit §. ſi plures. Inſtit. de hæredibus inſtit.& ff. eod.l. quoties. §. hæredes. Hæc de quæſtionibus portionum hæreditariarũ in ſumma, infinitum nanque eſſet omnes uelle proſequi, cũm ex quauis obſcuritate diſputari
27 de uoluntate teſtatoris poſſit. Erat & hic locus dicendi de Iure accreſcendi, quo alter ex hęredibus eiuſdem Iuris aut gradus accedit, id quod alter aut negligit,aut petere non poteſt, propter mortẽ naturalem aut ciuilem, ſed quia eius notitia ſimul ad omnes ſucceſſiones pertinet, infrà poſt abſolutam ſucceſſionum tractationem de illo peculiariter agemus.

28 Requiruntur autẽ in Teſtamento condendo tam ſcripto quàm nuncupati
29 uo regulariter ſeptem teſtes. Sed ad ſcriptum Teſtamentum, non ideo tantùm adhibentur,ut præbeant rei geſtæ teſtimonium, ſicut in nuncupatiuo, uerumetiam ut in exhibita charta,in qua deſcripta eſt teſtatoris uoluntas, ſe nominatim omnes ſubſcribãt,& proprio chirographo annotent,cuius Teſtamentum obſignent.l. hac conſul. C. de teſtamen. aut qui face. teſtam. poſſ. & ff. eo.l.penult. Atque eſt quidem in arbitrio teſtatoris, utrum uelit uoluntatem ſuam ſigillatim declarare facto teſtamento,an non. Nam ſi nolit teſtes

ſcire,

scire, quæ in ea scripta sint, potest chartam, in qua illud descriptum est, inuoluere, & testibus ad obsignandam eam offerre. Neq; enim ideo testimonium infirmatur, quòd testes nesciant, quæ in eo contineantur, si modò coram illis testator professus fuerit, quòd hoc aut illud decreuerit post se relinquere Testamentum, rogaritq; eos, ut sua subscriptione suisq; signaculis cõfirmarent. Neq; refert admodum, siue testator sua manu testamentũ scripserit, siue istud alterius calamo exceptum sit eo dictante. Non enim aliud ex sua scriptione sentit commodum testator, quàm quòd non cogitur rogare octauum testem qui pro eo subscribat, cũm ipse id præstare nesciat. Quòd si nolit suam uoluntatem celare testes, cogitur testator institutorum hęredum nomina per se uel per alium quencunque ascribere, aut uiua uoce coram testib. ea exprimere, ut manifestum sit, ad quos uelit suam hæreditatem tranſmitti, ut testes uel in suis subscriptionib. nomina hęredum indicare queant. Nam si propter acerbitatem morbi, neutrum facere fortè possit, Testamentum aut penitus rescinditur, si nullius hæredis nomen in eo extet, aut eius tantummodo institutio pro nulla habetur, cuius nomen neque manu neque uoce testatoris editum est. Requiritur autem in subscriptione & assignatione testium, ut fiant nullo alieno actu interueniente, quo testamenti editio procrastinetur. Hæc omnia constituta sunt l. hac consultiss. & l. cum antiquitas, & l. iubemus. iuncta Authen. & non. C. de testa. & ff. eod. l. hæredes. Atque sunt quidem hæc in ordinatione testamenti scripti regularia.

In Testamento autem nuncupatiuo, quamuis idem numerus testium requiratur, tamen non est necesse, ut istud in literas mittatur, nisi memoriæ causa quis id fieri uelit. Nam hoc Testamentum magis testium fide, quàm scripturæ autoritate subsistit. Itaque neque si calamo exceptum sit, obsignatur, aut per testatorem uel testes illi subscribitur necessariò: neq; infirmatur, etiamsi hæredis nomen non sit adscriptum. Sufficit enim testatoris uoluntatem animis testium esse notã in hoc testamento, l. hac consultiss. C. qui. test. face. poss. & ibi gloss. Perficitur igitur Testamentum scriptum obsignationibus & subscriptionibus testium. Vnde uulgatum est, finem testamenti esse subscriptiones & obsignacula. l. hac consultiss. §. fin. C. de testament. 30

Sed quod de testium numero diximus, in utraque testamentorum specie has admttit exceptiones, ut si cæcus sit testator, nullum eius Testamentum perfectum habeatur, nisi octo testes adhibuerit, l. hac consultiss. C. qui test. face. possunt. Deinde si Testamentum factum fuerit in præsentia principis, ualet etiamsi omnes solennitates omissæ sint, l. omniũ. C. de testam. Ac si forte ã rustico condatur Testamentum in eo loco, ubi non inueniuntur tot idonei testes, sufficit quinque esse adhibitos, l. ult. C. de testam. Neq; inter parentes & liberos Testamentorum solennitas ualde requiritur, præsertim si subscriptioni parentis omnium liberorũ subscriptio subiecta sit. Authen. de testa. imperfectis, primo responso, & §. ult. Canones quoque uolunt sufficere tres aut duos testes, si quid in eo relinquatur ad pias causas. c. cũm omnes. ext. de testa. sed potest dubitari, cũm causa requirendorum tot testium, neq; in illis Testamentis cesset. Nam & in illis uidentur requiri septem testes, ne facilè sit locus fraudi, sicut in alijs. Postremò potest hic numerus testium ã principe beneficij loco remitti (quemadmodum militibus remissus est) aut Iure municipali, aut consuetudine diminui. l. sine speciali. C. de testam. Cæterũm possunt adhiberi testes omnes illi, cum quibus est factio Testamenti, id est, quibus non est interdictum, ut faciant Testamentum, aut quibus in Testamento aliquid relinqui potest, de quibus suprã diximus: & de illis agitur in §. testes autem, Instit. de testam. 31 32 33

Testamentũ cæci.

Testamentũ rustici.

Quibus autẽ uerbis fiat institutio hęredis, non est superstitiosè requirendum, si modò ex illis colligi certa persona hæredis possit. Nam & imperfecta 34

oratio hæ-

oratio hæredem facit.l. 1. ff. de hæred. inſtit. & C. de teſt. l. errore. Neque error nominis in hærede nocet, cùm de uoluntate teſtatoris conſtet.l. ult. C. de hæred. inſtit. & ff. eod. l. quoties.

Quod autem de inſtitutione diximus, idem de ſubſtitutione accipiendum eſt, ſunt enim inſtitutionis duæ quaſi ſpecies. Prima, de qua hactenus diximus. Altera, quę prodita eſt, ne nobis exiſtat hæres, quem nollemus, ſi humano aliquo caſu, primus inſtitutus hæres eſſe deſinat, aut quia non poſſit, aut
35 quia nolit. Proinde ſubſtituere nihil aliud eſt, quàm gradus quoſdã ſucceden di inter ſcriptos hæredes in incertum caſum facere, puta: Volo Titium mihi eſſe hæredẽ, ſed ſi contigerit eum mori ſine liberis, Sempronius illi ſuccedat.

Subſtitutio hæredum.

36 Porrò duæ potiſſimùm ſunt ſpecies ſubſtitutionũ, quarũ altera dicitur uulgaris, altera pupillaris. Vulgaris eſt, quæ à quolibet cuilibet fieri poteſt. Pupillaris eſt, qua ſolis impuberib. ſubſtituitur. Finis enim pupillaris ſubſtitutionis eſt pubertas, adeò ut etiã ſi in ea longius tẽpus extenſum ſit, quàm quod impuberes pupillos eſſe ſinat, nihil obſtat quò minus finita ſubſtitutio habeatur. l. in pupillari. ff. de uulg. & pupil. ſubſti. Vnde hac quoq; forma concipitur, ſi filius meus in pupillari ætate deceſſerit, Caius hæres eſto: Vulgaris uerò ſubſtitutio nulli tempori, aut perſonę peculiariter addicta eſt, ſed libera lege patet omnibus, ut in quodcunq; tempus, & de quacunq; perſona eam noſtro arbitrio concipiamus.

Subſtitutio uulgaris.
Pupillaris.

Vtriſq; autem his ſpecieb. ſubſtitutionũ commune eſt, quòd aut tacitè aut expreſſe fiat. Expreſſe fieri dicitur, quę ita concepta eſt uerbis, ut non ſit neceſſe, neq; equitas ſuadeat quicquam de uoluntate teſtatoris, præter id quod manifeſtis uerbis patet, imaginari. Tacita uerò dicitur ſubſtitutio, quę ultra id quod ſcriptum eſt, etiam aliud quiddam continere uidetur, pro conſideratione equitatis in uoluntate teſtatoris, ut ſi quis ita ſubſtituat filio ſuo: uolo ut ſi filius mihi non extiterit hæres, Pamphilus illi ſuccedat. Nam in hac ſubſtitutione æquitas & ratio ſuadet, ut intelligamus Pamphilum ſubſtitutum, non modò ſi filius recuſet adire hæreditatẽ, uerumetiam ſi impubes decedat. l. iam hoc iure. ff. de uulg. & pupill. ſubſtit.

Expreſſa ſubſtitutio.
Tacita.

Item eſt & hæc differentia utriſque communis, quòd reciprocæ nonnunquam uocantur propter formam ſermonis, qua multi ſimul, tanquam in mutuas uices ſibi ſubſtituuntur, puta: Volo uos inuicem eſſe ſubſtitutos. l. iam hoc iure. ff. de uulg. & pupill. Et quia magnum eſt in tali ſubſtitutione breuitatis compendiũ, recentiores eam breuiloquam appellant. Eadem ratione moti ſubſtitutionẽ remiſſiorilege factam uocant compendioſam, ut ſi ita ſubſtituã hæredi inſtituto: Volo ut quandocunq; hic deceſſerit, Titius illi ſuccedat. Caret enim hęc ſubſtitutio ambagib. uerborũ, & tamen ampliſſimẽ patet.

Reciproca ſubſtitutio.
Breuiloqua. Cõpendioſa.

Eſt & alia ſubſtitutionum differentia, qua differt alia à reliquis, & dicitur Exemplaris, propterea quòd pupillarem imitetur. Nam exemplaris inſtitutio dicitur, qua mente captis hoc modo ſubſtituitur, Vt ſi quando ad mentis ſanitatem redeant, inſtitutio hęredis ceſſet, perinde atq; ceſſat pupillaris, cùm pupilli puberes eſſe cœperunt. Poſtremò quædam ſubſtitutio dicitur Directa, quædam Obliqua. Bald. cir. l. eam quam. C. de fidei commiſſis dicit directam appellari, quãdo uerba dirigantur ad ſubſtitutum, uidelicet, Titium ſubſtituo. Obliquam uerò dici: quando uerba ab inſtituto ad ſubſtitutũ dirigantur, utputa: Sempronium mihi hęredẽ eſſe uolo, eumq; rogo, ut ſi fortẽ recuſet adire meã hæreditatem, eam Caio reſtituat. Vides obliquã ſubſtitutionẽ ſub forma fideicõmiſſi cõcipi ſolere, unde eam quoq; uocãt fideicõmiſſariam ſubſtitutionẽ. Verũm hęc appellatio diſertè accipiatur neceſſe eſt. Nã ea ad formam fidei commiſſarię hęreditatis, qua per uniuerſitatem ad res uocamur, concipitur, & non ad formam fideicommiſſi, quo ſingulę res nobis ſicut perlegatũ relinquuntur, ſubſtituuntur enim hęredes hęredib. ergo ſingularũ

Exemplaris.
Directa.
Obliqua.
Fidei commiſſaria.

rerum

rerum non potest dici substitutus. Neque potest substitutio dici fidei commissaria, nisi ad generale fidei commissum referatur.

Qui uerò possunt substituere & substitui, non est in magna disputatione. 37
Nam eadem facultas personarum est in substitutionib. quæ in institutionib. l. si is qui. ff. de uulg. & pupil. Et est huius Iuris & similitudinis inter eas ratio in promptu, quia & substitutio dicitur testamentum, neque quicquam differt ab institutione, nisi quòd eam sequitur, & semper illi posterior est, l. patris & filij. ff. de uulg. & pupil. Possunt autem substitutio & institutio una aut diuersa uice fieri, atque sufficit eadem in substitutione solennitas, quæ in institutione requiritur. Item potest substitutio fieri nuncupatiuè, cùm institutio scripto edita aut concepta sit, & è diuers. l. patris & filij. ff. de uulg. & pupil. Præterea potest quis plures gradus hæredum in substitutionibus facere, & plures, uel unũ è pluribus, uel singulos, uel ipsos heredes institutos inuicem sibi substituere, l. potest. & seq. ff. de uul. & pupil. Porrò causa propter quam quis institui hæres debeat, nulla talis à legibus definita est, propter quam quis cogeretur aliquem extraneum instituere. Tantùm hoc in extraneorum institutione cauetur, ne fiat captiose in futuram aliquam conditionem, qua testatori suum arbitrium in testando eripiatur, l. captatorias, & seq. ff. de hæred. instit.

Sed si testator habeat liberos, illos cogit aut instituere, aut legitimis ex causis exhęredare. Quamuis enim parentes pro arbitrio dividere inter liberos hæreditatem possint, et uni plus quàm alteri ex ea conferre, tamen quia naturali iure illis debetur ex bonis parentum legitima, non potest aliquis ex liberis in Testamento præteriri. l. parentibus. C. de inoff. test. Coguntur igitur parentes aut legitimam liberis in testamento relinquere, aut eos ex iusta causa exhæredare. Enumerantur autem xiiij. causæ, propter quas parens liberos exhæredare potest. Authent. ut cũm de appel. cog. §. aliud quoq;. Prima 38
est, si quis uiolentas manus intulerit parenti. Secunda, Si graui iniuria filius parentem afficiat. Tertia, si criminalem actionem patri intenderit filius, priuata quadam simultate aut odio, & non reipub. conseruandæ amore motus. Quarta, si cum maleficis, id est, incantatoribus consuetudinem habeat. Quinta, si uitæ parentum quoquo modo insidientur liberi. Sexta, si nouercæ, aut parentis concubinæ stuprum afferat filius. Septima, si per delationem famam, aut res parentis grauiter lędant liberi. Octaua, si fide iubere aut uadimonium pro parentibus præstare recuset filius. Nona, si quis liberorum prohibuerit parentes suos condere testamentum. Decima, si contra uoluntatem parentum inter mimos, uel histriones uersentur, nisi fortè parentes eadem artes professi fuerint. Vndecima, si filia prostituat pudicitiam, cũm parentes non prohiberent eam nubere, nec dotem illi negarent. Nam si filia excesserit xxv. annum, & parentes cessent illi maritum adiungere, tum etiam si prostituat pudicitiam, non potest exhæredari, quia culpa parentum deliquisse uidetur. Duodecima, si liberi parentes furiosos & mente captos neglexerint. Decimatertia, si captiuos parentes non redemerint precio uel precibus. Decimaquarta, si pertinaciter hæresin sectantur ac tuentur, nec resipiscunt moniti, ut Catholicam fidem agnoscant.

Liberi à parentibus non nisi ex causa possunt exhæredari.

Possunt & liberi certas quasdam ob causas parentes præterire. non enim 39
tantũm descendentes, sed & ascendentes exhæredari possunt, sed extraneus non potest exhæredari, l. quidam cũm filium. §. in eo. ff. de uerb. oblig. Prima autem causa, propter quam parentes prcteriri à liberis in testamento possint, est, si liberos prodant, et periculo uitæ malignitate animi eos obiecerint. Secunda, si uenenis aut incantamentis liberorum uitæ insidiati fuerint. Tertia, si pater nurui, aut concubinæ filij stuprum intulerit. Quarta, si parentes testandi licentiam liberis ademerint. Quinta, si furore correptos liberos neglexerint.

glexerint. Sexta, si cõuicti hęreseos fuerint. Pręter has aũt sex causas, quæ in Auth. ut cũm de appella. cognoscitur, enumerantur, nullæ aliæ admittendæ sunt, sicut de ijs causis, propter quas parentes liberos exhæredare possunt, ali quæ extendi per similitudinem casuum possunt, quia odia restringẽda sunt, iuxta uulgatam regulam.

40 Iam igitur ex annotatis causis exhæredationis obseruandum est, quòd illæ sint ideo in constitutionibus Impera. expressæ, ut si qui condituri Testamen tum scirent sibi liberos, si quos haberent, aut esse instituendos ex legitima portione hæreditatis, iure naturæ illis debitæ, aut exhæredandos si aliquam
41 ex annotatis causam Iuris autoritate sufficientem haberent. Neque enim ul-la alia necẽssitudo personarum cogit testatorem scribere aliquem sibi futu-rum hæredem, præter eam, quæ est inter parentes, & liberos. Nam illa sola urget testatorem ad instituendum, propter uinculum, quo naturaliter paren tes obnoxij sunt liberis, ut ipsorum saluti prospiciant. Quamuis igitur & alię assignẽtur in iure causę, propter quas liceat quasdam personas succesione hę reditatis excludere, tamen non statim coguntur testatores, eas aut instituere
42 aut exhæredare, sed absque testamenti uitio fit, etiamsi prætereantur. Vt si quis habeat fratres, qui ejus uitæ insidias instruxerint, aut criminali iudicio res uel famã eius afflixerint, illos licet testamento excludere, ut hæreditas ex legitima succesione ab intestato illis debita ad alios fratres, uel cognatos, uel quoscunque alios deuoluatur. §. ingratitudinem. Authentico de nupt. Sed talis exclusio quamuis sit permissa in tollendis fratrum successionibus, tamen si exhausta hæreditate aliorum institutionibus uel legatis facta ea non sit, Te stamentum ob id non rumpitur, tanquã id in quo præterita sit persona, quam
43 necesse fuerit instituere aut exhæredare: sicut enim nemo alius cogitur adi-re hæreditatem, in qua institutus est, præter seruum. C. de necessa. ser. hæred. Ita nulli necessariò instituuntur, præter quàm liberi. Nam siue illi tempore, quo conditum est Testamentum, nati iam fuerint, siue post illud nascantur, nisi reperti fuerint in Testamento instituti, rumpunt Testamentum. ff. iuxt. tot. titul. de liberis & posthu. Inter liberos autem numerantur non tantũm, qui ex legitimis nuptijs nati in parentum sunt potestate, uerumetiam emanci pati. Nam prætoris beneficio emancipatus contra ius uetustissimum suc-cedit parentibus, perinde ac si in potestate patris mansisset, & quò ad succes-sionem ex Testamento, sola hæc inter eos est differentia, quòd filiusfamili-
44 as, qui est in potestate patris, antequam se immisceat hæreditati paternæ, e-
45 am ad liberos transmittat, quia ipsum ius, quo quasi dominus rerum paterna-rum uiuente adhuc patre censetur, hæredem facit, & non institutio, demum ã patre iam morituro facta. Sed emancipatus non transmittit hæreditatem pa ternam, nisi ea adita sit per eum, iuxta titul. ff. de coniũgendis cum emanci-
46 pato liberis. Itẽ inter liberos numerantẽ adoptiui, & omnes illi, qui solo iure ci uili liberorum nomen merentur. Neque illi solũm, uerumetiam ex illis nati, ut sunt nepotes & neptes. l. liberorum, & l. cognoscere. ff. de uerb. sign. Ne potes tamen & neptes non cogitur quis instituere, si parentes eorum super-stites sunt: donec enim uiuit filius, testator non cogitur natum ex eo institue re hæredem. Sed si unus ex liberis testatoris mortuus sit, relictis liberis, tũ eti amsi superstites alij sunt, qui eos in gradu præcedant, tamen cogitur eos insti tuere, aut exhæredare, quia in parentis locum successerunt, iuxta ius succesi onis ab intestato, de quo infrã.

47 Extra necessitatem naturalem, quæ obligat parentes & liberos, ut in Te-stamentis suis mutuæ pietatis meminerint, nec se inuicem prætereant, nisi le-gitimam assignent exhæredationis causam in Testamento, hoc quoque obse quij ã libertis requiritur, ut si plus habeant in bonis, quãm centum aureos,
48 & aut non habeant liberos, uel superstites parentes, aut si eos habeant, exhæ

redarint,uel præterierint,patronos tertia ſuorum bonorum parte hęredes faciant ſine onere. Inſtitut. ſucceſſion. libertorum. §. Sed noſtra. & ſuprà nos de patronorum poteſtate idem annotauimus. Eodem modo fratres utrinque coniuncti,uel conſanguinei,non autem uterini propter neceſſitudinem coniunctionis,neceſſariò nonnunquam uidentur inſtitui,ut ſi frater conſanguineus inſtituat perſonam, cuius turpitudo nota ſit, datur hoc fraternæ neceſſitudini,ut præteritus frater, contra teſtamentum ueniat, & illud impugnet. l. fratres. C. de inoff. teſt. Sed hæc ſpecialia ſunt Iura, propter caſum, qui ius 49
commune ſæpe ex æquitate in Hypotheſi uariat. Sicut ſup. quoq; de teſtium numero diximus, & in obſignatione quoq; in caſu uariant, ut ſi adhibeantur teſtes, qui ipſi non habeant ſua ſigilla, permiſſum eſt, ut alienis utantur, & poſſunt uel oēs teſtes in iſtum caſum uno ſigillo uti, modò habeat characteres. l. ad teſtium. §. ſignū autem. ff. de teſtam. & inſtit. eod. §. poſſunt annulo. Nos autem ea tantūm annotare inſtituimus, quæ ſunt regularia Iuris communis, & ideò ſingulis formis indices titulorum ſubijcimus, ut diſcētes admoneantur, reſtare in illis exempla deciſionum, quæ in caſibus à Iure communi uariantibus imitari liceat. Atq; in hoc quidem ſchemate, ſicut in quibuſdam aliis in primo cap. ſecundæ partis huius doctrinæ, ideò modos & obſeruationes conſtituendi huius Iuris à modis, quibus illud tollitur ſeparabimus, quia & ipſi peculiaribus titulis diſtincti ſunt, ne uarietate obſeruationum in condendis teſtamentis diſcentes obruerentur, ſi ſimul coniungerentur.

TITVLI QVIBVS OBSERVATIONES in condendis Teſtamentis traduntur.

ff.

De Teſtamentis, & qui teſtamenta facere poſſunt, & quemadmodum Teſtamenta fiant.

De hæredibus inſtituendis. Et hoc titulo generaliter agitur de quorumlibet hæredum inſtitutione, ſequenti uerò titulo, de liberorum inſtit. tantūm.

De liberis & poſthumis hæredibus inſtituendis, uel exhæredandis, uel præteritis.

De uulgari & pupillari ſubſtitutione.

Cod.

De Teſtamentis, & quomodo teſtamenta ordinentur.

Qui Teſtamenta facere poſſunt, uel non.

De hęredib. inſtituendis, & quæ perſonæ hęredes inſtitui non poſſunt.

De Inſtitutionibus & Subſtitutionibus & Reſtitutionibus ſub conditione factis.

De liberis præteritis, uel exhæredatis.

De impuberum & aliis ſubſtitutionibus.

De Poſthumis hęredib. inſtituendis, uel exhæredandis, uel præteritis.

Inſtit.

De Teſtamentis ordinandis.

Quibus non eſt permiſſum facere Teſtamentum.

De hæredibus inſtituendis. De uulgari ſubſtitutione.

In nouellis conſtitutionibus Auth. nullus extat titulus peculiariter huic materiæ, de condendis teſtamentis per inſcriptionem deſtinatus, ſed eſt eius tractatio aliis conſtitutionibus hoc appendice ſiue clauſula materialiter poſita: ET DE ALIIS CAPITVLIS, ſicut alia multa iura annexa, ut ſatis appareat, Imperatores non habita ratione compendij, ſæpe una conſtitutione multorum ſchematum Iura emendaſſe & congeſſiſſe. Itaq; difficile eſt ubiq; Ius nouellarum per capita titulorum annotare, ſicut nec in hac forma ex aliqua epigraphe nouellarum conſtare poſſunt, ubi in illis de Teſtamentorum factione agatur.

agatur. Proinde diligentius obseruandi sunt loci, ad quos in argumento cuiusq; formæ discentes remittimus. Vt de exhæredatione liberorum & parentum in Authentica, Vt cũm de appellatione agnoscitur. §. aliud quoq;, & sequentibus multis §§. Deinde & de fratrũ exhæredatione, in Authentico de nuptijs. §. ingratitudinem, agi diximus. Sunt igitur isti loci titulorum loco habendi, cũm inscriptiones, sub quibus extant, non patiuntur eos suo cum indice ad præsentem materiam referri.

In Decret. Sexto, & Clementinis.

De Testamentis & ultimis uoluntatibus.

QVIBVS MODIS TESTAmenta confirmentur, aut infirmentur.

Caput LIII.

SVMMARIVM.

1. Voluntas cuiusq; ambulatoria manet.
2. Libertas mutandæ ante obitum uoluntatis nullis priuatis pactis eripitur.
3. Voluntates hominum in testamentis non cogantur.
4. Testamenta morte testatoris confirmantur.
5. Testamenta quemadmodum reuocentur.
6. Naturale est, ijsdem modis quodq; dissolui, quibus colligatum est.
7. Perfectum prius, per imperfectum posterius rumpi.
8. Iuri communi derogant, quæ ex beneficio iuris concessa sunt.
9. Propter priuilegia personarum aliud nonnunquam obseruari.
10. Testamenta iniusta quæ dicantur.
11. Testamentum rumpi agnatione sui hæredis.
12. Capitis diminutione quomodo testamenta infirmentur.
13. Hæreditas onerosa ut fiat facilè accidere potest.
14. Tempus deliberandi hæredibus datum.
15. Testamentum desertum, irritum, ruptum quando.
16. Hæres inuentarij confectionem habet intra certum tempus.
17. Subsidium legis est inuentarium. 18. Hæreditas est aut onerosa aut lucrosa.
19. Testamenta irrita fieri, cùm hæreditas indignis confertur.
20. Calumniator testamenti amittit hæreditatem.
21. Ad quem deuoluatur hæreditas, si Testamentum deficit.
22. Liberi ubiq; præferuntur legatariorum commodis.
23. Ob crimen læsæ maiestatis bona testatoris publicantur.
24. Quod aufertur indigno applicetur fisco.
25. Capitis diminutione ius testamenti quoq; infirmatur.

1 TESTAMENTVM statim ut conditum est, non dicitur esse firmum, aut irreuocabile, Nam cuiusq; uoluntas ad supremũ uitæ exitum ambulatoria manet. l. iij. ff. de adimen. leg. Itaq; do-
2 nec testator habere potest animum mutandi Testamenti, pro non confirmato illud habetur. Neq; potest quidem ista libertas mutandæ ante obitum uoluntatis, ullis priuatis pactis alicui eripi. l. pactum quod dotali. C. de pactis. Nemo enim eam sibi legem potest dicere, ut à prio re Testamento non liceat recedere. l. si quis in principio. ff. de leg. iij. Nec si coram principe factum sit Testamentum, irreuocabile dici potest: obedire
3 enim non cogere uoluntates hominum in Testamentis principes debent, iuxta rescriptum Honorij, & Theodosij. l. omnium. C. de testa. Quare mor-
4 te testatoris confirmari Testamenta rectè dicuntur, quia tum demum facultas aliud quàm uoluit constituendi de rebus suis illi negatur. Nam ideò quoque ultimas uoluntates leges prohibent uiolari, quia nihil tam debeatur ho- *Testamenta quemadmodum reuocentur.*
minibus, quàm ut firmum habeatur id, cuius mutandi non datur porrò arbi-
5 trium. l. i. C. de sacrosanct. eccle. Porrò, ut maximè alicui liberum sit, ut ante supremum uitæ exitum reuocet factum à se Testamentum, tamen si istud

ſcriptum eſt nuda uoce, non adhibitis ſolennitatibus, non reuocatur. Auth. de imperfectis Teſtamentis. §. & ſiquidem. Si uerò Teſtamẽtum fuerit nuncupatiuũ, ſufficit coram tot teſtibus, quot ad tale Teſtamentum requiruntur, uoluntatem ſuam declaraſſe. Nam hoc naturale eſt, ut iiſdem modis quodq; diſſoluatur, quibus colligatum eſt. l. nihil tam naturale. ff. de reg. Iur. Itaq; & de illis Teſtamentis, quæ legibus permittentibus minus habent obſeruationum, quãm alioqui in ſolennibus requiruntur: ſic iudicandum eſt, quòd eodem beneficio Iuris ualeant ad reuocandum illud, quod antè factum eſt, quo ualent cũm nullum eſt conditum. Inde nanq; fit, ut contra communem regulam mutandorum Teſtamentorum, nonnunquam perfectum prius rumpatur per imperfectum poſterius. Vt quia Teſtamentum, quo inſtituti ſunt liberi, ualet etiamſi non ſolenniter ſit factum. l. hac conſultiſ. §. ex imperfecto. C. de teſtam. Rumpit quoq; illud, in quo antè ſolenniter inſtituti ſunt extranei. Neq; rumpitur Teſtamentum quo liberi ſunt inſtituti per poſterius perfectum, niſi teſtator expreſſe teſtetur ſe nolle primum Teſtamentum ualere, §. nos igitur. Authen. de imperfect. teſta. Derogant enim Iuri communi, quę ex beneficio Iuris conceſſa ſunt. Quamuis igitur regulariter ſecundum Ius commune, Teſtamentum nuda uoluntate non reuocetur, ſed neceſſe ſit, ut teſtator aut per æquè ſolenne tollat, quod ſemel ab eo perfectum eſt. l. ij. ff. de iniuſto, rupt. & irrit. teſtamen. aut conſultò illud diſcindat, & ſigilla remoueat. l. noſtram. C. de Teſtamentis, tamen propter priuilegia perſonarum aliud nonnunquam obſeruatur, iux. d. l. ij. ff. de iniuſto &c. 6 7 8 9

Quod autem de reuocatione teſtamentorum iam diximus: illud ad inſtitutionem hæredum, non ad cætera, quæ in teſtamento fiunt, referendum eſt. Nam legata & fideicommiſſa nonnunquam nuda uoluntate adimuntur. l. iij. §. fi. & ibi gl. ff. de adi. leg. Sed de illis ſuo loco. Præterea quod de teſtamẽtorum ruptione diximus, de illis accipiendum eſt, quæ ritè ſunt condita. Nã quæ propter omiſſam ſolennitatem in illis condendis à iure requiſitam, aut quia in illis pręteritus eſt, quem oportuit inſtitui, reprehendi poſſunt, ea ipſo iure pro nullis habentur, nec opus eſt ea rumpi, cũm per ſe non ualeant. Proinde & Iureconſulti talia teſtamẽta ita ſeparant à reliquis, ut ea dicant iniuſta. Vbi igitur de Teſtamentorum infirmatione agitur, intelligendum eſt de illis agi, quæ legitimè ſint facta. Rumpuntur autem ea non ſolũm reuocatione teſtatoris, uerumetiam curſu temporis. Nam ſi poſt elapſum decennium tribus adhibitis teſtibus dicat teſtator, ſe nolle, ut Teſtamentum ą ſe factum ualeat, tum illud pro rupto habetur. l. ſancimus. C. de teſtamentis. Item licet per imperfectum poſterius Teſtamentum non infirmetur primum, tamen ſi teſtator in ſecundo declaret inſtitutos hæredes indignos eſſe ſuo beneficio, auferetur illis hæreditas, & applicatur fiſco. l. hæreditas. C. de Codicillis. Gæterũm non ſolũm rumpi, uerumetiam confirmari prius per poſterius Teſtamentum poteſt, ſi Teſtator in eo declaret, aliquo modo ſe nolle Teſtamentum, quod antè fecerit ualere. l. Titius. ff. de milit. teſta. §. etſi quis. Inſtitut. quibus mod. teſta. infir. Poſtremò uidetur Teſtamentum uoluntate teſtatoris infirmari, cũm deliberato animo ea quæ ſcripta ſunt in Teſtamento delet uel inducit, & aut portionem hæreditatis, uel totam alicui adimit, iuxt. tot. tit. digeſtorum, de his, quæ in Teſtamen. delentur. Nonnunquam quaſi caſu citra aut contra etiam uoluntatem teſtatoris rumpitur Teſtamentum. Vt cũm teſtator neſciret uxorem ex ſe grauidam præterierit eum, qui erat in utero, tum ſiue teſtatore adhuc uiuo, ſiue eo mortuo intra tempus legitimum pariat uxor, agnatione ſui hæredis rumpitur Teſtamentum. l. i. ff. de iniuſto, rupt. & irrit. teſta. & C. de Poſthumis. l. i. Item ſi quis filium habeat, & ex eo nepotem neptemũe in poteſtate, & filius inſtitutus moriatur uiuo eius patre, tum quia nepos neptisũe iura ſuorum hæredum ſuccedendo ſuo parenti nanciſcuntur, per agnatio- 10 11

Teſtamenta iniuſta.

Teſtamentũ rumpitur agnatione.

nem

nem Testamentum aui rumpitur, nisi eos patri substituerit, iuxta consilium Velle. l. posthumorum. ff. de iniusto, rupt. uel. irrit. Test. & l. Gallus. §. nunc de lege. ff. de libe. & posthum. præter. Eodem modo per ciuilem suorum agnationem Testamenta rumpuntur. Nam si testator adoptet eum, qui illi successurus ab intestato erat, perinde atque si ex legitimis nuptijs illi natus esset, rumpit Testamẽtum. Idem obseruatur, si quis arroget extraneum. l. cùm adoptionis. C. de adoptionibus. Sed talis ruptio locum habet in Testamentis conditis à masculis, non autem ã fœmina. Datur tamen posthumo à matre præterito querela inofficiosi. l. iij. C. de inoff. testa. Rursum autem infirmatur quoque testamentum, si testator patiatur se arrogari à quopiam propter capitis diminutionem, qua sui Iuris esse desijt, ac proinde facultatem condendi Testamenti amisisse uidetur. Si tamen restituatur suo iuri, & codicillis suam uoluntatem denuo confirmet, æstimatur suam uoluntatem renouasse, & datur instituto bonorum possessio secundum tabulas. l. qui ex literis. §. i. ff. de bono. possess. secund. tabul. Cùm autem minima capitis diminutione rumpantur Testamenta, facilè quisque cogitabit, ea multò magis reddi irrita per maximam & mediam capitis diminutionem, quibus tota libertas amittitur. Itaque qui sunt deportati, aut in metallum damnati, aut alioqui capitali iudicio damnati, illorum testamenta rumpuntur, quia intestabiles fiunt iuxta tit. C. de bo. dam.

Capitis diminutione quomodo testamenta infirmentur.

12

Sæpe testamentum ritè factum, nec contraria uoluntate testatoris, aut casu ruptum, fit irritum, quia hæredes instituti recusant adire hæreditatem. Nã cùm multi plus in suis facultatibus esse, quàm sit, existiment, accidere facilè

Hæreditas onerosa quandoque.

13 potest, ut hereditas onerosa fiat, si omnia legata, & debita testatoris, ex ea sint soluenda, quare à legibus datum est hæred. tam ex testamento quàm ab intestato tempus deliberandi, quo possunt petere à magistratu, ut sibi fiat copia

14 instrumentorum inspiciendorum, ut proinde se instruere possint, expediat, nec ne agnoscere hæreditatem, iux. tot. tit. ff. de iure deliberandi, & de acquirenda uel amittenda hæreditate. Et est eius rei causa publica autoritate legis facta potestas petendi, ut instrumenta exhibeantur, iux. tit. ff. quemad. testa. aper. inspi. & describ. & C. eo. Quando igitur institutus abstinet hæreditate, testamentum tanquam destitutum exolescit, & sic desertum Testamentum

Testamentũ desertum, irritum, ruptũ.

15 propriè dicitur irritum esse, quamuis alias impropriè & promiscuè dicamus testamentum esse ruptum aut irritum, quoties non propter neglectas solennitates, aut præteritos liberos, sed mutata uoluntate testatoris reuocatur, aut casu uis eius tollitur. l. i. in fin. & ibi glos. ff. de iniusto, rupt. & irri. testa. Sed quãuis liberum etiam alicui sit hodie, isto deliberandi remedio uti, si metuat hæreditatem sibi futuram onerosam, tamen hoc magis obseruatur, quod nouissimè constitutum est, uidelicet, ut si nescíat hæres quantum in bonis eius hæreditatis sit, ad quam uocatus est per testamentum, ac proinde dubitet, utrum e-

Inuentarij confectio.

16 am adeat, aut non, tum intra xxx. dies, postquam agnouerit hæreditatem, inuentarium facere incipiat, in quo res defuncti sigillatim annotet, & istud intra alios lx. dies conficiat, nisi fortè defuncti res non fuerint in eo loco, ubi habitat hæres. Nam tum datur illi annuum spacium conficiendi inuentarij, quo facto, non solùm non tenetur ultra uires hæreditatis, sed nec legatarijs obstrictus est legata soluere, nisi detracta Falcidia, id est, quarta de singulis legatis & fideicommissis. Si uerò factum non fuerit inuentarium, & hæres inconsideratè hæreditatem adierit, tum etiam ultra uires hæreditatis ad soluenda debita

Hæreditatẽ adire inconsideratè.

& legata testatoris tenetur. l. ult. C. de iure deliberandi, & Authen. de hæredibus & falcidia. §. summus, & §. si uerò non fuerit. c. Rainaldus. §. penu. ext. de testam. Quia enim hæreditas est successio in uniuersum ius, quod defunctus habuit. l. hæreditas. ff. de reg. iur. adita hereditate, ad omnia debita defuncti

17 obligatur, nisi subsidio legum facto inuentario usus fuerit. Si uerò hæres se-

cum decreuerit, quōd nolit hæreditatem adire, & tamen ceſſet ſuam uoluntatem declarare, tum niſi intra menſes tres, hæreditati delatæ renunciauerit, aut alio circuitu faciendi inuentarij, ſe occupatum oſtenderit, alienus ab ea fit hæreditate, ac ſi in ea inſtitutus non fuiſſet, ſiue poſtea inuenta fuerit oneroſa, 18
aut lucroſa. l. ult. §. ſimiliq; modo. C. de Iure deliberandi. Atq; hoc quidem modo non adita hæreditate Teſtamentum nouiſſimo iure fit irritum. Quib. autem obſeruationibus inuentarium ritē conficiatur, declarat text. in Auth. de hæredibus & Falcidia. §. ſancimus, & ſequentibus. Item lex ultima. §. ſin autem dubius. C. de iure deliberandi, & ibi Iaſon. Et quomodo quiſq; uel poſſit uel debeat adire hæreditatem, dicemus infrā poſt quàm dē utraque ſucceſſione dixerimus: & quæ ad utriuſq; iura intelligenda uidentur admodum neceſſaria explicabimus.

Teſtamenta irrita.

Hoc loco interim addere libet, quōd teſtamenta tum quoque uideantur fieri irrita, cùm hęreditas inſtitutis tanquam indignis per leges auferatur. Quamuis enim iſto caſu teſtamentum per ſe maneat extra reprehenſionem Iuris, quo factum eſt, tamen quia non is, qui ad hæreditatem in eo uocatus eſt, illam conſequitur, uoluntas teſtatoris infirmari uidetur. Ac proinde cùm teſtamē tum non ſortiatur eum, quem uoluit teſtator effectum, non abs re ademptio 19
hæreditatis inter modos, quibus teſtamentum fit irritum poni poteſt. Etenim cùm irritum fieri dicatur teſtamentum, ſi quis recuſet adire hæreditatem, cur non etiam idem dicemus, ſi legibus prohibeatur quis eam adire, aut adita auferatur per leges. Inter modos igitur irritum faciendi teſtamentum colloco caſus, quibus hæreditas inſtitutis tanq; indignis auferatur. Vt ſi quis obſtet teſtatori, quō minus condere teſtamentum poſſit, aut cogat aliter, quām uelit, eum teſtari, iux. tit. ff. & C. ſi quis teſtari aliquem prohibuerit, uel coēgerit, Item ſenatuſconſulto Silaniano auferitur hæreditas inſtituto, qui teſtatoris nec

Ademptio hæreditatis.

cem uindicare negligit. Ac ſiquidem occiſus eſt teſtator à familia, tum nec adire quidem inſtituto hæreditatem aut tabulas teſtamenti aperire, antec; quæſtioni ſubijciat ſeruos, & pœnam de illis ſumat, tutum eſt. Nec enim hæres propter ſuum compendium familiæ facinus occultare debet. l. iij. §. non tantū. & l. neceſſa. ff. de S. C. Silaniano. Sed ſi teſtator occiſus eſt ab extraneo, licet illi quidem adire hæreditatem, tamen niſi uolet ſibi eripi à fiſco hęreditatem, cogitur intra quinquēnium necem teſtatoris uindicare. l. in cognit. & l. propt. nec. ff. de S. C. Silan. In eodem ſenatuſconſulto cautum eſt, eum amittere hęreditatē, qui maior xxv. annis calumnioſē audeat teſtamētum, in quo in 20
ſtitutus eſt, impugnare, nec ante definitiuam ſententiam deſiſtat. l. pol. & l. alia cauſa. C. de his, quib. ut indig. hær. auferuntur. Enumerantur & multæ aliæ cauſæ, propter quas inſtituti iudicantur indigni hæreditate. in tit. C. iam alle. & in tit. ff. de his, quæ ut indignis auferuntur. Vt in l. ij. & l. Claudius. ff. de his quibus ut indignis. Aufertur hæreditas, qui per uxorem inſtitutus eſt, ſi contra leges eam duxerit, & in l. indignum. ff. de his, qui ut indignis. Eripitur hæreditas illi, qui manifeſtē comprobatus eſt id egiſſe per negligentiam & culpam, ut moreretur, ā quo inſtitutus eſt. Verùm, quia quiſq; per ſe ex illis titulis excerpere poterit, cùm expreſſis legib. ibi extent, nolo præter neceſſitatem ea in re diligens uideri. Monendi tamen ſunt diſcentes, quōd hæreditas non tam facilè aufertur, atq; cætera in teſtamento relicta. Itaq; cùm in illis titulis promiſcuè tradantur cauſæ, propter quas aliquis ea quæ teſtamento meruit, accuratè uidendum eſt, propter quas cauſas hæreditas, & propter quas legata & fideicommiſſa, tanquam indigno auferri queant.

Ad quem deuoluatur hæreditas, ſi Teſtamentum deficit.

Exiſtit autem hoc loco quæſtio, quam nullo modo præterire poſſum, uide- 21
licet, ad quem porrò deuoluatur hæreditas, ſi teſtamentum deficiat, tanquam iniuſtum, aut rumpatur, aut irritum fiat. Nam huius quæſtionis explicatione quaſi abſoluitur ſucceſſio ex teſtamento. Eſt autem cōmunis gloſſa, & docto.

iuxt.

iuxt. l. hæreditas. C. de his, quibus ut indignis hæreditates auferuntur, hæc distinctio, quòd si deficiat testamentum, quia testator non obseruauerit debitas solennitates, & aliud testamentum ante uel post illud non fecerit, tum succedant, qui non condito Testamento successuri illi fuerant. Si uerò aliud condiderit Testamentum solenne, tum illi gaudeant successione, qui in eo instituti sunt. l. hac consult. §. penult. C. de testa. Si solenniter est conditum testamentum, sed postea testator constanter testatus est, unum uel omnes ex institutis non mereri uoluntatem suam, succedit fiscus. l. hæred. C. de his, qui. ut indig. hæred. aufertur. Si tabulas testamenti conscidit testator, & apparet eum hoc cõsilio & animo id fecisse, ut intestatus decederet, succedunt proximi cognati. l. i. §. penult. ff. Si tabulæ nullæ extabunt. Si nomina hæredum induxit testator, quia iudicauit eos indignos, succedit fiscus proximo. ff. de his, qui in testa. delen. Quando uerò in dubio est, an testator cõsciderit Testamentum, uel deleuerit nomina hæredum, ut intestatus decederet, aut indignis hæreditatem adimeret, Sali. cir. l. nostram. C. de test. existimat distinguendum hoc modo, ut si instituerit testator uenientes ab intestato, & hæredum nomina tantùm deleuerit, tum præsumi, quòd indignos eos iudicauerit, quos instituerit, ac proinde succedere fiscum fauore legatorum, quæ soluat fiscus, cùm id non facerent ab intestato uenientes, iux. l. proxime. §. sed non illos. ff. de his, qui in testa. delent. & l. cùm quidem. §. infrã. ff. de his, qui. ut indig. auser. Si uerò totum Testamentum est conscissum, aut cancellatum, tum præsumi, quòd uoluerit intestatus decedere, ac proinde admitti ad successionem ab intestato uenientes, nisi probetur aliquam eorum offensionem mouisse testatorem, ut id faceret. l. ij. in fin. ff. de his qui in testa. delentur.

Porrò, si extranei prorsus scripti sint hæredes, tum siue totum Testamentum, siue hæredum nomina tantùm deleta sint, fauore uenientium ab intestato excludi fiscum, maximè si uenientes ab intestato liberorũ loco sunt. Nam
22 liberi ubique præferuntur legatariorum commodis in successionibus. l. hac consultiss. §. ex imperfecto. C. de testa. & argumento. l. cùm acutissimi. C. de fideicom. Atq; hæc quidem obseruantur, cùm testamentum errore, aut uoluntate testatoris rumpitur, si casu idem fiat, ut si Testatori nascatur posthumus, aut ipse arrogetur, tum ab intestato uenientes succedunt, iuxta tit. C. de posthu. hæred. instit. & ff. de libe. & posthum. At si testamentum rumpitur, quia testator tale quiddam deliquit, ut potestas testandi prorsus illi adimatur per leges, tum succedunt uenientes ab intestato. l. i. §. planè. ff. de suis & legit. hæred. nisi fortè etiam bona testatoris propter delictum fuerũt publicata. l. eius.
23 §. i. ff. de testa. Sed id hodie fit tantùm propter crimen læsę maiestatis. Auth. bona damnatorũ. C. de bonis proscriptorum & damnatorum. Si uerò instituto negatur hæreditas propter suum delictum, & eius iniuria non respicit
24 certam aliquam personam, tunc regula est, quòd illud quod aufertur indigno applicetur fisco. l. Papinianus. §. meminisse. ff. de inoffi. testa. Sed si delictum respiciat certam personam, tum hæreditas cedit illi personæ, quæ est offensa delicti iniuria. Vt si quis recuset esse tutor, cùm in Testamento ad tutelam uocatus sit, tum auferetur illi, quòd meruit testamento, & datur pupillo. l. penult. C. de legatis, & uide peculiariter Bart. de his omnibus, cir. l. fin. ff. de his quæ ut indig. auser.

TITVLI QVIBVS PECVLIARITER agitur de modis, quibus institutio hæredis perit, aut extinguitur.

ff.

De iniusto, rupto, irrito Testamento.
De his, quibus ut indignis legata auferuntur.
Si quis aliquem testari prohibuerit, uel coëgerit.

De Senatuſcon. Sílaníano & Claudiano, & quorum teſtamenta non aperiantur.

Cod.

De his, quibus ut indignis hæreditates auferuntur, & Senatuſconſulto Sílaníano.

Sí quis aliquem teſtarí prohíbuerít uel coëgerít.

Inſtít.

Quíbus modís Teſtamenta infírmentur.

Capitis dimínutio.

His adiungí poteſt títulus dígeſtorum, de capite mínutis. Quamuís enim eíus tractatio, non huc tantũm pertíneat, ſed ad alía etíam ſchemata íuris cíuílís ſpectet, tamen quía & capitis dímínutione ius teſtamentí infírmatur, huc monendí eíus cauſa non íncommodè refertur.

DE CODICILLIS.

Caput LIIII.

SVMMARIVM.

1. Auguſtus Cæſar Codicillos permiſit.
2. Cur & quando primũm cœperint eſſe in uſu Codicilli.
3. Clauſula Codicillaris quam uim habeat.
4. Codicillos & in ſcriptis & ſine ſcriptis fieri poſſe.
5. Qui poſsint facere Codicillos.
6. Codicilli à teſtamentis in quibus diſcrepent.
7. Idem ex parte teſtatus, & ex parte inteſtatus decedere non poteſt.
8. Fœmina teſtis circa codicillos adhiberi poteſt.
9. Confirmantur Codicilli quatuor modis.
10. Codicilli infirmantur ijſdem modis, quibus teſtamentũm.
11. Ex rupto teſtamento an legata debeantur.
12. Tutius eſt relinquere per Codicillos, quàm per teſtamentum.

CODICILLI uocantur teſtamenta, mínus ſolenníter propter ímpedímenta facti, non íuris, condíta. Nam cũm ſæpe accíderet Romanís cíuíbus, ut peregre profecti deſtítuerentur facultate Tabellaríorum & teſtíum, quíbus adhíbítis, ſolenníter ultímam ſuã uoluntatẽ declaraſſent, ac proínde multi cogerẽtur decedere

Codicillorum origo.

inteſtati, cũm aliud cuperent, tandem Auguſtus ius eſſe permíſit, ut qui ſolenníter alíquo caſu teſtarí prohíberentur, Codicíllís ultímam ſuam uoluntatem committerent. Atq; hæc quídem prima fuit occaſío, ut Codicílli habe- 2
rentur in uſu, ſed compendium eorum ita placuit, ut non ſolũm ea commodítate, qua díximus, impediti, ſed etíam ſæpe delíberato anímo quídam facerent Codicíllos magís quàm teſtamenta. Etením cũm ſuperſtitioſe ac ſeuerẽ exí- 3
gerentur ſolennitates teſtamentorum, ne ob quamuís earum negligentíam,

Clauſula Codicillaris.

facílè euerti iudícia ultímarum uoluntatum poſſent, receptum eſt, ut ad cauẽdum íd, teſtamenta hac clauſula: Sí non ualet iure teſtamenti, ualeat iure Codícillorum, munírentur, iu. l. ſi míles qui deſtínauerat. ff. de teſt. míl. Atq; díci tur talis clauſula codícillaris, non quía in codícillís ea utamur, ſed quía metu infírmitatis teſtamentorum ſolẽnium ad iura codícillorum mínus ſolennitatũ requírentía per eam transferuntur. Quis autem & q̃ uarius ſit huíus clauſulæ effectus, explícat Bart. cír. l. i. ff. de iure codícillorum. Eſt ígitur ius codícillorum propter facílítatem obſeruatíonis in íllís condendís, in multo & uarío uſu. Neq; uerõ cogítandum eſt, quòd ídeo codícílli dícantur teſtamenta mínus ſolenníter cõdíta, quía pugillarí bus líbellís deſcríbí ea neceſſe ſít, nam &

Codicilli & in ſcriptis & ſine ſcriptis fieri poſſunt.

ſine ſcríptura fíerí poſſunt codícílli. l. fi. C. de bonis líbertorum. Sícut ígítur 4
teſtamẽtum aliud eſt ſcríptum, aliud nuncupatíuum, ita & codícílli in líteras mittuntur, aut uíua uoce coram teſtíbus enunciantur. Quamuís autem magna ſít ſímílítudo codícíllorum & Teſtamentí, tamen neceſſe eſt díuerſam

eſſe

esse eorum rationem, cùm diuersas habeant appellationes. l. si idem. C. de Codicillis. Operæpretium itaq; uidetur, ut uideamus quibus conueniant, & quibus inter se uariant.

5 Potest autem quisque facere Codicillos, cui per leges licet facere Testamentum. l. diuus. §. Codicillos. ff. de iure Codicill. Quos igitur aut ætatis imbecillitas, aut mentis inopia, aut sensuum defectus impedit, aut quos leges propter status conditionem, aut scelerũ odium prohibent testari, illis nec cõceditur, ut Codicillos faciant. Nam Codicilli permissi sunt in subsidium eorum, qui incommoditate faciendi, quod iure possunt, prohibentur solenniter
6 condere Testamentum: non quibus ipso iure ea facultas negatur. Sed uariant à testamentis Codicilli, quia ab eo quoq; confici possunt, qui nullum testa-
7 mentum condidit, cùm alioqui, idem ex parte testatus, & ex parte intestatus decedere regulariter non possit. §. neque Institut. de hæredi. instit. Hæreditas quoque in Codicillis neque dari neque adimi, aut conditio institutioni adjici uel substitui directò potest. §. Codicillis. Institut. eodem. Et est hæc præcipua differentia, qua maximè separantur Codicilli à Testamentis, sicut enim Testamentum præstat cæteris ultimis uoluntatibus, ita & codicillos peculiariter ista potestate uincit. l. non Codicillum. C. de testamen. Sed Codicilli rursum cæteras ultimas uoluntates superant hac prærogatiua, quòd etsi directò in illis dari aut adimi hæreditas non possit, tamen per circuitum ex fideicommisso, id facere in illis licet. l. hæreditatem. C. eod. Vt si quis post conditum Testamentum Codicillos faciat, potest hæredem institutum rogare, ut certam portionem hæreditatis illi restituat. Item si quis intestatus Codicillos faciat, legitimis hæredibus iniungere potest, ut hunc aut illum ad hæreditatẽ secum uenire patiantur. Trahetur & substitutio in Codicillis facta ad fideicommissum, ut si pupillo instituto in testamento, substitutus sit Lentulus, & pupillus decedat in pupillari ætate, benignitate iuris hæreditas iubetur dari Lentulo ab ijs qui pupillo successuri essent, nisi ista substitutio facta fuisset. l. Scęuola. ff. ad Trebellianum. Eadem benignitate conseruandarum ultimarũ uoluntatum causa, adimitur hæreditas illi, quem defunctus in Codicillis declarauit, non mereri suam uoluntatem, etsi exhæredari alioqui in Codicillis directò nemo possit. l. hæreditas. C. de his, quibus ut indignis. Sic & de adscripta in Codicillis conditione iudicandum existimat Modestinus. l. quidã. §. ult. ff. de conditionibus. Institut. ut si quis hæredi, quem testamento purè instituit, Codicillis adscribat conditionem, tum si hæres conditioni non paruerit, aut si talis sit conditio, ut per se deficiat, illi negat hæreditas, quia defunctus de eius ademptione cogitasse intelligitur. Quare obseruent discentes, multa fieri in Codicillis exemplo fideicommissorum, & fauorabili interpretatione ultimæ uoluntatis, quæ directò aliàs fieri in illis prohibentur.

Qui possint facere Codi.

Codicilli à testamentis in quibus discrepent.

Legari autem, uel per fideicommissum relinqui Codicillis posse, non est dubium. Nam præter exempla, quibus legata per Codicillos facta in legibus referuntur, etiam consilium, quo approbati sunt Codicilli, id ostendit. Sunt enim recepti, ne cuiusque uoluntati in extremis deesset gratificandi amicis copia, de bonis, quæ post se relinqueret. Ideò nanque & Imperatores uoluerunt Codicillorum ius paucioribus solennitatibus impeditum, ne quis desiderare in prodenda ultima sua uoluntate facilè aliquid posset. Proinde permiserunt adhiberi testes in Codicillis, non modò non rogatos, uerumetiam fortuitò oblatos. Nec plures requirunt, quàm quinque. leg. ultima. §. fin. C. eodem, & glos. in eandem legem, non dubitat etiam fœminam posse loco testis circa Codicillos adhiberi, cùm manifestis legibus id non sit prohibitum. Concedit autem hoc fieri posse argumento legis primæ, ff. de Testibus. Nec requiritur quidem etiam obsignatio, aut subscriptio testium, nisi fortè Codicilli scripto concipiantur, nam in

ſcriptis Codicillis Theodoſius exigit, ut nomina teſtiũ ſubnotentur. l. ul. §. fi.

Confirmantur Codicilli quatuor modis.

Cæterũm confirmabantur olim Codicilli neceſſariò quatuor modis. l. conficiuntur. ff. de iure Codicillorum. Aut enim quis condiderat teſtamentum antequam faceret Codicillos, & tum non ualebant, niſi ſpecialiter in teſtamẽto expreſſerat, ſe uelle ratos habere Codicillos, ſi quos facturus eſſet, & iſto modo dicebantur in futurum confirmati, aut quis fecerat Codicillos, anteq; conderet teſtamentum, & tum ſi in eo teſtabatur, ſe uelle ut Codicilli quos feciſſet, ualerent, in præteritum confirmari dicebantur. Nouiſsimo iure nõ eſt neceſſe, ut Codicilli expreſsis uerbis in teſtamento confirmentur. l. ſi quis cũ. §. fi. ff. de iure Codic. Nam tacitẽ confirmari uidentur, cũm quis per fideicommiſſum Codicillos ad ſcriptos hæredes dirigit. Id uerò fit, cũm eos rogat, ut legata in Codicillis ſoluant, imõ etiamſi expreſſis uerbis eos non ſic rogarit, & conſtat eum teſtamento hæredes inſtituiſſe, tum ex benignitate iuris eius uoluntas ſic interpretatur, Sicut quis intelligitur per fideicommiſſum uoluiſſe, ut hæredes legitimi ſoluerent in Codicillis legata; etiamſi inteſtatus hoc in Codicillis nõ expreſſerit. Regula enim eſt, quòd inteſtato patrefamilias mortuo, nihil deſiderent Codicilli, ſed uicem teſtamenti exhibeant, quia creditur ſponte illis legitimam hæreditatem reliquiſſe.

Teſtamento aũt facto, Codicilli ius eius ſequuntur. l. ab inteſtato, in fin. ff. de iure Codi. Hinc eſt, quòd Codicilli facti ab eo, qui teſtamentum condidit, 10
ijſdem modis infirmentur, quibus teſtamentum. Vt ſi agnatione ſui hæredis rumpatur teſtamentum, rumpuntur & Codicilli ad illud relati. l. i. C. eo. ſed hoc tamen ſic accipiendum eſt, quòd rumpantur quõ ad præſtationem hæreditatum, ad quam per fideicommiſſum relati ſunt Codicilli, non autem quõ ad obligationem ſoluendorum legatorum. Nam rupto teſtamento, quia in eo

Ex rupto teſtamento an legata debeantur.

11
præteritus aut exhæredatus eſt, quem oportuit inſtitui, legata nihilominus ex eo debentur. Auth. ex cauſa. C. de liber. præter. & exhæred. Itaq; nec Codicilli teſtamentum reſpicientes, rumpuntur aliter quàm iuxta fideicommiſſariam hæredis inſtitutionem in illis factam, ſi teſtamentum propter exhæredationem, uel præteritionem ſui hæredis conuincatur iniuſtum. Sed ſi facti ſunt Codicilli ab eo, qui non condidit teſtamentum, tum agnatione ſui hæredis non rumpuntur. Nam paterfamilias Codicillos abſque teſtamento, cũm id condere poſſet, faciens, cenſetur omnes eos hæredes inſtituiſſe, ad quos legitima eius hæreditas peruentura eſt. Quare etſi poſt factos Codicillos naſcatur quis proximus agnatus uel ſuus hæres, nihilominus fideicommiſſum Codicillorum præſtatur. Nam & is hæres deſtinatus intelligitur. Vnde non perinde habendus eſt, ac ſi ſcripſiſſet Codicillos. l. ſi quis cum. ff. de Iure Codic. Præterea nec Codicilli rumpuntur per poſterius teſtamentum, niſi manifeſtè in eo reuocentur. l. ante Tabulas. ff. de iure Codicillorum. Multò minus rumpuntur per Codicillos poſteriores, nam plures quis Codicillos facere poteſt. Nec rumpuntur priores per poſteriores, niſi planẽ fuerint contrarij. Itaque Specul. de inſtrumentorum editione. §. uiſo de impugnatione. Verſ. & nota. dicit, quòd tutius ſit relinquere per Codicillos, quàm per teſtamentum. 12
Si tamẽ Codicilli eodem tempore facti ſunt, & non conſtat, utri fuerint priores uel poſteriores, neutri ualent iuxta gloſ. eiuſdem legis, circa uerb. contrarium. C. eodem. Capitis autem diminutione Codicilli rumpuntur ſicut Teſtamenta. Nam ſtatus mutatione ius faciendi Codicillos adimitur. At Codicilli permiſſi ſunt in defectum facti, non Iuris. Itaque eius Codicilli, qui Ius illorum condendorum non habuit, pro nullis habentur. Sed & hoc Ius minus ſeuerè obſeruatur in confirmatione Codicillorum, quàm Teſtamentorum. Non enim ſtatim reijciuntur Codicilli facti ab eo, qui teſtandi facultatem non habuit, modò eam tempore mortis habuerit. leg. conficiuntur. §. ſi poſt factum. ff. de Iure Codicillorum. Vtuerò Codicilli confirmentur

firmentur ex Testamento, necesse est, hæreditatem esse aditam ab institutis. Nam si ea non fuerit adita, fideicommissum ex his tanquam irritum non debetur. l. si quis, cūm. §. fin. ff. de Iure Codicillorum.

TITVLI QVIBVS DE IVRE Codicillorum peculiariter agitur sunt.

ff.	Cod.	Instit.
De Iure Codicillorum.	De Codicillis.	De Codicillis.

DE LEGATIS.

Cap. LV.

SVMMARIVM.

1. Legatum quid sit. 2. Legare qui possint, & quibus legari possit.
3. Personarum conditio & tempus quomodo in legatis spectetur.
4. Legata cum donatione causa mortis exæquata.
5. Legatum est donatio testamento relicta.
6. Fideicommissa legatis exæquata sunt.
7. Commercium rerum facit diuersitatem iuris.
8. Res aliena legari potest. 9. Legatum pignoris.
10. Centauros non esse in rerum natura.
11. Inquilinos legare sine prædijs non ualet.
12. Turpia legata non debentur.
13. Personæ conditio facit nonnunquam ut non debeatur legatum.
14. Legatum caducum quomodo fit. 15. Res communis quando legari possit.
16. Res legatarij inutile legari.
17. Legatum quod ab initio non ualuit, ex postfacto non conualescit.
18. Regula Catoniana. 19. Conditiones legatis apponi.
20. Curiositas in uerborum solennitate displicet legislatoribus.
21. Ἀκυρολογία & amphibolia reddunt orationem obscuram.
22. Ambiguum legatum pro nullo habendum.
23. Proprietatem sermonis & uerborum in assignandis legatis obseruandam esse.
24. Hæredes ferè difficiles esse in præstatione legatorum.
25. Legatum generis generalissimi nullum esse.
26. De substitutione in legatarijs.
27. Cedere diem quid dicatur.
28. Legata ab hæredibus, non à testatoribus peti.
29. Voluntas cuiusq; ambulatoria ante extremum uitæ exitum.
30. Legata quomodo adimantur.
31. Duas lucratiuas causas in eundem hominē, eādemq; rem concurrere nō posse.
32. Donatio est causa lucratiua.
33. Emptio est causa onerosa.
34. Legata quemadmodum fiant irrita & caduca.
35. Caduca propriè quæ dicantur. 36. Lex Papia quæ fuerit.
37. De lege Falcidia.
38. Legitima liberis debita qualis sit hodie & quanta.
39. Actiones petendi legatum.
40. Regulæ ueterum in decidendis legatorum controuersijs.

NON ignoramus legata & fideicommissa inter modos, quib. singulæ res acquiruntur, collocari debere. Itaq; contra rerū rationē uideri, q; hoc loco de illis agimus. Verūm ne quis nobis incogitātiam hac in re prēter culpam nostram obijciat, notū cuiuis esse uolumus, nos ideo istam confusionē modorum admittere, quia legatorum & fideicommissorum ratio desideret, ut inter testamentorum disputationem collocentur. Est enim legatum, deliberatio hæreditatis, qua testator ex eo, quod uniuersum hæredis foret, alicui collatum uelit. l. legat. ff. de legatis 1.

Simile

Simile quiddam esse fidei commissa audiemus infrā. Iam igitur cūm manifestum sit, legata & fideicommissa in testamētis constitui, atq; ex illorum dispositione conferri, nemo reprehendat, quōd horum tractationem illis annexuimus. Nam utrorumq; natura & ratio propter cognationem eorum, inde etiam lucidior fiet. Porrò possunt legare illi ipsi, qui testari non prohibentur: 2
l. ij. ff. de leg. i. & illis solùm legari potest, cum quibus testamenti factio est. §. legari. Instit. eo. Spectatur autem personarum conditio in capiendis aut 3
Legare qui possint. dandis legatis, non diuersis temporibus, sicut in hæreditate, l. si alie. ser. ff. de hæred. instit. sed solūm consideratur, qualis quisq; fuerit tempore, quo mortuus est ille, qui legauit. Nō enim impedit quō minus peti possit legatum, si quis tempore conditi testamenti, ius non habuerit eius faciendi, aut aliquid ex eo capiendi, modō cūm moreretur testator, talis quis fuerit, ut testari, aut illi legari potuerit. Nam hoc iure legata, cum donatione causa mortis facta 4
exæquata sunt. l. in mortis. ff. de donat. causa mort. & de legat. præstand. l. in teruenit. Et est alioqui etiam tanta legatorum cum donatione causa mortis
Legata cum donatione causa mortis exæquata. cognatio, ut Modestinus etiam legatum ita definierit, quōd sit donatio testa 5
mēto relicta. l. legatum. ff. de legatis. ij. Quę uerō sit diuersitas inter legatum & donationem causa mortis, explicat abundè glo. cir. §. hæ mortis. Instit. de donationibus. Sunt & fidei commissa, præsertim quibus singulæ res relin- 6
quuntur, legatis exæquata. l. i. ff. de leg. i. & ibi glo. Quare pleraq; iura legatorum ad fideicommissa remittenda sunt. Nam ea tum legibus, tum titul. inscriptionibus coniunguntur, tanquam ea, quę contineantur eodem iure. Prę cipuē tamen hoc inter se commune habent, quōd eadem possint per fideicōmissum dari, quæ legari possint.

Sicut autem in alijs omnibus alienationibus rerum generalem diuersitatem Iuris facit earum commercium, in quo esse quædam non possunt, iux. tit. 7
de rerum diui. Ita & legatis & fideicommissis. Quare inde peti ea diuersitas rerū legandarū debet, & huc referri. Inter res uerō quę possunt in priuatum hominū uenire cōmercium, tam corporales q̄ incorporales legari possunt. Sicut testanē tit. digestorum, de usufructu, reditu, habitatione & seruitute legata. Nam illi ostendunt tam reales quām personales seruitutes, adeoq; iura & obligationes rectè legari. Et res quæ legatæ sua quadam obseruatione Iuris præstantur, peculiaribus quoque titulis à communi iure separatæ sunt, ad quos infrā in indice titulorum discentes remittimus, ut inde petant Iura in ta
Res aliena legari potest. libus legatis specialiter constituta. Nam pro nostro instituto functos nos nostro officio putamus, si generales tantūm regulas in quaq; iuris forma annotauerimus. Potest igitur res non ea solūm, quæ est in bonis testatoris, sed & ali 8
ena legari. Ac si quidē res fuerit hæredis, tum non refert, an testator sciuerit, uel nescierit se legare rem alienam. Nam existimatur eum uoluisse grauatū hoc onere, ut eam, aut eius æstimationem legatario solueret & daret. l. unam. §. rem tuam. ff. de legatis ij. Si uerō res fuerit extranei, tum refert, an sciuerit esse alienam, uel non. Nam si constat, quòd arbitratus suam, legarit alienam, tum non ualet legatum, nisi fortè relictum sit personæ aliqua necessitudine testatori ita coniunctæ, ut ueri simile sit tantundem illi relicturum fuisse, quāti res aliena estimet, si admonitus fuisset legatam rem esse alienam. l. cūm
Legatum pignoris. aliena. ff. de leg. i. Si uerō sciens testator legauerit rem alienam, tum hæres cogitur eam ā domino, oblato precio redimere, aut si id impetrare non possit, eius æstimationem legatario dare. l. cūm debitum. §. ult. ff. de legat. ij. Idem 9
ferè obseruatur, cūm res testatoris alteri obligata (puta in pignus data) est legata. Nam cogitur hæres eam luere, nisi uel hanc uel aliam relicturus fuisset, si sciuisset obligatam, uel possit aliquid esse superfluum ex soluto ær. alieno, propter quod obligata est. l. si res obligata. ff. de legat. i. Potest quoq; legari res, quæ etsi in præsentia nō existat, tamen existere potest, ut sunt fructus agrorum.

10 agrorum.l.quod in rerum natura.ff.de legat.i.& de legat.iij.l.etiam. Id uerò, quod nunquam extitit,aut in rerum natura esse potest(ut sunt centauri)legari non potest.Sicut nec stipulari possunt,quæ natura in uniuersum negat.Inst. de inutil.stipul.in princip. Imò nec quidem ualet legatum, cuius sine alia re
11 non est commercium,ut si quis inquilinos leget sine prædijs.l.si quis inquili-
12 nos.ff.de legatis.i.Nec turpia legata debentur, cùm ea pro nõ scriptis habentur.l.turpia.ff.de lega.i. Habetur & seruo legatum sine libertate factum pro nullo.Non enim uerisimile est hanc inhumanitatem in testatorem cadere,ut
13 nolit liberum,quem donatum sua re cupiat.l.seruis.C. de legatis. Atq; facit quidem personæ nonnunquam conditio,ut legatum non debeatur,etsi in re nihil sit uitij. Id uerò fit cùm leges prohibent res esse in quorundam commercio. Sicut prohibent Christianum mancipium habere Iudæum. l.i.C. ne Iudæus Christianum mancipium. & l. mortuo. §. Labeo.ff.de legat.ij. Nam tales res legatæ,non debentur,etenim nemo cauere in legato suo potest,ne le-
14 ges in eo locum habeant.l.nemo potest.ff.de legat.i. Nonnunquam legatum quoq; fit caducum,quia res legata non conuenit legatario propter uitiũ corporis. Vt si quis muto leget ius publicè docendi. Sed in talibus legatis hoc obseruatur,ut sicui licitè aliquid relictum sit, quod ipse quidem propter uitium corporis, aut qualitatem relicti, uel aliam quamcunq; probabilẽ causam habere non possit,alius tamen hoc habere possit,tum si constat testatorem notum habuisse uitium in corpore legatarij,quanti solet comparari,tantam æsti-
15 mationem accipiat.l.filiusfam. §. si quis alicui.ff. de legat.i. Potest & de re, quam quis cum alio habet communem,quæri, an utiliter legetur, nec ne. Et certum est,quòd fieri id possit,sed tamen legatarius in re communi,non plus
16 cõsequatur quàm portionem testatoris.l.v.ff.de legatis.i. At res legatarij inutiliter illi legatur,quia quod alicuius proprium est,amplius eius fieri non potest. §. sirem. Instit. eod. Neque debetur quidem tale legatum,etiamsi post conditum testamentum,res euadat possessionem legatarij,& in alterius dominium ueniat. Nam regula Catoniana est,legatum ex post facto non conuale-
17 18 scere,si ab initio, cùm conderetur testamentum, non ualeat.l.i.ff. de regula Catoniana. Vt leges prohibent ædificijs iuncta legari,ne deformentur. l.cætera.ff. de legat.i. Proinde etsi accidat, ut ædes post conditum testamentum corruant,aut diruantur,non tamen debentur ante ruinam earum legata ex illis. Celsus autem dicit regulam Catonianam tantũm in puris,non etiam in cõditionalibus legatis locum habere. Nam in istum euentum, si diruantur ædificia,rectè illis iuncta legari.l.cætera. §. tractari.ff.de leg.i.

Legatum rei communis.

Regula Catoniana.

19 Quàm uarijs autem modis, quibusq; uerbis conditiones legatis apponantur,dicemur infrà. Nam cùm pariter omnibus dispositionibus ultimarum uoluntatum annecti conditiones possint, separatim de illarum uarietate,& ure agendum duxi, ut inde ad singulas formas concipiendarum conditionalium uoluntatum transferrentur cùm opus esset. Ipsa uerò legata quibus uerbis relinquantur, non ualde refert, modò colligi ex illis satis possit,quæ res legati nomine,cuique deputata sit. Quamuis enim ueteres, iuxta diuersitatem formæ uerborum,quibus res assignabantur, quatuor fecerint genera legatorũ, sicut indicat text. in prin. Instit. eod. tamen posterioribus legislatoribus ita
20 displicuit ista curiositas in uerborum solennitate,ut nihil superstitiose in illorum obseruatione requirant.l.ij.C. communia de leg. Cùm igitur hoc solũm requiratur in deputatione legati, ut oratio sit euidens & perspicua, certum est,nihil in ea cauendum esse,quàm ne uerbis impropriis aut ambiguis utantur. Nam ἀκυρολογίαι & amphibolia præcipuè reddunt orationem obscuram.
21 Itaq; si quis,cùm uestem uellet legare,suppellectilem adscripsit,arbitratus appellatione suppellectilis etiam uestem contineri, uestis non debetur.l. iiij.ff. de legat.i. Non enim sub appellatione suppellectilis ea comprehenditur,l. ij.

ff. de ſuppel. leg. Iam igitur quia is qui aliud dicit quàm uult, non id dicit, 22
quod uox ſignificat, quia non uult. Neque id quod uult, quia id non loqui-
tur. l. in ambiguo. ff. de rebus dubijs, pro non ſcripto tale legatum habetur.
Proprietas uerborum in aßignandis legatis obſeruanda. Nam ſcripta in teſtamento, ſi non perſpicuè intelligantur, perinde ſunt, ac ſi
ſcripta non eſſent. l. ij. ff. de his quæ pro non ſcript. hab. Neque uerò in ul- 23
lo ſchemate iuris maior eſt obſeruatio proprietatis uerborum, quàm aſſigna-
tione legati. Nam cùm hæredes, quibus incumbit præſtare legata, ferè diffi- 24
ciles ſint, mirum eſt, quàm multas quæſtiones cauillatio uerborum in hoc
ſchemate iuris pariat. Et eſt haud dubiè hoc conſilio in C. legatis proximè ad
iunctus titulus, de uerbor. ſignifica. ut diſcentes admonerentur proprietatis
magnam eſſe obſeruationem in legatis. Neque minus eſt cauenda amphibo-
lia in aſſignandis legatis. Nam & ea deputationem legati reddit incertam, &
nonnunquam irritam, ut ſi quis ita ſcribat: Volo Titium habere fundum,
nec adijciat quem fundum, aut quantam eius partem, non ualet. Nam legatū 25
conſiſtens in genere generaliſſimo, uel ſubalterno, pro nullo habet, quia in-
certa eſt rei legatæ conditio, oportet enim legatum contineri certa ſpecie,
Ratio colligẽdæ uoluntatis in ambiguo ſcripto. aut quantitate, aut facto. l. cùm poſt. §. gen. ff. de iure dotium. Itaque uiden-
dum eſt in legatis, ut ſub ea appellatione comprehendantur, quæ proximè ac
cedant ad indiuiduum, & rem certam ſignificent. Si ſecus factum fuerit, uten
dum eſt regulis, quibus iureconſulti, cùm in alijs, tum in titulo digeſtorum
de rebus dubijs, nobis tradiderunt rationem colligendæ uoluntatis in ambi-
guo ſcripto teſtatoris. Iſtarum uerò regularum genera nos cõſtituimus pecu
liari quodã titulo complecti. Nam earũ uſus multus eſt, nõ modò in colligen
dis ſententijs ultimarum uoluntatum, ſed & in contractibus, & omnibus in-
ſtrumentis, quib. obligationes non ſatis cautè conceptæ ſunt: Volo itaque
harum regularum tractationem eſſe multis alijs formis communem.

Sicut autem hæredibus, ita & legatarijs ſubſtituī poteſt. l. ut hæredibus. ff. 26
Scripturæ captatoriæ. de legat. ij. Item captatoriæ ſcripturæ, non magis ualent in legatis, quàm in
inſtitutionibus, l. captatoriæ. ff. de legat. i. Itaque legatum extra hæredem in
tertij arbitriū collatum non ualet, quia uoluntas teſtatoris inde fit incerta, &
tamen permiſſum eſt, ut in hæredis uoluntatem tanquam in boni uiri arbitri-
Cõditionalia legata. um conferatur. l. ſi ſic legatum. ff. de legat. i. Poſſunt quoque legata pœnæ
nomine relinqui, ſi conditio appoſita fuerit honeſta & poſsibilis. Nam ſi quid
tale iniungitur legatario, quod turpe ſit eum facere, aut quod præſtare non
poſſit, conditio pro non appoſita habetur, & ipſi nihilominus legatum debe-
tur, iuxta titul. ff. & C. de his quæ pœnæ nomine relinq. Non autem ſtatim
id, quod legatū eſt, debetur. Nam purè legata, uel in certum diem relicta, ce
dunt à morte teſtatoris, exceptis quibuſdam caſibus. l. ij. ff. quando dies leg.
ced. & C. de cad. toll. §. cùm igitur. & §. in nouiſſ. Conditionalia uerò, uel in
Cedere diem. diem incertum relicta, cedunt exiſtente die, uel conditione. leg. legatarius.
§. ſi legatum. ff. de legat. i. & C. quando dies legat. ced. Cedere autem dies 27
dicitur, quando res promiſſa incipit deberi. l. cedere diem. ff. de uerborum ſi-
gnificatio. Poſtquàm autem dies legati ceſſit, ſi legatarius ante aditam hæ-
reditatem moriatur, tranſmittit illud ius ſuū ad hæredem, qui expectare cogi
tur, donec adita ſit hæreditas. Nam tum demum poteſt peti, quia legata ab hę 28
redibus, non ã teſtatoribus petuntur. Sed etſi uiuo teſtatore legati dies poſſit
cedere, ita ut in obligationem legatum ueniat, tamen poteſt teſtator ſuam uo
luntatem, ante extremum ſuum obitum reuocare & mutare. Nam ſicut in te
ſtamentis dictum eſt, cuiuſque uoluntas eſt ambulatoria ante extremum uitæ 29
exitum.

Adimitur autem legatum his ferè modis. Si teſtator manifeſta litura, ex- 30
pungat ſcripturam legati, aut rem legatam alienet, ut manifeſta ſit eius uolun
tas, quòd nolit legatarium eam conſequi. l. i. §. ſed etſi. ff. de his quæ in teſta.

delent.

delent. & de adimendis legatis. l. si rem legatam. At siquidem tale quid factum fuerit à testatore, extinguitur obligatio legati facto & uoluntate testatoris. Sed perit legatum nonnunquam etiam casu, ut si res legata, præter culpam hæredis specificetur, puta: si ex lana legata pannus sit factus. Nam placet Iure consultis hæredem isto casu liberari à præstando legato, & tamen idem Ius esse negant in rudi argento legato, si ex eo scyphus factus sit. Etenim hunc dicunt exigi posse l. lana legata. ff. de legat. i. Item liberatur hæres à necessita-
32 tate soluendi legatum, si res legato ex causa lucratiua (ut est donatio) in pos-
31 sessionem legatarij ueniat. Regula enim iuris est, duas lucratiuas causas in eundem hominem eandemq; rem concurrere non posse. secus fit, si ex causa
33 onerosa (ut est emptio) rem consecutus est legatarius. l. si seruus legatus. §. id quod. ff. de legat. i. Enumerantur passim in titulis de legat. i. ij. iij. multi alij casus, quibus legata fiunt irrita, quos longum nimis esset hic omnes allegare, & inutile quoque, cùm satius sit, eos ex ipsis legibus, ubi in specie facti ponuntur, petere. Deinde nos quoque plerosque infr. de iure illorum, quæ sub conditione, causa, aut modo in testamentis, uel Codicillis relinquuntur, annotabi
34 mus: Itaq; sufficiat generales quasdã regulas in cõpendio tradidisse, ex quib. intelligi possit, legatũ aliquãdo uoluntate testatoris, aut casu fieri irritũ. Nam & Imperator cùm uellet complecti istos casus, quibus legatum fieret caducum, sufficere existimauit, si genera talium casuum indicasset in titul. C. de cad. toll. Facit autem tria tantùm eorum genera. Primum esse dicit eorum, quæ cùm scripta sint, pro non scriptis habeantur, ut si quis leget illi, qui non sit in rerum natura. Talium casuum plures annotauimus suprã, cùm ostenderemus, à quib. quæ res, qua forma, quoq; modo legari quid posset, uel non. Secundi generis dicit, quæ sint in causa Caduci, & in eo genere collocat, quorum prestandorum obligatio deficit, si legatarius non faciat id, cuius gratia illi aliquid legatũ est, aut conditio, in quam relictum est, non existat. Nam ideo quoque dixisse uidetur, ea esse in causa caduci, quia causa magis deficit, quàm
35 per se legata isto casu. Tertij generis esse dicit, quæ post mortem testatoris, quocunque casu aut ratione deficiant, & illa sola propriè caduca dici posse contendit. Quia enim illorum dies cessisse uidetur mortuo testatore, cùm postea deficiunt aliquo casu, tanquam nece extincta pereunt.

Si res legata specificetur in aliam formam.

36 Fuit autem lex, quę dicta est Papia, qua prohibebantur hęredes adire hęreditatem antequam apertæ essent tabulæ. Vnde sæpe accidit, ut cùm in tempus subinde differretur tabularum testamenti resignatio, legata ex mora fierent, propter incidentes casus, caduca, & ad Fiscum deuoluerentur. Ne igitur hoc porrò fieret contra uoluntatem testatoris, cum iniuria hæredum legatarij, sublata est lex Papia, iuxta titul. C. de cad. toll. & ratio succedendi in legato caduco tradita, quam ego propterea huc non referam, quia satis copiose ibi explicatur, & de iure accrescendi rursum eius successionis facienda erit mentio. Præter eos casus seruandi legati, qui in eo titulo traduntur, certis quibusdam personis ex Iuris beneficio conseruantur legata etiam cùm Testamentum per bonorum possessionem contra tabulas ruptum est, iuxta titul.
37 ff. de præstan. legat. Et rursum eadem clementia & æquitate iuris aliquid detrahitur legatis, cùm per ea ita hæreditas exhausta est, ut si penitus præstanda sint, hæredi instituto, aut ab intestato uenienti, legitima hæreditatis portio non maneat reliqua. leg. ultim. C. quando di. lega. ced. Et habet quidem hæc defalcatio non solùm locum in legatis, sed in omnibus singularibus relictis, cuiusmodi sunt fideicommissa singularia, donationes causa mortis factæ, & donationes inter uiuos morte confirmatæ. C. ad l. Falcidiam. leg. penult. Quibus autem obseruationibus Iuris, hæc defalcatio singulorum relictorum fiat, præter necessitatem arbitror multis hic indicare, cùm leges huc pertinentes satis perspicuè eas tradant, ita ut non uideam, quid possit ad huius iu

Lex Papia.

L. Falcidia.

ris cognitionem requiri, si Authenticum de triente & semisse, titulis de Falci
dia adiungatur. Nam in eo peculiariter traditur, quæ pars hæreditatis pro nu 38
mero liberorum, nouissimo iure habeatur legitima, nimirum, si minus fue-
rint quãm quinque, tertia pars: si uerò quinque aut plures, dimidia aut semis-
sis. Est igitur hoc Authenticum, titulis de Falcidia tanquam auctarium an-
nectendum, ita futurum est enim, ut ratio & ius defalcandi discentibus plenè
constet. Nonnunquam legatis accedunt usuræ & fructus. Nam si hæres nul-
la iusta causa cesset legatum præstare post aditam hæreditatem, tum sicut in
aliis bonæ fidei iudicijs ex mora eius debentur legatario usuræ & fructus,
quos ex re legata percepit. C. de usuris legat. & fideicommiss. & l. in mino-
rum. C. quibus ex causis in integ. restit. non est necess. Sed hæc magis in a- 39
ctionibus petendi legatum, quãm in iure legandi, ueniunt consideranda. Cę
terũm illis, quę de adimendis legatis diximus, adiungendus est titulus digesto
rum, de his, quæ ut indignis auferuntur. Nam in eo multa enumerantur delí-
cta, quorum odio leges negant legatarijs legata, & ea aut fisco, aut hęredi, per
quem præstanda sunt, conceduntur.

TITVLI QVIBVS TRADVNTVR

Iura relinquendi, præstandi & adimendi legata.

ff.

De legatis & fideicommissis i. ij. iij.
Quando dies legati, uel fideicommissi cedat.
De his quæ pœnæ relinquuntur nomine.
De regula Catoniana.
De his, quæ pro non scriptis habentur.
De legatis præstandis contra tabulas bonorum possessione petita.
De adimendis & transferendis legatis, uel fideicommissis.
Ad legem Falcidiam.

Instit.

De legatis. De lege Falcidia.

Cod.

De legatis.
Communia de legatis & fideicommissis.
De his quæ pœnæ nomine in Testamentis, uel Codicillis relinquun-
tur.
Quando dies legati uel fideicommissi cedat.
De caducis tollendis.
De his qui ante apertas tabulas hæreditatem transmittunt.
Ad legem Falcidiam.

TITVLI QVIBVS TRADVNTVR SPECIA-

lia Iura, pro legatarum rerum ratione obseruanda.

ff.

De annuis legatis & fideicommissis.
De usu, & usufructu, & habitatione, & operis per legatum uel fideicom
missum relictis.
De seruitute legata. De dote legata.
De opinione & electione legata.
De tritico, uino, uel oleo legato.
De peculio legato. De penu legato.
De suppellectile legata. De alimentis, uel cibarijs legatis.
De auro & argento, mundo & ornamentis, unguentis, uestibus, uel ue
stimentis & statuis legatis.
De liberatione legata.

Non ideò de rebus, quarum in his fit mentio, seperatim agitur, quòd alia ali
qua

qua ratione aut forma, quàm indicauimus, legarentur, sed quia uariæ solent in talibus legatis oriri disputationes, magis, quàm in reliquis, placuit Iurecon
40 sultis, in illis proponere quasdam regulas ueterum, quas in decidendis eiusmodi controuersijs sequeremur. Ac possunt talium titulorum leges non solũm in decidendis legatorum controuersijs, uerumetiam in alijs disputationibus, quibus de scripto & sententia contenditur, esse usui. Nam habent exempla exquisitissimarum interpretationum ad occurrendum cauillationibus rixatorum.

DE FIDEICOMMISSIS.

Caput LVI.

SVMMARIVM.

1. Fideicommissum quid.
2. Fideicommissum esse aliud uniuersale, aliud singulare.
3. Legata oratione enunciatiua, fideicommissa precatoria, uel mandatoria relinquuntur.
4. Fideicommissa à legatis in quibus differant.
5. Quadrantem hæreditatis totius hæres sibi seruat.
6. Fideicommissa singularia & legata exæquata esse.
7. Clausula codicillaris ad quid adhibeatur.
8. Fideicommissa uniuersalia non esse exæquata legatis.
9. In deducenda quarta quid sequendum.
10. De senatusconsulto Trebelliano.
11. Quando cogatur hæres adire hæreditatem.
12. Fideicommissa aliquando cedere à tempore mortis testatoris.

Fideicommissum quid.

1 FIDEICOMMISSVM in genere dicitur: quod fidei hæredis instituti aut ab intestato uenientis, à testatore committitur alteri dandum. Sunt autem fideicommissorum duæ species, aut enim testator rogat hæredem, ut alicui hæreditatem ab eo aditam
2 restituat, aut separatim, res singulas indicat illi dandas. Itaq; dici potest, aliud fideicommissum esse uniuersale, aliud singulare. Atq; est quidẽ fideicõmissum singulare per omnia simile legato. l. 1. ff. de leg. 1. Eodẽ nanq; iure utimur in eo relinquendo, adimendo, præstando, transmittendo, petendo, quo in legatis. Neque ulla obseruatione iuris, sed forma orationis paulum ab eo uariat, nam legata oratione enunciatiua: fideicommissa, precatoria, uel mandatoria relinquuntur. Habet & in fideicommissis singularibus locum Falcidia, sicut in legatis. Quia uerò fideicommissa uniuersalia, alia
4 quadam ratione defalcantur, obseruandum erit, legatis & fideicommissis singularibus detrahi quartam, aut iure institutionis, aut iure naturæ debitam. Cũm testator ultra dodrantem nomine legati, aut fideicommissi in Testamento uel Codicillis, aliquid reliquit per hæredem institutum, soluendum, tum lex Falcidia illi permittit, ut de singulis legatis & fideicommissis singularibus
5 pro portione cuiusque, tantum detrahat, ut quadrantem totius hæreditatis ipse sibi seruare possit. l. ij. C. ad leg. Falcidiam. Ne enim frustra institutus uideatur, lex hoc illi permittit, ut quartam hæreditatis semper sibi retineat. Itaque Iure institutionis illa quarta dicitur debita. Si uerò testator in Codicillis reliquit legata, aut fideicommissa singularia, ab hærede ueniente ab intestato præstanda, tum pro numero liberorum iuxta Authent. de triente & semisse, retinet legitimam iure naturæ debitam. Naturalis enim ratio & æqui-
6 tas postulat, ne liberi parentum legatis aut fideicommissis spolientur. Ita uidetis per omnia nouissimo iure exæquata esse fideicommissa singularia & legata. Neque debet quidem quenquam mouere, quòd in §. præterea. Instit. de fid. hæred. dicitur, legata non ualere, nisi ex Testamento relicta sint. Nam ista ex uetere Iure eò translata sunt, sicut pleraque alia, passim nouissimo iure incircumspectè adiecta sunt ab illis, qui non perpetua oratione sua,

Fideicõmissa à legatis in quibus differant.

Fideicõmissa singularia.

sed exceptis undique ex aliorum dictis & scriptis uolumina iuris contexuerunt. Nouissimo nanque iure, tam ex Testamento, quàm ex Codicillis, modò perfecti sint, contra §. i. Instit. de singulis rebus per fideicommiss. relict. tam ā legatario quàm hærede legata, & fideicommissa relinqui possunt. Nam sicut dictum est, legata fideicommissis singularibus exæquata sunt. l. i. ff. de legat. i. Itaque quamuis olim non potuerunt legata relinqui, nisi ex Testamento, & ab hærede, tamen nouissimo Iure in Codicillis perfectis à legatario, uel hærede, legata ualent ut fideicommissa, iuxta totum titulum C. communia de legatis & fideicommiss. Sicut nec hæreditas relinqui in Codicillis, nisi ex fideicommisso potest. Itaque solet hæc clausula in Codicillis adijci ferè (si non ualet ut legatum, ualeat omni meliore Iure, quo ualere potest) Videndum igitur an Codicilli perfecti sint nec ne, cùm legata in illis negare petentibus uolumus. Nam ex imperfecta uoluntate credendum est, nec Imperatorem sibi quicquam uendicare. l. ex imperfecto. ff. de legat. iij.

Clausula codicillaris. 7

Porrò fideicommissum uniuersale non est exæquatum legatis. Nam talia fideicommissa, siue ex Testamento, siue ex Codicillis relinquantur, suo quodam iure præstantur. Licet tamen hoc habeant cum legatis & fideicommissis singularibus commune, quòd tam ab intestato, quàm ex testamēto relinquantur in Codicillis, §. præterea. Instit. de fidei. hær. In cæteris obseruationib. ferè sequunt Iura institutionū & substitutionum. Planè enim ijdem eędemq; res, ijsdē relinqui aut adimi, in fideicommiss. uniuersalibus possunt, sicut in institutionib. & substitutionibus. Nam & in his substitutionum Iura locum habent. Etenim potest & is, cui restituitur hæreditas, rogari, ut id rursum alij totum uel partem eius restituat. §. præterea. Instit. de fideicommiss. hæred. Sed in deducenda quarta, aut Iure naturę, aut Iure institutionis debita, partim Ius institutionum sequitur, partim suum quoddam habet ius, quod tamen non multum ā Falcidia legatorum uariat. Si commissum est hæredi ab intestato uenienti, grauatus retinet legitimam, aut repetit solutum, iuxta Authentic. de triente & semisse. Si ab intestato hæredi relictum est fideicommissum uniuersale, tum S. C. Trebellianum illi ius facit, ut rogatus eatenus restituat hæreditatem: quatenus ipsi iure institutionis quarta totius maneat salua & integra, sicut de Falcidia in legatis diximus. Hoc quoque Iuris concedit idem S. C. fideicommissarijs uniuersalibus, ut cogere possint hæredem recusantem, ut adeat hæreditatem, eamq; illis restituat, iuxta titulum Digestorum & C. de S. C. Trebelliano. Sed de iure cogendi hæredem ut adeat, infrā de acquirenda & omittenda hæreditate, postquam omnes successiones explicauerimus, dicendum est. Proinde quamuis fideicommissorum uniuersalium dies non cedat ante aditā hæreditatem, tamen quia cogere talis fideicommissarius hæredem Testatoris potest, ut adeat, uidetur & ante aditam dies eius cessisse, ita ut mortuo fideicommissario, antequam hæres adeat hæreditatem, fideicommissa hæreditas nihilominus transmittatur ad hæredes eius. Singularium autem fideicommissorum dies cedit, sicut legatorum, uidelicet, ut si purè in illis aliquid relictum sit, statim id ā morte Testatoris in obligationem ueniat, & mortuo fideicommissario transmittatur ad hæredes. si uerò sub conditione, tum demum, ubi ea extiterit. Et quia tanta est similitudo iuris in legatis & fideicommissis singularibus, Tituli quoque, quos suprà annotauimus, huc referendi sunt, & illis coniungendi, quibus peculiariter de illis agitur, ut sunt:

Fideicōmissa uniuersalia. 8

S. C. Trebel. 9 10

11

12

Cod.

De fideicommissis.

Instit.

De fideicommissarijs hæreditatibus.

De singulis rebus per fideicommissum relictis.

QVAE

QVAE CONDITIONES, CAVSAE AVT modi uitient dispositiones uoluntatum, uel non.

Caput LVII.

SVMMARIVM.

1. Quare singulatim de conditionibus & causis agat.
2. Argumentum ab ultimis uoluntatibus ad contractus ualidum in iure.
3. Conditio quid dicatur.
4. Dispositiones uoluntatum qualiter concipi queant.
5. Falsam causam legatum non uitiare.
6. Error testatoris probandus.
7. Conditiones in futurum conceptæ dupliciter.
8. Natura simul & legibus prohibita quæ. 9. Impossibile quod turpe.
10. Iurandi copiam hominibus concedere, periculosum.
11. Impossibilis conditio quæ. 12. Mercurinus Cæsaris Cancellarius.
13. Potestatiuæ conditiones in quibus consistant.
14. Hæredem non tuetur alterius cessatio. 15. Onus dandi quomodo leuetur.
16. Personarum conditiones in dando spectẽtur. 17. Conditionẽ impleri de iure.
18. Conditio pluribus imposita, si ab uno præstetur, an liberentur reliqui.
19. Cautio Mutiana quæ dicatur. 20. De casuali conditione.
21. Conditiones tacitè subintellectæ, legata non faciunt conditionalia.
22. Modus dispositionibus quando dicatur adiectus.

1 DVO sunt quæ me mouent, ut seperatim de conditionibus, causis, & modis, qui uoluntatum dispositionibus interseri solent, agam. Primum est, quòd omnibus ultimis uoluntatibus pariter adiici possint. Itaque ne in singulis repetitio eiusdẽ doctrinæ, fieret molesta, commodè fieri arbitratus sum, ut tanquam communis appendix omnibus harum tractatio adiungeretur. Alterum est, quòd pleraque, quæ hic de illis dicturi sumus, etiam ad obligationes & contractus referri possunt, ut utile uideatur generali capite ea complecti, ad quod discentes, cũm opus sit, recurrant. Valet enim argumentum ab ultimis uoluntatibus ad contractus, & econtra, iuxta Dy. circa l. seruum filij. §. eum qui. ff. de legat. 1. Et l. obligationum ferẽ. ff. de actionibus & obligationibus, indicat conditiones, modos, & causas apponi, sicut iam dicemus, ultimis uoluntatibus annecti. Quare non abs re fuerit, generali tractatione talium uim explica
3 re, ut ubicq; accommodari facilius possint. Dicitur autem propriè conditio, quædam uoluntatis suspensio in futurum euentum alicuius rei collata. Nam quę in præteritum, aut præsentem euentum conferuntur, eorum obligatio non ita suspenditur, sed statim ubi compertum est, sic se rem habere, quemadmodum opinati sumus, aut non, res etiam promissa debeatur, aut non. l. itaq;. ff. si cer. pe. ut si quis ita leget, aut aliquid promittat: Si concilium generale est indictum principibus Germaniæ, aut Cæsar tenet Gallias, lego, aut promitto centum aureos. Quamprimũm id constiterit de Concilio, aut Cæsare, centum debentur, aut si quid secus esse compertum est, non debentur. l. cũm in secundo. ff. de iniusto. rup. & irri. facto testam.

4 Possunt igitur tales dispositiones uoluntatum, quæ in pręteritum, aut præsens concipiuntur, uel causales, uel cõditionales dici. Nã causa inserta dispositioni dicitur, cũm uoluntas ad præteritum aliquod factum, aut meritum relata est, ut si quis ita leget Titio debitum. Nolo ã Titio decem aureos peti, quia eos mihi soluit, aut sic de me meritus est, ut ultrò illos ei remittam. Atque in
6 tali quidem dispositione, siue soluerit Titius, aut non, nihilominus debetur
5 legatum, nisi hæres probet errorem Testatoris. Nam falsa causa non uitiat legatum, nisi liquido probari possit, testatorem aliud uoluisse. l. 1. C. de fal. causa adie. in legat. uel fideicommisso. Quia uerò causæ nonnunquam

conditionali oratione exprimuntur, generalis hæc traditur regula de cauſis adiectis, quòd falſa cauſa non uitiet legatum, aut quamuis aliam uoluntatem, niſi conditionaliter adiecta ſit. Nam tum prout de ea conſtiterit, legatum in obligationem uenit. l. cùm tale. §. falſam cauſam. ff. de conditionibus & demõſtrationibus. & §. longe. Inſtitut. de legatis. Licet igitur cauſæ conditionaliter in uoluntatum diſpoſitionibus apponantur, tamen ea ſola diſpoſitio rectè dicitur conditionalis, quæ in futurum euentum concepta eſt. Id uerò fit aut expreſſe, aut tacitè. Expreſſe, cùm claris uerbis apponitur conditio. Tacitè, cùm ea non exprimitur uerbis, & tamen honeſtas & æquitas, uel ipſa rei ratio ſuadet, eam appoſitam intelligi. Vt ſi quis filium hæredem ſcribat, cum hac ſubſtitutione, quòd ſi decedat, alteri hæreditatem reſtituat, tum tacitè ſubintelligitur conditio, ſi decedat ſine liberis. l. generaliter. C. de inſtit. & ſubſtit. ſub condition. fac.

Porrõ conditionum, quæ in futurum concipiuntur, aliæ ſunt poſſibiles, aliæ impoſſibiles. Poſſibiles dicuntur, quas communis natura & rerum curſus legibus non prohibentibus fieri facilè patitur. Et harum alia eſt poteſtatiua, alia caſualis, alia mixta. C. de cad. toll. §. ſin autem aliquid, & de neceſſarijs hæred. inſtitu. l. ultim. Poteſtatiua dicitur: quæ ut exiſtat, in hominis arbitrio poſitum eſſe uidetur. l. ſuus quoque. §. puto. ff. de hæred. inſtitu. Vt ſi quis ita ſcribat: Volo te hæredem meum eſſe, ſi animum ad diſcendas literas adieceris. Caſualis, quæ ex fortunæ clementia pendet, nec, ut exiſtat, in hominis eſt poteſtate, ut eſt uictoria. Mixta uerò conditio, eſt euentus, qui cùm ſtudio noſtro quæratur, fortunæ tamen arbitrio gubernatur, ut ſi quis alicui promittat aut leget mille, ſi captum à Turcis in acie filium ſuum ſibi ſoſpitẽ reſtituat. Etenim ſine conatu hominis id non fit, attamen ſummus eius conatus eſt irritus, niſi propitiam habeat fortunam. Impoſsibiles iudicantur, quas uel natura, uel leges fieri prohibent. Natura, ut cœlum digito attingere, aut efficere, ut bis quinque non ſint decem. Leges, ut ſi puellæ ſub hac conditione legentur centum, ſi non nubat. Nam talis conditio tanquam publicæ utilitati contraria, remittitur, ſicut & uotũ. l. quoties. ff. de con. & demonſtrat. & gloſſ. cir. Authenti. cui relictum. C. de indict. uid. toll. Idem iudicandum eſt de omnibus, quæ legibus interdicta ſunt, de quibus infrà, in capite de obligationibus ex lege, dicemus. Videntur autem natura ſimul & legibus prohibita, quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, uerecundiam noſtram, & (ut generaliter dixerim) quæ contra bonos mores fiunt. Itaque nec facere nos ea poſſe credendum eſt. l. filius qui. ff. de cond. inſtit. Honeſtus nanque uir, omne id quod citra turpitudinem fieri non poſſet, pro impoſsibili habet. Itaque ſi quis ita ſcribat: Titius hæres meus erit, ſi reliquias parentum in mare ſparſerit, rectè ſub impoſsibili conditione inſtitutus iudicatur. l. quidam. ff. de cond. inſtitu. Præterea cenſentur quædam iure impoſsibilia, quæ in ſpeciem honeſtè poſſe fieri uidentur. Vt ſi quis in teſtamento ſcribat: Lucium ſibi fore hæredem, ſi iureiurando promittat, ſe illud aut illud facturum, uel daturum alicui, nam etſi fortè præſtare id poſsit, & ita iurarit citra pietatis offendiculum, tamen quia periculoſum eſt, hominibus iurandi copiam concedere, iure cautum eſt, talem conditionem reprobandam eſſe. l. quæ ſub conditione. §. ulti. ff. de cond. inſtit. Poſtremò impoſsibilis conditio cenſetur, ſi temporis anguſtia, aut negotij difficultas neget facultatem parendi conditioni, ut ſi quis leget, aut promittat centum Dauo, ſi intra octiduum ex Vngaria pepones ad nos deferat: aut Mercurino promittat mille, ſi omnium ciuilium onerum immunitatem à Cæſare nobis impetret. Nam & tales conditiones, quamuis iure & natura permittente fieri poſsint, tamen de facto impoſsibiles non fruſtra habentur, ſux. Bar. cir. l. i. ff. de cond. inſtit. & cir. l. obtinuit. ff. de cond. & demon.

Conditio Poteſtatiua.

Caſualis. Mixta.

Impoſsibiles

Impoſsibile quod turpe.

8

9

10

11

12

Iam

Iam postquam ostendimus, quæ sint conditionum in futurum conceptarum differentiæ, uidendum est, quid iuris obseruetur, cũm adiectæ ultimis uoluntatibus aut contractibus inueniantur. Et impossibilium quidem conditionum, una & expedita est regula, quòd nec institutiones, nec legata, nec fideicommissa, nec obligationes rescindant uel euertant, sed pro nullis habeantur. Nam ἀδύνατος conditio pro non scripta accipienda est. l. mulier. & l. conditiones quæ contra, & l. si quis institutus. ff. de condit. instit. Sed possibilium conditionum uariæ sunt iuris regulæ, iuxta uarias earum differentias. Nam ut primũm dicam, quatenus institutionibus apponi possunt, obseruandum erit, quòd cũm quælibet possibili conditione hæredes instituí possint, tamen liberi non nisi sub potestatiua rectè instituantur. l. suos quoque. in princi. ff. hæred. instit.

Conditiones impossibiles in ultimis uoluntatib. pro nullis habentur.

Potestatiuæ conditiones.

13 Consistit autem potestatiuarũ conditionum alia in dando, alia in faciendo. Si in faciendo, tum uidendum est, an sit promiscua, id est, talis, quæ uel uiuo, uel mortuo Testatore impleri possit, nihil obstat, quò minus quis hæreditatem consequatur, quocunque tempore conditioni paruerit, leg. ij. & l. si iam facta. §. item sciendum. & leg. conditio. ff. de condition. instit. & C. de conditio. instit. l. si quis. Si uerò conditio consistit quidem in faciendo, sed pendet ex arbitrio alterius ut existat, tum si constat testatorem scienter sic in-
14 stituisse hæredem, necesse est eam impleri, nec hæredem tuetur alterius cessatio: secus si nõ perspexerit Testator conditionem ex alterius arbitrio pendere. l. in Testamento. ff. de condit. instit. & l. ult. C. de conditio. insertis. Neque datur excusatio, si conditio in dando est. Nam & illi parere oportet eum, qui consequi id uelit, quod ipsi sub ea legatum aut promissum est, cuius iuris exempla sunt in l. Meuius. ff. de condition. instit. & l. ij. ff. de condition. & demonst. Si tamen id quod dandum est, excedat legatum, adeoque relictum datori, non cogitur id præstare. Neque enim grauari quis ultra id, quod illi relictum est, potest. l. Imperator. §. cũm quidam. ff. de legat. ij. excep-
15 tis paucis quibusdam casibus quibus speciale ius obseruatur, sicut indicat glos. ci. eandem leg. In reliquis omnibus casibus, præter ibi notatos, hoc iuris obseruatur, ut relictum sub conditione dandi, eatenus minuatur, quatenus illi, qui grauatus est onere dandi, tantundem maneat reliquum, quantum alijs dare iussus est. Nam ubi amplius quid ab illo exigitur, iura permittunt, ut onus dandi leuetur, ita ut æqua portio relicti maneat apud datorem. l. Platius. §. item scindatur, & ibi gloss. ff. de condit. & dem. Atque hoc quidem fit, cũm alij præter hæredes scriptos aut legitimos onerati sunt conditione dandi. Nã scriptos hæredes ultra quartam, & legitimos ultra legitimam non posse grauari, suprà de legat. & fideicom. ostendimus. Solent autem & conditiones per-
16 sonarum in dando spectari. Non enim sufficit aliquid pupillo, aut alij, qui est in potestate alterius, datum esse, nisi in eius utilitatem uertatur, quod datum est. l. si seruus dotem. ff. de solutione. Non tamen requiritur in persona eius cui debet aliquid dare, quòd sit capax. Quid enim interest an tali personæ dari iubeatur, aut proijci in mare, cũm conditio dandi, nudum tantũm ministerium requirat, nec refert, an datum fiat accipientis, uel non. l. Meuius cui. ff. de
17 condit. & demonst. Itaq; sufficit quandoq; de facto tantũm paruisse conditioni. Quamuis enim regulariter necesse sit, conditionem de iure impleri. l. penult. ff. quando dies legati cedit, tamen cũm id fieri non potest, satis est eam facto impleri. Casus est in l. mulier. §. si quis. ff. de conditio. instit. Apponuntur dispositionibus uoluntatum aliquando etiam plures conditiones. Et id quidem aut copulatiuè aut disiunctiuè. Si copulatiuè, necesse est eas omnes impleri simul. Si disiunctiuè, sufficit uni paruisse. leg. hæredit. ff. de con-
18 dition. instit. Sed quid si pluribus imposita sit conditio præstanda, sufficit ne per unum eam impleri? Respondeo, Si diuidua est, posse eam impleri

Onus dandi quomodo leuetur.

pro

pro proportione eius, quod quisque cum alijs præstandum haberet. l. si plures. C. de condition. inser. Si uerò indiuidua est, tum non sufficit eam ab uno impletam, nisi id manifestè, in dispositione uoluntatis cautum sit. l. si ita fuerit. ff. de manumiss. testa. Et de condit. & demon. l. talis.

Conditio plurib. imposita, si ab uno præstetur, an liberentur reliqui.

Porrò si conditio sit in non faciendo, aut non dando, Vt si quis alicui leget 100. si non deficiat à doctrina Euangelij, tum hoc modo iuris obseruatio distinguitur, Vt si ante mortem eius qui oneratus est tali conditione, certò statui non possit, an illud quod in adiecta conditione facere prohibetur, facturus sit nec ne, an proinde non possit impleri conditio, ut peteret legatum, requiri debeat ab eo cautio, qua satisdet, quòd si secus faciat, quàm iussus sit, præstitum restituat, & talis cautio ab autore, quo primum prodita est, dicitur Mutiana. l. Mutianæ. ff. de condit. & demonstrat. Si uerò ea est ratio conditionis in non faciendo & dando, ut de eius certitudine, ante mortem eius, qui eam præstare debet, constitui aliquid possit, clarum est, eam expectandam donec existat. Vt si quis promittat alicui 100. si stipendia apud Gallum bello iam moto non faciat. Nam quia euenire potest, ut intra paucos annos istud bellum finiatur antequàm desinat stipendia facere in bello posse, promissum non efficit.

Cautio Mutiana.

19

Hęc de cõditione potestatiua, iam de Casuali, in qua hoc præcipuè notandũ est, quòd liberi & nepotes, qui tempore conditi testamenti, suorum hæredũ loco fuerunt, non possunt sub ea instituí, nisi in casum non existentis talis conditionis, legitima ex causa exhæredentur. l. iij. ff. de lib. & posth. hæred. instituí. Reliqui uerò, quibus nõ obligamur naturæ, aut legum uinculo aliquid necessariò relinquere, rectè sub ea instituuntur. Deinde est & hoc in conditionibus casualibus obseruandum, quòd si talis sit conditio, quæ omni modo extitura est, etiãsi ignoretur tempus euentus, ea non suspendit dispositionem uoluntatis, sed perinde ac si non esset adiecta conditio, purè facta intelligitur. l. si pupil. §. si sub conditione. ff. de nouationib. Vt si quis promittat x. si moriatur, promissum statim debetur. Si uerò conditio possit existere, aut non euẽtus eius expectãdus. Neq; enim dilatio tollitur, nisi causa, in quã suspensa est dispositio, sublata sit. l. si quis. ff. de acq. uel amitt. hæred. In mixta causa uidendum est, an quis inclementia fortunæ impediatur, quò minus faciat quod iussus est. Et isto casu obseruantur, quę in casuali conditione obseruari diximus. Aut ex eius cessatione cui quid relictum est, conditionis existentia differtur. Nam tum nõ admittitur ad petendum relictum, nisi pareat conditioni. Quia sua culpa sibi deesse uidetur, sicut is qui negligit potestatiuæ conditioni parere. In nullo nanq; casu quis consequitur id, quod illi sub conditione promissum est, si per eum solum stet, ut non existat conditio. Secus si alterius qui illi in præstanda conditione iunctus est facto, deficiat conditio. Nam si in testamento ita scriptum sit: Stichus & Pamphila liberi sunto, & si in matrimonium coierint, hæres meus his centum dare damnatus esto, certè si Stichus nolit Pamphilam ducere, cùm illa parata sit illi nubere, legatum illi debetur, & portio Stichi inutilis fit. l. in testamento ita erat. ff. de condit. & demonstrat.

De casuali conditione.

20

Est & hoc regulare in omnibus conditionibus, ut si tacitè subintelligantur, legata non faciant conditionalia. l. conditiones, & l. conditionibus. §. hęc scriptura. ff. de condit. & demonstrat. Cæterùm pauca sunt, quæ de modo dispositionibus uoluntatum adiecto uidentur annotanda. Nam eadem propè ratio iuris est, in modo, & conditione, quæ consistit in faciendo. Dicitur enim modus dispositionibus adiectus, quando certum quiddam ab eo requiritur faciendum, cui per legatum aut fideicommissum aliquid relictum sit. Sicut sunt legata ad cultum sacrorum. Neque differunt quidem legatum sub modo & conditione factum alia re magis, quàm quòd sub modo legatum statim possit peti, præstita cautione, de faciendo eo, quod postuletur, cùm

21

Modus dispositionibus adiectus.

22

dies conditionalis legati non cedat, nisi conditione existente. l. liberto. §. tutius. ff. de annu. legat. Et de fidei libert. l. cũm in testamento, & de legat. iij. l. si tibi legat. In alijs planè conueniunt modales & conditionales dispositiones, iux. glos. l. i. C. de his quæ sub modo legati, uel fideicommis. relinquuntur.

SEQVVNTVR TITVLI.

ff.

De conditionibus, & demonstrationibus, & causis, & modis eorum quę in testamento scribuntur.

Nemo miretur nos in argumento rerum, quæ sub hoc titulo continentur, nihil de demonstrationibus dixisse. Nam de illis in proximo sequenti capite agere constituimus, quia earum tractatio ad interpretationem ambiguæ uoluntatis pertinere uidetur.

De conditionibus Institutionum.

Cod.

De instit. & substit. seu restit. sub condi. factis.
De falsa causa adie. in legat. uel fideicom.
De his quæ sub modo legat. uel fideicom. relinquuntur.
De conditio. insertis, tam in lega. quàm fideicom. & libertatib.
Extant in tit. ff. de legat. i. ij. iij. pleræq; quæstiones conditionalium dispositionum, quæ tanq; casuum exempla huc referenda sunt.

DE INTERPRETATIONE DVBIORUM in dispositionibus uoluntatum.

Caput LVIII.

SVMMARIVM.

1. Dubitationem omnem ex tribus oriri, scilicet uerbis, facto, iure.
2. Testator potest quoties uult mutare uel declarare suam uoluntatem.
3. Voluntas ambulatoria est ad extremum.
4. Dubitatio an in nomine proprio aut appellatiuo.
5. Error nominis non impedit uoluntatem testatoris.
6. Ex bono & æquo multa in utranq; partem dici posse.
7. Propria uerborum significatio spectanda.
8. Consuetudo loquendi in dubia uoluntate sequenda.
9. Stilus iudiciorum spectandus.
10. Francofordia est duplex.
11. In obscuris minimum sequendum.
12. Naturalem iustitiam esse spectandam in testamentorum interpretatione.
13. Affectionis propensio & benignitas unde colligenda.
14. In ambiguis humanior sententia sequenda.
15. Sensus magis quàm uerba amplectendus.
16. Falsa demonstratio non obest legato.
17. Demonstratio quid.
18. Vltima uoluntas res sacra.
19. Omnes quando de facto tenentur.
20. Absurda multa, pro communi utilitate recepta esse.
21. Deliberandi ius & potestas datur hæredibus ab intestato.

PLACVIT & hanc commentationem separatim attingere. Nam ea non tam ad ultimas uoluntates, quàm ad contractus pertinet. Oritur autem omnis dubitatio, aut ex uerbis, aut ex facto, aut ex iure. Ac siquidem in ultimis uoluntatib. de uerborũ significatione dubitat superstite testatore, tum sicut uoluntatẽ suam 1 2 3 potest mutare, ita & declarare eã potest. Est. n. ultima uoluntas cuiusq; ambulatoria usque ad extremum uitæ exitum. l. iij. in fin. ff. de adimen. legat. Atq; id

id quidem facere poteſt, nulla adhibita ſolennitate. Nam in mutando teſtamento, non in declarando eadem, qua conditum eſt, requiritur ſolennitas. Quia per declarationem nihil datur, ſed datũ exprimitur. l. hæredes. §. i. ff. de teſtamen. Si uerò mortuus eſt teſtator, nec cõſtat quid uoluerit, nec uerilimiliter colligi eius uolũtas ex uerbis poteſt, tum uidendũ eſt, an dubitatio uerſe 4
tur in nomine proprio, aut appellatiuo. In nomine proprio, ſi conſtat de corpore (ſicut accidit cùm Iſaac benediceret Iacob, arbitratus eũ eſſe Eſau) error 5
nominis non impedit uoluntatem, iuxta gloſſ. l. hæredes circa uerb. poſſeſſion. ff. de teſtamen. Si uerò nomen conueniat, ſed de perſona non conſtat, nulla admittitur interpretatio. l. in tempus. §. quoties. ff. de hæred. inſtitu. Vt ſi quis plures habeat amicos Titios, & ita ſcriptum in Teſtamento relinquat. Titio amico meo 100. do, lego, tum niſi alijs apertiſsimis probationibus fuerit reuelatum, de qua perſona ſenſerit teſtator, legatum non uialet, iuxta l. iam allegatam. In appellatiuis uidendum eſt, an dubitatio de uoluntate Teſtatoris oriatur ex occaſione rei, uel uerborum, quibus res in Teſtamento legata, aut demandata eſt. Si ex occaſione rei, boni uiri, adeõque iudicis arbitrio committitur interpretatio. Vt ſi uxore hærede ſcripta, ita quis caueat: libertis meis omnibus alimentorum nomine ſingulis annis denarios xij. ab hærede dari uolo, ſi ab uxore mea non receſſerint, quæri poteſt, an ſi uxor aſſiduẽ proficiſcatur de ciuitate, liberti teneantur cum ea ire, quam quidem quæſtionem, ex occaſione aſſiduæ profectionis ortam, nemo non uidet. Ac poſſunt 6
multa ex bono & æquo in utranque partem dici, ſed iſta uarietas iuris, boni uiri iudicio dirimenda eſt. leg. Meuia. §. ultim. ff. de annuis legation. & de legat. iij. leg. Stichus. Si uerò ex ipſis uerbis teſtamenti naſcitur dubitatio, tum propria eorum ſignificatio ſpectanda eſt, nec licet nobis ab ea recedere, 7
niſi oſtendi poſſit firmis coniecturis Teſtatorem aliud uoluiſſe. l. non aliter. ff. de legat. iij. & de condit. & demonſt. l. in his. Si uerò conſtat teſtatorem aliud uoluiſſe, licet commoda interpretatione uerba ad eius uoluntatem deflectere. l. iij. §. interdum. ff. de rebus dubijs. Et iſto caſu nonnunquam etiam munus uſitata ſignificatio recipitur, argumento l. ult. ff. de iure deliberandi, & ad Trebell. l. ex facta. §. iij.

Porrò in interpretatione diſpoſitionum cuiuſcunq; uoluntatis nõ ſingula tantũm uerba, ſed integra oratio ſæpe ſpectatur, uidelicet cùm ſcriptum menti teſtatoris non ſatis reſpondere uideatur, niſi commoda interpretatione, ſcriptum accommodetur uoluntati. Id uerò fit, cùm aut communis loquendi 8
conſuetudo, aut naturalis iuſtitia, aut affectionis propenſio atque benignitas, aut publica utilitas conſideratur. Sub conſuetudine loquendi comprehenduntur tropi cuiuſque linguæ, & ſchemata ſyntactica, item uſus fori, aut 9
ſicut nunc loquuntur, ſtilus iudiciorum. Imò non ſingularum regionum ſolũm, ſed & oppidorum conſuetudo in interpretationibus ſpectanda eſt, iuxta legem, ſi de interpretatione. ff. de ll. Vt ſi quis alicui in ſuperiori Germania leget centum aureos, accipiendum eſt Rhenanos legaſſe: aut ſi quis mi- 10
hi hic promittat 10. ſi intra triduum Francfordiam eam, nec appareat, an de Francfordia quę eſt ad Moganum, an de ea, quę eſt ad Oderã ſita, locutus ſit, intelligendum eſt eam quæ in proximo ſita eſt, eum uoluiſſe accipi. Semper enim debemus aliorum uerba interpretari, ut res, de qua actum eſt, in tuto maneat, argum. l. quoties. ff. de rebus dubijs. & iuxta notata circa leg. cùm duo. ff. de in diem ad. Et eſt alioqui Regula iuris, quòd in obſcuris minimum 11
ſequendum ſit. ext. de reg. iuris. in vi. Quòd autem conſuetudo loquendi in interpretatione dubiorum ſequenda ſit, teſtatur Vlpianus in leg. liberorum. §. quod tamen Caſſius. ff. de legat. iij. & ibi dd. Naturalis autem iuſti- 12
tia ita ſpectatur in interpretatione uoluntatum, ut quod præſtare quis promiſerit, intelligatur præſtitiſſe quatenus omnino poſſit, leg. ſcire oportet. §.

ſufficit.

13 ſufficit.ff. de excuſ. tuto. Sed affectionis propenſio & benignitas colligitur ex præſumptione neceſsitudinis, aut familiaritatis, aut officiorum. Exempli gratia: quidam promiſit filiæ dotem, & pactus eſt cum genero, ut filia eius defuncta ſine liberis, portio dotis apud hæredem fratrem ſuum maneat. Sed accidit, ut ſocer ipſe liberos poſt illud pactum ex uxore ſuſcipiat, qui mortuo exiſtant hæredes præ fratre, quem putabat ſibi futurum hæredem, dum paciſceretur cum marito filiæ de retinenda portione dotis promiſſe. Ita defuncta filia ſine liberis, oritur quæſtio: an pactum debeat ita extendi, ut liberi retineant dotis portionem, licet pactum de fratre ſoceri tantùm agat, & Papiniamus cenſuit, ſic eſſe interpretandum iſtud pactum. Nam manifeſtum eſſe, quòd id inter contrahentes actum ſit, ut hæredibus conſulatur. Itaq; fratris mentione non uoluiſſe excludi liberos, ſed cùm nullos haberet liberos, ſupremum iudicium in fratrem contuliſſe. l. tale pactum. §. fin. ff. de pactis. Publica uerò utilitas ſæpiſſimè ſpectatur in interpretatione ſcriptorum, & puto exemplum quod eſt in l. ſi quis in graui. §. utrum autem. ff. de S. C. Velleiano, ſatis idoneum, ad explicandam eius interpretationis rationem. Ibi nanq; ſtatuitur, ut ſi ſeruus hac lege diſtractus ſit, ne manumitteretur, & is uindicet eædem domini, iux. promiſſionem libertatis, propter tale factum ſuum mereatur libertatem. Nam cùm publicè utile ſit, ut ſerui præmijs inuitentur ad perſequendas cædes dominorum, pactum, quo diſtractus eſt ſeruus, nolunt leges tam eſſe efficax, ut propter illud libertas illi negetur. Quod igitur uel 14 per ſe, uel ex caſu, qui poſtea accidit, ambiguum factum ſit, benignè interpretari, ſecundum id quod credibile eſt teſtatorem uel contrahentes cogitaſſe, debet, l. cum in teſtamento. ff. de rebus dubijs. Nam in ambiguis rebus humaniorem ſententiam ſequi oportet. l. ſi fuerit. §. plane. ff. de rebus dubijs. 15 Et melius eſt ſenſum magis quàm uerba amplecti. l. ſi quis ita. §. conditio. ff. 16 de adimendis legatis. Proinde nec falſa demonſtratio uitiat legatum, cùm de 17 corpore conſtat. l. demonſtratio. ff. de condit. & demonſtrat. Eſt autem demonſtratio, clauſula deſignandæ rei cauſa in diſpoſitione uoluntatis adiecta, ut ſi ſeruus ita legatus ſit: Stichum coquum lego, tum licet non ſit coquus, tamen ad legatarium pertinebit, ſi de eo ſenſiſſe teſtatorem conueniat, iux. iam alleg. l. & l. qui habebat. ff. de rebus dubijs. Atq; hæc quidem regulariter obſeruantur, cùm oratio diſpoſitionis per ſe eſt ambigua. Neq; uerò aliter interpretatur ſcriptum, cùm illud ex facto ſit dubium. Nam & tum benignio-rem ſequimur ſententiã in interpretanda uoluntate aliena. Vt ſi quis cùm duos haberet impuberes filios, ſubſtituerit Titium ei, qui ſupremus moreretur, ac accidat ut ſimul ambo filij in naue pereant, tum quia non conſtat uter prius uita deceſſerit, utriuſq; ſit hæres Titius, quaſi utriq; ultimi deceſſerint. l. qui duos. ff. de rebus dubijs.

Affectionis propenſio & benignitas.

Publica utilitas.

Demõſtratio quid.

Benignior ſẽtentia ſequenda.

Fiunt autem omnes iſtæ interpretationes ultimarum uoluntatum, ut iſtæ 18 tanquam res ſacroſanctæ non uiolentur. Nam ultimæ uoluntates, ſi fuerint incertæ, aut contineant aliquid iure uel moribus improbatum, pro iure & lege ſeruandæ ſunt. Authen. de nuptijs. §. 1. & ff. de capt. & poſtlimínio reuerſ. l. penult. in fin. Cæterũm ex iure oritur dubitatio, cùm diuerſa iuris ratio de facto ſub lege uel ſtatuto generaliter, & non expreſſe comprehenſo 19 pugnare uidetur. Vt ſi quis ã pluribus uulneratus ſit, nec appareat cuius ictu perierit, uidentur omnes ex l. Aquilia teneri. Sicut cùm plures furandi cauſa trabem ſuſtulerint, quam ſinguli ferre non poſſint, furti actione omnes teneri exiſtimantur. Quamuis ſubtili ratione dici poſſet, neminem eorum teneri, 20 quia uerum eſt, neminem eam ſuſtuliſſe. Multa nanq; in iure Ciuili contra rationem ſtrictam diſputandi, pro communi utilitate recepta ſunt. Quamuis abſurda uideantur. Itaq; quia in his caſibus abſurdius eſt, neutrum teneri, aut alterum tantùm, magis hoc receptum eſt, ut omnes teneantur. l. ita uul-

neratis.ff. ad l. Aquiliam. Sed de hac interpretatione dubiorum in pugnan
ti ratione iuris suprà in prima parte doctrinæ iuris diximus,& hæc tantùm at-
tigimus, ut in summa omnes species dubiorum indicaremus. Restat in hoc
schemate,de successionibus ex testamento dicendum,de iure deliberandi,&
iure accrescendi: sed quia & hæredibus ab intestato uenientibus datur pote- 28
stas deliberandi, uelint nec ne delatã hæreditatem adire,& tam in ista quàm
in hac successione hæreditas non adita ad alios deuoluitur, primam huius iu
ris tractationem utrisq; subiungamus, tanquam illis communem. Quamuis
autem passim in multis titulis extant exempla interpretandi dubia scripta,ta-
men nullus huc peculiariter pertinet præter illum cuius inscriptio est,
ff.
De rebus dubijs.

HISTORIA EMENDATI IVRIS de successione ab intestato. Cap. LIX.

SVMMARIVM.

1. De uetustissimo successionis iure.
2. Leges superiores posterioribus correctas esse.
3. Matris nulla in liberos potestas.
4. Sui hæredes domini.
5. Extranei hæredes qui dicantur.
6. Matris successio de nouo iure,seu medio inter uetustissimum & nouissimum.
7. Mater tam filijs quàm filiabus succedit.
8. Vnde liberi. 9. Vnde legitimi.
10. Vnde cognati.
11. Fisci ius in uendicanda hæreditate.
12. Vnde uir & uxor.
13. Matrimonialis necessitudo consideranda.
14. Vetustissimum, medium, nouissimum ius.
15. Quatuor esse gradus succedendi ab intestato.
16. Emendatio iuris succedendi.
17. Sui hæredes propriè sunt liberi.
18. Sui hæredes obtinent primum gradum successionis.
19. Naturales tantùm quomodo succedant parentibus.
20. Matri succedunt naturales.
21. Vulgò quæsitos à paterna successione excludi, matri uerò succedere.
22. Nati ex coitu damnato seu adulterio matri etiam non succedunt.
23. Naturales legitimati succedunt.
24. Patriæ potestatis differentia sublata.
25. Nepotes cum liberis primi gradus succedunt in stirpes.
26. Ascendentes quemadmodum succedant descendentibus.
27. Mater quando excludatur ab hæreditate liberorum.
28. Auus & auia cum fratribus & sororibus utrinq; coniunctis admittuntur.
29. Obuentio bonorum facit in successione differentiam.
30. Acquisita utrinq; bona pariter in uiriles portiones obueniunt.
31. Statuta uariant ius succedendi.
32. Collaterales quomodo succedant.
33. Fratrum liberi repræsentant parentes.
34. Cognationis & agnationis omnis sublata est differentia.
35. Fratrum liberi an succedant ei, qui fratres aut sorores non reliquit, in capita uel stirpes.
36. Consanguinei & uterini qui uocentur.
37. Germani dicuntur utrinq; coniuncti.
38. Qui prior est gradu, alios in successione excludit.

39. Ius repræsentationis cessat.
40. Fratres spurij an sibi inuicem succedant.
41. Cognationis ius ex matre oriri.
42. Incestuosi fratres non succedunt sibi inuicem.
43. Vir & uxor quomodo sibi succedant.
44. Vxor non dotata cum liberis ad bona mariti uenit.
45. Vxor an cum transuersalibus mariti succedat.
46. Vxor non extantibus liberis proprietatem portionis suæ consequitur.
47. Fiscus succedit deficientibus omnibus hæredibus.
48. In nouissimo plus æquitatis esse quàm in ueteri iure.
49. Religio parentum minuit liberis suum ius.
50. Monasterium nomine monachi petit hæreditatem eidem delatam.

1 NON semel mutata sunt Iura successionum ab intestato per Romanas leges. Nam subinde suadente ratione, atque usu rerum
2 superiores leges posterioribus aliqua moderatione Iuris correctæ sunt. Lex xij. Tab. inter successores intestati, primos fecit liberos utriusque sexus, qui in potestate defuncti, cùm moreretur, fuerant. Soli nanque illi inter liberos admittebantur ad successionem defuncti, qui in eius potestate, cùm moreretur, fuisse inueniebantur. Itaque emancipati excludebantur hæreditate patris defuncti, nec cuiquam liberorum dabatur successio in bonis maternis, quia matris nulla est in liberos po-
3 testas, iux. ea quæ suprà de potestate patria annotauimus. Atque hic quidem fuit primus gradus hæreditariæ successionis uetustissimo iure. Extantibus enim liberis, qui in potestate morientis fuerant, nulli ex ascendente
4 uel transuersali linea admittebantur. Vnde dicti sunt sui hæredes, qui hoc gradu ad successionem uocantur, tanquam illi, qui uiuente patre quasi domini rerum hæreditariarum fuerint. §. sed sui. Instit. de hæred. quali. &
5 diffe. Reliqui omnes ad defuncti hæreditatem uenientes dicuntur extranei, tanquam illi, qui cùm essent extra potestatem defuncti, ad eius successionem accerserentur. §. cæteri. Instit. de hæred. qualit. & diff. Inter extraneos autem hæredes primum successionis gradum iure xij. tabul. obtinebant agnati, hoc est, illi qui per uirilis sexus cognationem coniuncti sunt, ut sunt fratres ex eodem patre geniti, patrueles ex duobus fratribus nati. Nam suis hæredibus non extantibus ille, qui inter agnatos defuncto inueniebatur proximus, præferebatur alijs. Si uerò plures in eodem gradu agnationis mortuum contingebant, illi simul succedebant. Vnde plures patrueles sæpe uni patruo hæredes existebant. Patruus autem in successione fratris sine liberis mortui, patruelibus, id est, aliorum fratrum suorum filijs præferebatur. Item pater decedente filio sine liberis, tanquam agnatus illi succedebat. Mater uerò filio sine liberis mortuo non succedebat, quia cum agnatis nulla omnino fœmina ad hæreditatem admittebatur. Nec poterat mater iure cognationis petere hæreditatem filij sine liberis defuncti, quia ius cognationis iure xij. Tab. penitus ignorabatur, neque ullus fœminis patebat locus succedendi, nisi cum suis hæredibus. Isto nanque solo gradu, fœminæ pariter cum masculis ad hæreditatem paternam admittebantur. Atque hæc quidem iura successionum uetustissima sunt.

Sui hæredes.

Extranei hæredes.

Agnati.

Porrò Senatus animaduertens contra æquitatem naturalem liberos successione matris excludi, propter hanc iuris Ciuilis rationem, quia non sint in eius potestate, & rursum matrem non admitti ad filiorum hæreditatem, quia inter agnatos non haberetur, censuit istam iniquitatem iuris uetustissimi ab-
6 olendam. Proinde permissum est Tertulliano S.C. ut liberi utriusque se-

xus, admatris, sicut ad patris hæreditatem admitterentur. Et prodito senatusconsulto Orificiano edixit Senatus sibi placere, ut mater tam filijs quàm filiabus sine liberis decedentibus succederet. Nec prohiberentur ad eam successionem uenire, quia inter agnatos numerari non posset. Postea Prætor Senatus æquitatẽ secutus, per edictũ, unde liberi, iussit emancipatos liberos tanquam suos hæredes ad paternam hæreditatem admitti, cum illis qui in patria potestate manserant. Iniquum nanque illi uisum est, emancipatos filios paterna hæreditate excludi, quia patris potestatem euasissent. Præterea displicuit & illi matrem ad liberorum successionem non admitti, quia inter agnatos non numeraretur. Itaque proposito edicto, unde legitimi, primũm confirmauit ius agnatorum in succedendo à lege xij. Tab. traditum. Deinde iussit quoque admitti inter agnatos, eas personas, quas leges uel senatusconsulta ad hæreditatem contra legem xij. Tab. uocassent. Nam isto edicto generaliter omnes illos ad successionem uocat, quibus uel lex uel senatusconsultum post xij. Tab. hæreditatem detulit. l. generaliter. ff. unde legitimi. Itaque & iure prætorio mater ad successionem filij sine liberis defuncti, & liberi ad maternam hæreditatem admittuntur. Quamuis autem mater ad successionem filij per senatusconsultum Orificianum uocata esset, non tamen statim fœminæ cum agnatis ad successionem admissæ sunt. Nam sapientes, qui interpretabantur ius, fœminas omnes, præter sorores iure agnationis excluserunt. Etenim commodius illis uidebatur ita constitui iura, ut hæreditates plerunque ad masculos confluerent. Cùm igitur Prætor iniquum putaret, ut masculi iure agnationis fœminis succederent, non autem fœminæ illis, nisi essent sorores, proposuit edictum, Vnde cognati, & iussit fœminas iure cognationis ad hæreditatem agnatorum & cognatorum admitti. Sed neque isto edicto plenè prospectum est successioni fœminarum. Nam tum demum iubebat Prætor fœminas cognatas admitti, si nulli agnati, aut proximiores cognati extarent. ℣ quod ad fœminas. Instit. de legit. agnat. succes. Itaque nec prætoris iure fœminæ cum agnatis & cognatis pariter succedebant, licet per prætorem primùm prospectum sit cognatis, ut ad successiones hæreditatum admitterentur, quo iure prorsus carebant ante prætoris edictum.

Vnde liberi. 7 8 *Vnde legitimi.* 9 *Vnde cognati.* 10

Liquet autem ex his, quæ hactenus de iure succedendi ab intestato diximus, quòd nulli fuerit locus, nisi defunctum iure liberorum, aut parentum, aut agnatorum, aut cognationis contingeret. Proinde cùm coniuges nullo istorum iurium uinculo sibi inuicem coniuncti essent, sequebatur, ut uxor mariti, & maritus uxoris hæreditate per fiscum excluderetur. Nam hoc ius fisci est, ut non extantibus quibus leges deferunt hæreditatem, ipse eam sibi tanquam hærede carentem uendicet. ff. & C. de iure fisci. Prætor igitur duxit in hoc casu suam æquitatem interponendã, & edictum, Vnde uir & uxor, ad mutuam successionem coniuges admisit. Atque id feciſſe eum uerisimile est consideratione necessitudinis matrimonialis, non sicut quidam existimant, ratione affinitatis. Nam affinitatis nulla est successio. l. affinitatis. C. communia de succes. Sed neque sua æquitate prætor coniugum successioni satis benignè prospexit. Nam tum demum permisit, ut coniuges sibi inuicem succederent, cùm omnis parentum, liberorum, propinquorumq; successio deficeret.

Vnde uir & uxor. 11 12 13

Iam igitur obseruẽt discentes, quòd iure uetustissimo, & medio inter illud, & nouissimum, quatuor constituti fuerint gradus succedendi ab intestato. Primus suorum hæredum, Secundus parentum & agnatorum, Tertius cognatorum, Quartus uiri & uxoris. Et obseruent delatam quidem fuisse talibus omnibus hæredibus successionem, quocunque gradu istarum successionum ad hæreditatem defunctorum uenientib. ratione naturali magis, quàm Ciui

14 15

li. Suadet

li. Suadet enim æquitas naturalis, ut talium neceſſitudinum in ſuccedendo præcipua habeatur ratio. Sed uiſa eſt legislatoribus & Ciuilis neceſſitudo, quæ eſt inter adoptantem & adoptatum, inter arrogatorem & arrogatum, inter patronum & libertum, inter manumiſſorem & manumiſſum, ſatis habere cauſæ, ut propter eam detur hæreditatis inter tales perſonas ſucceſſio. Sed de iure Ciuilium neceſſitudinum in ſuccedendo poſtea.

16 Sequitur emendatio iuris ſuccedendi inter perſonas, naturali neceſſitudi- *Sui Hæredes*
18 ne deuinctas. Atque tenent quidem nouiſſimo iure, ſui hæredes primum gradum ſucceſſionis, ſicut apud ueteres, ſucceduntq; in hoc gradu pariter
17 fœminæ & maſculi. Authent. de hæredib. ab inteſta. ueni. col. ix. Cùm au- *Naturales*
tem ſui hæredes propriè dicantur liberi, intelligendum eſt liberos ex legiti- *tantùm.*
19 mis nuptijs natos, hoc ſucceſſionis gradu admitti. Nam naturales tantùm non ſuccedunt cum illis, ſed hoc tantùm benignitate Imperatoris permiſſum eſt, ut patre ſine legitimis atque naturalib. liberis, & uxore decedente, liceat illis relinquere ſex uncias. l. humana. & Authent. licet. C. de natura. lib.
20 Matri uerò prorſus ſuccedunt, ſi non habeat alios ex legitimis nuptijs ſuſceptos liberos, idq; maximè, ſi nati ſunt ex licito concubinatu mortui. Nam tum iure cognationis cum legitimis tantùm ſuccedunt matri. l. ſi qua illuſt. C. ad Orificia. Imò etiam patri ſuccedunt in duabus uncijs, ſi ex ea, quam pater indubitato affectu pro concubina habuerit, nati ſunt. Authent. licet. C.
21 de natu. li. Vulgò uerò quæſiti paterna ſucceſſione penitus excluduntur, quia talium pater incertus habetur. Authent. quibus modis natu. effici. ſui. &. l. uulgo. ff. de ſtatu hominum. Matri uerò ſuccedunt, iux. §. nouiſſime.
22 Inſtit. ad Orifici. niſi fuerint inceſtuoſo aut nephario coitu, uel ex adulterio nati. Nam talibus etiam materna hæreditas negatur. Authent. ex comple
23 xu. C. de inceſtu. nup. Porrò naturales legitimati, ſimul cum illis qui ex iuſtis nuptijs nati ſunt, ſuccedunt. l. legem. C. de natu. lib. &. c. tanta, & ibi dd. extra. qui filij ſui legit. Atque omnes illi, quos liberorum loco ad ſucceſſionem admitti diximus, patri pariter atque matri hodie ſuccedunt. Nam pa-
24 triæ poteſtatis in paterna & materna ſucceſſione differentia hodie penitus, ſicut olim per Tertullianum S.C. ſublata eſt. Authen. in ſucceſſione. C. de ſuis & legiti. hæredibus. Cæterùm qui appellatione liberorum ad ſucceſſionem ueniunt, his uicibus ſuccedunt, ut illi qui primo gradu contingant parentes, pares accipiant hæreditatis portiones. Nepotes uerò cum liberis pri-
25 mi gradus ſuccedunt in ſtirpes, id eſt, accipiunt partem, quam parens eorum ſi uixiſſet habiturus erat. l. nepotes. C. de ſuis & legit. hæredib. Idem iuris eſt in neptibus. Neque enim hodie ſicut olim, neptum portio, tertia parte imminuitur, ſed neptes ſicut nepotes cum filijs in ſtirpes ſuccedunt. Auth. quæ tertiæ, C. de collat. & Authent. de triente & ſemiſſe. §. neq; illæ. Idem obſeruatur in pronepotibus, & ſi qui ſunt alij in ulterioribus gradibus.

Hæc de ſucceſſione deſcendentium, uidendum nunc eſt quomodo aſcen-
26 dentes ſuccedant deſcendentibus, ac primùm quidem defunctis abſq; ſobole & uxore liberis ſuperſtite patre aut matre, aut ambobus uiuentibus omnes alij deſcendentes & collaterales excludantur, præter fratres & ſorores utrinq; coniunctos. Nam iſti cum parentibus in gradu proximis uocantur ad hæ-
27 reditatem fratrum & ſororum, emota omni differentia ſexus & patriæ poteſtatis. Authent. defuncto. C. ad Tertul. Niſi fortè mater ad ſecunda uota tranſierit non petito tutore impuberi filio ſuo. l. omnem. C. ad Tertul. Atq; hoc quidem maximè, ſi mater impuberi filio in teſtamento ſubſtituta eſt. §. ſi autem. Authen. de nuptijs. Sunt tamen quidam caſus, in quibus liberatur hoc periculo mater, etiamſi non petierit filio impuberi tutorem dari, de quibus in §. ſed nos. Inſtit. ad Tertul. Negatur quoque matri hæreditas liberorum, ſi turpiter uixit. iux. Gloſ. l. mater. C. ad Tertulli. Porrò ſi dece-

dentibus liberis non supersunt pater aut mater, tum soli fratres & sorores utrinque cõiuncti, exclusis auo & auia ad successionem admittuntur, iux. glo. Auth. defuncto. C. ad Tertullianum, & est text. in l. in successione. C. de legi. hæred. Accursius tamen & Cynus circa iam alleg. Auth. defuncto, contendunt, auum & auiam cum fratribus & sororibus utrinque coniunctis admittendos isto casu esse. Si uerò liberi decedunt non extantibus germanis fratribus aut sororibus utrinq; cõiunctis, sed cõsanguineis & uterinis, & auus & auia sunt superstites, consanguinei & uterini excluduntur. Succedunt autem isto casu aui & auiæ liberis hoc modo, ut si sint plures personæ in materna quàm paterna defuncti linea, & è diuerso, successio plurium fiat in stirpes, non in capita, uidelicet, ut plures in paterna linea accipiant ex hæreditate nepotis & neptis, quantum unus auus & una auia in materna linea, iuxt. Authent. defuncto. C. de Tertul. Parit & obuentio bonorum quandam differentiam Iuris in successione ascendentium. Nam si bona relicta à nepote aut nepte ex maioribus uel cognatis paternæ lineæ obuenerunt, tum solus auus paternus, aut sola auia paterna, aut ambo simul succedunt: è diuerso si bona obuenerunt nepti ex cognatis maternæ lineæ, tum solus auus maternus aut auia materna admittuntur. Ambobus autem superstitibus, simul succedunt. l. quod scitis. C. de bonis quæ liberis. Si uerò bona à nepote uel nepte relicta pariter à cognatis paternę & maternę lineæ obuenerunt, pariter in uiriles portiones, tanquam in bona utrinque acquisita succedunt. Authent. defunct. C. ad Tertullia. Hæc ut plurimùm in successionibus huius gradus obseruantur, licet quidam contendant, non esse propter obuentionem bonorum aliquam in succedendo constituendam differentiam Iuris, cùm is, qui ea reliquit, pariter omnium bonorum dominus fuerit, etiamsi ea illi non ab ijsdem obuenerint. Sed hæc, quam nos recensuimus, succedendi ratio, magis est in usu, & Iure communi probatissima. Si quid ab hac forma Iuris uariant statuta, illud tantùm apud eos, apud quos ea recepta, & in usu sunt, obseruatur.

Obuentio bonorum.

Hactenus de successione descendentiũ & ascendentiũ, iam de collateraliũ successione, in qua regula est generalis, quòd nõ extantibus descẽdentibus & ascendentibus defuncto succedant fratres utrinq; coniuncti, exclusis omnibus alijs collateralibus, nisi extent fratrum liberi. Nam illi iure repræsentationis loco parentum cum patruis, auunculis, amitis & materteris admittuntur, ita tamen ut in stirpes, non in capita cum illis succedant. l. post fratres. & Authent. cessante. C. de legiti. hæredita. Quod autem de fratribus diximus, idem accipiendum est de sororibus, earumq; liberis. Nam & in successione collateralium sublata est omnis differentia cognationis & agnationis, iure ueteri obseruata, l. tres fratres. ff. de pactis, & l. maximum uitium. C. de lib. præter. uel exhæreda. adeo uerò fratres & sorores utrinque coniuncti præferuntur reliquis collateralibus, ut etiam fratres consanguineos, & uterinos excludant. Authent. cessante. C. de legiti. hæredi. Vide & Authent. itaq;. C. communia de successionibus. & gloss. fin. l. in successione. C. de legiti. hęredibus. Atque est quidem indubitati Iuris, quòd liberis fratrum & sororum detur ius succedendi cum patruis, auunculis, amitis, & materteris in stirpes, sed hoc propter disputationes doctorum in controuersia est, utrum liberi fratrum uel sororum in stirpes aut capita succedant, si quis non relictis fratribus, aut sororibus decedat. Azo cir. Auth. de hæredib. ab intestato uenientib. & Salic. cir. Authent. cessante. C. de legitimis hæredibus. Item Hostiensis in summa de successione ab intestato, sentiunt, in capita liberos fratrũ & sororum, non extantibus fratribus aut sororibus defuncti, succedere. Accursius contrà cir. Authent. de hæredibus ab intestato ueni. ℌ si uerò, contendit

Collaterales quomodo succedant.

tendit eos in ſtirpes ſuccedere iſto caſu. Et habent utrinque ſua argumenta, quæ ego breuitatis cauſa omitto, ſed Dy. in ſuo tractatu de ſucceſſione ab inteſtato, ſentit liberos fratrum & ſororum ſemper ſuccedere patruis, auunculis, amitis & materteris in ſtirpes, & non in capita, quia iure ſuorum parentum ſuccedere intelligantur. Eundem ſequitur Cy. cir. Authent. ceſſante. C. de legitimis hæredibus. Idem quoque tenent, Ioan. Andreæ, & Baldus in additionibus Specul. de ſucceſſionibus ab inteſtato, §. i. uer. quid ſi aliquis. Nec ab his diſſentit Bartol. cir. l. poſt conſanguine. §. hæreditas. ff. de ſuis & legitimis hæredibus. Quamuis igitur & aliorum opinio non careat ratione aut ſuffragatoribus, tamen hæc pro magis communi habetur.

Quæ uerò hactenus dicta ſunt, de fratribus & ſororibus utrinque coniunctis, *Cõſanguinei & Vterini.*

36 eorumq; liberis tantùm accipienda ſunt. Nam qui altero parente tantùm defuncto coniuncti ſunt, qui conſanguinei uocantur, aut qui ex una eademq; matre, non autem patre geniti ſunt, & uterini appellantur, tum demum ſuccedunt defunctis fratribus & ſororibus, cùm ex utroq; parente illis coniuncti, aut eorum liberi non extant. Præferuntur tamen conſanguinei & uterini fratres ac ſorores, reliquis collateralibus in ſucceſſione defuncti fratris & ſororis. Et liberi alium fratrum & ſororum cum ipſis in ſtirpes, ſicut liberi utrinq; cõiunctorum, ad ſucceſſionem ueniunt. §. reliquum. Auth. de hæredibus ab inteſt. uenient. Præterea habent hæc iura ſucceſſionis inter conſanguineos & uterinos locum, ſi ex una tantùm linea defuncto coniuncti fuerint; ſecus ſi ex diuerſis lineis illum contingant. Nam ſi quis relinquat ſimul fratres conſanguineos, & uterinas ſorores, tum fratres conſanguinei & eorum liberi, tantummodo illi ſuccedunt in bonis, quæ illi peruenerunt à patre, uterini ſorores tantùm in bonis, quæ illi prouenerunt ex matre, iuxt. not. cir. Authent. itaque mortuo. C. communia de ſucceſſionibus. In bonis uerò quæ illi aliunde, puta ex donatione, uel legato obuenerunt, uel induſtria eius parta ſunt, pariter ſuccedunt. §. reliqua. Authent. de hęredibus ab inteſtato uen. Quando uerò ſoli liberi conſanguineorum aut uterinorum ſuperſunt, tum eadem exiſtit quæſtio, de qua ſuprà diximus, uidelicet, an in capita uel in ſtirpes ſuccedant, & ſentiendum eſt, ut ibi oſtendimus.

37 Cæterùm cùm inter collaterales defuncti, neque utrinque coniuncti, qui aliàs germani dicuntur, neque conſanguinei, uel uterini, uel eorum liberi inueniuntur, tum locum habet communis de ſucceſſionibus Regula, quòd

38 is, qui prior ſit gradu, alium excludat, & huc pertinent quæ de ſucceſſionibus, & gradibus cognatorum paſſim in legibus dicuntur. Nam hic primùm

39 opus eſt, ut de propinquitate perſonarum quæratur. Etenim Ius repræſentationis hic ceſſat. Quia uerò ſupputatio talis propinquitatis facillima eſt,

40 diſcentes ad tabulas arboris conſanguinitatis remitto. An autem duo uel plures fratres ſpurij ſibi inuicem ſuccedant, quæri poteſt, ac ſi quidem ex una eademq; matre geniti ſunt, uidentur iure cognationis ad mutuam ſucceſſio-

41 nem ab inteſtato admittendi. Nam cognationis Ius ex matre oritur. Inſtit. de legit. agnat. tute. in prin. Idem affirmat Dy. in tracta. de ſucceſſione allegans l. ij. & l. ſi ſpurius. ff. unde cognati. & §. uulgo. Inſtit. de ſucceſſio. cogna. Sed quid, ſi ex diuerſis matribus procreati ſunt? Dy. in eodem tractatu reſpondet, quòd iſti nec agnationis nec cognationis iure poſſunt inter ſe ſucceſſionem poſtulare.

Nam & ſi eundem fortè habeant patrem, tamen quia non niſi ex legitimis nuptijs oritur agnatio, non poſſunt dici agnati. §. ſi aduerſus. Inſtit. de nuptijs & de legitim. agnat. ſucceſſio. §. i. & ij. Neque poſſunt dici cognati, quia inter diuerſas matres nulla contrahitur liberorum neceſſitudo, niſi aliàs coniunctę fuerint, §. ſi uerò. & §. fin. Auth. quib. modis naturales eff. ſui.

Incestuosi autem, uel nefarij fratres nullo modo inter se succedunt. Nam illis omnia beneficia iuris, quæ aliàs cõcessa sunt naturalibus, negantur. Authen. quibus modis naturales efficiuntur sui, in fin. 42

Postremus gradus successionum tribuitur coniugibus, non quia postremo penitus loco sicut olim iure Prætorio, post liberos, agnatos, & cognatos, demum admittantur, sed quia ueterum exemplo, de illorum successione, tanquam de personis, quæ non ex propagatione in familiam uenerint, sed aliunde ascitæ sunt, postremõ quæritur. Nam hodie uxor non dotata, etiam cum liberis ad bona mariti uenit, siue ex communi, siue ex alterius uxoris matrimonio suscepti fuerint liberi. 43

Et accipit quidem uxor quartam partem ex bonis mariti, si tres, aut pauciores reliquerit liberos. Nam si plures fuerint liberi quãm tres, uxor tantundem ex bonis mariti, quantum unus ex liberis consequitur. Auth. præterea. C. unde uir & uxor. Ad supplẽtionem autem eius portionis, quæ uxori ex mariti bonis debetur, conferri solent, quæ illi aut iure institutionis, aut legati, aut quouis alio titulo à marito obuenerunt. Auth. de exhibendis & introducendis reis. §. quoniam uerõ, in fin. Et quõminus uxor petat hanc portionem, non impedit, si uir eam quidem dotauerit, sed talis est dos, ut istam portionem non expleat, uide Salic. cir. Authen. præterea. C. unde uir & uxor. 44

Idem ius succedendi habet uxor cum illis, qui marito in ascendente linea coniuncti sunt. Nam liberis non extantibus, pari ratione cum ascendentibus succedit, qua eam cum liberis succedere diximus, iuxt. glos. & dd. cir. iam allegat. Auth. præterea. An autem cum transuersalibus mariti eodem modo succedat, in controuerso est. Gloss. cir. Authent. præterea. C. unde uir & uxor. Bartol. & Salic. contendunt contrarium, & ducuntur hoc argumento, quõd cũm prima lex Codicis, unde uir & uxor, per Authent. præterea correcta sit, de successione coniugum iudicandum esse iuxta hanc, & non illam. Atque ita cũm ista Authent. hoc tamen ius tribuat uxori, ut non extantibus liberis proprietatem portionis suæ consequatur, Rectè hanc illi solam etiã cum collateralibus mariti, sicut cum ascendentibus concedi uolunt. Quod autem de uxoris successione diximus, idem de marito accipiendum est. 45 46

Fiscus succedit deficientibus omnibus hæredibus.

Vltimo loco ad bona intestati admittitur fiscus Imperatoris, aut eorum, qui merum in subditos habent imperium, ærarium. Nam ciuitates propriè non habent fiscum, nisi ex priuilegio, aut prescriptione, Ius fisci consecuti sint. c. 1. & ibi notata, in usibus feud. quæ sint regalia. Nullis igitur extantibus hæredibus intestato, in linea descendente, ascendente, uel transuersali, nec uxore ab ea relicta, fiscus sibi uendicat eius bona. l. 1. & l. uacantia. C. de bonis uacantibus. lib x. 47

Hæc ferè sunt, quæ iure Cæsareo, siue communi, de successionibus ab intestato traduntur, & si quis penitus rem considerabit, intelliget multõ plus æquitatis esse in nouissimo quãm in ueteri iure, Expeditiorem quoq; multò esse rationem petendi hæreditatem iux. constitutiones Imper. quàm iux. Prætorũ edicta; sed ea tamen historiæ, & exempli causa, in usu sunt relicta: quam uis pleriscq; illarum prorsus carere possemus, sicut in Actionibus latius indicabimus. Nam hoc loco ideo tantũm mentionem iuris Prætorij feci, ut indicarem, quomodo ius succedendi apud Romanos, diuersis temporibus mutatũ sit, Nõ enim me fugit, quòd bonorũ possessiones inter actiones petendę hereditatis alioqui ponẽdę sint, & quòd liceat cuiuis pro arbitrio, uel secundũ ius prętoriũ, uel secundũ nouissimum petere successionem. 48

Prætorum edicta.

Amittunt autem Ius succedendi omnes, qui læsę maiestatis rei sunt. l. quisquis. C. ad l. Iul. maiest. Itẽ qui de hęresi, aut apostasia cõuicti sunt, l. ij. C. de apostatis. Minuit & religio parentũ liberis suum ius. Nã cũm parẽtes se addicunt sacris, liberi tantũm legitimam consequuntur. l. si qua mulier. C. de sacrosanct. Eccles. Monachi tamen 49 50

tamen & si ipsi hæreditates petere non possint, tamen permittitur, ut monasteria, quibus se addixerunt, eorum nomine petant, iux. Cy. cir. l. deo nobis, de epis. & clericis.

TIT. QVIBVS VETVS EMENDATIO iuris succedendi ab intestato continetur.

ff.

Si Tabulæ testamenti nullæ extabant. Vnde liberi.
De suis & legitimis hæredibus. Ad S.C. Tertullianum, & Orificianũ.
Vnde legitimi & unde agnati. Vnde cognati.
De gradibus & affinitatibus, & nominibus eorũ. Vnde uir & uxor.

Cod.

De suis & legitimis hæredibus. Vnde liberi.
Ad S.C. Tertullianum. Ad S.C. Orificianum.
Vnde legitimi & cognati. Vnde uir & uxor.
Cõmunia de successionib. De bonis uacantibus, & de incorporatione.

Instit.

De hæredũ qualitate & differentia. De S.C. Tertuliano.
De S.C. Orificiano. De legit. agnat. successione.
De successione cognatorum. De gradibus cognatorum.

His titulis pleraq; traduntur, quæ etiam hodie obseruantur. Non enim tantũm continent historiam emendati iuris, sed & pleraſq; regulas habent, quas in explicando iure cuiusq; gradus successionum etiam hodie sequimur.

TITVLI QVIBVS NOVISSIMA emendatio huius Iuris continetur.

Instit.

De hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur.

Authen.

De hæredibus ab intestato uenientibus.
De consanguineis & uterinis fratribus.
His adiungi poterunt quædam quæ de successionibus maximè legitimatorum traduntur in Authenticis.
Quibus modis naturales efficiantur legitimi, & quibus modis naturales efficiantur sui.

In Decretal.

De successione ab intestato.

DE SVCCESSIONIBVS QVAE DEferuntur ex necessitudine Ciuili. Cap. LX.

SVMMARIVM.

1. Adoptio quid. 2. Adoptiuorum successio quousq; extendenda.
3. Cum parentibus fratres utrinq; coniuncti defuncto admittuntur.
4. Patroni quomodo succedant libertis.
5. Historia de patronorum succes. contexta.
6. Liberi libertorum in seruitute susceptι an excludant patronos à successione.
7. Adoptiuus pater admittitur cum naturalibus & legitimis.
8. Libertas relicta quando fiat irrita.
9. Mulier stuprum cum seruis admittens.

ADOPTATOS loco liberorum esse, non est dubium, cũm adoptio sit actus legitimus, per quem qui filius non est pro filio suscipitur, suprà de modis quibus patria potestas acquiritur.

Itaq;

Itaque uocari etiam adoptati ad ſucceſſionem adoptantium, tanquam liberi, non fruſtra uidentur. Sed hæc obſeruatur Iuris diuerſitas ratione adoptantium, ut adoptatus ab extraneo ſolùm adoptatiuo patri, non autem familiæ eius ſuccedat. Nam iſta capitis diminutione non egreditur familiam parentis naturalis. Si uerò quis adoptatus eſt à perſona, quæ illi in aſcendente linea ſanguine iuncta eſt, eius ſucceſſione fruitur, tanquam naturalis & legitimus ſimul. l. cum in adoptiuis. C. de Adoptio. 1

Arrogatus. Arrogatus autem ā quocunque, arrogatoris familiæ tanquam ex ea natus aggregatur, illiq; ſuccedit. l. penult. §. ult. C. de adoptione. Et olim quidem arrogator conſequebatur quicquid arrogatus habebat, aut ei debebatur, ſed hodie tantùm uſusfructus illi datur in rebus, quæ arrogato aliunde, non ab arrogatore obuenerunt. Ac decedente quidem arrogato nō relictis liberis, arrogator illi ſuccedit, & dominium earum quoque rerum, quarum uſumfructum uiuente eo habuit, acquirit. Inſtit. de acquiſitio. per arroga. Si uerò reliquerit liberos, illi eum excludunt. l. fin. C. communia de ſucceſſionibus. Item ſuperſtite patre arrogati naturali & legitimo arrogator ſuccedit in una dimidia totius hæreditatis, & altera datur parentibus eius naturalibus & legitimis exemplo ſucceſſionis auitæ, quia una auia materna tantum accipit, quantum auus & auia ſimul in paterna linea. Id tamen procedit, cùm quis arrogatus eſt loco filij. Nam ſi quis ut nepos arrogatus eſt, cenſetur arrogator illi in ſecundo gradu ſucceſſionis aſcendentium coniunctus, ac proinde parentes arrogati naturales & legitimi preferuntur arrogatori. Cum parentibus autem admittuntur ubique fratres defuncto utrinque coniuncti, Authent. de hæredibus ab inteſt. uen. §. conſequens, & Ang. cir. §. mortuo. Inſtit. de acquiſi. per arrog. in fin. Præferri autem arrogatos & adoptatos, & uiciſſim arrogatores & adoptatores cognatis utrorumque, nemo poteſt in dubium uocare, & ſibi inuicem in gradu parentum & liberorum coniuncti ſunt. Negatur tamen ſucceſſio arrogatori, ſi arrogatus decedat impubes. Nam iſto caſu reſtituere, quæ ex bonis eius conſecutus eſt, cogitur illis, ad quos hæreditas peruentura eſſet, ſi arrogatus in ſtatu ſuo manſiſſet. l. non enim aliter. ff. de adoptione. 2

Vſufructus tantum arrogato.

Porrò ſuccedunt & patroni libertis ex neceſſitudine ciuili, qua inter eos beneficium manumiſſionis exiſtit. Sed uix alia forma Iuris tam multis ambiguitatibus conſtitutionum implicita eſt, atque hæc. Nam præterquam, quòd Hiſtoria mutati huius Iuris obſcurè, & nullo certo loco plenè traditur: neq; in Inſtit. ubi Imper. tamen ex profeſſo hoc promittit in tit. de ſucceſſi. libert. eam conſtitutionem, ad quam ſe refert, ſatis explicat, nec ea uſquam extat. Quare difficile eſt, huius Iuris perplexitatem penitus diſſoluere. Sed arbitror tamen ita poſſe aliquam rationem explicandi huius Iuris iniri, ſi eius hiſtoria contexatur. Fuit autem Iure uetuſtiſſimo initio patronus in ualde exigua ſpe ſuccedendi liberto. Neque enim ad bona eius admittebatur, niſi inteſtatus & ſine liberis etiam adoptiuis deceſſerat. Prætor igitur propoſito Edicto: unde patroni, patronæq̄, & parentes eorum. §. cumque. Inſtit. de bono. poſſeſſione. Ius fecit patronis, ut ſiue teſtati, ſiue inteſtati deceſſerant, eorum liberti dimidiam bonorum, quæ reliquiſſent, peterent, niſi ea bona in caſtris fortè acquiſiuiſſent. l. iij. §. patronus. ff. de bonis libert. Aut niſi libertus reliquerat ſuos hæredes. Nam illis permittebat prætor, ut patronos excluderent. Filium tamen adoptiuum uoluit excludere patronum. §. qua de cauſa. Inſtit. de ſucceſsione libert. Deinde prætor non ſolùm patronis, eorumq; parentibus conceſſit dimidiam bonorum liberti ſine liberis defuncti, ſed & agnatos & cognatos eius prætulit liberti agnatis & cognatis, per edictum tanquam ex familia. Nam cùm nec habituri fuiſſent agnatos aut cognatos, ſi in ſeruitute manſiſſent, æquum illi uiſum eſt, 3 4 5

ut propter

ut propter beneficium manumissionis hoc cõstitueret. l. liberti sine liberis. ff. de bonis libert. Quia uerò iniquum uidebatur ita extendi Ius patronatus, ut cognati manumissoris extranei præferrentur illis, qui ex naturali necessitudine coniuncti essent liberto, istud Ius rursum ita moderari iussit edicto, unde decẽ personę, ut pater, mater, liberti, item auus, auia, tam paterni quàm materni, item filius, filia, nepos, neptis, tam ex filio, quàm ex filia. Item frater, sororũe consanguinei, uel uterini præferrentur cognatis patroni in bonis liberti, sine liberis patrono patronaq; eius extinctis. Atque hoc quidem Ius patronorum in libertis succedendo diu mansit in usu, & frequens est eius in ll. mentio, sed post prætorem l. Papia, patronis datum est Ius succedendi, etiam cũm liberis relictis à liberto, siue is decesserat testatus, siue intestatus. Dabatur autem illis successio per hanc legem hoc modo, ut si libertus in bonis habuerat centum millia sestertiorum, & pauciores quàm tres reliquerat liberos, tantundem quantum unus ex liberis acciperet. Sin uerò plures reliquerat liberos, aut minus habebat in bonis, prorsus excludebatur. §. postea, Instit. de succes. libert. Tandem imperat. Iustinianus ita emendanda iura patronorum in successione libertorum censuit, ut partim uetera reciperet, partim ea ex usu remoueret. In gradu suorum hæredum statuit, ut si libertus minus quãm centum aureos in bonis haberet, & testatus relinqueret unum uel plures ex liberis, patronus excluderetur. Sed si intestatus & sine liberis decedat libertus, patronus Iure successionis eius possessiones sibi uendicet. Quòd si libertus plus habeat in bonis quàm centum aureos, extantes liberi eius succedant illi penitus excluso patrono. Sed non relictis liberis, nec condito Testamento, admittitur patronus: condito uerò Testamento, & non relictis liberis, aut illis exhæredatis, si præteritus est patronus, potest petere tertiam partem bonorum liberti. §. sed nostra. Instit. de succes. libert. Atque ita Imperator nihil immutauit in hoc gradu, nisi quòd contra ius uetustissimum patronus iubetur admitti ad successionem libertorum, etiamsi testati decesserint. Et contra Ius prætorium non dimidiam, sed tertiam partem dari illis iubet, si testamento liberti sine liberis defuncti præteriti sunt. Existit autem hoc loco quæstio, an etiam referat ad excludendos patronos, ut liberi, quos reliquit libertus, non sint in seruitute patris susceptí. Olim certè cognatio in seruitute contracta, nulla reputabatur. Hodie uerò indiscriminatim habentur pro liberis, siue in seruitute, siue extra eam suscepti fuerint à liberto, modò manumissi sint. Seruitus enim quam quis passus est, non impedit cognationis Ius in manumissis, iux. tot. tit. Instit. de seruili cog. Itaq; cùm hodie Ius manumissorum in succedendo exæquatum sit Iuri ingenuorum, §. cumq;. Instit. de bon. possess. non solũm liberi libertorum, sed & parentes præferuntur patrono, iux. glos. cir. uer. in alterius. Instit. de seruili cog. licet quidam diuersum contendant, & ego existimo patronum cum parentibus liberti admitti, si liberos non reliquit, sicut adoptiuus pater admittitur cum naturalibus & legitimis, & non penitus excluditur. Sunt & edicta prętorum, quibus cognati patronorum prælati sunt cognatis liberti, sublata: nam posteaquàm permissum est, ut cognati & libertus sibi inuicem succedant, tanquam ex ingenuis nati, §. sed nostra. Instit. de seruili cog. manifestum est, cognatos patroni illis non præferri, licet & illi liberis patroni non extantibus liberto in quintum usq; gradum cognatorum succedant. §. multis. Instit. de succes. liber. unde quamuis hoc textus non exprimat, res tamen ipsa requirere uidetur, ut simul extantibus cognatis patronorum & libertorum, pariter succedant liberti, donec nulli in quinto gradu cognatorum patroni extent. Quòd autem edicta prætorum, quibus cognati patronorum ad successionem liberti uocabantur, nouissimo Iure abolita, testatur tex. in §. quę autem, cum sequenti. Instit. de bon. possessione.

Præter

Præter has autem successiones potest ea quoq; ciuilis uideri, quæ datur illi, qui libertatis consequendę causa non aditam hæreditatem agnoscit, & uocatur bonorum addictio talis successio. Nam cùm olim libertas relicta fieret irrita, si hæreditas non adiretur, D. Marci constitutione permissum est illis quibus relicta est libertas, neglectam hæreditatem sibi addici petere posse, ne sua libertate defraudentur, iux. tot. tit. Instit. de eo cui libert. causa bon. ad. Datum est & creditoríb. ius succedendi defuncto debitori, cùm hæres eius nec soluebat debitum, nec delatam hæreditatem adibat, & sic admissus creditor poterat uendere bona defuncti creditoris. Itaq; ista successio per uenditionem bonorum debitoris fieri dicta est. Sed hodie creditoribus non datur licentia uendendi bona defunctorum debitorum, sed iudicis officio tantùm mittuntur in possessiones bonorum, ut illis loco hypothecæ fruantur, donec solutum fuerit debitum. C. de bon. Authen. iud. possess. Postremò data est succedendi potestas dominis seruorum, in bonis mulieris, quæ post denunciationem stuprum cum seruis eius admiserat. Sed ista successio cùm data esset per S. C. Claudianum, postea sublata est, iux. tit. Instit. de successio. sublatis, quæ fiebant per uenditionem bonorum, & S. C. Claudiano. Pertinent igitur huc peculiariter tituli hi tantùm:

Bonorum addictio.

Instit.

De acquisitione per arrogationem.
De seruili cognatione.
De eo cui libertatis causa bona addicuntur.
De successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum uenditionem, & S.C. Claud.
De successione libertorum.
De bonorum possessionibus.

Cod.

Ad S. C. Claudianum.

DE IVRE DELIBERANDI IN adeunda, uel omittenda hæreditate. Cap. LXI.

SVMMARIVM.

1. Benignitas iuris permittit deliberationem hæredibus.
2. Actione de edendo instrumenta petuntur.
3. Seruus institutus non habet ius deliberandi.
4. Seruus hæres necessarius quare dicatur.
5. Seruus absq; iussu domini hæreditatem non potest adire.
6. Hæreditas profectitia & aduentitia quæ.
7. Filiusfamilias hæreditatem sine patris iussu non potest acquirere.
8. Qui possint adire hæreditatem aut non.
9. Aditio hæreditatis quibus modis fiat.
10. Pro hærede se gerere quis dicatur.
11. Immiscere & abstinere suorum esse, adire & repudiare extraneorum hæredum.
12. Tempus deliberandi quandiu duret.
13. Aditio hæreditatis est actus legitimus.
14. Beneficium deliberationis quod sit.
15. Inuentarij beneficium, & de eo conficiendo.
16. Nisi deducto ære alieno legatarijs non tenetur soluere legata hæres.

DELATA alicui hæreditate uel ex testamento, uel ab intestato, in arbitrio eius stat, uelit nec ne eam adire, uel omittere. Nam cùm sæpe accidit, ut minus habeat in facultatib. quàm deberet quis, ne cui præter meritum aut culpam hæreditas delata fieret onerosa, ex benignitate Iuris permittitur, ut secum deliberet, an sibi expediat, ut hæreditatem delatam agnoscat, uel ab ea abstineat. Et quò id facere commodius quisq; posset, prospectum est à prætore hæredibus, ut copiam inspiciendorum testamentorum, aliorumq; instrumentorum

petere

petere possint. l. Aristo. ff. de iur. delib. Sed quomodo aperiantur testamenta, & ad exhibendum reliqua instrumenta petantur, audiemus infrà in actione de edendo. Non pariter tamen datur talis deliberandi potestas. Nam seruo à domino, uel substituto non datur. Is enim siue uelit siue nolit, cogitur adire hæreditatem, ad quam per dominum uocatus est: ut si creditoribus domini non satisfiat, potius serui hæredis bona, quàm ipsius distrahantur. Incompensationē autem istius molestię & oneris seruus ad hæreditatē uocatus cum ea fit liber citra cuiusquam manumissionem, §. Ideoq;. Instit. de hæred. qual. & differentia. Et per tot. tit. C. de seru. necess. hæred. instit. uel substit. Nam ideo quoq; seruus dicitur hæres necessarius, cūm cæteri omnes nouissimo Iure dicantur uoluntarij. Itaq; si alius quispiam cum seruo hæres scriptus, hæreditatem adierit, tum ut seruus adeat eam, requiritur speciale domini sui mandatum, nec sufficit si bonæ fidei possessor, aut usufructuarius istud eum facere iubeat. l. si quis bona. ff. de acquir. hæred. Si tamen homo liber, bona fide alicui seruiat, & contemplatione possessoris instituatur hęres, si eius iussu adeat hæreditatem, tum eam illi acquiret. l. aditio. ff. de acquir. hæred. Nec filius fam. profectitiam hæreditatem adire absq; patris iussu potest. l. quoties. ff. de iure deliberandi. In aduentitia autē hęreditate filius sine patre, aut pater sine filio, adeundi ius habet. l. qui in aliena. ff. de acquir. hæred. Filius tamen sine patre, aut pater sine filio repudiare hæreditatem in alterius ex illis prędicium non potest. l. is qui hæres. §. ult. ff. de acquir. hæred. Requiritur quoq;, ut qui adire, aut repudiare hęreditatem uelint, sint compotes mentis. Nam furiosos & dementes id facere leges prohibent. l. mūtuum. §. i. ff. de acquirend. hæred. Minores quoq; septem annis per se nunquam possunt hæreditatem adire, sed tutores illorum nomine benè possunt. Idem iuris est, si in patria potestate est infans, si uerò impubes ingressus est septimum annum, nec q; pater nec q; tutor eius potest hæreditatem impuberi delatam adire, citra eius consensum: aut si patrem uel tutorem non habeat, necesse est prętoris autoritatē interuenire, ut decreto eius impubes id faciat, alioqui eius aditio pro nulla habetur. l. potuit. & l. si infanti. C. de iure delib. Puberes autem minores xxv. annis debent adire hæreditatem autoritate curatorum suorum: si tamen quid secus ab illis factum fuerit, beneficio in integrum restitutionis adiuuantur. l. impuberib. & l. eiq;. & l. nęcessarius. ff. de acquir. hæred. Prætera illi ipsi qui possunt adire hæreditatē, debent esse certi de eius, cui uolunt succedere, morte. Nam qui id nescit, aut de eo dubitat, non admittitur ad hæreditatem. l. si is qui hæres. §. si quis dubitet, & l. qui superstites. ff. de acquir. hæredita. Item aditurus hæreditatem, debet scire, eam esse in ea causa, ut possit peti. Nam institutus sub conditione, antequam existat conditio, hæreditatem adire non potest. l. is qui hæres. ff. de acquir. hæred. Itaq; si quis dubitat, an purè, uel sub conditione sit institutus, licet pareat conditioni, de qua non fuit certus, an esset apposita, non potest hæreditatem adire, secus si putat eam esse appositam cūm sit purè institutus. l. hæres institutus. & l. sed si de sua. ff. de acquir. hæred.

seruus hæres necessarius.

Beneficium restitutionis.

Adire autem hæreditatem non solùm is dicitur, qui eam occupat, uerumetiam, qui quoquo modo declarat suam uoluntatem de ea accipienda. Nam nuda quoq; uoluntate aditio hæreditatis fieri potest, uidelicet, cūm quis prębet indicia, ex quib. colligi possit, eum agnoscere delatam hæreditatem, debent tamen esse indicia talia, ut arguant curam domini. Nam si quis pietatis, aut custodiæ causa aliquid circa res hæreditarias faciat, non statim dici potest hæreditatem adijsse. Nam is demum pro hærede se gerere dicitur, qui aliquid facit, quod à domino talium rerum expectatur, ut colere prædia, locare ea. l. pro hærede, & l. gerit. ff. de iure deliber. Inde nanq; præsumitur, quòd quis uult esse hęres, nisi contrarium probetur. l. Iulianus ait. §. si seruū.

Aditio hæreditatis quib. modis fiat.

& l. si quis extraneus. ℈ interdum. ff. de acquir. hered. Quitamen per bonorum possessionem solũm admittitur ad hæreditatem, ut emancipatus, aut qui alioqui cupit iure prætorio hæreditatem sibi dari, is sola uoluntate non fit hæres, etiamsi faciat quę animum adeundę hęreditatis in eo arguant. Nam qui prætorio Iure petit hæreditatem, is ita demum pro hęrede se gerere dicitur: cũm hæreditatem coram prætore agnoscat. Obseruatur hæc quoq; in uerbis 12
propter diuersitatem hæredum differentia, ut sui hæredes dicantur se immiscere hęreditati, extranei uerò eam adire. Item sui dicuntur abstinere, extranei uerò eam repudiare. ℈ extraneus. Instit. de hæred. qual. & diff.

Tempus uerò deliberandi datur ab Imperatore annuum, à reliquis iudicibus nouem mensium, & non longius, nec etiam angustius centũm diebus. l. 13
ult. ℈ sed quia quidem. C. de iure delib. Item adire quis potest hæreditatem per se, non per procuratorem, nisi sit Cæsaris. ff. de acquir. hæred. l. si quis alicui. & l. per procuratorem. & quia aditio hæreditatis est actus legitimus, necesse est, ut quis purẽ, non conditionaliter animum adeundę, uel repudiandę hęreditatis declaret. l. eum qui, ℈ ult. ff. de acquiren. hęred. Habet au- 14
tẽ hęc deliberatio hoc beneficij, ut donec durat tempus deliberandi, nõ liceat creditoribus hęredem conuenire, nec bona possunt diminui, nisi iusta ex causa id fieri necesse sit. Vt si res in hęreditate tales sint, quæ tractu temporis fiant deteriores. Nam isto casu licitum est eas uendere. Filius autẽ deliberans habet beneficium petendi alimenta ex hæreditate. l. ait prętor. & l. Aristo. ℈ ult. & l. filius. ff. de iur. delib.

Potissima autem causa dandi huius deliberationis est, ne hęredes implicentur onerosæ hęreditatis incommoditatibus, sed est & aliud remedium nouissi- 15
mo iure contra istud incommodum inuentum, nempe ut quis faciat inuentarium, quo res hęreditarias assignet. Istud uerò conscribi intra dies xxx. hęres curet, postquam cognouerit sibi ab intestato, uel ex testamento delatam esse hęreditatem, & necesse est, ut intra dies sexaginta, postquam cœperit illud conscribere, absoluat: si tamen res defuncti omnes, uel maxima pars nõ sunt in eo loco, ubi hæres est, datur illi anni spacium ad conficiendum inuentariũ. In confectione autem eius adhibendus est tabellarius, qui istud describat. Item legatarij, uel qui eorum uices sustinent, aut si illi interesse noluerint, aut non poterint, sufficit adhibitos esse testes ad minimum tres locupletes, & bonæ opinionis, quorum sacramento, si alias probationes non habeat, hæres testari possit, se nihil in præiudicium cuiusquam in occupatione hæreditatis egisse. Debet quoque hęres subscribere suum nomen inuentario propria manu, aut si literas nesciat, adhibere alium Tabellarium, qui id speciali eius mandato pręsentibus testibus faciat. Vbi autem hoc factum fuerit, hæres nõ solũm non obligatur creditoribus defuncti ultra rerum hęreditariarũ substantiam, sed nec legatarijs tenetur soluere legata, nisi deducto ære alieno, ac si- 16
quidem aliquid soluto ære alieno, de hæreditate fuerit reliquum, eatenus tenetur ad legata præstanda, quatenus ipsi legitima portio maneat reliqua. Nam ubi aliud metuit, permittitur illi, ut detrahat de singulis legatis Falcidiam, id quod ei non conceditur, si non facto inuentario hæreditatem adierit. l. ult. ℈ sin autem dubius. C. de iur. deliber. & in Auth. de hæred. & Falcid. ℈ sancimus, & ℈ si uerò absunt. Potest igitur quis uti, aut Iure deliberandi, aut nouissimo isto remedio inuentarij. Iure deliberandi cauere potest molestias describendi Inuentarij, soluendi debita: sed remedio Inuentarij nouissimo etiam post aditam hæreditatem tutus esse de incommodis hæreditatibus potest, ac simul lucrum expectare.

Legitima portio maneat hęredi.

TITVLI huc peculiariter pertinentes.

ff.

De acquir. uel amitt. hæreditate. De Iure deliberandi.

Cod.

Cod.

De Iure deliberandi, & de adeunda uel acquirenda hæreditate.
De repudianda uel abstinenda hæreditate.
De repudianda bonorum possessione.

His adiungere necesse est ea, quę de Inuentario conficiendo traduntur, ut in Auth. de hæredibus & Falcidia. Nam ibi nouissimum Ius, quod nunc maximè est in usu, traditur.

DE DELATIONIBVS successionum, & Iure accrescendi. Cap. LXII.

SVMMARIVM.

1. Additionis hæreditatis tempus constitutum.
2. Successionum edictum.
3. De Iure accrescendi.
4. Portio illorum nemini accrescit, quorum dies petendi non cessit.
5. Accrescendi ius legatarijs etiam concessum.
6. De re & uerbis coniunctis.
7. Dies legati cedit à morte testatoris.
8. Sentiat commodum, cui onus est ferendum.

NE bona hæreditaria sine dominio diutius iacerent uacua, nec creditoribus longior fieret mora cessantibus hæredibus adire hæreditatem, & ne creditores facilè in defunctorum possessiones admitterentur, Prætor illis, quibus bonorum possessionem defert, constituit tempus, iuxta quod eos petere bonorum possessionem necesse est, nimirum liberis atq; parentibus anni spacium, cæteris agnatis uel cognatis centum dierum. Qui uerò intra hæc tempora non petunt bonorum possessionem ipsis delatam, illorum portiones capere illos iubet, qui in eodem gradu successionis cum illis inueniuntur: si uerò nulli præterea in eo gradu fuerint, eos uult admitti, qui in proximo gradu ab illis existant: ut si qui ex liberis negligant bonorũ possessionem, permittit reliquos, si qui sunt in gradu liberorum, eam petere. Si nullos, uocat cognatos aut agnatos, ut maturius creditores scire possint, utrum habeant, cum quo congrediantur, an uerò bona uacantia fisco sint delata, uel ipsi debeant petere, ut mittantur in possessionem bonorum defuncti, quasi sine successore mortuus sit, iuxta * tot. tit. de successio. edic. Præterea Prætor eodem consilio hoc quoq; permisit, ut qui sua repudiatione, aut propter elapsum tempus deliberationis, aut propter aliquam aliam causam excluderentur aliquo gradu successionis, illi sibi ipsis succederent in alio gradu, si in eo nulli forent, qui eos præcederent, ut puta, filius neglexit petere bonorum possessionem, edicto, unde liberi, ille potest eandem hęreditatem petere per edictum, unde legitimi. Itemq; permisit Prętor, qui secundum Tabulas bonorum possessionem non petijsset, si posset ab intestato succedere, ipse sibi succederet. l. i. §. sed uidendum. ff. de successor. edicto. Porrò Prætoris exemplo etiam in successionibus, quę deferuntur ex iure ciuili, dantur certa hęredibus spacia deliberandi, de quibus in 3 proximo cap. suprà. Ac si qui intra constitutum ipsis tempus, non adeunt hęreditatem, tum eorum portio accrescit illis, qui aut ex institutione, aut iure cognationis in eodem sunt gradu successionis. l. si ex pluribus. ff. si pars hæred. petatur. Non autem accrescit portio hęreditatis non aditæ ab aliquo inter eos qui diuerso iure succedunt. Nam qui Iure institutionis ad hæreditatem uocatus est, illi non accrescit portio eius, qui alio iure ad eam uenit, etiamsi eam repudiet, aut moriatur antequam adeat, argumento l. filium. §. uideamus. ff. de bono. possess. contra tab. Necesse enim est, ut eodem Iure

sint coniuncti, qui iure accrescendi sibi inuicē succedere uelint. Itaq; si quis quinq; habeat liberos, quibus legitima debetur dimidia pars omnium bonorū defuncti, & unus ex illis abstineat legitima, tum eius portio accrescit reliquis quatuor, ut nihilominus petant dimidiam, quia eodem iure cum illis coniunctus est. Sed si idem exhæredatus esset, nihil illis accederet, quia exhæredatus nō est iure successionis illis coniunctus, & pro mortuo habetur. l. i. in fin. ff. de bon. possess. contra tab. Proinde regulæ loco esse debet, quòd illorum portio nemini accrescat, quorum dies petendi, quod ipsis debitum uidetur, 4
nunquam cessit. Neque enim transmittere quisquam potest, quod illi non cœpit deberi. Iam igitur ut intelligi possit, quomodo ius succedendi accrescat coniunctis in eodem gradu, aut quomodo transmittatur ad hæredes proximi gradus Iure ciuili, obseruandum erit tam in successione testati, quàm intestati, plures simul in eodem gradu & iure successionis iungi posse: ut si quis seruum plurimorum dominorum instituat hæredem, omnes simul domini succedendi per seruum Ius acquirunt. Sed si iussu unius adeat hæreditatem, non pro maiore parte iubentem dominum hæredem facit, quàm pro dominica. Cæteris autem dominis non iubentib. tacito iure ei partes reliquorum accrescunt. l. seruus communis. ff. de acquir. hæred. Item si is qui institutus est hæres, intra tempus deliberationis moritur, & plures post se in eodem gradu relinquat hęredes, ad quos Ius deliberandi transmittit, tum si unus uel plures ex illis repudient hæreditatem, aut moriantur, cęteris eorum portio accrescit. l. unica. §. in nouissimo. C. de caducis tollendis. In intestati autem successione plures iunguntur eodem Iure, aut cūm simul plures in eodem gradu aut Iure repręsentationis ad successionem cum illis, qui eos gradu precedunt, uocantur. Eodem gradu sunt liberi omnes, & cum illis admittuntur nepotes & neptes, in dispari gradu existentes, sicut suprà de successione ab intestato indicauimus. Cūm igitur eodem iure coniuncti sint, si unus ex liberis amittat hæreditatem, aut si plures nepotes uel neptes loco parentis cum liberis succedentes abstineant hæreditate delata, reliquis neglecta portio accrescit. l. i. §. si nemo. ff. de S.C. Tertull. Nemine uerò ex institutis, uel ab intestato uenientib. heredib. adeunte hęreditatē, nō adita ad eos, qui in proximo sunt illi gradu, defertur. l. si ex pluribus. ff. de suis & legit. hæred. Cæterùm à nemine adita, non transmittitur, nisi delata sit liberis hæreditas. Nam ideò Imperator nouissimo Iure adeundę hæreditatis facultatem nondum apertis tabulis testamenti omnibus dedit, cūm id ueteri Iure non liceret, ne quis queri posset hæreditatem sine sua culpa sibi eripi, aut eius hæredibus, si eam adire cessset, & antequam adeat moriatur. Metu igitur non transmittendę hæreditatis Imperator impellit hæredes scriptos, ut maturius hęreditates adeāt. Alio igitur modo hæredes urgentur hæreditatem adire nouissimo iure quàm prætorio, sed eodem consilio. Postquam autem à quopiam adita sit hæreditas, statim petendæ eius ius ad suos hæredes transmittit, iux. successionem graduum, si moriatur antequam eam accipiat. l. i. §. si nemo. ff. ad Tertull.

Accrescendi ius legatarijs etiam concessum.

Porrò habet ius accrescendi etiam locum inter legatarios, fideicommissa- 5
rios, donatarios, coniunctos eodem Iure. Sed illorum coniunctio non sicut hæredum consideratur. Nam illi dicuntur rē, aut uerbis tantùm, uel re & uerbis simul coniuncti. Re tantùm coniuncti censentur, quibus separatim eadem res legata est. Vt si quis primùm Titio leget domum, & postea eandem legat Meuio. Verbis autem tantùm coniuncti iudicantur, quibus copulatiuē eiusdem rei portiones legantur, ut si quis dicat: Sempronio & Roscio fundum Tusculanū æquis portionibus do, lego. Re & uerbis simul coniuncti habentur, quibus eadem res in solidum cum oratione legata uidetur, ut 6
Paulo, Petro lego Stichum. l. coniunctim. ff. de lega. iij. Qui ergo re & uerbis coniuncti fuerint, simul illi in acquirendo legato, quod coniunctus repudiauit,

diauit,uel propter aliquam cauſam amiſit,uel cuius dies non ceſſit, pręferuntur reliquis omnibus, qui illi aut re, aut uerbis, uel coniunctione legati coniuncti ſunt. Sed ubi non inueniuntur re & uerbis ſimul, ſed altero tantũ coniuncti, ibi pariter accreſcit reliquis, quod unus ex illis amiſit, uel antequã cederet dies legati, unus ex illis mortuus fuerit. l. re coniuncti. ff. de legat. iij. & ibi gloſſ. & dd. Cedit autem dies legati ſtatim à morte teſtatoris, non ab adita demum hæreditate, ſicut olim. l. unica. ℌ cũm igitur. C. de Caducis tollendis. Itaq; ut legatum accreſcat coniuncto, neceſſe eſt collegatarium eius mori ante teſtatoris mortem. Nam ſi mortuo teſtatore moriatur, portionem ſuam ad legitimos ſuos hæredes tranſmititit, quia dies legati ceſſit. Legatum tamen Libertatis, item Vſus, Vſusfructus, & Habitationis non tranſmittitur, niſi adita hæreditate. l. ij. ff. quando dies legati cedit. Si uerõ legatum deficiat ob aliam cauſam quàm mortem collegatarij, aut eius repudiationem, (ut quia legatum eſt deputatum ei cui non poſſit legari) tum manet apud inſtitutos hæredes pro portionibus hæreditarijs, quia ab ipſis ſimili modo præſtandum fuiſſet, ſi legatum ualuiſſet. Atque hoc quidem uerum eſt, niſi nominatim quidam inter hęredes ſolũm grauati ſunt onere ſoluendi legati. Nã iſto caſu ſicut ſoli cogerentur iſtud præſtare, ſi ualeret, Ita illud deficiens
8 ſolis illis accreſcit, ut iuxta regul. Is ſentiat commodum, cui onus fuiſſet ferendum, ſi legatum ualuiſſet. l. unica. ℌ ut manifeſtetur. C. de Caducis tollen. Fideicommiſs. autem ſingulare relictum ã legatario, uel fideicommiſſario, uel mortis cauſ donatario pręſtandum, ſi deficiat ob aliam cauſam, quàm mortem aut repudiationem fideicommiſſarij, ante teſtatoris mortem factam, manet apud oneratos pro portione uirili. l. unica. ℌ Sunt autem legatarij. C. de Cadu. toll. Quæ autem diximus de Iure accreſcendi, eatenus procedunt, quatenus inſtitutis hæredibus aut legatarijs, aut fideicommiſſarijs, aut donatarijs nemo fuerit ſubſtitutus. Nam Ius accreſcendi non habet locum contra uoluntatem teſtatoris, iux. Bald. cir. l. i. C. de ind. uidu. toll.

ff.

De ſucceſſorio Edicto.

Cod.

De ſucceſſorio Edicto.

Quando admitti ad bonorum poſſeſſionem poſſint, & intra quæ tempora.

Quando non petentium partes petentibus accreſcant.

His adiungenda eſt magna pars legis unicæ. C. de Caducis toll. Item pleræque leges digeſtorum ex titulo de legat. iij. Item Bart. commentarius in l. re coniuncti. ff. de legat. iij. In illis nanque locis præcipuè Ius accreſcendi & tranſmittendi uniuerſalium & ſingularium relictorum declaratur.

DE SERVITVTIBVS,
Cap. LIII.

SVMMARIVM.

1. Seruitus quid appelletur.
2. Seruitutum tres ſpecies eſſe.
3. Vſusfructus ſeruitus mixta.
4. Seruitutes urbanorum prædiorum quæ ſint.
5. Seruitutes affirmatiuæ & negatiuæ quæ.
6. Prædia urbana cur dicantur.
7. Prædia ruſtica unde æſtimentur.
8. Vſusfructus cur dicatur ſeruitus diuidua.
9. Seruitutes quomodo conſtituantur.
10. Præſcriptione ſeruitus quomodo acquiratur.

11. Seruitus quomodo amittatur.
12. Non utendo seruitutes amittuntur.
13. Ignorantia non excusat in seruitute amittenda.
14. Permittendo seruitutem amitti.
15. Confusione dominiorum seruitus extinguitur.

PACTENVS indicauimus, quibus modis ipsę res acquirantur, nunc quibus modis in aliorum reb. acquiramus Ius, quòd nobis aut nostrarum rerum commoditatib. certo quodam modo seruire teneantur, quod Ius generali uocabulo appellatur seruitus. 1

Seruitus Personalis. Realis.

Sunt autem seruitutum tres species. Alia est merè personalis, quę debetur personę à persona, & de hac nihil hoc loco: Nam ea ad Ius personarum, non rerum pertinet. Alia est merè realis, quæ rei à re debetur. Hanc Bart. cir. l. i. ff. de seruit. definit, quòd sit Ius quoddam prædio inhærens, eiusq; utilitatem respiciens, sed alterius prędij ius siue libertatem diminuens, ut est ius agendi pecoris per uicinum fundum. Alia est Mixta, nimirum à re personæ debita, ut est usus fructus. Gloss. Instit. de seruitutib. usti. prę. adducit quartam speciem seruitutis, quæ à persona rei debeatur, Vt si quis menstrua uel annua cibaria alicui leget, ut templum custodiat, sicut est casus in l. seruos. ff. de alimentis & cibarijs legatis. uerùm dd. dicunt talem operam à persona rei debitam magis esse obligationem personalem, quàm seruitutẽ, quia consistat in facto, non in Iure competente alicui in re, uel persona alterius ex necessitate Iuris. Nam potest quis curam custodiendi templi in alium transferre, cum obligatione diurni cibi. 2

Mixta. 3

Sunt igitur tres tantùm species seruitutum, & hoc loco tantùm de merè reali & mixta in genere dicemus. Inter Reales autem seruitutes quandam differentiam faciunt ipsę res, in quas incidunt tales seruitutes, uidelicet, ut aliæ dicantur rusticorum, aliæ urbanorum prædiorum. Vrbanorum sunt iura altius tollendi, stillicidium admittendi, tignum immittendi, proijciendi, proiecti faciendi, prospiciendi, adeundi, oneris ferendi, Item luminum faciendorum. Atque hæ quidem seruitutes reales dicuntur affirmatiuę, quia dant potestatem ista faciendi. Negatiuę sunt, quę dant ius prohibendi, ne talia in urbanis prædijs fiant: ut ne altius tollat, ne luminib. officiat, ne stillicidium immittat, ne prospiciat uicinus. Necq; uerò debet aliquis mirari, quòd urbana ędificia, uocamus prędia. Nam prædiorum appellatione comprehenduntur omnia ædificia, quę ad usum familiarem extructa sunt, siue ea fuerint in urbe, siue in agro. Non enim locus, sed usus urbanum prædium facit. l. urbana. ff. de uerb. sig. Sunt autem urbana prædia, aut prætoria, aut meritoria, aut uoluptuaria. Prætoria dicuntur, quæ habitandi causa à patrefamilias constructa sunt, l. nulli. C. de offic. rect. prouin. & l. plenam. ff. de usu & habitatione. Meritoria dicuntur, quæ quęstus gratia habentur: ut sunt stabula. Voluptuaria dicuntur, quę amœnitatis tantùm causa cõparata sunt, ut sunt horti olitorij, & uinearij: horti magis censentur rustica quàm urbana prædia. l. urbana. in fin. ff. de uerb. sig. Porrò rustica prędia non æstimantur ex commoditate habitandi, sed ex loci oportunitate. Nam prędium rusticum non dicitur ędificium, sed fundus reb. rusticis & agriculturæ idoneus, unde seruitutes rusticorum prędiorum censentur, actus, uia, iter, aquæ ductus. Atque hę quidem seruitutes dicuntur nominatę, quia sua appellatione circumscribuntur, reliquę seruitutes rusticæ, ut sunt aquę haustus, æquoris ad aquam appulsus, ius pascendi, calcis coquendę, arenę uel argillę fodiendę, dicuntur innominatę, quasi sua appellatione non circumscriptę. Mixtę uerò seruitutes dicuntur, habitatio, usus, & ususfructus. Inter omnes autem seruitutes solus ususfructus dicitur seruitus diuidua, quia particulatim acquiri ac concedi potest. Nã alię seruitutes nõ possunt ita acquiri, aut concedi, ideo dicuntur Indiuiduę: ut si quis

Prædia urbana. 4 5 6

Prædia rustica. 7

Seruitutes nominatæ. Innominatæ. 8

ſiquis fundum habens uicini, ſtipuletur alicui, & poſtea partem eiuſdem alie net, non poteſt illi uiam per totum fundum concedere. l. pro parte. ff. de ſeruit. Itaque nec fundo multis communi poteſt ab uno poni ſeruitus, aut concedi. Sed neceſſe eſt, omnes in eam conſentire. l. in eam. ff. de ſeruitut. ruſti. prædio. Nam in conſtituendis ſeruitutibus neceſſe eſt in ſolidum ſint prædiorum domini, qui ſeruitutem concedunt, aut eam acquirere uolunt. l. i. ff. communia prædiorum.

9 Vt autem ſeruitus conſtituatur, utriuſque partis, & conſtituentis, & eius cui conſtituitur uoluntas requiritur, ab inuitis enim non poteſt acquiri ſeruitus. l. incertam. ff. de ſeruit. ruſti. præd. In ruſtico prædio requiritur, ut prædia ita ſint ſibi inuicem uicina, ut inter fundum eius, cui acquiritur ſeruitus, & eius in quo conſtituitur, nullum interiaceat prędium alienum. l. qui Sella. in fin. ff. de ſeruitutibus. In urbanis autem prędijs non exigitur tanta uicinitas, ſed ſufficit conſpectus, quo alter alteri officere, aut ſeruire poſſit. l. ſi ędes meas altius. ff. de ſeruit. urbano. præd. Si tamen prædium interpoſitum ruſticis ſit publicum, non impedit ſeruitutis conſtitutionem. quia ſicut in diuiſione rerum diximus, publica omnium uſui pariter patent. l. ſeruitutes. §. publico. ff. de ſeruit. & de ſeruit. ruſt. præd. l. ſi mihi. §. penult. Neque uerò ſola emptione, ſed qualibet alia pactione, item donatione ſeruitus cõſtituitur. l. ſi rem. in fin. ff. de acquiren. poſſeſs. Teſtamento quoque quis alteri relinquere ſeruitutem poteſt, & hæredem uel legatarium damnare ut concedere eam cogatur in rebus ex Teſtamento acquiſitis. §. ult. Inſtit. de ſeruit. ruſti. prædi. *Seruitutes quomodo cõſtituantur.*

10 Vt plurimũm uerò ſeruitus conſtituitur pręſcriptione. Sed tamen uidendum, ne quis exiſtimet, ſtatim ſibi acquiſitã ſeruitutem, ſi uicinus patiatur per aliquot annos in ſuo prædio aliquid fieri. Nam ſi ſeruitus talis eſt, ut abſque ſæpius iterato hominis facto (ut eſt Iter, Actus, Aquæductus) retineri in uſu non poſſit, tum neceſſe eſt, ut initium acquiſitæ eius ſeruitutis nulla extet memoria. l. hoc Iure. §. ductus aquę. ff. de aqua pluuia arcenda, & de ſeruit. l. ſeruitut. ibiq; gloſſ. Secus eſt, ſi abſque continuo, uel frequente facto hominis retineri in uſu poſſit ſeruitus, ut eſt tigni immiſſio. Nam tales ſeruitutes pręſcribuntur, ſicut res corporales. l. fin. C. de præſcript. longi temporis. *Præſcriptio nequemadmodum acquiratur ſeruitus.*

Quia uerò ad conſtituendas & retinendas ſeruitutes quaſdam requiritur continuum factum hominis, ad quaſdam uerò non, aliæ ſeruitutes dicuntur continuæ, aliæ diſcontinuæ. Conſtituitur quoque ſeruitus quaſi traditione, ſicut alia incorporalia omnia. l. ſeruus. §. incorporales. ff. de acquir. re. dom. Eſt & hoc annotandum, quõd ipſo Iure, id eſt, ſummo Iure non poſſunt conſtitui ſeruitutes ex tempore, aut ad tempus, aut ſub conditione. Nam leges propter utilitatem prædiorum uolunt ſeruitutes cum quadam perpetuitate conſtitui, nihilominus tamen ſeruitus iſto pacto conſtituta admittitur, ſi æquitas eam ſuadere uideatur. l. ſeruitutes. ff. de ſeruit. Item rectè ſub conditione conſtituitur ſeruitus, ſi in conuentione ea apponatur, ut demum incipiat deberi ſeruitus, ſi ea exiſtat. l. v. ff. de ſeruit. Poſtremò non poteſt conſtitui ſeruitus, quæ fundo non prodeſt, cui conſtituitur. l. quoties. & l. ut pomum. ff. de ſeruit. niſi in poſterum utilis uideatur futura ſeruitus. l. ei fundo. ff. de ſeruit. Retinetur autem ſeruitus acquiſita, non ſolũm cũm ipſi domini, uerumetiã cũm per ſocium, aut fructuarium, uel per quemcunq; bonę fidei poſſeſſorem ea utimur. l. ſeruitus. & l. qui fundum. ff. quemad. ſeruit. amittitur. Eatenus tamen nobis per ſocium retinetur ſeruitus, quatenus prędium ſociale non fuerit inter nos diuiſum. Nam facta diuiſione, quiſquis per ſe in ſua parte tantũm retinet ſeruitutem, ſi ea utatur. l. non ſatis. §. i. ff. quemadmo. ſeruit. amittuntur. *Seruitus quomodo amittitur.*

11

12 Modi uerò amittendę ſeruitutis ſunt, nõ uti ea, itẽ permittere, ut quis faciat,

quod seruitutis ius prohibet. Non utendo autem seruitutes non pariter amittuntur, sed sunt distincta spacia temporum, quib. alijs atq; alijs seruitutibus non utentes nostro Iure cadimus. Nam si seruitus in continuo actu consistit, tum amittitur, si inter presentes decem annis, inter absentes uiginti ea non utimur. Si uero non consistit in continuo actu, sed patitur interualla annorum uel mensium, tum inter presentes uiginti annis, inter absentes quadraginta annis exolescit. l. si sic. ff. quemad. ser. amit. & l. ult. C. de seruit. & aqua. Neque id quidem impedit amissionem seruitutis, si quis ea non utatur, quia 13
nescit eam sibi competere. Nam plus quàm supina uidetur patris familiàs negligentia, si nesciat quid Iuris sibi in uicino prædio competat. l. Si partem. §. si partem. ff. quemadmo. seruit. amitt. Si tamen eius ignorantia deprehendatur sine eius culpa esse ex æquitate, illi succurritur, iux. l. Atticilinus. ff. de seruit. rustico. præd. Præterea est in hoc amittendi modo etiam quędam differentia Iuris, propter prædiorum diuersitatem. Nam in urbano prædio non sufficit seruitute non uti, sed oportet etiam prestare impedimentum, uicinus enim non potest prescribere libertatem sui prædij contra Ius tuum, etiamsi ea non utaris, modò eum de isto interpelles, ut si Ius habeam immittendi tigni in uicini parietem, & uicinus aliquot annis non extruat ædificium, cui possim immittere tignum, tum ob id non cessat mihi debere seruitutem, cùm eius culpa, nõ mea negligentia fiat, quò minus meo Iure uti possim. l. si quis. §. fin. ff. quemad. seruit. amitt. Porrò permittendo ita amittimus seruitu- 14
tem, ut cùm habeam Ius, ne altius tollat suas ædes, aut luminibus meis officiat, ubi tale quid molienti non repugnem, sed ocioso animo fieri id patiar, aut ultro remittam. Etenim hoc in permissione præcipuè spectatur, an ex mera indulgentia, an uerò precario facta sit. Nam quod precario alicui permittitur, non tollit Ius nostrum. l. si precario. ff. communia prædiorum. & l. stillicidij. ff. quemad. seruit. amitt. Sæpe etiam confusione dominiorum in uici- 15
nis prædijs seruitus extinguitur. Nam si quis nanciscatur in solidum eius prædij, quod ipsi seruiat, dominium, tum quia nulli sua res seruire potest, sublata censetur seruitus, quam prius in eo prædio habuit. l. si cùm. ff. quemadmodum seruitus amittitur.

ff.

De seruitutibus. — De seruitutibus urbanorum prædiorum.
De seruitutibus rusticorum prædiorum.
Communia prædiorum tam urbanorum quàm rusticorum.
De seruitute legata. — Quemad. seruit. amit.

Cod. — Instit.

De seruitutibus & aqua. — De seruitutibus rusticorum prędiorum.

DE VSVFRVCTV, VSV. & Habitatione. Cap. LXIIII.

SVMMARIVM.

1. Vsusfructus quid sit.
2. Vsusfructus ab usu quomodo differt.
3. Duas esse species ususfructus.
4. Vsusfructus rerum quæ usu consumuntur.
5. Pecuniæ ususfructus constituuntur.
6. Patri ususfructus conceditur in bonis filij aduenticijs.
7. Vsufructuarius utatur usufructu arbitrio boni uiri.
8. Cæduæ syluæ ususfructus.
9. Fructuarius causam proprietatis deteriorem facere non debet.
10. Vsufructuarius ad quid teneatur.
11. Cautio ab usufructuario exigi potest per proprietarium.
12. Quando cedat dies legati usufruct. 13. De amissione ususfructus.
14. Varie

14. Variis modis extinguitur ususfructus rei mutatione.
15. Villa fundi accessio est, non corpus.
16. Nauis ususfructus legatus quando interit.
17. Inundatio aquæ mutat usumfructum.
18. Confusio seu consolidatio habet uim extinguendi usumfructum.
19. Non utendo ius suum negligi.
20. Seruitutes omnes amitti, si quis præsens intra decem, absens intra xx. annos (illis non utatur.
21. Domus usus quis sit.
22. Vsus syluæ qualis.
23. Satisdatio usuarij quæ.
24. Equorum usus aurigæ legatus.
25. Habitatio ab usu, & cæteris seruitutib. quid differat.

DE his speciebus seruitutum libuit ideo separatim agere, quia diuersa est earum in quibusdam obseruationibus Iuris ratio. Primùm enim sunt obseruationes mixtæ, utputa personis à rebus debitæ, cùm superiores omnes à rebus debeãtur reb. Deinde differt Vsusfructus à superioribus, atque etiam usu, & habitatione, quòd is est diuiduus, reliquæ autem omnes seruitutes sunt indiuiduæ, nec potest aliqua pars eorum alicui legari, aut per petitionem uendi. l. i. §. si usus fruct. ff. ad l. Falcid. & de uerb. oblig. stipulationes diuiduntur. Illud tamẽ habent hæ seruitutes cum reliquis commune, quòd inter uiuos constituuntur pactionibus & stipulationibus, quales sunt: Venditio, Locatio, & his similes. In Testamento autem defuncti relinquũtur nomine legati, aut fideicommissi singularis. ff. de usufructu. Sed habet ususfructus multa specialia. Itaq; de eo præcipuẽ dicemus in hoc cap. Pauca etiam de usu & habitatione dicturi. Vsusfructus.

1 Est igitur ususfructus Ius alienis rebus utendi, fruendi, salua rerum substantia. l. i. ff. de usufruct. & quemad. quis utatur. Neque uerò in definitione uerbo utendi frustra adiectũ est uerbum fruendi. Nam hoc ad discernendum usumfructum ab usu pertinet. Etenim qui usum rei habet, illi tantùm competit ius percipiendorum fructuum ex ea, sed frui tamen suo iure non potest, quia non licet illi istud in alium transferre. Qui uerò usumfructum habet, is non modò per se, uerumetiam per alium re usufructuali uti potest, saluo iure proprietarij. l. ij. ff. de usu & habita. Proinde plus aliquanto est habere usumfructum, quàm usum. Frui. Vsusfructus ab usu quomodo differt.

Faciunt autem Doctores ususfructus duas quasi species, cùm alium usumfructum dicunt esse formalem, alium casualem. Formalem dicunt esse ius in 3 corpore, quo sublato & ipsum tolli necesse est. l. ij. ff. de usufru. & quemad. quis eo utatur. Et talis ususfructus dicitur seruitus. Itaq; de eo solo nos hic agere discentes intelligant. Casualem uocant eum, qui nobis non in aliena re, sed quia dominium, uel quasi, in re habemus, debetur. De eo igitur hic nihil agitur. Nam à proprietate non est separatus. Seruitus autem est ius in re à proprietate separatum. Itaq; cùm usumfructum inter seruitutes collocemus, de illo tanquam de iure à proprietate separato dicendum est. Constituitur autem talis ususfructus, in fundo, ędibus, iumentis, & quibusq; alijs reb. unde aliquod cõmodum percipi potest. l. status. ff. de usufru. & quo. quis uta. In rebus 4 tamen, quæ usu consumuntur, ut sunt uinũ, triticum &c. regulariter non potest constitui ususfru. l. sed & si quid. ff de usufructu. & quemad. quis. Nihilo 5 minus tamen si talis sit res, quę aliquandiu durare possit in usu, ut est pecunia, & illi similes res, permissum est, ut usufructus in ea constituatur. Si usufructuarius caueat de reddendo rei precio, si eam amittat, aut aliquo casu intereat. l. in stipulatione. & l. quoniam. ff. de usufru. earum rerum quę usu consu. Vsusfruct. formalis. Casualis.

Præter eos autem modos, quibus constituitur ususfructus, nonnunquam etiam officio iudicis constituitur, ut si hæredes uolent à communione usus-

fructus

fructus recedere, potest alij usumfructum, alij fundum adiudicare, ita quidem, ut ex certo tempore & ad certum tempus quisquis ex heredibus, uel alternis annis usumfructum habeat, uel ut omnino quis usumfructum non communi cet illis, quibus proprietas adiudicata est. l. & puto. ff. familiæ herciscundæ. Quibusdam citra autoritatem iudicis lex concedit usumfructum in aliorum 6
bonis, ut patri in bonis filij aduenticijs. l. antepen. C. de bonis quę libe. Item mulieri post annum à morte mariti ad secundas nuptias transeunti, in bonis liberorum. l. iij. C. de secund. nupt. Idem tribuit lex multis alijs, sed pręter rem esset ista Iura omnia hic uelle congerere, cùm in suis quoque formis ultro se offerunt annotanda. Potest quis & in re, quam alteri donat, aut uendit, sibi retinere usumfructum. l. quisquis. C. de donat. Quamuis alioquin in seruitutem in re sua constituere nemo possit. l. uti frui. ff. si usufru. petatur.

Quocunq; uerò modo quis consecutus est usumfructum, necesse est, ut eo 7
utatur boni uiri arbitrio. Nõ enim licet cuique re usufructuaria pro libidine uti cum detrimento proprietarij. l. si fund. ff. de usufru. & quemad. quis eo utatur, unde si quis in prędio rustico habeat usumfructum, licet illi quidem percipere quicquid uel sponte, uel cultura hominum in eo nascatur, sed suo tamen quodam modo, Vt si habeam usumfructum in cędua sylua, licebit mihi 8
cędere in ea arbores, sed ita, ut eam non penitus ad solitudinem deducam, Si uerò non sit cædua, non mihi licebit grandes in ea arbores, sed pedamenta tantùm & ramos ex illis sumere. l. Item si fund. cum duab. seq. ff. de usufru. & quemad. quis utatur. Fructuarius enim causam proprietatis deteriorem fa 9
cere non debet, meliorem tamen facere potest. Itaque uenas lapicidarum & metallorum fructuarius inquirere potest, si non noceat agriculturæ, aut si id quod instituat non maiorem desideret apparatum, quàm quem proprietarius sustinere possit. l. æquissimum. ℣ proinde. ff. de usufru. & quemadmo. quis utatur. Debet enim usufructuarius tanquam bonus paterfamilàs fructus agri quærere, non cum detrimento proprietarij quæstum suum sectari. l. Itẽ si filius fam. ff. de usufru. & quemad. quis ea utatur. Sic & in prędio urbano, si quis habeat usumfructum, pertinent quidem ad eum omnes obuentiones, quæ ex ædificijs, areis, & cęteris sunt. Non autem licet quicquam in illis facere quod noceat proprietario. Sicut nec proprietarius quicquam in eo facere potest, quod obstet commoditati fructuarij. l. i. ff. de usufru. & quemadmodum quis utatur. In re uerò mobili quoque si quis habeat usumfructum, omnino exigitur ab eo, ut sua sęuitia aut ferocitate eam nõ corrumpat, aut perdat. Proinde si mancipiorum usus alicui legatus sit, debet illis secundum conditionem eorum uti, ut si seruus sit librarius, non debet eum in rus mittere, & cogere, ut qualum uel calcem portet: aut palęstritam non pręponere latrinis extergendis. Nec si Scænicę uestis usufructus legetur, licet alibi quàm in scæna uti. l. sed & si quid. ff. de usufru. & quemad. quis utatur. Licet tamen usufructuario, ut uel ipse fruatur, uel usumfructum alteri uendat, uel locet, uel precario concedat, uel donet. Nam & per illos suo iure uti uidetur, cùm eius uoluntate fruantur. l. arboribus. ℣ usufructuarius. ff. de usufr. & quemad. quis utat.

Quoniam autem omnis fructus rei ad usumfructuarium pertinet, tenetur 10
etiam ad onera quędã rei fructuarię, sed modica tamen. Nam si prędium uetustate corruat uel exuratur, &c. non cogitur illud reficere, licet sarta tecta ædificia alioqui habere, arbores subserere, Tributum uel stipendium, uel alimenta ab eo relicta pręstare teneatur. l. usufru. legat. & l. hactenus. ff. de usufru. & quemad. quis uta. Item seminariũ, & instrumenta rustica renouare cogitur, ut finito usufructu restituatur. l. item si fundũ. ff. de usufru. & quemad. quis utatur. Quapropter à fructuario exigere proprietarius satisdationem de 11
fruendo, boni uiri arbitrio potest. Neque potest quidem hæc satisdatio à testatore remit-

tore remitti. l.i.C. de usufru. & habit. nisi Fisco, aut illi legatus est ususfructus, ad quem certum est rei proprietatem peruenturam. l.1. §. si ad Fiscum. ff. de legat. nomine caueatur. & l.ult.C. de bonis quæ liberis. Ad retinendum usumfructum sufficit affectus retinere uolentis. l. arboribus. §. de illo. ff. de usufru. & quemad. quis utatur. Cæterũm ususfructus non accrescit, nisi fructuarij sint aut re, aut uerbis coniuncti. Quomodo autem illud accipiendum sit, plenè supra de Iure accrescendi inter hæredes & legatarios indicauimus. Et extat hac de re in digesto peculiaris tit. per se satis perspicuus. Ne-
12 que de die quo deberi incipit ususfructus, perplexa est disputatio. Si purè relictus est ususfructus, cedit eius dies statim ab adita hæreditate, sed antè peti non potest. Si uerò sub conditione ad incertum tempus legatus est, cedit conditione existente, & in uices temporum, ad quas legatus est. Pactionibus uerò constitutis cedit ex lege pacti conuenti, iuxta tot. tit. ff. quando dies usufructus legati cedat.

13 Amittitur autem ususfructus aut morte usufructuarij naturali. l. iij. in fin. ff. quibus modis usufru. amitt. aut morte ciuili, aut capitis diminutione, maxima & media, non autem minima. l. corruptionem. §. sed nec per omnem. C. de usufru. & habitatione. Atq; his quidem duobus modis penitus amittitur ususfructus, sed reliqui modi pro parte interitum eius recipiunt. l. incerta. ff. 14 quib. mod. usufru. amit. Extinguitur quoque ususfructus rei mutatione, sed id fit uarijs modis, ut in prædijs urbanis, si ædes quarum ususfructus legatus est corruant, aut exurantur, aut si areæ usumfructum quis habeat, & in ea ædificium ponatur, non est dubium proprietarium non teneri ad præstandum usumfructum. l. repeti. ff. quib. mod. usufru. uel usus amittatur. In rusticis ue-
15 rò prædijs ususfructus non extinguitur, si uilla diruatur. Nam uilla fundi accessio est, non corpus, in quo ususfructus fundi peculiariter existat. l. fun-
16 di. ff. quib. mod. usufru. amitta. Item interit ususfructus nauis legatus, si dissoluatur, nec refert nauem denuo ex eisdem tabulis tignisq; restitutam, sicut nec domus ex eisdem cæmentis refectæ ususfructus retinetur, nisi antequam collaberetur id factum fuerit. l. quid tamen. ff. quib. mod. ususf. amittatur. Muta-
17 ta quoq; res usufructuaria censetur, si inundatione aquæ, aut maris submergatur. Eatenus tamen sic extinctus habetur ususfructus, quatenus aqua non eodem impetu discesserit quo uenit. Nam isto casu restitutus ususfructus uidetur. l. si ager. ff. quib. mod. ususfru. amit. Habet quoq; confusio, siue ut a- *Confusio.*
18 lijs uocant, etiam consolidatio, uim extinguendi usumfructum, sicut in cæteris seruitutib. ut si quis seruo suo relinquat usumfructum, tamen post aditam hæreditatem, hæres simul cum seruo usumfructum acquirit, ita ut nulli alij eam debeat. l. si seruo. ff. quib. mod. ususfru. amit. Nonnunquam etiam testatoris facto legatus ususfructus colligitur ademptus, ut si cui balnei ususfructus legatus sit, & testator habitationem ex hoc faciat, aut si histrionis usumfructum relinquit, ut eum ad aliud ministerium transferat. l. si cui. ff. quib.
19 mod. ususfru. amit. Inter omnes autẽ modos, quib. amittitur ususfructus, uul-
20 gatissimus est, nõ utendo ius suum negligere. Nam omnes seruitutes regulariter amittuntur, si quis præsens intra decẽ, absens intra xx. annos illis nõ utatur. C. de præscrip. lon. temp. x. uel xx. annorũ. l. ult. in fin. & ibi gloss.

Cæterũm quę de constituendo & amittendo usufructu hactenus diximus, eadem & in usu & habitatione locum habent. Nam quod ad ista Iura attinet, nihil admodũ habet uarietatis, sed in emolumento harũ seruitutum multa est diuersitas ab usufructu. Nam qui nudũ usum rei habet, illi non permittitur, ut plenè rei usuarię commodis utatur, sed tantũm conceditur, ut inde accipiat quantũ ad quotidianũ usum satis est. Instit. de usu & habita. in prin. Atq; facit quidẽ in capiendo emolumento, usus & ipsa rerũ cõditio magnã diuersitatem
21 iuris. Nã qui usum domus habet, is cũ uxore & familia in ea habitare, atq; etiam hospi-

De amissione ususfructus.

Consolidatio

am hospitem, qui cum ipso habitet, ad se recipere potest. l. ij. ff. de usu & habit. In prędio autem rustico si usus legatus sit, uel per alium modum licet usuario hactenus in uilla morari, ut neq; domino fundi molestus sit, neq; his per quos opera rustica fiunt, impedimento. Omnino autem licet illi uti his, quæ in fundo nascuntur, non usq; ad compendium, sed ad necessarium & familiarem suum usum. l. in eo. & l. plenum. ff. de usu & habitat. Potest quoq; usuarius ex fundo in urbem deuehere necessaria, si commodē in uilla morari non possit. Sicut enim in usu syluæ permittitur usuario, ut ligna in ea cędat, quia nullus alioqui esset eius usus, ita de reliquis quoq; reb. iudicandū est, utpote, quōd liceat illis uti prout quisq; possit, cūm nihil ex illis alioquin accepturus sit, cui iusmodi usuarius, nisi hoc illi concedatur. Continetur tamen hoc officio iudicis, ne quis aliter, quàm de usu debeat, legato utatur, l. penult. ff. de usu & habi. Vnde cogitur usuarius satisdare de utendo boni uiri arbitrio, & de restituendo eo quod extabit finito usu, planē sicut fructuarius. l. 1. & penult. ff. de usufr. quemad. caueat. Aliquando tamen conditio personæ circumscribit usum, ut si legatus sit equorum usus aurigę, non solūm equitandi, sed & iungendi eos ad trahendum currum ius habere uidetur. l. plenum. §. reficiendi equitij. ff. de usu & habit. Incumbit quoq; onus prædij usuario, si solus eo utatur, ita ut nihil reliquum fiat de commodis eius proprietario. l. si domus. ff. de usu & habitat. Si uerò etiam proprietarius aliquid ex re usuaria percipiat, cuiusmodi ultra id quod usuario necessarium est, coguntur parib. expensis sumptus in reficiendo usuario facere.

Postremò ut & de habitatione pauca quædam annotemus. Differt habitatio ab usu & cæteris seruitutib. quòd ea potius in facto, quàm in iure cōsistit. l. legatum. ff. de capite diminu. Itaq; quamuis habitatio ijsdem modis constituatur, quibus reliquę seruitutes, tamen capitis diminutione, & non utendo per præscriptionem non admittitur. Nam in uitam hominis hæc seruitus constituta uidetur, ut morte demum eius, cui concessa est habitatio, extinguatur. l. si habitatio. ff. de usu & habit. Ab usu autem differt, quōd habitatori licet alijs ius habitandi locare uel uendere, cūm id usuario negetur. l. cum antiquitus. C. de usufruct. Effectu alioquin penē eadem est seruitus habitandi & utendi. Nam & habitatori permittitur, ut cum filia habitet in domo, cuius habitatio illi concessa est. Non autem transmittitur ad hæredes ius habitandi, sicut nec usus, nec ususfructus.

HVC PERTINENT TITVLI:

ff.

De usufructu, & quemadmodum quis utatur.
Quando dies ususfructus legati cedat.
De usufructu accrescendo.
De usufructu earum rerum quæ usu consumuntur uel minuuntur.
Vsufructuarius quemadmodum caueat.
De usu & habitatione.
Quibus modis usufructus uel usus amittatur.

Instit.

De usufructu.
De usu & habitatione.

Cod.

De usufructu & habitatione & seruorum ministerio.

Habetis igitur in hoc capite secundæ partis doctrinæ iuris, quæ iura iuribus competant alienis, & quomodo res fiant nostræ, aut nostrum ius in rebus amittatur. Sequitur tertium caput secundę partis, in quo agemus de iure à rebus separato, & indicabimus, quibus modis illud acquiramus uel amittamus.

FINIS SECVNDAE partis de doctrina iuris.

TERTIA

TERTIA PARS HVIVS METHODI DE DOCTRINA IVRIS CIVILIS, QVAE EST de Contractibus.

PRAEFATIO.

AN CHRISTIANO LICEAT VTI contractibus, qui iure Ciuili probantur.

SVMMARIVM.

1. Quæstionis explicatio, an Christiano liceat uti contractibus ciuilibus.
2. Ciuiles ordinationes approbari à Deo.
3. Quòd liceat contractibus ciuilibus uti.
4. Ordinationes politicæ iudicio rationis sint consentaneæ.
5. Aequitas naturalis pariter omnibus insculpta est.
6. Vsuræ iure diuino prohibitæ sunt.
7. Dominium rei mutuatæ transferri in mutuantem.



1 VAMVIS nihil admodum sit, cur hanc quæstionem hic moueamus, tamen quia in reliquis capitulis doctrinæ iuris hunc obseruabimus ordinem, ut in explicando primùm causas, propter quas cuiusq; capitis constituta, pro iure habeantur: deinde cuiusmodi sit illud ipsum ius, de quo agamus, & quatenus à reliquis formis iuris differat: ac postremò quib. modis acquirere aut amittere possimus, indicemus: nolui in tractatu huius capitis abin stituto recedere, idq; magis, ut discentes & in tractandis hisce rebus, nostri cõsilij admonerem, & ad Methodum assuefacerem, quàm ut ualde necessariam huius quæstionis explicationem hoc in loco ducerem. Nam si in genere quis quærat, an liceat Christiano contrahere isto modo, quo ciuiles II. permittunt,
2 facilis & in promptu est solutio, quòd cũm Paulus approbet ciuiles ordinationes tanquam ã Deo profectas, & Salomon testetur, labia regum in con
3 stituendo iure diuinitus regi, Prouerb. xvi. non dubium esse, quin liceat homini Christiano contractibus ciuilibus uti, tanquam huius mundi elementis, hoc est, rebus in hac uita necessarijs ad communicationem rerum. Sed si quis in specie, aut in indiuiduo idem quærat, plus disputationum habebit hæc quæ
4 stio. Nam ut maximè approbent sacræ literæ ordinationes politicas, tamen requirunt, ut iudicio rationis, quod nostris mentibus tanquam dedicatum aliquod simulachrum diuinæ iustitiæ inditum est, respondeant, & consentaneæ sint. Ideò nanq; dicit Christus Matt. 7. Quæcunq; uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Nam isto dicto reuocantur omnes constitutiones ad
5 æquitatem naturalem pariter omnibus insculptam. Atq; proinde nominatim
6 quoq; prohibentur usuræ, apud Luc. cap. vi. Mutuum date, nihil inde sperantes: Nam cũm dominium rei mutuatæ transferatur in eum, qui mutuo sump-
7 sit, improbum est, ab eodem exigere, ut de re sua nobis aliquid soluat pro eius usu. Sic & de cæteris cõtractibus iudicandum est, uidelicet, quòd liciti sint, quatenus non captent aliquid iudicio naturæ prorsus contrarium. Sed quia in singulorum contractuum explicatione, hæc moderatio magis perspici poterit, quàm si hic ignotis adhuc illis eam declarare multis uelimus: Iam ad explicationem obligationum, quæ ex contractibus oriuntur, pergemus, & cur obligationes ã cęteris modis acquirendi res separauimus, paucis exponemus.

Vsuræ iure diuino prohibitæ.

DE OBLIGATIONIBVS earumq; differentijs. Cap. I.

SVMMARIVM.

1. Seruitutes à contractibus incorporalibus quomodo differant.
2. Traditione & usucapione transferri dominia rerum.
3. Obligationem esse ius ad rem, dominium ius in re.
4. Obligationum substantia in quo consistat.
5. Obligationem matrem esse actionum.
6. Obligationum tres species esse.
7. Naturalis obligatio quæ.
8. Ἀντίδωρα esse remunerationes.
9. Promissa esse seruanda.
10. Gratia benemeritis reddenda.
11. Iudex prohibitus ædificare in administratione.
12. De literarum seu chirographi obligatione.
13. Tempus præfinitum exceptioni non numeratæ pecuniæ.
14. Natura abhorret flagitia.
15. Nemo obligatur ad perpetranda flagitia.
16. Naturalia iura esse immutabilia.
17. Tutoris matrimonium cum pupilla prohibitum.
18. Obligationum differentiæ à causis ductæ.
19. Obligationum alia pura, alia conditionalis &c.
20. De obligationum effectu.
21. Naturalis obligatio non parit actionem.
22. Exceptionem ministrat naturalis obligatio.
23. Ciuilia ciuilibus tolli, non autem naturalia ciuilibus.
24. Pactum de non petendo.
25. Iniuriarum obligationem pactis interpositis extingui.
26. Iura proniora esse ad liberandum quàm obligandum.
27. Exceptiones ex æquitate iuris dari.
28. Autoritas statuentium quæ.
29. Lex publica communis omnium sponsio censetur.
30. Obligatio est iuris uinculum.
31. Diuidua obligatio quæ dicatur.

NE quis existimet temerè, & sine certo consilio nos obligationes à cæteris acquirendarum rerum modis, de quibus in proximo capite diximus, separare, uident discẽtes monendi, q̃ alia uis sit iuris, quo superiorib. modis acquiri ostendimus, alia obligationũ. Etẽ illis acquiruntur res corporales, his uerò incorporales. Licet enim rusticorum & urbanorum prædiorum seruitutes, quæ sunt res incorporales, illis modis acquirantur, tamen ob id non minus rectè obligationes ab illis sic separantur. Seruitutes enim tanquam accidentia cum rebus, non ut iura à rebus separata, sicut sunt obligationes, acquiruntur. Præterea per illos fit aliquid nostrum, obligationibus uerò fit nobis aliquid debitum, ut traditione & usucapione transferuntur dominia rerum. l. traditi. C. de pactis. Sed contractibus non transfertur dominium, nisi interueniat traditio uel quasi traditio. Atque reddit quidem huius rei causas Bald. circa l. ea lege. C. de con. ob causam. Primum quòd si solis pactis & cõuentionibus contractuum transferrentur rerum dominia, tum obligatio eo ipso facto quo oriretur, simul extingueretur, nec maneret in rerum natura. Deinde cùm dominium naturaliter acquiratur rerum occupatione, & possessione, non potest hominũ pacto ita tolli naturalis acquirendarum rerum ratio, ut dominia earum absq; ulla traditione transferantur, unde idem Baldus circa leg. error. C. ad leg. Falcid. dicit obligationem esse ius ad rem, Dominium uerò ius in re. Obligationum enim substantia non in eo consistit, ut aliquod corpus nostrum, aut seruitutem nostram faciat, sed ut alium nobis obstringat, ad dandum aliquid, uel

Dominiũ contractibus nõ transferri.

5 uel faciendum, uel prestandum. l. obliga. ff. de acti. & oblig. Quare rectè quo
que quidam dicunt obligationem esse matrem actionum. Nam ea nobis præ
bet causam, propter quam uel à ll. ciuilibus, uel edictis prætorum, uel senatus
consultis, uel constitutionibus datur ius trahendi obligatum in iudicium.

Obligatio naturalis tantũ.

6 Sunt autem obligationum tres potissimùm species, quarum alia dicitur na
7 turalis tantùm, alia ciuilis tantùm: Alia naturalis & ciuilis simul. Naturalis tan
tùm est, quæ solo naturalis æquitatis uinculo nos obligat, & ad cuius præstan
8 di necessitatem ciuili iure non astringimur, qualis est obligatio remunerato
num, quæ ἀντιπάθεια uocantur. l. sed & si. §. consuluit. ff. de petit. hæred. Item
9 ratio, qua continentur omnes contractus (uidelicet promissa esse præstanda)
est naturalis. Itaque contractus dicuntur esse de iure gentium. l. ex hoc iure.
ff. de iust. & iur. Nam naturaliter omnes gentes ita iudicant, q promissa sint
præstanda. Sunt igitur obligationes contractuum naturales, quatenus natu-
ralis æquitatis iudicio probantur, sed ciuiles, quatenus iure positiuo publicè
proditæ sunt. Proinde Bart. cir. l. Si non sortem. ff. de condition. indebiti,
dicit obligationẽ naturalẽ tantùm oriri ex contractu, cui lex nec assistat, nec
10 resistat. Nã obligatio cui lex accedit, ea cũ fuit naturalis, fit ciuilis & naturalis
simul, ut reddere gratiam benemeritis est obligat. naturalis tantùm, Sed eadẽ
inter patronum & libertum iure Romano est naturalis & ciuilis simul, quia
l. i. §. cum patron. ff. de off. præ. ur. non solùm præcipit, ut libertus propter
acceptam libertatem bonam referat gratiam suo patrono, sed permittit, ut pœ
na etiam afficiatur, si quid secus faciat quàm gratum libertum deceat. Est igi
tur obligatio naturalis tantùm, quam sola mens & ratio absq; legis autoritate
nobis dictat, & ea fit naturalis & ciuilis simul cum l. publi. appro.

Obligatio ciuilis tantùm.

Porrò obligatio ciuilis tantùm dicitur, ad quam astringimur sola autoritate
11 iuris positiui in re, quam natura permisit esse liberam, ut ratio naturalis non
prohibet iudicem ædificare, donec est in administratione eius functionis.
Verùm quia imperatores uiderunt sæpe id fieri cum incommodo publico,
& inde nasci suspiciones πλεονεκτημάτων, apud eos qui gererent tales magistra
tus, publica constitutione illud interdixerunt iudicibus. C. de contra. iudi.
12 Idem cautum est. l. in contracti. C. de non numerata pecunia, ut si quis alicui
det chirographum de accepta pecunia, cũm speraret certò illum daturum, &
postea tamen is non numeret eam, ne detur illi exceptio non numeratæ pecu
niæ, si elapso biennio in iudicio non questus sit de non accepta pecunia. Ita-
que is, qui sic dedit chirographum, tenetur obligatione ciuili ad soluendum
quod chirographum testatur eum accepisse. Et tamen naturalis æquitas uide
tur permittere, ut nunquam non apponatur talis exceptio. Atque docet etiam
ueterum exemplum, quòd natura patiatur, ut talis exceptionis appositio sit
arbitraria. Nam olim quinquennio præfinita fuit. Itaque nisi naturalis ratio
pateretur talis exceptionis appositionem esse liberam, non licuisset legum
13 conditoribus tempus eius apponendæ toties mutare. Sed quia facilè esset im
probis abuti tali libertate contra creditores, consultum uisum est, ut præfi-
niretur tempus, in quo prospicere sibi de suo iure possit, qui negaret sibi nu-
meratam pecuniam, propter quam literarum testimonio conueniretur. Si ue
rò istud negligeret, tum magis literis quàm illi credendum, ne infinita fieret
occasio improbis negandi, pecuniam non esse numeratam. Est igitur litera-
rum obligatio in tali casu ciuilis tantùm, quia ex ciuili necessitate tantùm ad
eam astringimur. Atque talis quidem obligationis multæ sunt passim leges
& constitutiones proditæ, quas nos infrà sub peculiari capite de obligatione
ex lege comprehendemus, & pleraſque alias ibi enumerabimus. Cæterùm
differentiæ obligationum, de quibus hactenus diximus, sunt essentiales. Nam
naturæ iudicio & legum autoritate tanquam uinculis continentur & subsi-
stunt, adeò ut si prorsus repugnent naturali rationi, aut leges aduersentur

illis obligationibus, pro nullis habeantur: Vt quia natura abhorret flagitia, 14
non obligamur ad ea perpetranda, etiamsi nos astrinxerimus ad ea. Naturalia 15
enim iura sunt immutabilia. §. ult. Instit. de hæred. ab inte. Sic si tutor contra- 16
hat cum pupilla, non ualet matrimonium, quia ll. id fieri prohibetur. Sed de 17
inutilibus obligationibus infrà.

Porrò sunt & aliæ obligationum differentiæ, quarum quędam à iure, quo aut proditæ, aut approbatæ sunt, oriuntur, ut quia obligationum quædam à l. xij. Tabul. quædam à prætoribus, quædam senatusconsultis, sapientum respõsis, aut Imperatorum constitutionibus receptæ sunt, quidam sic diuidendas obligationes censent, ut aliæ dicantur ciuiles, aliæ prætoriæ. Sed talis diuisio nihil habet utilitatis, nisi ꝙ ostendit diuersis autoribus aut temporibus esse cõstitutas iure Romano obligationes. Itaq; non est cur operosę eã explicemus. Quędam differentię obligationum ducuntur à causis, quibus existunt, ut quę 18
ex pactis oriuntur, à quibusdam uocentur conuentionales, & eadem ratione cæterarum appellationes deduci à modis, quibus contrahuntur, poterunt, quod per se quis faciet facilimẽ, ubi annotatos eos modos habuerit. Quædam differentiæ obligationum sumuntur à causa, circa quam uersantur, unde alia dicitur personalis, quæ personæ, non rei incumbit, qualis est obligatio ad præ- *Obligatio personalis.*
standas operas, item iniuriarum. Alia potest dici realis, quia in re constituitur, sicut seruitutes in prædijs rusticis, uel urbanis. Nam ad eas non qui possidet, sed ipsæ res tenentur. Dicitur quoque obligatio pœnalis, qua ad certam *Realis.*
pœnam paciscentes se obligant, si promissa non præstentur. Item alia dicitur obligatio dandi, alia restituendi, alia ad interesse, alia peculiaris, qua pecu- *Pœnalis.*
lium alicuius oneratur. Sed si quis ita perget à rebus, quæ in obligationem deducuntur, obligationum differentias ducere, tum penè singulæ res, de quibus paciscí possumus, singulas facient differentias, nec; erit aliquis earum numerus aut modus. Itaque omittemus illas, & indicabimus à forma quaq; uerborum, quibus contrahuntur obligationes, duci differentias earum posse. Nam cũm quis omnia sua bona oppignorat, rectẽ obligatio inde nata, dicitur *Generalis.*
generalis. Si uerò quis certam tantummodo rem loco pignoris alicui cõcedit, *Specialis.*
specialis erit obligatio. Alternatiua uerò obligatio dicitur, quãdo inter diuer- *Alternatiua.*
sas species datur optio, utra debeat esse in obligatione. Item obligationum alia 19
purẽ, alia conditionaliter contrahitur, & facit inter ipsas sua quædam discrimina conditionum uarietas, ut alia dicatur possibilis, & ea aut potestatiua, aut casualis, aut mixta. Sed quia suprà peculiari capite de conditionibus, earũm que uarietate diximus, nolo semel dictata ociosa repetitione cuiquam molestẽ inculcare, quisq; per se poterit ex illis horum discrimina colligere.

De effectibus igitur obligationum magis hoc loco uidetur dicendum. Nam 20
illorum differentias in primis necessarium est tenere. Nec; enim quisquam obligationum usum percipere poterit, nisi efficaciam & uim cuiusq; obligationis probè perspexerit. Obseruent igitur discentes, quòd obligatio naturalis 21
tantũm, & quæ nunquàm coniuncta fuit ciuili, non pariat actionem. Nam ciuilis obligatio est tanq; causa agens respectu naturalis, id quod Bar. cir. l. cũm quis. ff. de iur. & fact. ignor. declarat hac similitudine: Quòd sicut mulier uiro non nupta, non pariat legitimam sobolem, etiamsi ad procreandum sit idonea: Ita nec sola naturalis obligatio producat actionem, nisi ciuilis ad eam accesserit. Postq; uerò illi semel iuncta fuerit, tum etiamsi ciuilis extinguatur, tamen dicit eam sufficere ad producendam actionem, sicut & mulier marito extincto eniti prolem, quam ex eo anteq; moreretur concepit, potest. Quam- 22
uis autem istud uerum sit, quòd sola naturalis obligatio non pariat actionem, tamen exceptionem ministrat, ut si quis cum debitore suo paciscatur, ne petat ab eo creditum, tollitur obligatio ciuilis tantũm. Quia ciuilia ciuilibus 23
tolluntur, non autem naturalia ciuilibus. Ac si idem debitor cum eodem de- 24
bitore

bitore de nuo paciſcatur nudo pacto, ut petat, tum ex eo quidem non datur illi actio, ſed ex primo contractu, quo credita eſt illi pecunia. Nam eius obligatio non quidem intelligitur ipſo iure extincta per pactū de non petendo, præſertim cùm ea per poſterius pactum de petendo ſit reſuſcitata. Itaque etiamſi illi agenti ex contractu obijciat pactum de non petendo factum inter eos, tamen in defenſione ſui iuris opponere pactum poſterius de petendo poteſt loco exceptionis, & auditur tanquam is, qui ex naturali obligatione, quæ coniuncta ciuili aliquando fuit, agat, & eam exceptione naturalis obligationis ex poſteriore pacto ſibi natæ defendat, argumento l. ſi unus. §. pactus. ff. de pactis. Quòd autem dixi actionem non dari ex poſteriore pacto, ſed ex contractu, qui ambo pacta præceſſerit, id non ſic eſt accipiendum, quòd in omnibus obligationibus hoc fiat: Nam quædam obligationes extinguuntur pactis interpoſitis ſtatim ipſo iure, nec eſt neceſſe, ut exceptione elidantur, ſicut obligatio iniuriarum, aliorumq; delictorum, & obligatio, quæ ex ſolo conſenſu orta eſt, regulariter contrarijs pactis tolluntur. l. Stich. §. natur. ff. de ſolution. & l. pacta nouiſſima. ff. de pactis. Itaque ut actio de illis detur, neceſſe eſt nouum interuenire pactum aut conſenſum. Secus fit in obligationibus, quæ re interueniente contractæ ſunt. Nam ibi ſi quis paciſcatur cum debitore de non petendo, intelligitur pactus de non conueniendo eo in iudicio. Atque ita interfectus eſt obex petendi per pactum, quamuis res naturaliter debita maneat. Quare cùm poſtea iterum paciſcantur de petendo, obex remouetur, & obligatio crediti reſuſcitatur, quæ ipſo iure non fuit extincta penitus. Pactum autem de non petendo cùm ſit liberatorium, ipſo iure non tollitur per pactum poſterius de petendo: Nam iura ſunt proniora ad liberandum, quàm ad obligandum. l. Axianus. ff. de action. & obligation. Itaque hoc magis admittunt, ut pactum de non petendo ſtatim alio ſuccedente pacto non extinguatur, ſed ualeat donec elidatur per obiectionem pacti, quod illud ſubſecutum eſt.

Pactum de petendo.

Pactum de non petendo

Hæc ego pluribus aliquantò uerbis, quàm debui expoſui, ut aliquo modo obligationis naturalis uim oſtendere poſſem. Et ſumma huius commentationis hæc eſt, quòd naturalis obligatio ſola non producat actionem, niſi ex tali contractu orta ſit, cuius obligatio ipſo iure per ſubſequens pactum non extinguatur. Nam tum fieri poteſt, ut etiamſi ciuilis obligatio, cui iuncta fuit, perempta ſit, tamen obligatione naturali ex poſteriore pacto reſuſcitatur, & abſque ciuili actionem gignit. Exceptionem autem regulariter producit naturalis obligatio ſola, quia exceptiones ex æquitate, non ſicut actiones ex ſola efficacia obligationis, & iuris dantur. l. qui æquitat. ff. de doli mali except. Parit etiam nec ciuilis ſola obligatio actionem, niſi reſcripto principis, aut alioqui autoritate ſtatuentium probetur. Nam quod conditor legis ſtatuit, illud etiam contrahentes tacitè uoluiſſe & feciſſe finguntur. l. ſi ob cauſ. C. de euictionibus. Et uidetur huius fictionis eſſe ratio & cauſa, quòd lex publica communis omnium ſponſio cenſetur. l. i. ff. de legibus. Cùm igitur ex tanto conſenſu tales obligationes oriri fingantur, non fruſtra naturalium & Ciuilium obligationum effectum habere, & actionem gignere creduntur. Subeſt enim cauſa, propter quam obligatio efficax eſſe cẽſetur, licet naturalis re ipſa non interuenerit. Si uerò obligatio talis ſit, cui lex publica non ſuffragetur, nec ſubſit cauſa naturalis, ſed ſolus modus ciuiliter contrahendi, ut in datione literarum, quibus quis profitetur ſe accepiſſe pecuniam, ſpe numerationis, qua tamen fruſtratus eſt poſtea, tamen nulla inde oritur actio, niſi intra biennium, ſicut ſuprà diximus, de pecunia non numerata queſtus non fuerit. Ex his iam liquere arbitror, quare Imperat. in princip. Inſtitut. dixerit obligationem eſſe iuris uinculum, uidelicet, cui ſubſit cauſa, quæ mentem noſtram uinciat, & obligationi ſubijciat, qua neceſſariò aſtringimur, ita, ut ope exceptio-

nis effugere non possimus, quin soluamus rem in obligationem deductam, secundum nostræ ciuitatis iura, hoc est, sicut leges publicæ solui iubent, & propter eas actiones nobis ministret. Cæterùm præter enumeratas differentias obligationis sunt & aliæ quædam ab accidentibus sumptæ, quibus alia dicitur principalis, alia accessoria, sicut est fideiussoria. Item alia dicitur diuidua, uidelicet, quia solui particulatim, aut sigillatim possit uel non. Sed harum differentiarum uis magis enitescet ex tractatione modorum, quibus tolluntur obligationes. Itaque earum explicationem in eum usq; locum differemus, & nunc ad modos, quibus oriuntur obligationes, progrediemur.

Fideiussoria obligatio.

VNDE ORIANTVR. OBLIgationes. Caput II.

SVMMARIVM.

1. De obligatione naturali, quæ ex sola æquitate oritur.
2. Officium iudicis loco actionis dari.
3. Donatio excedens 500. aureos ad quid ualeat.
4. Effectus naturalium obligationum undeuiginti enumerati ab Iasone.
5. Obligatio ex nudo pacto.
6. Vestis pollicita, nec præstita opera.
7. De legitimis conuentionibus, quomodo fiant.
8. Contractum esse legitimam conuentionem.
9. Ex solo consensu contractus qui.
10. Nominati contractus qui uocentur.
11. Contractus innominati qui.
12. Permutatio qualis sit contractus.
13. Transactio est contractus innominatus.
14. Colonarius contractus quis.
15. Quasi contractus quomodo nascatur.
16. Contractus ex delictis & quasi delictis descendentes qui sint.
17. Delictorum distinctio quæ.
18. Quasi delicta quæ uocentur.
19. Iudex contra ius ex imperitia iudicans ex quasi delicto tenetur.
20. Obligatio ex lege quæ uocetur.
21. Quæ leges publicæ præcipiunt, præstanda esse.
22. Frumenti uenditio indicta.
23. De obligatione ex necessitate.
24. Constitutio Anastasii de uendendo frumento.
25. Statuta & decreta Magistratuum uiuentium sunt obligationes ex lege.
26. Naturalis necessitas quæ sit.
27. Clericos non teneri ad onera extraordinaria.
28. Bona Ecclesiastica quando ad prophanos usus conuerti possint.
29. Satisdatio quæ recipienda ex necessitate.
30. Necessitas non habet legem.
31. Episcopatum doctissimus semper non potest petere.
32. Ex nutu quomodo obligatio existat.
33. Per quas personas nobis obligationes acquiramus.
34. Modalitꝫ contrahendarum obligationum quoq; recensentur.

Obligatio ex sola æquitate

NATVRALIS obligatio nascitur aut ex sola æquitate causæ, quam nulla conuentio præcesserit, aut ex pactione, quæ nulla legitimorum contractuũ causa interueniente facta est, aut ex nuda pactione. Ex sola æquitate, ut quamuis Medicus nihil pactus sit cum ægroto de compensanda eius opera, tamen æquum esse quisq; iudicat, ut id faciat. Et quando talis æquitas est scripta in ll. tum iudicis officium implorare propter eam potest, ut sua cognitione & autoritate de ea constitu

at l.

at.l.i.ff.de uar.& extraord.cog.In quibus autem casib.suffragentur ll.tali æquitati,longum nimis esset uelle enumerare,cũm passim sit interspersa aliis sæpe formis iuris talis approbatio æquitatis. Deinde ueniunt quoq; talis æquitatis
2 exempla in primis commemoranda in explicatione officij iudicis, quod loco actionis propter eam æquitatem datur.Itaq; in tract. obl. nihil amplius de ea dicemus,sed in suum usq; locum hanc seruabimus prolixius explicãdam.Hic sufficit tenere,q; nonnunq; ex sola æquit.rei oriatur obligatio,& propter eam conuenire nos quempiam posse in iudicio,si aliqua lex nobis in ea suffragetur. Sed quid si nullum extat suffragium legis in tali æquitatis,& in solis purorum animorum motib.consistit? Respondeo,q; quis æquitas à lege non adiuta,nõ det nobis agendi contra debitorem in iudicio potestatem,tamen non caret su
3 is effectib.maximè in donationib. Nã cũm aliàs regulariter sine insinuatione nõ ualeat donatio, quæ excedit 500.aureos.l.sancimus in fin. C.de do.tamen ad compensationem meritorum ex oblig.talis æquitatis ualet,iux.l.Aquilius
4 Ro.& ibi dd.ff.de donat. Talium effectuum xix.enumerat Iason,cir.l. ex hoc iure.ff.de iust.& iur.Itaq; discentes ad eum remitto.hoc tantũm addo,q; sæpe nõ detur repetitio eius quod datum est,si subsit talis æquitas,propter quam æquum uideatur,illud esse præstitum.l.si non sortem. §. liber. ff. de cond. ind.
5 Alteram causam naturalis obligationis diximus esse nudam pactionem, de qua sic est iudicandum,quòd si in ea nihil sit præter conuentionem, nec in auctoritate alicuius legis ad obligandi necessitatem reducta est,non constituat obligationem efficacem ad producendam actionem, sed exceptionem tamen
6 ministrat. l. iuris gent. §. sed cũm nulla. ff. de pactis. Vt si quis non rogatus polliceatur alicui uestem,si se præbeat illi obsequentem, nec postea requirat aliqua in re eius operã,non potest ab eo petere uestem, quia nulla interuenit causa, propter quam ea obligatio ad necessitatem præstandi deducta esset, tamen si is qui pollicitus est uestem,expetat ab eo obsequium, potest illi obijcere ad depellendum eum, quòd non dederit uestem, sed de talium pactio-
7 num ui & ratione infrã de pactis. Iam de legitimis conuentionibus, quæ sic uocantur,quia legum publicarum autoritate eas seruare cogimur. Et ideò
8 ex illis nascitur & tollitur pactio,l. legitima. ff. de pactis. Fit autem legitima conuentio,aut re,aut uerbis,aut simul utroque, aut literis, aut solo consensu. Et sic facta conuentio dicitur contractus. Transeunt autem quidam contractus à generali appellatione in aliud speciale & proprium nomen, ut mutuum, commodatum, depositum, pignus. Atque hi quidem contractus re interueniente fiunt. Sed & quæ uerbis fiunt conuentiones, quædam in aliud nomen transeunt, ut stipulatio, pollicitatio, nouatio, delegatio. Quæ uerò ex literis nascitur obligatio, in sua manet appellatione, ut ex literis esse dica-
9 tur. Ex consensu autem solo qui oriuntur contractus, specialia nomina habent, ut: Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Mandatum, Societas,
10 Nuptiæ. Proinde uulgo tales Contractus uocantur nominati, tanquam illi, qui suis appellationibus extra generale nomen Contractuum accipiantur.

Sed sunt & alij contractus,qui quamuis sub generali appellatione maneãt, nec transeant in alia nomina,tamen nihilominus cũm in illis subsit causa obligationis,nascitur ex illis obligatio tanquam ex legit. conuentionibus. Ac proinde etiam actio & exceptio. Solent autem pactiones horum contractuum,his ferè uerbis discerni: Do ut des,do ut facias, facio ut des,facio ut faci-
11 as. Ac dicuntur quidem tales contractus innominati, non quòd omnino nullis nominibus notentur, sed quòd illæ ipsæ appellationes, quas quidam inter eos habeãt,tam sunt generales,ut uni soli contractui non conueniant, ut per
12 mutatio est contractus innominatatus, quia eius appellatio, non ad certum commercium,sed generaliter ad omnes contract. qui non solo consensu, sed

mutua rerum collatione fiunt, trahi potest. Item numeratur & transactio in- 13
ter contractus innominatos, quia nomen eius generale est, ad omnem litis in-
ter pares compositionem. Habentur quoque pro contractibus innominatis
omnes quos consuetudo produxit, ut est colonarius, quo certa pensione ali- 14
cui fundus traditur colendus. Et quamuis feudalis contractus ex usu accepe-
rit nomen illi soli conueniens, tamen quia sua natura magis accedit ad contra
ctus innominatos, & ipse inter eos ponitur. Itaq; diligenter prospicienda est
natura & ratio contractuum innominatorum cognoscenda. Nam refert ad in
stituendas actiones, contractuum uim bene posse dispicere & discernere.

Feudalis contractus.

Sed redeo ad enumerationem modorum quibus obligationes oriuntur, &
post quam ostendimus quomodo legit. obligatio ex contractu oriatur, addi-
mus alium modum, & dicimus, ex quasi contractu eam nasci. Id uero fit quan 15
do non ratione conuentionis, sed ex solo studio aut facto nostro, uel alieno in
uicem obligamur. Sicut fit, cum quis sine mandato alterius negotia gessit, aut
cum quis alteri indebitum numerauit. Item talis existit obligatio inter hære-
dem & legatarium, atq; etiam inter ipsos hæredes, aut alios qui habent rem co
munem. Item inter tutorem & pupillum, aliosq; similes. Quamuis enim isti
nihil inter se pacti sunt, tamen ex æquitate conuenire iudicatur, ut inuicem,
ac si pacti essent, obligentur. Præterea gignuntur & ex delictis, & ex quasi 16
delictis obligationes, quibus quis uel ad pœnam, uel ad compensationem
tenetur. Et distinguuntur quidem delicta, hoc modo, quòd alia clam & frau- 17
dulenter fiant, ut furtum, & coniurationes: alia palam & uiolenter, ut rapina
& latrocinium. Et rursum alia fiunt cum internecione rerum, ut cædes homi-
num uel pecorum: alijs uero deteriores redduntur res, ut si seruus alienus uel
quadrupes, quæ pecudum appellatione comprehenditur, uulneretur. Item si
uinum alienum effundatur, aut corrumpatur, pannus siue uestis alterius lace-
retur, aut si omnino tale quid reb. alterius afferatur, unde peius habeant, uel
uiliores æstimetur, quàm antea. Item quædam delicta committunt citra interi
tum aut corruptionem eorum, sed propter contumeliam odiosa sunt, ut si cui
non merenti conuicium fiat, aut eius nomen famoso libello traducatur, aut si
quis honestarum personarum pudicitiam sollicitet, aut contemptim, uel con-
tumeliose re alterius tãquam ipsi debita abutatur, aut seruum alienum atroci-
ter uerberet, aut alium quempiam ex alterius familia aliqua iniuria afficiat.
Nec enim iuris prouidentia, aut legum sanctitas patitur, esse impune, alteri-
us imbecillitatem atq; innocentiam lædere, aut eam ludibrio habere.

Quasi contra ctus.

Quasi uero delicta uocantur, quæ cum non ex meditata malitia proficisca 18
tur, tamen propter negligentiam molesta sunt, & culpæ reprehensionem me
rentur. Vt si quis inquilinum habeat hominem impurum & incircumspectũ,
qui non prospiciens, aliquid in prætereuntes proijciat aut effundat, tum cuius
dominus ædium sit extra noxam, tamè quia illi prospiciendum erat, ut sobrios
& circumspectos haberet inquilinos, pro damno per effusionem, aut deie-
ctionè dato, tenetur in duplum. Sic & caupo, & exercitor nauis tenenè de fur-
to furantium seruorũ: & iudex si quid contra ius ex imperitia iudicauit. Atq; 19
ita uidetis obligat. oriri, aut ex sola æquitate rei, aut ex nuda pactione, & inde
ortas non esse satis efficaces ad agendum, nisi lege adiuuentur. Efficaces au-
tem ad agendum & excipiendum nasci ex legit. conuentionibus, quæ exi-
stunt, aut ex contractu, aut ex quasi contractu. Item ex solo facto, quo aut res,
aut persona alterius læsa à nobis deprehenditur, efficaciter obligamur.

Sed his omnibus modis, quib. contingit nos obligari, addendus est gene-
ralis quidam modus, quo sine nostro pacto aut facto, autoritate iuris publici
obligamur ad aliquid præstandum. Et uocatur talis obligatio, obligatio ex l. 20
Nec uero uelim quempiam existimare me ideo censuisse hunc modum reli-
quis addendũ, ut admonerè nos uniuersaliter ad obligationè publ. ll. obligari.

Nam

Nam talis admonitio non huc, sed ad primam partem doctrinæ iuris pertinet, ubi in uniuersum de obligatione cuiusque iuris quæritur & agitur. Deinde quorsum opus esset ista monere, cùm ll. publicarum allegatione pleraſque iam formas negotiorum constituendorum declarauimus, ita ut per se cuiuis
21 testatum esse possit, ita nos iudicare, quòd teneamur ad ea præstanda, quæ ll. publicæ præcipiant, in quoquo negotio obseruanda. Quare quisque sciat nos ideò duxisse hunc modum cæteris adiiciendum, ut admoneremus discentes, ut extra communes illas formas iuris, quibus summa rerum politicarum constituta est, quædam peculiaribus quibusdam ex causis prohibita, aut præcepta sint legibus, ad quæ præstanda uel cauenda, non minus obligemur, quàm ad alia iura. Et quia ista, quæ specialiter ã ll. præcipiuntur aut prohibentur, commodè non possunt aliis formis iuris interseri, propter diuersitatem, qua uariant ab illis, placuit ea hoc titulo complecti, ut inter obligationes ex lege referrentur, quæcunq; legibus aut edictis prætorum, uel constitutionibus imperatorum extra communia illa iura personarum & rerum constituendarum prodita inueniuntur. Exempli gratia: In C. lib. x. in tit. Vt nemi-
22 lice. in empt. specie. se excus. pariter omnibus iniungitur necessitas uendendi frumenti, si indicetur eius uenditio, quæ quidem necessitas ad communia
23 emptionum & uenditionum iura ita referri non potest, ut indicta frumentatione, quibusuis emptoribus quis cogatur frumentum uendere. Nam istud
24 præcipere, esset euertere iura dominiorum. Itaque sub specialem magis obligationem ista constitutio Anastasij referenda est, uidelicet, quòd solis frumentatoribus Imperatorum negare frumenta, quæ habemus, non liceat, si indicta sit nobis eorum uenditio, ne aliquid incommodi accipiat resp. si desit militibus commeatus. Obligamur itaque ad necessitatem uendendi frumenti, sola legis autoritate in certo casu. Et quia talium obligationum pleræque proditæ sunt iure Romano etiam peculiaribus titul. ne quid omittatur, quod ad cognitionem doctrinæ iuris pertineat, inf. eas suo quodam ca. annotabi-
25 mus. Volumus & uiuentium magistratuum statuta & decreta huc referri. Nam & ad ea astringimur obligatione, quæ est ex lege, non ex conuentione, atq; ex delicti designatione priuata. Modestinus in l. obligamur. ff. de actionibus & obligationibus dicit, & ex necessitate, ut ex nutu, nonnunquam oriri obligationem. Sed qualem necessitatem uelit intelligi, ex eius uerbis colli-
26 gi non potest. Si de naturali necessitate, qua inuicem ad mutua humanitatis officia obligamur, locutus est, tum ex ea naturalis tantùm obligatio nascitur: Si uerò de ea lõquitur, ad quam adigimur autoritate legum, tum eadem erit cum obligatione ex lege. Ego existimo eum respexisse ad necessitatem, qua propter imminens periculum, aut qua citra grauem naturalis æquitatis offensionem iure nostro aut publico uti non possumus, sed aut lege aut sola ratione suadente cedere, uel saltem remittere aliquid de eo cogimur, ut quamuis expe-
27 diti iuris sit, q; clerici non teneantur ad onera extraordinaria, ut sunt quæ per indictionem magistratuum subditis imponũtur. l. idẽ nulla comm. C. de epis. & cler. tamen si periculum sit, ne hostes inuadant & diripiãt possessiones ciuitum, quibus cum uersantur clerici, non modò ea onera, sed & sordida subire co-
28 guntur. c. peruenit. ext. de immuni. eccle. Imò licet bona ecclesiastica nõ possint conuerti ad prophanos usus, tamen rebus exigentibus necessitati publicæ tanq; prophanæ subiiciuntur. l. ad instr. C. de sacrosa. eccl. Item necessitas facit, ut quis possit exigere preciũ operarũ, quas manumittenti promisit, cùm ali-
29 oquí regulariter istud nõ liceat. l. i. C. de ope. lib. cogitur quis & eam satisdationem recipere, quã reus potest præstare, uel in alia prouincia, si in eo loco, ubi conuenit, facultas satisdandi negetur, cùm alioquí in aliũ locum non remittatur satisdatio. l. si fideiuss. §. quæ necessaria. ff. qui satisdare cogantur. unde est
30 quoq; uulgata illa uox, qua dicitur, quòd necessitas non habeat legem. Nam

facit

facit necessitas quædam debita, quæ aut natura sunt libera, aut uinculo ll. alligata & interdicta. At obligatio quæ nascitur ex necessitate, si non est iure scripto suffulta, non dat actionem: sicut nec episcopatum ille, qui in ecclesia optimus & doctissimus, petere potest, etiamsi meritò illi debeatur, viij. q. i. in scripturis. Nec egenus ab auaro opulento exigere potest quicquam iure actionis, quamuis ea quæ habeat, debeantur pauperibus, sicut hic distinct. xlvij. Nihilominus tamen si quis satis iustam causam huius obligationis habeat, potest iudicis officium implorare, & rogare, ut debita ex illa sibi impertiat, atque etiam inferiorem iudicem apud superiorem deferre, suæq; necessitatis causas allegare, ut eum cogat suo subsidio eius necessitatem subleuare. c. nullus. ext. de iure patronatus, & glo. cir. c. exigun. q. vij. Si uerò publico iure subsidium talis necessitatis proditum est, potest ex ipsa lege agere. Eius uerò obligationis, quam ex nutu nasci Modestinus dicit, nullum extat in ll. Romanis exemplum, aut suffragium, in l. nutu. ff. de legat. iij. C. de fideicom. l. & in exempla. Atque in ipso exemplo magis propter adhibitos testes, quàm propter solum nutum obligatio existit. Quare & nobis de obligatione nutus sic iudicandum est, quòd nisi in simili exemplo facti teneatur. 32 33

Cæterū est uice appendicis adijciendum modis contrahendarum obligat. quòd nō solūm per nosmetipsos, uerūm qui in nostra sunt potestate, aut bona fide possidemus, acquiramus obligationes. Quomodo autem & quatenus id fiat, suprà explicauimus, cūm in tractatione iuris personarum, tum in capite i. acquirendarum rerum per alios iura generaliter complexi sumus. Possunt autem his omnibus, quæ hactenus de obligationibus diximus, tanquam indices subijci tituli,

ff.

De actionibus & obligationibus.

Cod.

De actionibus & obligationibus.

Per quas personas nobis acquiratur obligatio.

Instit.

De obligationibus.

Per quas personas nobis obligatio acquiritur.

Possunt huc referri & alij quidam Instit. tit. uidelicet, quibus modis re contrahitur obliga. Item de oblig. ex consensu, & quæ ex contractu, & quasi contractu nascuntur. Nam continent tales tituli quasi epitomen modorum, ex quibus oriuntur oblig. & sunt ex digestis transscripti. Sed quia in tractatione singularum obligationum eadem, quæ in illis præter nudas modorum notas traduntur, ueniunt repetenda, suis quibusq; locis ea seruabimus. 34

QVIBVS MODIS TOLLANTVR obligationes. Caput III.

SVMMARIVM.

1. Obligatio quomodo ipso iure extinguatur.
2. Solutione tollitur obligatio.
3. Solutio quid sit.
4. Patientia diuturna seruitutis obligationem solui.
5. Acceptilatio quid sit.
6. Apocha acceptilationis speciem habet.
7. Nouatio quid sit.
8. Nouatio duplex, uoluntaria & necessaria.
9. Dotem post diuortium promittere.
10. Delegatio & delegare quid. 11. Compensatio quid.
12. Compensatio non fit, nisi inuicem sibi obligati sint, qui compensant debita.
13. Compensatio in quibus obligationibus locum habeat.

14. Com

14. Compensandi facultas odio delictorum denegatur.
15. Confusione tollitur obligatio.
16. Depositione debiti consignati obligatus liberatur.
17. Propter uiolentiam extinguitur obligatio.
18. Ciuilis obligatio quandoque est efficax ad agendum.
19. Pactum de non petendo.
20. Exceptione extinguitur obligatio.
21. Obligatio ex mentis iudicio & conscientia.
22. Exceptio rei iudicatæ, metus, doli, iurisiurandi.
23. Exceptio præscriptionis.
24. Tempus nec tollit, nec inducit obligationem.
25. Obligationes utilitatis causa inter homines constituuntur.
26. Exceptio pacti in certum tempus promissi.
27. Præscriptione longissimi temporis omnes actiones tolli.
28. Alterius iniuria non locupletandum.
29. Delictorum obligationes executione pœnæ solui.
30. Delictorum obligatio odiosa est.
31. Proniores sunt leges ad liberandum, quàm ad ligandum.

1 TOLLITVR obligatio aut ipso iure, aut per exceptionem. Ipso iure tolli dicitur, quando penitus extinguitur, ita ut nulla eius maneant uestigia, quibus hærere uideatur. Id uerò fit his maximè modis, uidelicet, solutione, acceptilatione, nouatione, delegatione, compensatione, confusione, depositione debiti cõsignati, interitu speciei debitæ, uiolentia creditoris ante moram debitoris in re credita commissa, nudo consensu, & nudo pacto. Sed his tamen modis non
2 pariter quælibet obligatio tollitur. Nam solutione tantũm ea tollitur obli-
3 gatio, qua res corporalis debetur. Est enim solutio rei debitæ traditio. Itaque cũm res incorporales (qualis est seruitus) non possunt tradi, l. seruitus. §. incorporales. ff. de acquirend. rerum domin. manifestum est, earum obligationes
4 per solutionem non dissolui. Quasi tamen traditione, quæ fit per diuturnam patientiam, uidetur seruitutis obligatio solui posse, ut qui concedit alicui, ut non præstet quam debeat seruitutem, certè sua patientia cedere de suo iure potest. Præstat autem res soluta tum demũ liberationem, cũm pro solido facta est suscipientis. Itaq; si quis duos fundos pro debito dederit, euicto altero fundo remanet integra obligatio. l. si quis aliam. ff. de solutionibus & liberatio. Ac uertuntur quidem uariæ quæstiones in hoc modo de solutione, indistinctè autem ei, cui non debuit, aut per illum, quem non oportuit, aut sub conditione, quæ impediat liberationem factam, sed quia copiosè ista explicantur peculiari Titulo ff. de solut. & liberat. remitto discentes ad eius lectionem, hanc etiam ob causam, quòd cùm solutionis uerbum pertineat ad omnem liberationem, diligentius sit cognoscendus propter regulas, quæ in eo traduntur, ad omnes modos tollendarum obligationum generales.

Acceptilatione autem soluitur etiam obligatio, quando quis id quod illi de
5 betur, cũm non sit solutum, accepisse se profitetur. Est enim acceptilatio imaginaria quædam solutio, qua quis ita remittit alteri debitum, quasi solutum esset. Acceptum tamen fieri non potest, nisi quod uerbis obligatum est. Acceptilatio enim uerborum obligationem tollit, quia & ipsa uerbis fit. Non enim potest uerbis tolli, quod uerbis non contractum est. leg. an inutilis. §. acceptum. ff. de acceptilat. Potest autem quis uel totum, uel partem eius, quod debetur, acceptum facere. l. pars stipulationis. & l. qui hominem. ff. de acceptil. Nisi fortè res in stipulationem deducta, non recipiat diuisionem. l. & per iusiurandum. ff. de accept. Item si ex pluribus obligatis uni acceptum

fiat

fiat, ipse non solus liberatur, sed & ij, qui secum obligantur. l. si ex pluribus. ff. de acceptil. & tamen si res, quæ est in obligatione, possit diuidi, potest uni ex pluribus obligatis acceptum fieri. l. ij. §. si tamen. ff. de uerb. oblig. Quamuis autem & Apocha speciem habeat acceptilationis, tamen hoc interest, quòd 6
Apocha. Apocha non detur nisi soluto debito, cùm acceptilatio fiat etiam eo non soluto. l. si acceptilatum. §. inter. ff. de accept.

Nouatio. Sequitur tertius modus tollendæ obligationis, qui dicitur Nouatio. Est au 7
tem nouatio prioris debiti in aliam obligationem uel ciuilem uel naturalem transfusio atque translatio. l. i. ff. de nouat. Neque refert quidem qualis fuerit obligatio, quæ eam præcesserit, nam siue uerbis, siue sine uerbis prior contracta fuerit, nouari ea potest, & nouata transit in obligationem uerborum, dum modò hoc agatur, ut renouetur: si enim hoc non agatur, duæ erunt stipu
Nouatio uoluntaria. lationes, ut si ita stipulor: Quanto minus à Titio debitore exegero, tantum
fideiubeo. l. ij. & l. si ita. ff. de nouat. Est autem nouationum, alia uoluntaria, 8
Necessaria. alia necessaria. Voluntaria, cùm quis extra iudicium cum debitore agit, ut sub alia forma, uidelicet, quòd sub conditione debitum fuerat, promittat soluendum. Necessaria uerò, cùm debitor in iudicium uocatus se obligatum fateri cogitur, & est huius differentiæ suus quidam usus. Nam si quis post fa- 9
ctum diuortium dotem promittit, uoluntaria nouatione stipulationis amittit priuilegia dotis, quia soluto iam matrimonio ex sola stipulatione nouata debetur. Sed si dos in iudicio petatur, tum litis contestatione facta non solùm nouatur obligatio, sed & ius eius petendi perpetuatur. leg. aliam. ff. de nouat.

Delegatio. Finitima nouationi est delegatio. Est autem delegare, uice sua alium dare 10
reum creditori, uel cui iusserit, atque fit & delegatio, uel per stipulationem, uel per litis cõtestationem, cùm debitoris nomine aliquis litem suscepit, & à creditore recipitur. l. delegare. ff. de nouation. & deleg. Porrò compensatio 11
Compensatio non ita tollit obligationem, ut eam tantùm innouet, aut in alium transferat, sed eam relatione alterius obligationis remouet. Est enim compensatio debiti ac traditi inter se contributio. l. i. ff. de compensation. Atq; est quidem regu 12
lare, ut non fiat compensatio, nisi inuicem sibi obligati sint, qui compensant debita. Nam eius, quod alij debetur, compensationem facere quis non potest. l. eius. C. de compensat. Vt si cui debeam centum, & alius sit cui meus creditor debeat tantundem, non possum cogere eum, ut mihi propter illud suum debitum remittat, quod illi debeo, etiamsi mea gratia eius creditor id fieri permittat, sed fideiussori & quibusdam alijs tamen licet, quod non sibi, sed principali debetur, in compensationem deducere propter communem, qua tenentur, obligationem inter se inuicem, iux. glo. l. eius. C. de compensat. Dein de locum habet compensatio in ijs tantùm obligationibus, quibus debentur 13
res, quæ pondere, aut numero, aut mensura metiri possint. l. si consta. C. de compen. Itaque si species, aut indiuiduum, hoc est, certa & circumscripta res, non eius precium debetur, ut utrinque uel ab alterutro compensare uolentium, tum in arbitrio recipientis est, utrum compensationem admittere uelit. l. si conuenerit ut nomen. ff. de pignora. actio. & ibi gloss. Vt si quis tibi debet uinum Rhenanum, & tu debeas illi indigenam Saxonicum, certè in arbitrio tuo erit, utrum uelis admittere compensationem, etiãsi fortè copia uini, quam illi debeas precio æquet illud, quod ipse tibi debet. Idem dicendum est, cùm unus debet rem, alter quantitatem, nisi res desierit posse præstari. Nam tum cogitur ferre, ut res amissa æstimetur, & relatione quantitatis debitæ compenset. In genere uerò si quid debetur, ueluti equus, seruus, facilè hinc inde admittitur compensatio, iux. no. glo. cir. l. ultimam. C. de Compensat. Postremõ 14
negatur quibusdam facultas compensandi odio delictorum, sed de illis paulò post, cùm de modis tollendi obligationem, quæ ex delicto est, dicemus.

Confusio

15 Confusione sublata dicitur obligatio, cùm casu quodam obligatus in obligatoris, uel in contrario ius uenit. Vt si reus stipulanti, uel diuerso stipulator reo succedat, tollitur omnis obligatio. l. Vranius. ff. de fideiuss. & mandat.
16 Depositione autem debiti consignati liberatur obligatus, si in eo loco, in quo constituta est solutio, creditori offerat debitum, & ipse illud accipere recuset. Nam isto casu si debitum adhibitis testib. deponat, ipso iure liberatur, nec potest dici quòd fuerit in mora. l. obsignatione. C. de solut. & ff. eod. l. si soluturus. Liberat nos quoque obligatione speciei debitæ, interitus eius, si nulla nostra culpa, nec post factam moram istud eueniat. l. uerborum obligatio. ff. de
17 solut. l. si ex legat. & leg. nemo rem suam. §. i. Propter uiolentiam autem extinguitur obligatio, si quis rem debitam ante diem solutionis debitori auferat, & eo inuito eam sibi usurpet. Nam lex, si quis in tant. C. unde ui, permittit, ut tali uiolatori non solùm res rursum accipiatur, sed ius quoque, quod in ea habuit, amittere eum constituit. Per nudum autem pactum, aut consensum tolluntur istæ solùm obligationes, de quibus inter contrahentes conuentum sit, nihil tamen interuenit, ex quo pactiones iuxta legitimorum conuentionum modos restitutæ fuissent, ut si qui inter se consentiant de emptione alicuius fundi, & priusquàm aut fundus tradatur, aut precium numeretur: rursum à contractu recedant, & obligationem factam inuicem remittant, soluti esse censentur. Atque ita uidetis, quòd nudo consensu aut pacto sola na-
18 turalis obligatio tollatur. leg. si Stichum. §. naturalibus. ff. de solut. Potest autem accidere, ut sublata Naturali obligatione, nihilominus maneat Ciuilis, quæ sit efficax ad agendum, ut si creditor nudo pacto promittat debitori, se non petiturum ab eo credita, extinguitur quidem naturalis obligatio, sed remanet Ciuilis. Nam debitum legitimè contractum, uidelicet, interueniente re aut stipulatione &c. non soluit sola naturali remissione debiti, nõ enim statim liberatur à solutione debiti is, cui pollicet creditor, se nõ petiturum debitum, si illud est creditum iuxta dispositionem leg. ciuilis. Nam poterit creditor nihilominus experiri aduersus eum, & actione crediti ab eo exigere debitum legitimis obseruationibus contractum, sed exceptione pacti conuenti
19 de non petendo, actor depelletur. §. præterea. Instit. de exce. Atque ita ob-
20 ligatio, quæ pacto tenus ipso iure, propter colligationem ciuilium obseruationum, quæ ab initio contractus adhibitæ sunt, non fuit dissoluta, per exceptionem demum extinguitur. Rursum tollitur nonnunquam ciuilis, & remanet naturalis: ut si quis, cùm uerè deberet, accusatus, per improuidentiam iudicis absolutatur. Quamuis autoritate iudicis liberatur, nihilominus tamen mentis iudicium & conscientia tenent eum obligatum. Itaque si soluat debitum
21 post latam sententiam, qua absolutus est, illud non repetit tanquam indebitè solutum. leg. Iulianus. ff. de condict. indebiti, & tamen si creditor ex naturali illa obligatione, quæ reliqua est, extincta ciuili, denuo petat ab eo creditum (id quod illi ideò permittitur, quia ea aliquando ciuili coniuncta fuit. argum.
22 l. si unus. §. pactus. ff. de pactis) potest aduersus eum tueri exceptione rei iudicatæ, cuius autoritate effugit, ne cogatur soluere, etsi naturaliter debeatur. §. Item si in iudicio. Instit. de exceptio. Idem fit pluribus alijs exceptionibus, quæ causa doli, metus, iurisiurandi, & ex multis alijs causis opponuntur, sed infrà erit locus iterum de except. dicendi. Iraque omissis iam reliquis, de præscriptionis exceptione dicemus tantùm. Et quia in ea maximè sit euidens
23 exemplum manentis obligationis naturalis extincta ciuili, & quia in dubium quoque uocari potest, an præscriptione temporis, sicut cæteris exceptioni-
24 bus obligationes tollantur. Tritum enim est, temporis nec esse modum tollendæ, nec inducendæ obligationis, iuxta l. oblig. ferè. §. placet, & dd. ibidem. ff. de action. & obligation. Sed illa regul. ita est accipienda, quòd ipso iure non tollantur obligationes præscriptione temporis. Nam si quis promit-

tat alicui alimenta in annos decem, obligatio non per se extincta penitus cen
setur elapso biennio. Cùm enim obligationes utilitatis causa, inter homi- 25
nes constituantur, ll. nolunt eas sine facto hominis solo tempore exolescere,
sed magis probant, ut opposita demum exceptione pacti, quo in certum tem- 26
pus quid promissum est, remoueantur, ne alio etiam modo, uidelicet, tempo-
re, quàm quo constitutæ essent, facilè dissoluerentur. Et hoc ueteri quoq; iu-
re obseruatum est, exemplo seruitutum. l. iiij. ff. de seruit. Verùm quia nouis- 27
simo iure omnes actiones tolluntur præscriptione longissimi temporis. l. o-
mnes. C. de præscript. xxx. uel xl. annorum, etiam obligationes temporis cõ
tinuatione tolli communis est opinio dd. cir. iam allegat. l. Licet igitur na-
turalis obligatio nõ tollatur præscriptione, quia perpetua necessitate astringi
mur, ut alterius iniuria non locupletemur, tamen si obligatio ciuilis per diu- 28
turnitatem temporis exoleuerit, iuxta dispositionem ll. & ex naturali obliga-
tione relicta petere quis contendat, quod propter eam sibi deberi existimat,
exceptione præscriptionis eius actio elidit. Iam igitur manifestum esse ar-
bitror, quòd aliud longè sit ipso iure obligationem extingui, quàm per exce-
ptionem eam remoueri. Itaque rectè quidam etiam suis appellationibus mo-
dos tollendæ obligationis discreuerunt, ita ut quibus ipso iure tollitur obliga
tio, uelint dici defensiones, alios uerò in numero exceptionum simpliciter re
linquant.

Quæ uerò hactenus de sublatione obligationum annotauimus, de ijs tan
tùm accipienda sunt, quæ ex conuentione aliqua oriuntur. Nam delictorum 29
obligationes alijs modis soluuntur, nimirum Executione pœnæ, si criminali
ter ex illis agatur, iuxta Bald. circa l. de delatoribus. C. lib. x. Aut transactio-
ne, si pœna constituta legibus non sit, & quis damnum tantùm acceptum pe-
tat sibi compensari, aut factã contumeliam ab eo redemit, sicut infrã de extra
ordin. crimin. indicabimus, & quia delictorum obligatio odiosa est, ipso quo- 30
que iure solo pacto extinguitur. Proniores nanq; sunt leges in materia odio
sa ad liberandum, quàm ad ligandum, sicut copiosè disputat Bartol. circa l. 31
si unum. §. pactus. ff. de pactis. Cæterùm tituli, qui peculiariter huc perti-
nent, sunt:

ff.

De solutionibus & liberationibus. De acceptilationibus.
De nouationibus & delegationibus. De compensationibus.

Cod.

De solutionibus & liberationibus. De acceptilationibus.
De nouationibus & delegationibus. De compensationibus.

Instit.

Quibus modis tollitur obligatio.

DE PACTIS.

Caput IIII.

SVMMARIVM.

1. Pactum quid sit. 2. Consensus quomodo accipiatur in iure.
3. Obligationes ad quid inuentæ.
4. Pollicitatio quid à pacto differat.
5. Vouendo obligamur ex sola promissione nostra.
6. Conuenire & consentire fit dupliciter, tacitè & expressè.
7. Tacita conuentione inuecta & illata esse pignori locatori intelligitur domus.
8. Dos stipulata non secutis nuptijs euanescit.
9. Expressa pacta uariè concipi.
10. Conditio in pactis est efficax.
11. Accessio in pactis duplex.
12. Alternatiua conuentio quæ.

13. Ex alternatiuis unum præstitisse sufficit.
14. Emphyteuticus contractus.
15. Pactum nudum, & restitutum quid sit.
16. Nuda pactio non parit obligationem, sed exceptionem.
17. Contractus emptionis & dotis sunt legitimi, & uestita pacta.
18. In continenti, est paululum ante uel post contractum, uel in ipso contractu.
19. Actio præscriptis uerbis in conuentione pacti datur.
20. Condictio ob causam datur illi, qui uolet repetere, quod tradit.
21. Cur leges ex nudo pacto actionem oriri uelint.
22. Lites impediendas, non augendas esse.
23. Exemplum è Comœdia Terentij adducitur.
24. Nudis pactis non posse agi, nisi subsit causa.
25. Qui possint paciſci, aut non.
26. Filiusfamilias an possit paciſci.
27. Mulier fideiubens iuuatur S.C. Velleiano.
28. Quæ causæ pacta impediant.
29. Mediæres, quæ per se nec malæ nec bonæ sunt.
30. Vino uti & non uti.
31. Pacta contra bonos mores non ualere.
32. Pactum de futura successione non ualet.
33. Turpe est inquirere in alterius mortem.
34. Pacta dolo, fraude, metu facta non ualent.
35. Casus quomodo reddat pactum inutile.
36. Porcus stipulatus mortuus.
37. Contractus stricti iuris dolo initi.
38. Exemplum ex Comœdia Terentij.
39. Pacta nouissima derogant prioribus.

1 PACTVM est duorum pluriúmue in ídem placitum & consensus. Est autem talis conuentionis appellatio generalis ad omnia pertinens, de quibus negotij contrahendi transigendíque causa consentiunt, qui inter se agunt. l. i. ff. eod. Ad cognitionẽ autem specierum debet præcedere cognitio generis, iuxta Bart. cir. l. i. ff. de rebus creditis. Itaque priusquam de singulis contractibus, ex quibus oritur obligatio, agamus, in genere de pactionibus quædam annotare cõ
2 stituímus. Quòd igitur in definitione pactum dicitur consensus, non ad dogmata, quibus homines inter se consentiunt, aut dissentiunt, sed ad mutuas promissiones dandi aut faciendi, aut non, referendum est: ut si quis cum Aristotele sentiat, quòd mundus sit æternus, quamuis inter illos sit consensus, non tamen est pactum, sed cũm accipit Aristoteles Alexandrum à Philippo patre instituendum, pepigisse inter se rectè dicuntur. Deinde ut pacti dicamur, necesse est, inter paciscentes aliquem ad dandum uel faciendum, non tertium quendam obligari. Neque enim pacti uidentur, si Lepidus Antonio promittat Augustum cessurum de Imperio, nisi consensus Augusti interueniat, aut ad pœnam se obliget Lepidus, si istud non efficiat. Nam tum intelliguntur pepigisse, quia interest Lepidi, ne pœnam luat. Item nec intelliguntur pacti, qui non sibi inuicem, sed alteri cuipiam dari aut fieri aliquid promittunt, nisi promissor seipsum obliget ad præstandum, aut is cui promittitur, sit in eius potestate, cui dari aut fieri, quod in obligationem deductum est, debet. In
3 uentæ enim sunt obligationes ad hoc, ut unusquisq; sibi acquirat, quod sua interfit, non alteri, quod eius interfit. l. stipulat. ista. §. alteri. ff. de uerbor. oblig. Præterea quod dicitur in definitione, pactum esse duorum uel plurium con-
4 sensum, pertinet ad differentiam pacti & pollicitationis. Nam pollicitatio solius offerentis promissio est, cũm pactum sit mutua duorum uel plurium con-

alterum paciscantium

ſenſio.l. pac.ff.de pollicit. ſicut uouendo ex ſola promſsione noſtra obligamur, neque requiritur eius, cui uouemus, conſenſus ad hoc, ut uotum eſſe dicatur. 5

Tacita conſenſio.

Conuenire autem & conſentire dicitur uel tacitè, uel expreſſe. Tacitè, cùm ex ratione & æquitate eius, quod actum eſt, conſenſus agentium colligitur, ut cùm quis reddit debitori cautionem, ſiue literas obligatorias, intelligit cum eo de non petendo debito pepigiſſe.l. Labeo. ff. eodem. Item in locandis urbanis habitationibus tacita conuentione intelliguntur inuecta & illata eſſe pignori locatori, etiamſi nihil nominatim conuenerit de eo inter locatorem & habitatorem. Sic quoque in ſtipulatione dotis, tacitè hoc uidetur actum, ut non ſecutis nuptijs ſtipulatio ipſo iure euaneſcat.l.iiij. ff.eodem. 6 7 8

Expreſſa.

Expreſſe uerò conuenimus non ſolùm præſentes, ſed & abſenies, idquè fit aut re, aut epiſtola, aut per nuncium, ſicut infrà in contractibus uidebimus. l. iij.ff. eodem. Expreſſa pacta concipiuntur, aut in diem, aut ſub conditione, aut ſub modo, aut cum acceſsione perſonarum, uel rei.l. oblig. ferè.ff.de act. & obli. In diem, ut Calendis Martijs dare ſpondes: ſub conditione, ut certum dare ſpondes, ſi Cæſar Gallum uicerit. Efficax autem eſt in pactis conditio, quæ in conſtituenda obligatione inſeritur, non quæ poſt perfectam eam ponitur. Sub modo cauſa finalis adijcitur, ut, promitto mille, ut liberalioribus ſtudijs meos liberos bene exerceas. ſed de conditionibus & modo ſuprà in materia Inſtit. & ſubſtit. Acceſsio in pactis ſæpius quàm in alijs diſpoſitionibus uoluntatum locum habet, & eſt ea quidem duplex: perſonæ, cùm mihi aut Titio ſtipulor: rei, cùm mihi decem aut equum dari alternatiuè ſtipulor. Quædam pacta citra ſuſpenſionem conditionis, aut aliam ſubiunctionem rerum aut perſonarum pura diſpoſitione fiunt, ut reddam literas Titio: & habet quidem hæc differentia pactorum hanc uim, ut obligandi aut diſſoluendi pacta propter eam ratio uarietur. Nam purè facta pacta ſtatim obligant promiſſores, ſed in diem, aut ſub conditione pacta cõcepta anteq̃ ueniat dies ſolutionis aut exiſtat conditio, non obligant ad præſtandum promiſſum. In Alternatiua autem conuentione pacti, licet utrunq; ſit in obligatione, tamen utrumque ſoluere non cogimur, ſed ſufficit unum ex alternatiuis præſtitiſſe. l. ſi duæ in fin. & ibi DD. ff. de uerb. oblig. 9 10 11 12 13

Accipiunt autem pacta, & ab alijs accidentib. quaſdam differentias, ut alia dicantur publica, alia priuata. Publica, ut induciæ, & fœdera reipublicæ cauſa facta. Priuata, quæ priuatarum rerum cauſa inter priuatos conſtituuntur, ut Emphyteuticus contractus & ſtipulatio: ſiue autem publica aut priuata fuerint pacta, hoc præcipuum in illis ſpectandum eſt, an nuda, uel ueſtita ſint. Nam hæc differentia ad efficaciam pactorum pertinet. Nudum pactum autem dicitur, in quo nihil interuenit, cuius cauſa conſtituta uideri poſsit obligatio, præter conuentionem. Itaque nuda pactio non parit obligationem, ſed exceptionem, ſicut de effectibus obligationum naturalium tantùm, quæ ex nudo pacto oriuntur, diximus. Veſtiri uerò pactum dicitur: cùm aut res, aut ſtipulatio, aut conſenſus utrinque paciſcentium, aut literæ interuenerunt. Atque his quidem additamentis ſtatim in initio pacta ueſtiuntur, & ſubſtruuntur. Sed nonnunquam cenſentur etiam ueſtita pacta, quia contractibus legitimis ſunt addita, ſicut in contractibus emptionis & dotis ferè apponuntur: & tunc quidem ſi fuerint in continenti, hoc eſt, paululum ante uel poſt contractum, uel in ipſo contractu addita, tanquam alienis plumis ueſtita ad pariendam actionem ex præſcriptis uerbis ſufficiunt. l. lecta. ff. ſi certum petatur. & hoc ſit in contractibus nominatis. Sed in contractibus innominatis pacta non ueſtiuntur, niſi res promiſſa, ab alterocontrahentium tradita aut præſtita ſit. Nam poſtquam hoc factum eſt, datur illi poteſtas agendi, qui rei traditione contractum ueſtiuit, non alij, ac ſi quidem uolet petere quod promiſſum eſt, 14 15 16 17 18

19 est, in conuentione pacti, datur actio præscriptis uerbis, si uerò uolet repete-
20 re quod tradidit, datur illi condictio ob causam. l. si ut proponis. C. de condict. ob causam, & de rer. permut. l. quoniam &c. Quòd autẽ dixi nudum pactum uestiri ex conuentione legitimi contractus, & ex traditione rei promissæ in
21 contractibus innominatis, id ideò magis obseruandum est, quia propius aliquanto ostendit, cur leges ex nudo pacto actionem oriri uelint. Etenim cũm permittant leges, ut nuda pacta ob solam uicinitatem, siue coniunctionem legitimi contractus, aut traditionem rei promissæ, gignant actionem, satis indicant, quòd ideo nolint nuda pacta esse efficacia ad agendum, ne lites augeantur, si licitum sit propter quamuis pactionem, à qua contrahentes etiam sine suo incommodo recedere queant, litem sibi inuicem moueant. Ex
22 tranquillitate enim publica est, lites impedire, ne moueantur. C. de nouo cod.
23 faci. non longè à prin. Exempli gratia: Conuenit inter Pamphilũ & Aeschinum, ut inuicem commutent uestes, ibi si à neutro illorum tradita est uestis, nulla ualde causa uideri in ea conuentione potest, cur in iudicium ueniant, & sibi iudicio negocium faceſſant. Quisq; nanq; ipsorũ habet suam uestem integram, nec nisi dolo alter ipsorum inductus sit ad commutationem, lucrũ, cui alter inhiat, non tanti fieri debet, ut ad captandum illud alter alterum in iudicium trahat. Sed si alter illorum tradiderit uestem alteri, ita ut conuentio iam in rem deducta sit, inuitus cogitur is, qui eam accepit, stare pacto. Quia sine iniuria alterius reddi facilè non potest. Idem & de contractus coniunctione cum pacto iudicandum est. Haud enim uerè pacta contractibus adiunguntur, nisi ut dent illis legem, & rerum incommoda, quę ex contractibus accidere alicui ex contrahentibus possint, prohibeant. Itaque hoc quoque obseruatur in confirmatione nudorum pactorum ex coniunctione contractorum, ut si ex interuallo apponantur, ut aliquid in illis sit, quod non recipiat naturam contractus, cui adiecta sunt, non censeantur uestita, nec pariant actio-
24 nem. l. iuris gentium. §. quin tua. ff. eodem. Quare in eadem l. Vlpianus dicit, nudis pactis non posse agi, nisi alia, præter solam conuentionem, in illis subsit causa, nimirum res aut conuentionis legitima obseruatio. Parit autem nudum pactum exceptionem eadem ex causa, propter quam non datur ex ea actio. Nam cũm loco exceptionis producitur, ad remouendam litem motam admittitur.

25 Cæterũm utut facta fuerint pacta, ut ualeant, uidendum etiam est, an ab ijs, quib. liceat pacisci, facta sint. Nam furiosus, & omnes illi, qui propter mentis inopiam expresse non possunt consentire, prohibentur pacisci. l. i. §. furio- *Furiosus.*
sum. ff. de action. & obligat. Porrò pupillus compos rationis obligari quidem alteri sine tutoris autoritate, nisi naturaliter tantũ nõ potest, sed aliũ sibi obligare pacto absque tutoris consensu potest, nisi lædatur contractor. l. obligari. ff. de autoritate & consensu tutorum. In pari conditione est prodigus & adultus, curatorem habens. leg. is cui bonis. ff. de uerborum obligation. *Pupillus.*
26 Filius autem, qui est in patris potestate, rectè pacisci tur, nisi in mutua pecunia. Nam beneficio Macedoniani senatusconsulti à tali obligatione liberatur, sicut mulier per senatusconsultum Velleianum iuuatur, cũm fideiussit pro alio. Itaque ad ius commune non trahenda. leg. quòd nouo. ff. de le- *Seruus.*
gibus & senatusconsultis. Serui quoque pactum obligat, si pactus fuerit, ut domino acquirat. leg. seruus uetante. ff. de uerborum obligatione. Secus si seruus paciscatur, quod domino noceat. l. seruus creditor. C. eod. & de filio familias & serui obligatione, suprã de patria & dominica potestate. Neque obstat quidem personis aliud magis, quò minus possint pacisci, quãm aliena potestas, cui subiectæ sunt, aut mentis, uel ætatis, uel sexus imbecillitas.

Sed ratione rerum plures sunt causę, cur non ualeat pactum. Primũm enim

non ualet pactum, quod continet; quæ natura fieri negat. l. impossibilium. 28
ff. de regulis iur. Deinde ipso iure habentur pro nullis pacta, quæ contra leges publicas, uel in fraudem earum facta sunt. Vt si quis potentiorum promittat alicui patrocinium, ut aduersarium eius opprimat, sua potentia, non ualet pactum, quia hoc est legibus prohibitum. l. i. C. ne liceat potentioribus patroc. præst. sed harum prohibitionum exempla multa infrā de obligation. quæ sunt ex lege. Nec si quid turpe, aut contra bonos mores promissum est, peti iure potest. l. generaliter. ff. de uerborum obligatione, ut si quis promittat sacrilegium seu homicidium, uel tale quiddam, non ualet pactum, etiamsi iuramento firmatum sit. l. si stipulet. ff. de uerborum obligatione, & l. pacta, quę contra. C. de pactis, & c. non est obligatorium, ext. de reg. iuris in sexto. Non tamen pactum statim non ualet, si quid promissum sit, quod cum moribus per quamque consuetudinem receptis pugnet. Nam ea quæ natura sunt inhonesta, non quæ sola opinione hominum in quadam obseruatione sunt ciuili, nos excusant ab obligatione pacti. Sunt enim res quædam mediæ per se, nec malæ nec bonæ, sed usu tales redduntur, ad quas præstandas ea 29
tenus obligamur pactis, quatenus secum non aliud uitium trahant, nec periculum naturæ adferant, ut liceat pacisci cum quopiam de non utendo uino, 30
etsi mos regionis sit, ut alio potu non utantur, sed si ista abstinentia aliquod periculū adferat ualetudini, pro nullo habendum est tale pactum. Proinde cūm 31
dicitur, quòd pacta, quæ fiunt contra bonos mores, non ualeant, intelligendum est, non quodlibet pactum, quibuslibet moribus repugnans, sed quòd pacta quæ naturæ & publicæ honestati aduersentur, non sint seruanda, ut de
futura hæreditate factum pactum non ualet, quia turpe est, inquirere in alteri 32
us mortem. l. pactum, quod dotale. C. eodem, & ibi DD. nisi fortè ille de cu 33
ius hæreditate pactum est, consenserit, & in eo consensu perduraverit, donec moriatur. l. fin. C. eodem. Proximum pactis turpibus est, quod dolo aut frau 34
de, aut incusso metu confectum est, sed hæc tamen est inter hæc atque illa differentia, quòd non ipso iure, sed per exceptionem demum reddantur inutilia. l. dolo. C. de inutil. stipul. nisi fortè quis dolum machinatus sit ante contractum, ut induceret contrahentem ad uendendum uel emendum, uel ad aliquem alium contractum bonæ fidei. l. & eleganter. ff. de dolo malo. Casus nonnunquam pactionem dissoluit, & reddit inutilem, ut si domus uendatur, 36
quamtum uenditor, tum emptor ignorat combustam eo ipso tempore, quo uendita est, nihil uendidisse censetur, sed si non tota domus, sed pars eius tantūm igne consumpta est, tum spectatur, quanta pars eius incendio perierit, ui delicet, si amplior quàm dimidia pars exusta est, emptor liberatur, & solutum repetit: si uerō tantūm dimidia pars, uel minor quàm dimidia, tum emptor coarctatur stare pacto, sed æstimatione boni uiri arbitratu habita, quantum minoris precij est propter incendium, ab eius præstatione liberatur. l. domum. ff. de contrah. empt. & uend. Idem dicitur: si quis stipuletur sibi dari porcum, qui nesciente emptore & uenditore mortuus sit, nisi fortè in mora sibi fuerit, quò minus consecutus sit porcum antequàm moreretur. argum. l. inter stipulantem. §. penult. ff. de uerborum obligatione. Habentur autem ab initio pro nullis pacta, quibus persona aut res contra leges, aut bonos mores in obligationem fuerit deducta, sed propter dolum adhibitum non ipso iure censetur nullum pactum, nisi in contractibus bonæ fidei. Nam in contractibus stricti iuris, pactum dolo initum, uel metu, uel ui extortum, per se non est irritum, sed datur ex eo actio & exceptio. l. metum præsentem. §. sed quod ait 37
prætor. ff. de eo quod metus causa: ut xxx. minas, quas Chremes dotis nomine 38
daturum se promiserat Phormioni, poterat ab eo petere Phormio, nisi dedisset illas Phormioni ultrō, sed Chremes potuisset petentem ā se depellere exceptione doli, quòd per Getam ad promittendam talem pecuniam inductus erat.

Contra leges

Contra bonos mores.

erat. Item fit in exceptione metus & uiolentiæ, alijsque similibus.

Sed tolluntur obligationes pactorum non solùm exceptionibus, quæ ex facti circumstantijs emergunt, sed alijs quoq; modis, quibus generaliter extingui omnes obligationes suprà indicauimus, uidelicet, Solutione, Acceptilatione, Compensatione, & alijs modis soluendi debiti, quos ibi annotauimus. Hic uerò modus tollendorum pactorum peculiaris illis est, quòd pacta nouissima derogant prioribus, si illis fuerint contraria. l. pacta nouissima. C. de pactis. Sed in hac regula uidendum est, an pacta, quæ posterius sunt facta, prioribus aliquid detrahant, uel adijciant. Deinde illud ipsum quod detrahunt, uel adijciunt; an sit ex accidentalibus uel substantialib. conuentionis, aut contractus, cui subiuncta sunt. Nam si quid in posteriore pacto mutatum est, quod ad substantiam prioris contractus pertinet, planè nouam esse obligationem, & priorem sublatam iudicandum est, ut si precium rei emptæ auctum uel diminutum est, posteriore pacto, à priore contractu recessum, & nouam emptionem intercessisse dici debet. Emptionis enim substantia ex precio consistit. Si uerò pactum posterius aliquid de accidentalibus contractus detrahit (ut si uenditor paciscatur de non dando fideiussore) contineri in priore contractu illud pactum censetur, nec prius per illud tollitur. Nam uenditor non tenetur dare fideiussores, nisi hoc specialiter actum sit. l. emptori. ff. de euictionibus. Itaque ea quæ nunquam in contractu priore fuit obligatio, per posterius pactum tolli dici non potest. Si uerò per pactum posterius aliquid de accidentalibus adijciatur priori contractui, ueluti ut uenditor cum fideiussore dupli cautionem de rei euictione præstet, tum si emptor id exigat, & uenditor neget se teneri ad præstandũ, ope exceptionis ex pacto de præstãdo fide iussore, emptor uenditorem tergiuersantem, ad præstanda promissa cogere potest. l. pacta conuenta. ff. de contrahen. empt. & uend. & ibi gloss. Atque hæc quidem sunt, quæ in genere de pactorum ui, atque usu dici possunt, iam porrò ostendemus, quomodo singulorum contractuum conuentiones & pactiones constituendæ sint, ut ualeant, & rursus dissoluantur. Et quia inter contractus naturali rerum communicationi finitimi sunt, qui rebus interuenientibus fiunt, de illis quoque primùm dicemus. Magis uerò in alios titulos de obligationum materia agentes sparsi sunt pactorum faciendorum & dissoluendorum modi, quàm ut peculiaribus titulis quibus destinata uidetur horum tractatio, isti solùm traderentur. Itaque post peculiares illos quos habemus titulos, discentes etiam ad alios ordinarios in hac materia locos remittimus. ff. de pactis. (C. de pactis.) Instit. de inutilibus stipulationibus. Hunc titulum ideò huc relatum uolumus, quia ex reg. pactorum collectus est, nec tam stipulationum, quãm pactorum inutilium notas continet.

39

DE MVTVO.

Caput V.

SVMMARIVM.

1. Crediti nomen omnibus contractibus commune esse.
2. Creditor quis dicatur.
3. Mutuum unde appellatum.
4. Mutuum quomodo à cæteris contractibus differat.
5. Mutui diuisio.
6. Mutuo dare qui possint.
7. Mutuum contrahi multis modis.
8. Quibus mutuum dare prohibitum.
9. Aliud pro alio inuito creditori solui non posse.
10. Conciliatio mutui fit tribus modis, cõsumptione, stipulatione, & usucapione.
11. Mutui probatio quot testes requirat.
12. In oppido an ruri contrahatur.

13. Con

13. Contractus omnis duorum testimonio confirmatur.
14. Aureus apud Romanos didrachmus.
15. Libra auri quomodo æstimetur.
16. Testes contractibus nonnunquam adhibendi.
17. Amplius quàm datum sit, ex obligatione repeti non posse.
18. Vsuræ an sint licitæ.
19. De effectibus obligationum ex mutuo.
20. Mutuum reipublicæ nomine datum à quo possit repeti.
21. Periculum rei mutuatæ ad quem pertineat.
22. Mutui obligatio quibus modis tollatur.

CREDITI nomen omnibus contractibus commune est. Nam & commodatum, depositum, & pignus rectè inter credita ponuntur. Dicit enim creditor, qui ex quacũq; causa alterius fidẽ sequitur. Itaque & ueteres iurisconsulti totam eam partem doctrinæ Iuris, quæ de obligationibus contractuum agit, de rebus creditis inscripserunt. Sed quamuis isti contractus pleraque alia habeant communia inter se, tamen una eademq; obseruatione iuris non conficiuntur, & ã cæteris quidem mutui contractus plurimùm uariat. Primùm enim non datur res tantũm utendas, sicut fit in commodato, sed ita subijcit res aliorum potestati, ut illis liceat tanquam suis uti, nec obligat ad reddendam eandem speciem, sed tantũm ad restitutionem eiusdem generis, unde & mutui datio ab eo appellata est, quõd de meo tuum fiat. Numerantur autem mutui tres quasi species ratione obligationum, quę ex illo oriuntur. Et dicitur quidem aliud mutuum naturale tantũm, quo sola naturali æquitate obligamur ad reddendã rem alienam, quæ casu ad nos uenit. Aliud mutuum est ciuile tantũm, ad quod reddendum ex sola legum publicarum constitutione quis obligatur, sicut suprã de obligation. dixi, Eum ad soluendam pecuniam non numeratam obligari, qui intra biennium contra literas, quibus se obligauit, non opposuit exceptionem non numeratæ pecuniæ. l. in contractibus. C. de non num. pec. Naturale & ciuile simul mutuum dicitur, ad quod reddẽdum naturali æquitate, & legum, siue consuetudinis publicæ autoritate astringimur, ut si mutuandi animo tibi numerem decem, & postea ã te stipuler, ut intra annum mihi decem reddas, nascitur obligatio ex naturali æquitate, quia numerauí, & ex ciuili ratione, quia stipulationum usus ll. & moribus receptus, iuxta gloss. l. mutuum. §. fin. ff. si cert. 1 2 3 4 5

Possunt autem mutuo dare, qui alienare, de quibus in titul. instit. quibus alienare licet uel non, & sup. in singularum potestatum capitibus de iure personarum. Neque uerõ oritur tantũm obligatio mutui, si ipsi aliquid alijs numeremus, uerumetiam si quid per alium nostro nomine aut mandato alicui numeratur, iuxta titul. per quas perso. obliga. nobis acquir. de quo iure acquirendi generaliter in tractatu de modis acquirendi res suprã egimus. Imõ non impedit mutui obligationem, si quis suam pecuniam nostro nomine alicui numeret. l. cert. §. si munus, & l. generaliter. ff. si cert. petatur. Præterea si quis ignorantibus nobis suam pecuniam aut rem alteri nostro nomine dederit, nascitur obligatio, si id ratum habuerimus. Nam si recusemus probare quod nostro nomine factum dicitur, solũm illi qui facit utilis quæsita est actio. l. absentes. ff. si cert. pet. Mutuum enim non contrahitur, nisi utroq; contrahentium consentiente, unde si quis numeret pecuniã alicui, qui propter mentis imbecillitatem plenè consentire non possit, aut animo donandi det, quod alter mutuo sibi dari existimet, inter eos non oritur obligatio mutui. l. si ã furioso, & l. non omnis. ff. si certum petat. Vltra hæc impedimenta personarum prohibẽtur & alij quidam mutuum dare peculiari ex causa, ut iure cautum est, ne quis præsidum, & quorum iurisdictio non est perpetua, alicui ex subditis mutuo 6 7 8

det

det pecuniam.l.principali.ff.si certum petatur,& C. eo.l.eosd.sed talia impe dimenta personarum inter obligationes, quæ sunt ex lege, ponenda sunt. Porrò obstat & rerum quarundam conditio, quò minus obligatio mutui ex earum datione oriatur. Nam hæ solùm res mutuo dantur, quæ numero, mensura, aut pondere æstimari possũt.l.ij.ff.si cert. petat. Itaq; hoc pacto quoq; mutuum contrahi intelligitur, ut contrahens tantundem eius generis, quod dedimus, nobis restituat. Nam si ita inter nos conueniat, ut cũm ego uinum tibi dederim, tu triticum mihi restituas, non erit mutuum, sed contractus innominatus, Do ut des. Item si paciscar, ut contrahens precium rei datæ mihi det, emptio erit. Nec est mutuum, sed depositum, si alicui des marsupium plenum pecunia, ut idem sic repletum restituat, quia de quantitate rei in mutuo constare oportet. Quare ut existat mutui obligatio inter contrahentes, necesse est, primùm ut res natura sua ita sit comparata, ut numero, aut pondere, aut mensura eius quantitas æstimari possit. Deinde ut detur hac conditione, ut contrahens non eandem rem, sed parem eiusdem generis reddat. Nam isto facto seruatur Regula crediti in mutuo, qua dicitur, quòd aliud pro alio inuito creditori solui non possit. Quamuis enim non eadem res, tamen eiusdem generis in mutuo solui creditori necesse est. leg. mutuum. ff. si cert. petat.

Contractus innominatus.

Depositum.

9

Interdum autem etiamsi ab initio non teneat obligatio mutui, tamen ex 10
postfacto conualescit, siue ut alij dicunt, conciliatur. Atque id quidem fit tribus maximè modis: Consumptione, ut si quis tibi det pecuniam animo credendi, quam alij surripuerit, mutuo tamen, etsi ea pecunia tua non fiat, quia à non domino tibi data est, tamẽ si eã consumpseris ita, ut integra aut separata restitui domino non possit, tamen ex benignitate legum mutui obligatio, inter te & dominum pecuniæ orta censetur.l. nam, etsi fur. ff. si cert. petat. Stipulatione, ut si quis alienam pecuniam alicui det suo nomine, & stipuletur eam sibi reddi, tum licet mutui obligatio ex datione pecuniæ alienæ non sit nata, tamen propter stipulationem datur illi actio eius pecuniæ condicendæ, si ea nondum sit à domino uendicata. Acsi quis dedit alienam pecuniam suo nomine quam abstulerit fortè, datur domino negotiorum gestorum actio. leg. quamuis, & ibi gloss. C. si certum petatur. Vsucapione conciliatur mutui obligatio, cũm ex continuatione temporis lege definiti res bono titulo possessa est. leg. Proculus nepoti. ff. de iure dotium, ut suprà de usucapione. Potest etiam casu nonnunquam uideri conciliari, cùm quis sub conditione aliquid mutuo daturum se promisit. Nam existente conditione uidetur ex postfacto conciliari mutuum, quod ab initio in pendenti fuit.l. proinde. ff. si certum petatur.

Est igitur & hoc obiter obseruandum, quòd mutuum sicut cæteri contractus, aut purè, aut sub conditione constituatur. His omnibus addendum est 11
generale illud firmamentum contractuum, Quòd si minus quàm libra auri in mutuum ueniat, tum siue in literas missa sit conuentio contrahentium, aut non, & contrahentes sint aut literati, aut non, & quocunque loco tandem id fiat, ruri, an in urbe, ad plenam confirmationem & probationem sufficiat duos testes esse adhibitos. Authentica de instrumento. caut. & ſ. final. Col. vi. Si uerò maior summa in mutui obligationem ueniat, quàm libra auri, tum refert plurimùm, à quo & ubi contractus celebretur. Nam si contrahentium aliquis, uel ambo fuerint imperiti literarum, & uoluntas eorum literis mandata sit, tamen si fuerint in aliqua ciuitate, requiruntur quinque testes, iuxta iam allegat. Authentic. ſ. oportet. Si uerò eius conditionis personæ contrahant absque aliqua scriptura, qua comprehensa sit illorum conuentio, tum sufficit tres testes interfuisse. d. Authent. ſ. ij. & ſ. sed etsi, instru. Et eiusdem constitutionis autoritate, totidem sufficiunt testes, cũm periti

literarum

literarum inter se contrahant, summa libram auri excedente, siue literis commendarint suam conuentionem, siue non. Refert tamen an in oppido uel ruri contraxerint. Nam in rure uetera iura seruantur, quæ approbant regulariter omnem contractum duorum testimonio confirmari. l. ubi. ff. de testibus. Sed nouissima iura uolunt, ut in tali quoque casu si contractus chirographario instrumento sit initus, ut tres testes adhibeantur. l. super chirographarijs. C. si certum petatur. & ibi gl. cir. Authent. sed nouo. Complectitur autem auri libra hodie plures aureos quàm olim. Nam cùm aureus apud Romanos, ante translatum imperium esset didrachmus, hoc est, binas auri drachmas penderet, duodequinquaginta aurei Romani libram efficiebant. Postea uerò diminutum est pondus aureorum apud Germanos, & ex binis drachmis auri terni nummi aurei fieri cœperunt. Sed uidetur & ante ista tempora quoque ab imperatoribus Romanis auctus numerus aureorum in constituenda libra, ut auri libra æstimata sit temporibus Alexandri Seueri lxxij. aureis, iuxta l. quoties. C. de suscept. li. x. Sed Bart. & alij cr. Auth. sed nouo. C. si certum petatur, uolunt in ll. libram auri 100 aureis æstimari, quorum supputatio non procul abest à ueteri pondere, si aurei æstimentur unius drachmæ auri precio, sicut fit in Italia & Vngaria. Et ego plane existimo tex. in l. quoties. C. de suscept. esse mendosum. Nam multis exemplis scriptorum Romanorum certum est libram auri æstimatam esse xlviij. aureis Romanis. Hæc ideò hoc loco annotare pluribus libuit, quia & in sequentibus contractibus, qui instrumentorum fide firmantur, idem obseruandum uenit, alioqui minus multus futurus, cùm me non fugiat, quòd infrà de probat. eadem repetenda sint. Neque dicturus quicquam de testium adhibitione hic eram, nisi uisum mihi esset ex usu discentium esse, ut admonerentur in firmandis contractibus adhiberi nonnunquam testes, si quis fidem ac religionem contrahentis nolit sequi, aut de ea dubitet.

Libra auri centum aurei

Cæterùm quia obligatio non est ita definitum ius, sicut dominium, ut statim cùm quis habeat aliquem ex quacunque causa obligatum, scire possit, quid sibi debeatur: In primis propter actiones uidendum est in quibusque formis obligationis, quæ ex quacunque causa in obligationem ueniant. Nisi enim quis hoc perspexerit acturus, non potest discernere quantum sibi competat petendum propter quamlibet obligationem, etiamsi intelligat causam ortæ obligationis. Quare & de effectibus obligationis, quæ ex mutuo nascuntur, pauca dicemus. Regula uerò generalis est de obligatione, quæ re interueniente contrahitur, quòd amplius quàm datum sit, repeti ex ea non possit. leg. rogasti. §. si tibi. ff. si cert. pet. Proinde & in hoc præcipuè contractu quæri solet, an usuræ sint licitæ. Nam ibi potissimùm uidetur usura habere locum, ubi quantitas in genere, non species aliqua in obligationem deducitur. Sed de usuris paulò pòst dicemus: nunc de reliquis effectibus obligationum ex mutuo. Et quia sæpe accidit, ut alieno nomine aliquid mutuo detur, quæri maximè solet, utrum pariter utrisque detur actio petendi crediti, uidelicet illi, qui alterius nomine credidit, & illi, cuius nomine creditum est. Atque est quidem in mutuo speciale, quòd statim illi, qui alieno nomine aliquid dedit mutuo, competat actio, etiamsi is, cuius nomine datum est, ratum id non habeat. l. si absentis. C. si cert. pet. & ibi Salicetus. In eo uerò, qui recipit mutuum à quopiam alterius nomine, refert an reipublicæ, aut priuati alicuius nomine id fiat. Nam si nomine ciuitatis quid acceptum est, tum ciuitas non tenetur, nisi quatenus ille, qui dedit, probare possit, quòd creditum in ciuitatis usum uersum sit. Id enim ubi non constat, solus ille, qui accepit, obligatur ad reddendum mutuum. leg. ciuitas. ff. si cert. pet. Et omnino ubique magni momenti est, probare posse, in cuius usum uersum sit, quod mutuo datum est. Nam etiam à liberis potest

repeti,

repeti, quod patrifamilias inopi mutuo datum est, quia illud in alimenta eorum uersum esse præsumitur, iuxta Bart. in l. his solis. ff. de condictione indebiti. Si uerò quis aliquid mutuo accipiat nomine priuati, tum uidendum est, an ex mandato eius, cuius nomine id accipit, id fecerit, nec ne. Nam cùm mandatum est ut accipiat, tum perinde ac si ipse mandator accepisset, creditum ab ipso condici potest. l. ultim. ff. quod iussu. Si uerò creditor non propter mandatum, sed propter æstimationem utriusque, & eius qui accepit, & & eius cuius nomine accepit, ut quia putauit creditor ita illis inter se conuenire, ut citra alterius uoluntatem mutuum peti aut accipi non cogitet, tum uterq; tenetur; sed si alterius tãtùm contẽplatione creditor aliquid det alicui alterius nomine id accipienti, tum is solus, cuius fide adductus est, tenetur. l. si mutuam. C. de institu. action. Et de his plura, infrà de mandati, & negotiorum gestorum obligatione. Periculum uerò rei mutuatæ non spectat ad mutuantem, sed ad eum qui accepit. Nam casus aduersæ fortunæ non liberat generis debitorem. Proinde cùm in mutui obligatione sit quantitas generis, etiamsi incendio pereat res mutuo data, tamen ad reddendam eam obligatus manet is qui accepit. l. incendium. C. si cert. pet. Cæterùm, mutui obligatio tollitur ijsdem modis, ipso iure, & per exceptionem, quibus suprà in genere omnes obligationes dissolui diximus. In solutione tamen mutui hoc peculiare est, quòd si plures simul teneantur, obligatio inter eos diuidatur numero, & non per portiones, sicut cùm debetur species, quia in mutuo est quantitas rerum in obligatione. l. cùm Stichus. ff. de solut. Huc peculiariter pertinent tituli:

ff.	Cod.
Si certum petatur.	Si certum petatur.

Quamuis & in illis de actione, quæ in hac forma obligationis datur, pleraque tradantur. Potest his quoq; adiungi tit.

Instit.

Quibus modis re contrahitur obligatio, tanquam ad hunc & cæteros sequentes, ex re contractus generalis.

AN LICEAT PACISCI Vsuras. Caput VI.

SVMMARIVM.

1. Vsura quid dicatur.
2. Nemo cogitur de proprio esse beneficus, si nolit.
3. In solo mutuo usuram committi.
4. Vsuræ iure diuino in uniuersum prohibitæ.
5. Lex inferioris non derogat legi superioris.
6. Interesse licitum est accipere & exigere.
7. Quibus casibus usuræ licitæ sint iure Canonico.
8. Ius speciale non esse in exemplum trahendum.
9. Fructus pignoris in sortem computari.
10. Mutuum debet esse gratuitum.
11. Vsura in solo mutuo committitur, non in reliquis contractibus.
12. Quicquid ultra sortem pro usu rei mutuatæ petitur, pro usuris habendũ esse.
13. Vsuræ centesimæ, menstruæ, annuæ, quæ sint.
14. De usuris illustrium personarum, plebeiorum, mercatorum.
15. In traiectitia pecunia licitas esse centesimas usuras.
16. Actio pro usuris non datur de iure Canonico.

HANC quæstionem subiungimus contractui ex mutuo, quia in eo præcipuè stipulantur usuræ, unde Canonistæ sic definiunt 1 usuram, quòd usura dicatur, quicquid rei mutuatæ accedat ipsius rei usus gratia. Nam in reliquis contractibus si quid pro

usu

usu rei accipimus, illud usura dici potest, sicut in mutuo, ut si quis pro rei locatæ, aut commodatæ usu aliquid accipiat, non uidetur improbè id exigere, cùm pro rei suæ usu illud expetat. Nemo enim cogitur de proprio esse beneficus, si nolit. c. precariæ. x. quæst. ij. In locato autem & commodato retinemus rei commodatæ & locatæ dominium. Itaque etiamsi quis pro usu rei pro prię in tali contractu aliquid accipiat, non potest, tanquam improbus exactor lucri, reprehendi. At in mutuo dominium transfertur, itaq; improbum uidetur paciscì, ut quis de re sua aliquid pro eius usu pendat. Committi igitur usura (hoc est, improba exactio pro rei usu) rectè in solo mutuo dicitur, & quamuis iure ciuili, iuxta leg. eos qui. §. super usurarum. C. de usuris, licitum sit paciscì usuras quantitate à ll. definita, tamen generaliter omnes usuræ iure diuino prohibitæ censentur, sic enim inquit Christus, Lucæ vi: Mutuum date, nihil inde sperantes. & Dauid Psalmo decimoquarto, inter commendationes eius, qui placet Deo, ponit, quòd non det pecuniam ad usuram: quare non uidetur esse licitum Christianis, ut inuicem de mutuo stipulentur usuras, neque enim lex inferioris derogat legi superioris. l. non magistratus. ff. de receptis arbitris. Proinde licet iura ciuilia permittant certo quodam modo paciscì usuras, tamen in foro conscientiæ non excusatur is, qui eas accipit: loquimur autem de usuris ciuilibus, quæ non ueniunt, nisi per stipulationem promissæ fuerint. l. quamuis. C. de usuris. De naturalibus enim accessionibus rerum, & pensionibus, quæ propter moram, loco interesse, in bonæ fidei iudicijs in obligationem ueniunt ac petuntur, non est dubium, quin licitum sit eas accipere & exigere, iux. gloss. l. ij. C. de usuris, cir. uerb. tradita est, ut si fundus dotis nomine traditus sit, & nuptiæ postea non sequantur, rectè non solùm fundus, sed & ea, quæ ex fundo accepit quis, condici poterunt. l. qui se. §. fin. ff. de condict. causa dat. & ibi gloss. Sunt igitur illę usurę tantùm prohibitæ iure diuino, quæ pacto hominum promittuntur de mutuo, in certa temporum spacia.

Interesse.

Quamuis autem prohibitæ sint tales usuræ, tamen sunt quidam casus, in quibus tum à iure ciuili, tum à Canonico conceduntur, ut ratione incerti euentus permittitur, ut si quis non uenditurus rem aliquam in præsentia, quia speret breui pluris uendi posse, & probabiliter de precio in futurum dubitatur, tum licet illi in tempus solutionis stipulari amplius precium quàm potuisset isto tempore uendi. c. in ciuitate. ex. de usuris. Valent enim pleraque propter incertitudinem & periculum, quæ alioqui prohibentur. c. ultim. ext. eodem. Quamuis igitur usura uideri possit in tali pacto esse, quo ultra æstimationem rei aliquid exigatur solui, tamen quia fieri potest, ut emptor tempore solutionis pluris emere cogeretur, si non persuasisset alteri, ut uenderet, nihil improbè exegisse uideri potest is, qui rem, quam non habebat uenalem, in tempus, maiori precio solui, q̃ in præsentia uendi potuit, stipulatus est. Sic si quis mihi obliget uineam suam, hoc pacto, ut donec ipse mihi non reddat traditam pecuniam, ego interim fructus ex ea pro usu meæ pecuniæ percipiam, & accidat, ut maiorem prouentum inde capiam, quàm usurarum nomine accipere potuerim: tamen usurarius non possum dici, quia euenire etiam potuisset, ut minus emolumenti ex uinea sentirem, & tamen coactus fuissem stare conuento pacto. leg. si ea lege. C. de usuris. Sunt plerique alij casus, in quibus extra ultium usurarum, aliquid ultra sortem expeti conceditur, qui notantur circa xiiij. quæstion. iij. in gloss. & per Panormitanum, circà c. conquestus. ext. de usuris. Sed id fit aut iure speciali, quod non est in exemplum trahendum, ut Ecclesia retinet fructus in pignore à Vasallo suo accepto. c. prim. extr. de Feudis, cùm alioqui regulariter fructus pignoris in sortem computentur. c. prim. extr. de usur. Aut fit, quia contractus mutui,

ratione

rationeconuentionis in alium contractum transisse iudicatur, ut cùm aliquid recipitur pro ipsa re, puta pecunia, fit emptio: aut alia res, tum transit in contractum permutationis: aut recipitur aliquid pro usu rei, & tum si datur pecunia, creditum transit in contractum locationis. Si uerò res promittitur pro re credita, fit contractus innominatus, uidelicet, do ut des. Ac proinde cùm egrediatur creditum fines mutui, id quod pro usu rei extra sortem datur, non
10 potest dici usura. Quare rectè dicitur usura committi in solo mutuo, quod
11 debet esse gratuitum, quia in dominium debitoris transit, & eius periculo in usu habetur. Non igitur est usura, quando pacto de retrouendendo creditę pecunię apponitur aliqua pensio extra sortem danda à debitore, quia mutuum esse desinit, quod ita alterius usui subijcitur, ut debitore nolente, non liceat creditori illud repetere, donec ipse pensionẽ, ad quam se debitor astrinxit, soluat. Nam tale creditum transit in contractum emptionis, sicut infrà de emptione latius audiemus. Sit igitur hæc generalis reg. de usuris: Quòd
12 quicquid ultra sortem prò usu rei mutuatæ petatur, pro usuris habendum sit, xiiij. quæstio. iij. c. ult. Secus dicendum est, si creditum alterius cuiuspiam contractus induit ex pacto naturam.

Pactũ de Retrouendendo

Contractus emptionis.

Licet autem Iurę ciuili peti possint usuræ, quas stipulati sumus, tamen si ampliores quàm per leges licet, pacti sumus, pro nullis habentur. Vt igitur intelligi rectè possit, quantas usuras leges stipulari permittant, obseruandum est olim centesimas usuras esse dictas, quę centesimo mense æquarent
13 sortem. Nam usuræ apud ueteres Romanos fuerunt menstruæ, non annuæ, sicut apud nos nunc sunt. Proinde cùm annus duodecim mensium spacio absoluatur, palàm est quòd centesima usura in singulos annos de sorte centum aureorum pariat xij. aureos nomine usurarum pendendos. Quia uerò talis
14 usurarum pensio uisa est Iustiniano immodica, constituit, ut personę illustres non acciperent ampliores quàm trientales, hoc est, in annum de centum aureis uera supputatione aureos iiij. Plebei uerò de centenis aureis, vi. in singulos annos stipularentur, nisi fortè illi exercerent mercaturam. Nam talibus permisit ut viij. aureos annuo temporis spacio de centum accipiant. l. eos qui. C. de usuris. Pro conditione igitur hominum licet stipulari usuras diuersa quantitate pensionis, easq; petere in foro contentioso, & quamuis uetus usurarum ratio mutata sit iure nouissimo, tamen licitum est adhuc hodie in quibusdam casibus stipulari centesimas usuras. Itaq; alię usurę dicuntur minores, de quibus suprà: aliæ maiores, ut sunt centesimæ. Qui uerò sint illi casus, in quibus licet stipulari centesimas usuras, uidere est in gloss. cir. l. eos qui. C. de usuris. Itaque discentes ad eam remitto, & indicis causa tantùm ad
15 signo, in traiectitia pecunia licitas esse usuras centesimas, iuxta tit. ff. & C. de nautico fœnore. Reliqui tit. de stipulatione usurarum propriè non agant, etiamsi id uideatur Epigraphe eorum innuere, sed magis ostendunt, quando ex mora, aut propter interesse aliquid ultra sortem in actionibus petere possimus. Itaque differemus eorum tractatum usque ad actionum explicationem. Iure Canonico uerò xiiij. quęst. iij. iiij. v. & in Decretalibus sexto, & Clemen. tit. de usuris hoc potissimùm traditur, quòd Iure diuino omnes usurę sint prohibitæ, id quod de usuris in mutuo constituí accipiendũ diximus. In reliquis uerò cõtractibus licet aliquid ultra sortem stipulari de usu rei, quę dominium nostrum non euasit penitus, & nostro periculo in usu est. Quia uerò in solo
16 foro cõscientię prohibitę sunt usurę omnes, Canones etiam nõ dant ex earũ stipulatione actionẽ, sicut iura ciuilia, sed uocant usurarios ad pœnitentiam.

DE COMMODATO & precario. Cap. VII.

SVMMARIVM.

1. Commodatum quid sit. 2. Precarium quid sit.
3. Commodatum & precarium in quibus conueniant.
4. Duo in solidum possidere non possunt.
5. Precarium in re propria consistere nequit.
6. Quibus commodato & precario dari possit.
7. Commodatarius abutens commodato obligatur ex delicto.
8. Commodatarius tenetur leuissima culpa.
9. Obligatio commodati & precarij quomodo tollatur.

COMMODATVM dicitur alicuius rei ad aliquem speciale usum gratuitò facta concessio, iuxta glos. extr. de commodato. 1 2
Precarium uerò est, quod precibus petentis tradendum conceditur tam diu, quàm is qui concessit patitur. l. i. ff. de precario.
Primùm igitur hoc conuenit commodato cum precario, quòd per neutrum transfertur dominium. l. rei commodatæ. ff. commod. Hoc tamen peculiare est in precario, quòd possessio tam apud eum qui dedit, quàm qui accepit, manet. l. & habet. §. eum qui. ff. de precario, uidelicet hoc modo, ut accipiens naturaliter, & dans ciuiliter rem possideat. Nam duo in solidũ 3 4
possidere non possunt. l. ij. ff. de precario. Præterea habet & hoc commune commodatum & precarium, quòd per utrumque res mobiles & immobiles, corporales & incorporales concedantur: Mobilis & corporalis, ut pecunia, Immobilis, ut fundus, Incorporalis, ut ius agendi, eundi per agrum concedentis. l. i. ff. cõmod. & de precario. l. ij. iij. & iiij. Quod uerò usu consumitur, nõ potest cõmodato dari, nisi tradatur hac conditione ut consumatur. l. ij. §. ulti. cum l. sequenti. ff. commod. Neque uerò in re propria consistere potest precarium, nisi in pignus creditori datum sit, à quo postea eius usum impetret. l. si debitor. ff. de precario. 5
Potest autem cõmodato & precario dare, qui obligare sibi aliquem potest, iux. glos. ext. de commod. sed obligatione usus differunt. Nam commodatum datur ad certum usum, extra quem si commodatarius eò utatur, obligatur ex delicto, ut si quis det uestem commodato ad pompam, & commodatarius cum ea peregrè abeat, tenetur ex delicto. l. si incer. §. sed interdum. & l. in reb. ff. commod. In quib. differant. sed precarium nulla definitione usus conceditur. l. si ut in commodato. §. sicut. ff. commod. quare cõmodatum non potest repeti, nisi usu finito. Precarium uerò quando cunque libet, etiamsi fortè ad certum tempus datum sit. l. cũm precario. ff. de precario. Item tenetur commodatarius leuissima culpa, nisi casu damnum datum sit, is uerò qui rem precario habet, tantùm de dolo & lata culpa tenetur. l. quæsitum. §. eum quoq;. & §. seruituti. ff. de precar. & ff. Commod. & l. in reb. Cæterũm tollitur obligatio commodati & precarij reuocatione rei datę. 6 7 8
Item morte eius cui concessa est, non autem morte concedentis. l. cum precario. §. precarij. & l. quæsitum. §. quòd ad Titium. ff. de preca. Continent autem tituli huc pertinentes etiam actionem, quæ concedenti, & ei, cui res commodato uel precario data est. 9

ff.

Commodati uel contra.

Cod.	In decret.
De commodato.	De commodato.
De precario.	De precarijs.

DE DEPOSITO, ET SEQUESTRATIONE. Cap. VIII.

SVMMARIVM.

1. Depositum & sequestratio quid sint.
2. Depositum à sequestratione in quo differat.
3. Contractus accipiunt legem ex conuentione.

4. Res

4. Res quæ deponi possint.
5. Priuatæ scripturæ non habetur fides, nisi adhibeantur tres testes.
6. Depositarius potest recusare custodiam rei depositæ cùm illi uidetur.
7. Sequester non potest officium suũ deponere, nisi iustissima causa interue niẽte
8. Res deposita, aut sequestro commissa quando sit in periculo custodientium.
9. Obligatio depositi quomodo tollatur.

1 DEPOSITVM dicitur, quod custodiendum alicui datum est. ff. depositi, in prin. Sequestratio uerò est rei litigiosæ depositio, quæ à pluribus fit, ut uictori restituatur. l. sequester. ff. de uerb. sig. & 2 depositi. l. propriè. Differt igitur depositum & sequestratio, quòd quælibet res, quæ alterius fidei traduntur custodiendę & restituendę, dicantur depositæ, sed sequestratione tantũm res litigiosæ deponuntur. Itaque apud sequestrem etiam immobilia deponuntur, ut in eius possessione sint donec constet de uictoria, cùm alioqui regulariter solũm mobilia deponantur. A Mutuo differt depositum & sequestratio, quòd his non transfertur dominium, nisi expresse inter deponentem & depositarium ita conuentum sit, ut 3 ea deposita, tanquam sua uteretur, & pro ea tantundem eiusdem generis redderet. Nam isto casu locum habet reg. qua dicitur: quòd contractus accipiat legem ex conuentione, nisi contra bonam fidem bonos que mores aliquid pactum sit. l. i. ℣ si conueniat. ff. depositi. Itaque licet hęc sit natura depositi, ut proprietas & dominium apud deponentem maneat, tamen liberum est pactis licitis, aliud depositario permittere. Videtur tacitè quoq; concessum depositario dominium, si depositum non obsignatum aut conclusum detur. l. licet. ℣ rei. l. Lucius. i. ff. depo. A Commodato autem differt, quia illud gratia accipientis, hoc uerò gratia deponentis traditur. Si uerò depositarius propter custodiam aliquid accipiat pro opera sua à deponente, dicitur locatio. l. ℣ li uestimenta. ff. depositi: non solũm autẽ per nos ipsos, uerũm etiam per quos in genere suprà obligationem nos acquirere diximus, deponere licet. l. i. ℣ non solum. ff. depo. & domini quoque ex depositio nobis obligantur, si quid apud eos, qui ipsorum negotijs præsunt, deposuimus. 4 l. instito. C. de Instit. acti. Res autem deponi possunt, quæ alienari à priuato possunt, & fit depositum tradita re ad custodiam. Nam si tradatur ad perfe 5 rendum alio, mandatum erit. l. i. ℣ si te rogauero. ff. depo. Nonnunquam adhibetur etiam scriptura, sed quia priuatæ literæ non habent fidem probationis, nisi tres testes fide digni se subscripserint, Auth. de fide Instru. ℣ i. q. Ita que adhibendi sunt etiam testes. Differunt autem obligationes ex his contra 6 ctibus natæ etiam effectu, quia depositarius potest recusare custodiam rei 7 depositæ cùm illi uidetur, sed sequester non potest officium suum deponere, 8 nisi iustissima causa interueniente. l. ei apud quem. ff. depositi. Regulariter quo que res deposita, aut sequestro commissa, non est in periculo custodientium, nisi id expresse actum sit: aut quis ultro se obtulerit ad recipiendam rem deponentis. l. i. ℣ sæpe euenit. ff. depo. Tollitur autem hæc obligatio restitutio 9 ne depositi, & potest quidem deponens, quandocunq; hoc illi uisum est, repetere depositum. l. ult. ff. depositi. Tollitur etiam, cùm eo ipso casu perit res deposita apud depositarium, quo peritura erat, si apud deponentem mansisset. l. si plures. ℣ siue autem depo. & continent tituli actiones huius formæ, sicut infrà de commodato diximus.

ff.
Depositi uel contra.
In Decretal.
De deposito.
De sequestratione possessionis.

Cod.
Depositi uel contra.
In Sexto.
De sequestratione possessionis & fructuum.

DE PIGNORE, ET HYPOtheca. Cap. IX.

SVMMARIVM.

1. Pignus unde dictum. 2. Quid sit pignus.
3. Hypotheca sub pignore comprehenditur, & quid dicatur.
4. Pignus & hypotheca quomodo differant. 5. Differentia pignorum.
6. Pignus prætorium quod sit.
7. Pignus iudiciale est quod propter cautionem accipitur.
8. Conuentionale pignus est, quod consensu contrahentium constituitur.
9. Quæ res pignori dari possint. 10. Reditus oppignorari posse.
11. Seruitutes oppignorari prohibentur.
12. Res alienæ quomodo pignori dari possunt.
13. Omnibus contractibus pignora adiici queunt.
14. Pignus quemadmodum tacitè contrahatur.
15. Mariti bona uxori pro dote tacitè oppignorantur.
16. Pactum legis commissoriæ à legibus reprobatum in pignoribus.
17. Inutile pactum non redimendi pignoris.
18. Repressaliæ quales sint pignorationes.
19. Tractatus repressaliorum Bartoli. 20. Creditori quando liceat pignus uendere.
21. Denunciatio debitori antè facienda, quàm pignus distrahatur.
22. Reposcendi facultas biennalis.
23. Titulos soluendorum pignorum claros esse.
24. Casus quo maneat pignus obligatum, etiamsi debitum sit solutum.

PIGNVS appellatum est à pugno, quia res quæ pignori datur manu traditur. l. plebs. §. inter pignus. ff. de uerb. significa. 1
Sed dicitur pignus in genere res, de qua inter creditorem & debitorem conuenit, ut sit pro debito obligata. Instit. de actio. §. Itẽ Seruiana. Et generis appellatione, sub pignore comprehenditur etiam Hypotheca, tanquam species: dicitur enim & Hypotheca res, quæ creditori securitatis causa pro debito obligata est. Propria tamen significatione differunt Pignus, & Hypotheca, quia pignus dicitur, quando res propter debitum obligata ad debitorem transit, & in eius possessionem uenit: hypotheca uerò, quando tantùm res obligatione creditori subiicitur, sed in eius possessionem non transit. l. si rem. §. proprie. ff. de pignor. act. Aliàs & extra istam differentiam Pignus & hypotheca tantùm sono appellationis differunt. 2 3 4
Porrò pignorum aliud dicitur prætorium, aliud conuentionale. Prętoriũ est, quod iubente magistratu accipitur, et id fit, aut propter cautionẽ periculi, aut executionẽ rei iudicatæ. Propter cautionem, ut si in iudicium uocatus nõ ueniat, potest actor petere à iudice, ut se in possessionem rei seruandæ causa mittat. Propter executionẽ rei iudicatæ, cùm cessante eo, qui in iudicio cõuictus est, iudex uictori dat potestatem occupandi bona conuicti, ut debitum suum inde consequatur, iux. tot. tit. C. de præt. pigno. & ex. de eo qui mit. in pos. rei ser. causa. Atq; hoc quidem, quod rei iudicatæ causa nobis à iudice datur, pignus uocatur iudiciale, ad differentiam prætorij, quod propter cautionem accipitur. Sed de his pignoribus infrà de Actionibus. Nam in tractatu obligationum de conuentionali pignore solùm rectè agitur. Dicitur enim conuentionale pignus, quod consensu contrahentium constituitur. l. i. ff. de pigno. act. Potest autem pignus dare, qui alienare. Et tam mobilia quàm immobilia, item corporales & incorporales res in pignus dantur. Nam tex. in l. i. §. cum prædo. ff. de pig. & Hypoth. manifestẽ etiam testatur, prædia in pignus dari. & l. cum conuenit, testatur obligationem pignoris oriri, si quis reditus suos creditori oppigneret. Quamuis autem etiam iura nostra in pignus dare possimus, tamen urbanorum prædiorum seruitutes, ut est stillicidij, & 5 6 7 8 9 10 11

tigni

tigni immissio, oppignorari leges prohibent. l. si is. §. ult. de pigno. Non so-
12 lũm autem nostras res, sed etiam alienas pignori dare possumus, sed ita si de-
bitæ fuerint. Nam si non est nobis debita, sed tantũm ius quoddam habemus
in ea, ut in fundo uectigali, & in re nobis oppignorata, tum non licet, nisi
hac cõditione, ut domino eius ius suum saluum maneat. l. iij. §. cum ex causa.
ff. qui potio. in pig. habe. & de pig. act. l. tutor. §. fin. & C. si pig. pig. da.
sit. l. i. Si uerò res aliena neq; nobis debita, aut aliquo iure obligata est, tum
non possumus eam oppignorare, nisi in hunc casum, ut cùm nostra erit, cre-
13 ditor eam pro pignore sit habiturus. l. si fundus. §. aliena. ff. de pig. Neq; ue
rò ob solã creditam pecuniam dantur pignora, sed omnino omnibus contracti
bus & licitis cõuentionibus pignus adiici potest. l. si rem. §. non tant. ff. de
pig. act. In conditionali tamen conuentione pignus datum, non uenit in ob-
ligationem, nisi extiterit conditio. l. res Hypot. ff. de pignori. Possunt quoq;
loco pignoris obligari ea, quæ nondum sunt nata: Vt fœtus pecorum, l. &
quæ nondum. ff. de pignorib. Neq; impedit etiam conuentionem pignoris,
si res tradita non sit, aut in materia, siue specie rei oppignoratæ erratum sit.
Nam sufficit contrahentes de pignore uel præsentes uel absentes per epistо
lam, uel nuntium consensisse. l. contrahi. & l. creditor. ff. de pig.

Ex his quidẽ arbitror liquere iam, quomodo expresse contrahatur pignus.
14 Sed tacitẽ contrahitur etiam. Cuius obligationis in pignore exempla esse pos
sunt obligationes, quibus bona tutorum & curatorum pupillis, parentum li-
beris in aduenticijs, mariti bona uxori pro dote, defuncti legatarijs, condu-
15 ctoris locatori, & alia similia his tacita pignora. Nam sunt multa alia exempla
tacitorum pignorum passim in legib. sed quia eadem etiam ueniunt in suis
formis annotanda, sufficiat in compendio monuisse, uno aut altero exemplo,
pignora nonnunquam tacitè etiam contrahi. Dantur autem pignora tam de
bitoris quàm creditoris gratia. Debitoris, ut eò facilius impetret à creditore,
quod sibi credi cupit. Creditoris, ut minore periculo suum alteri concedat.
Extra communem hanc constituendorum pignorum formam solent non-
nunquam adiici pacta, quibus obligatio eorum constringitur uel extenditur,
16 sed non quodlibet pactum in pignorib. locum habet, nam pactum legis com-
missoriæ prohibitũ est addere pignorum conuentionibus. l. final. C. de pa- *Pactum legis*
ctis pignorum. Dicitur autem pactum lege Commissoria factum, quando in *cõmissoriæ.*
casu de rei aut contractus dissipatione in præiudicium alterius ex contrahen-
tibus aliquid conuentum est. Itaq; si creditor pignus, uel Hypothecam hac
lege accipiat, Vt si debitor illi ad constitutum diem non soluat creditam pe-
cuniam, ipse pignus siue Hypothecam sibi tanquam rem emptam habeat, cen
setur ipso iure nullum pactum. l. i. & ibi gloss. C. de pact. pigno. Nisi ta-
men iuramentum interuenerit. Nam isto casu obligamur etiam pignorib. pa
cto legis cõmissoriæ, si præstare id sine periculo animæ non possit. c. signifi-
17 cante. & ibi gloss. ext. de pignoribus. Item inutile est pactum, quo se debi-
tor obligauit ad non redimendum pignus: Nulla enim uis est eius conuenti-
onis, qua pactum est, ut liceat rem alienam inuito domino possidere. l. cum
preca. ff. de precari. Præcipuè uerò non licet pacisci, ut pro nostro debito po
pulariũ aut municipum nostrorum bona sint oppignorata, si nos cessemus il
18 lud soluere. Auth. ut non fiant pignorationes pro alijs personis. Et uocan-
tur hodie tales pignorationes Repressaliæ, quæ nullo iure sunt licitæ, nisi à
magistratu, qui habet Ius condendæ legis, concedantur aduersus subditos,
qui recusant, aut manifestè negligunt debitorem ad soluendum cogere, uel
19 in delinquentem animaduertere. iux. Bart. in tractatu Repressaliorum.

Ad hoc licet creditori, ut cum debitore hoc modo paciscatur, ut si debitam
pecuniam ad diem solutionis non numeret, ipsi liceat Hypothecam occupa-
20 re, & pignus ad se transferre. l. 3. C. de pigno. Nam & citra illud pactum, liberũ

est creditori, ut debito ad constitutum diem non in solidum soluto, pignus uendat. l. creditoris. ff. de distrac. pig. & C. eod. l. quam diu. Prius tamen quàm uendat pignus, cogitur distrahendi uoluntatem debitori denuntiare semel, si nihil inter eos de distractione pactum est. Nam si de tempore, loco, 21
persona, aut precio distrahendi, aut ne omnino distrahatur, conuentum est, creditor ter denunciare debitori cogitur, ut soluat. l. si cõuenerit. cum sequenti. ff. de pig. actio. Acsi fortè creditor non inueniat emptorem, non potest sibi usurpare pignus, nisi dominium eius à iudice impetret, imò etiam si 22
uenditum est pignus à creditore, tamen debitori datur reposcendi eius facultas intra biennium, si debitum soluat. l. ultima. C. de iure domi. Impe. Neque potest tamen debitor impedire creditorem pignoris, si elapsum sit tempus solutionis, & ipse cessetsoluere. iux. tit. Cod. Debito. uend. pig. imp. non pos. nisi fortè oblata aut deposita sit pecunia, & creditor nolit eam accipere. Nam soluitur & pignoris obligatio non solùm solutione, sed & depositione debiti. l. si prius. C. de distractio. pig. sed & reliquis modis tollendarum obligationum hæc obligatio extinguitur, iux. tit. C. de solut. pig. Item de remissione pignoris, & in ff. quib. modis pig. uel Hypo. sol. & quia istis 23
titulis nominatim, & satis clarè modi soluendorum pignorum traduntur, superuacuũ uidetur, uelle istos operosè hic inquirere & annotare, præsertim cũm nec sint prolixi, nec perplexi per se isti tituli, ut quisque sua inuestigatione istos modos colligere inde facilè possit. Vnum tamen uidetur adijciendum, quòd nonnunquam maneat pignus obligatum, etiamsi id, quod debetur, solutum sit. Vt si Titius debeat Sempronio centum, quorum nomine deserit fundum in Hypothecam, & Lentulus eidem Sempronio debeat quinquaginta, non dato pignore, tum si Lentulus emat à Titio istum fundum, & animo nouandi pignus, & liberandi Titium, promittat Sempronio centum, & denuo fundum relinquat loco pignoris illi esse, leges uolunt, fundum obligari tanquam pignus, etiam ad solutionem quinquaginta annorum, quos antea Lentulus non dato pignore Sempronio debuit, adeo ut nec peti fundus possit, etiamsi centum, pro quibus principaliter obligatus fuit fundus, soluti sint, nisi quinquaginta quoque soluantur, & est ad decisionem huius quæstionis propositus tit. in C. Etiam ob Chirogra. pecu. pig. teneri. Quo hoc maximè traditur, quòd pignus non solùm propter istud debitum, cuius casu datum est, principaliter retineri possit, sed & propter illud, quod citra pignoris obligationem antea creditum est. ff.

De pignorib. & Hypothecis, qualiter ea contrahãtur, & de pactis eorũ.
In quibus causis pignus uel hypotheca tacitè contrahatur.
Quæ res pignori uel hypothecæ obligari non possint.
De distractione pignorum & hypothecarum.
Quibus modis pignus uel hypotheca soluitur.

Cod.

1. De pignoribus & hypothecis.
2. Quę res pignori obligari possint uel non, & qualiter pignus contrahatur.
3. In quibus causis pignus tacitè contrahatur.
4. De pactis pignorum, & lege cõmissoria in pignoribus rescindenda.
5. De distractione pignoris.
6. Debitorem uenditionem pignorum impedire non posse.
7. De remissione pignoris.
8. De luitione pignoris.

Authen.

Vt non fiant pignorationes pro alijs personis.

In Decretal.

De pignoribus & alijs cautionibus.

DE INDEBITO.

Caput X.

SVM-

SVMMARIVM.

1. Indebitum quid sit. 2. Cato Vticensis coëgit indebitum restitui ærario.
3. Scienter danti non restituitur.
4. Quod per errorem tanquam debitum solutum est, restituitur.
5. Indebitum quot modis dicatur.
6. Esse quoddam ciuiliter indebitum tantùm, & naturali ratione debitum.
7. Hæredi datur indebiti soluti repetitio.
8. Ignorantia iuris in lucris non prodest.
9. Ignorantia iuris in damnis suæ rei amittendæ non nocet.
10. Vsuræ in sortem quando computandæ.
11. Tempus rẽpetitioni præfinitum.
12. Exceptio competit soluenti indebitum.
13. Competens exceptio si est dilatoria, tum quocunq; errore indebitum solutum sit, non nascitur eius restituendi obligatio.
14. Exceptio perpetua datur mulieri soluenti pro alio.
15. Beneficium Macedoniani. S. C. 16. Odia restringenda, fauores dilatandi.
17. Dissolutio obligationis indebiti soluti quomodo fiat.

1  RITVR & ex re data obligatio, cũm quis alicui soluit, ad quod
soluendum non tenetur. Et talis obligatio astringit nos ad resti-
tuendum id, quod nobis, cũm non debetur, solutum est, sicut Ca
2 to Vticensis eos, qui ex ærario à Sylla pecuniam pro cæde ciui-
um acceperant, coëgisse perhibetur, ut eam tanquam indebitam
restituerent, nulla enim uidebatur obligatio extitisse, propter quam à Sylla
præmia sceleris meritò accepisse uiderentur, sed non statim ex eo, quod im-
3 meritò datur, restituendi obligatio nascitur. Nam qui sciens alicui dat, quod
non tenetur, donasse uidetur, nec restituendi obligatio inde oritur. l. cuius
4 per erro. ff. de reg. iur. & l. i. ff. de condic. indeb. Est igitur obseruandum,
quòd ex eo solũm indebito nascitur restituendi obligatio, quod per errorem
tanquam debitum solutum est, l. ex his omni. ff. de condi. indebi. Porrò ut
5 plane possit intelligi huius obligationis ratio, uidendum est, quot modis ali-
quid fiat debitum uel indebitum. Nam his cognitis, apparebit, qualem opor
teat esse errorem, qui indebiti soluti proferat restituendi obligationem. Ac
primũm quidem aliquid dicitur naturali & ciuili ratione indebitum, & hoc
quocunq; errore solutum fuerit, parit restituendi obligationem, ut si quis de
bitum solutum, denuo per errorem soluat, omnino datur illi repetendi condi
ctio. l. sed & si me putem, in princ. ff. de condict. indebiti. Nisi solutum sit
ex autoritate rei iudicatę. l. i. C. de condic. inde. Aut transigendę litis causa. l.
in summa. ff. de condic. indebit. & aliis quibusdã ex causis, quę notantur in l.
ea quę. C. de condic. indeb. & in glos. cir. §. fin. Institu. de obligatio. quę ex
6 quasi contractu nascũtur. Deinde quoddã potest esse ciuiliter tantũm indebi
tum, sed naturali ratione debitũ, in cuius solutione refert, an per ignorantiã
facti, uel iuris ea sit facta, iux. glos. cir. l. Cum quis. ff. de iur. & fact. igno. Exem
7 pli gratia: Si hęres nõ perpendens hęreditatis substantiã, omnia legata in soli
dum pręstet legatariis, ita ut exhausta hęreditate, tandẽ uideat sibi iure legis
Falcidię nõ relinqui quartã partẽ hęreditatis, tum si constat, quòd crediderit
plus esse in hęreditate, quàm postea cõperit, dat indebiti soluti repetitio, tan
quã illi, qui errore facti deceptus est. Si uerò nesciuit sibi deberi Falcidiã ex le
8 gatis, nõ admittitur ad repetendũ indebitè solutum. Quia ignorantia iuris in
9 cõpendiis nõ prodest. l. error. & l. error facti. ff. & C. de iur. & fact. ignor. In
10 damnis autem suę rei amittẽdę ignorantia iuris nõ nocet. Vt si quis maiores,
quàm leges permittũt, usuras soluat, potest solutas in sortẽ computare, aut sor
te soluta tanquã indebitè solutas usuras repetere. l. si nõ sortẽ. §. pinde. ff. de cõ
dict. indeb. Nõnunquã aliquid naturaliter est indebitũ, sed ciuiliter debitum,

quod si per errorem solutum fuerit, producit restituendi obligationem, nisi 11
forte prętерfluxerit tempus à lege pręfinitum tali repetitioni, sicut suprà de
exceptione non numeratæ pecuniæ intra biennium aduersus chirographū,
quod spe numerationis dedimus, proponenda diximus. Postremò potest fie- 12
ri, ut aliquid ciuiliter & naturaliter sit debitum, sed propter exceptionem,
quæ soluenti competit, indebitum: & in hoc casu glosę hanc tradunt Regulā,
quòd si competens exceptio sit dilatoria, tum quocunq; errore indebitum so- 13
lutum sit, non nasci eius restituendi obligationem, ut si quis ante diem solu-
tioni constitutum soluat debitum, non datur ei repetendi facultas, & si ante
constitutam solutioni diem indebitum meritò iudicetur .l. in diem .ff. de con
dict. indebi. Secus fit in eo, quod sub conditione debemus, nam id donec
non existat conditio, incertum est, quando debituri simus, solutum per erro
rem pendente conditione in obligationem restituendi uenit .l. sub conditio
ne .ff. de condit. indeb. Si uerò exceptio est perpetua, tum refert, an fauore 14
uel odio eius, cui deberi uidetur, quod per errorem solutum est, ea data sit,
nam mulier si pro aliquo intercedat, ac obligationem eius in se recipiat, tum
naturaliter & ciuiliter obligatur, ut soluat pro eo, pro quo interceſſit. Sed
quia fauore istius sexus per S. C. Velleianum liberatur à tali obligatione,
potest mulier repetere tanquam indebitum, quod pro alio per ignorantiam
etiam iuris soluit. At si pater soluat, quod filius citra eius autoritatem mutuo 15
accepit, & si beneficio Macedoniani S. C. liberetur à solutione talis debiti,
tamen quia odio creditoris leges patrem liberant à solutione talis debiti, per-
peram solutum non restituitur .l. qui exceptionem .ff. de condict. indeb. Odia 16
enim, iuxta uulgatam Regulam, sunt restringenda, fauores dilatandi. cap.
odia. extra. de Reg. iur. Si uerò dubitatur, an exceptio sit dilatoria uel per-
petua, tum errore solutum repetitur .l. sufficit .ff. de condit. indebi. Idem fit,
ubi datur exceptio per rigorem iuris .l. Iulianus .ff. de con. indeb. Hæc de
indebiti soluti obligatione, quæ ultra allegatos locos copiosè traduntur in
glos. cap. fin. extra de solutionib. & c. turbatur. & interdum. i. quę. iiij. & per
Barth. cir. l. 1 .ff. de condi. indeb. & cir .l. cum qui .C. de iur. & fact. ignor.
Quos locos tanquam ordinarios in hac materia loco titulorum annotatos uo-
lo. Cæterùm quomodo dissoluatur obligatio indebiti soluti, non est ualde 17
operęprecium ostendere, cùm ijsdem planè modis, quibus ceteras obligatio
nes suprà ingenere tolli diximus, hęc quoq; extinguatur, ut nihil difficultatis
hęreat in hac forma Iuris cognoscenda, præterquàm quòd in hypothesibus
non facilè nec statim est cernere, in quibus casibus indebiti soluti restituendi
nascatur obligatio.

DE VERBORVM OBligationibus. Cap. XI.

SVMMARIVM.

1. Ex stipulatione obligatio uerborum nascitur.
2. Stipulatio quid sit.
3. Stipulandi uerbi significatio.
4. Qui stipulari non possint.
5. Deuarijs stipulationum differentijs.
6. Stipulationes facti non diuidi.
7. Stipulationes uariè concipi.
8. Qui stipulari possint.
9. Plures reos stipulandi & promittendi fieri posse.
10. Quæ res in stipulationem deduci queant.
11. Rem suam sibi dari nemo utiliter stipulatur.
12. Præsentes qui habeantur.

13. Actus

13. Actus continuus quis sit. 14. Loci pro superuacuis habentur.
15. Linguæ diuersitas non impedit consensum stipulantium.
16. Stipulationes per uerba futuri temporis fiant.
17. Fideiussor maioris securitatis causa datur.
18. Obligatio uerborum quibus modis tollatur.
19. Vno stipulantium soluente, omnes liberari.

1 SOLA penè stipulatio uidetur esse, ex qua uerborum obligatio nasci propriè dici possit. Quamuis enim & aliæ conuentiones, ut sunt pollicitationes, & pacta, uerbis omnino interuenientibus, necessariò aliis rebus aut obseruationbus concipiantur, tamen quia in stipulatione magis, quàm in reliquis omnibus conuentionibus, sola uerba sunt causa obligationis, non abs re uideri potest
2 uerborum obligatio ex sola stipulatione nasci. Vnde & à Pomponio sic definitur stipulatio, quòd sit uerborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum facturum ue se, quod interrogatus est, respondet. l. v. §. stipulatio.
3 ff. eod. Est autem uerbum stipulandi commune, & tam rogare, quàm promit
4 tere significat. & qui neutrum uel alterum istorum propter naturæ uitium præstare, aut rebus suis præesse per se nõ potest, aut leges illi liberam negant suarum rerũ administrationem (de quibus suprà abundè de iure personarũ, & in alijs capitibus de potestate alienandi res diximus) stipulari non potest.
5 Porrõ stipulationũ uariæ notantur differentiæ ab autoribus, à quibus proditę sunt. Aliæ dicuntur iudiciales, tanquam ab illis, qui iuris dicendi potestatem habuerunt, nimirum ab Imperatoribus in literas relatę. Alię prętorię, quia autoritate prætoris propositæ. Aliæ communes, nempe pariter & ab Imperatorib. & Prętoribus & Iuris prudentum responsis traditæ. Et rursum Prætorię diuiduntur iux, easdem penè differentias, ut aliæ dicantur Iudiciales, aliæ Cautionales, alię Communes. Atque in hac quidem diuisione prætoriarum stipulationum, Iudicialis dicitur, quæ seruandę summæ causa expeditur, aut interponitur. Talis est stipulatio de ratihabitione, de soluendo iudicato. Cautionalis autem dicitur, propter quam non principaliter iudex adi tur, sed quę ex incidenti causa à iudice interponi petitur, ut in actione pigneratitia, si quis metuat, ne aduersarius aliqua fraude pignus diffipet, aut distrahat pendente lite, potest rogare iudicem, ut iubeat eum cauere de dolo. l. creditor. ff. de pig. acti. Communis uerò prætoria dicitur, quæ tam suscipiendi, quàm expediendi iudicij causa interponitur, talis est stipulatio de sistendo in Iudicio. Sed tales conuentiones non tam sunt stipulationes quàm satisdationes, & expediũtur officio iudicis, Itaq; infrà in processu iuris, & exequendi iudicij ratione de illis dicendũ erit magis, quàm hoc loco, ubi de solis conuentionalib. stipulationib. quę extra contentionẽ fori fiunt, agendũ est. Nam in obligationum tractatione non quęrendum est de eo, quod in cognitione Iudicis est positum, an sit pręstandum, sed in contrahentium conuentione, quod præstare alterum alteri propter uinculum obligationis, non propter cognitionem iudicis oporteat. Pergemus itaque ad explicationem conuentionalium stipulationum, quę ab ipsa re, quæ promissa est, hanc accipiunt differentiam, ut alia dicatur in dando, alia in faciendo consistere. Atq; est quidem hęc differentia ideo obseruanda, quia ex ea utilis quædã alia obseruatio in soluendis stipulationib. eminet. Nã hac differentia explicatur regula, qua
6 dicitur, quòd stipulationes nõ diuidantur. Etenim stipulationes, quę sunt in faciendo, nõ recipiunt diuisionẽ, ut qui promisit fossam fodere, aut insulã fabricare, nõ liberatur, si partem fodiat, aut ędificet, sed necesse est, eum pręstare promissum in solidum. l. stipulat. nõ diuid. ff. eo. Secus fit in stipulationibus, quę in dando cõsistunt: Nã in illis parte pręstita, pro parte quis liberatur. l. ij.
7 ff. eo. Concipiuntur autẽ stipulationes aut purè, aut sub cõditione, aut in diẽ, sicut

Stipulationes iudiciales. *Prætoriæ.* *Communes.*

Prætoria iudicialis.

Cautionalis.

Communis.

Conuentionales.

sicut institutiones & substitutiones in testamentis: sed quomodo hoc fiat, co piose explicauimus suprà in tractatione ultimarum uoluntatum. Nam eadem in apponendis conditionibus obseruantur in stipulationibus, quæ in dispositionibus ultimarum uoluntatum.

Stipulationes certæ. Fit & alia diuisio stipulationum, uidelicet, quòd alię sint certę, alię incertę. Certę, quando ex ipsa pronunciatione uerborũ apparet, quid, quale, quantumcũq; sit quod promittitur, Vt, uini Rhenani optimi amphoras centum promitto. *Incertæ.* Incertę uerò, cũm id non apparet, ut cùm in genere frumentum promissum est, l. stipulationum quædam, cum sequenti. ff. eod. Et hic rursus erat dicendum, de interpretatione dubiorum, sed quia de ea suprà peculiari cap. egimus, uolumus inde peti, quæ hic denuo dicenda forent, nisi ibi explicassem. Redeo ad eos qui stipulari possunt. Nam postquam constat de qua Iuris forma agatur, proximum est, ut uideamus, quę personæ habeantur idoneę ad constituendum illud ius, reliquæ enim solennitates frustra obseruantur, si quid in persona constituentium desideretur. Obseruandum itaq; est, quòd si naturæ imbecillitas, aut ciuilis potestas non obstet alicui, quò minus contrahere possit, tum non modò per se ipsum, sed & per eos, per quos alioqui res acquirimus, stipulari nobis licet. iux. generalem titulum, per quas personas nobis obligatio acquiritur. Præterea possunt uel duo, uel plures fieri rei 9
stipulandi & promittendi, non solùm in hoc contractu, uerumetiam in reliquis omnibus contractibus, qui ex consensu nascuntur. Ac nouissimo quidẽ iure singuli in solidum tenentur, si hoc expresse actum est inter contrahentes. Nam si hoc nominatim non est expressum, quisque tenetur pro portione & quantitate rei promissæ, iuxta Authent. de duobus reis promittendi, & uolo hanc Iuris obseruationem in tractatione stipulationum tanquam in contractu, in quo frequentissimè plures principaliter obligantur, annotatam, sed generaliter eadem ad omnes alios contractus referenda est.

Porrò res quoq;, quæ in stipulationes deducuntur, tales esse oportet, ut alienari & in commercio hominum esse possint, nec hæreat in illis aliquid turpitudinis, sicut de pactis suprà diximus. Non autem uitiatur stipulatiò, si fortè in materia inter stipulantes erratum sit. ut si, quod aurum putabas, cũm esset æs, stipulatus es, tum quia in corpore erratum non est, tenetur promissor ad dandum quod promisit. l. si id. ff. eodem. Rem autem suam sibi dari, nemo 11
utiliter stipulatur. l. nemo. & l. scire debemus. §. si à fure. ff. eod. Neque acquirit obligationem, qui ædificium fieri stipulatur, nisi locum quoque assignet. l. qui insulam. ff. eod. Pœnæ quoque stipulatio inutilis est, si incertitudo eius uitiet principalem obligationem. l. ita stipulatus. ff. eod. Vt uerò stipulator & promissor uideantur inter se consensisse, necesse est, stipulationem fieri inter præsentes, & continuo actu. Præsentes autem habentur, 12
qui se inuicem exaudire possunt. l. i. ff. eod. Sed actus continuus est, qui nul 13
lo alieno actu intercipitur. Nam si promissor post interrogationem aliquid aliud agendum suscipiat, ac postea demum rediens respondeat, non oritur obligatio, quamuis eadem fortè die id fiat. l. continuus. ff. eod. Nec sufficit capite annuisse promissorem, sed requiritur, ut expressis uerbis, aut per interpretem planè se inuicem intelligant contrahentes. l. i. §. si quis ita. ff. eod. Verba 14
uerò per iocum adiecta, pro superuacuis habentur, nec impediunt obligationem. l. qui extrinsecus. ff. eod. Nec uitiatur stipulatio, si in appellatione rei erretur, modò de summa constet, sicut nec linguę diuersitas impedit consen- 15
sum stipulantium, si se inuicem intelligant. l. i. §. ultimo. ff. eod. Itaq; nec Synonymia uitiat stipulationẽ, ut si ensem stipuleris, ego gladium promittam. l. si sub una. ff. eod. πολυσημία & ἀμβιβολία uitiant stipulationẽ. l. inter stipulantẽ. §. si Stichum. ff. eod. necesse enim est, stipulantes omnino te intelligere. Itaq; obligatio nõ nascitur, si in arbitriũ promittentis confertur, quia de uoluntate promit-

promittentis non constat. l. stipulatio dum ualet. & l. centesimis. §. ult. ff. eod. Si tamen quis alternatiuè summas stipuletur, ualet stipulatio, etiamsi altera tantùm promittatur: idem admittitur in Copulatiua stipulatione, nam de pluribus rogatus, non est dubium, quòd teneatur ad id solum, quod promisit. Sed uidendum est in talibus stipulationibus, an res, de quibus quis rogatus est, sint eiusdem speciei, nam tum etiamsi una promittatur species, tamen quia & inter easdem species est electio, non uidetur consensisse, nisi expressum sit, quam dare uoluerit. l. inter stipulantem. §. si stipulante. ff. eod. Postremò
16 est & hoc in concipiendis stipulationibus obseruandum, ut per uerba futuri temporis fiant, per se namque manifestum est, quòd inde nulla oriatur obligatio, si dicam: quod do, promitto, aut quod das, promittis. In quibusdam tamen stipulationibus, ut in ædificijs, quibus promittitur, seruus frugi esse, & equus qui uenditur, gradarius, non calcitrosus, ualet stipulatio per uerba præsentis temporis concepta. l. si ita quis. ff. de euictionibus. Finis uerò quoque cuiusque stipulationis esse debet, ut quis sibi acquirat, quod sua interfit. Nam alteri non rectè stipulamur, nisi nostra quoque interfit, promissa illi præstari, sicut interest tutoris, ut pupilli res saluæ sint, l. stipulatio ista. §. alteri. & §. si stipulet. ff. eod.

17 Cæterùm principali obligationi ex stipulatione natæ nonnunquam adhibetur alia quædam maioris securitatis causa, ut fideiussor datur, qui in casum non præstitæ rei promissæ, principali in obligatione succedat, sed talis obligatio necessaria nō est, nec solis stipulationib. sed et alijs contractib. adhiberi potest, sicut paulò pòst audiemus. Itaque huc non debet referri fideiussoria obligatio, tanquam ad contrahendam stipulationem necessaria. Deinde neque hoc speciale est in stipulationibus sub cōditione, aut in diem conceptis, quòd non statim, sed existente conditione, & die solutionis ueniente committantur. Nam idem fit in reliquis omnibus conuentionib. in diem, aut sub conditione conceptis. Quare nemo existimet uerbo committendi peculiari
ex causa in epigraphe titulorum de stipulationibus Iustinianum esse usum.
18 Neque tollitur quidem uerborū obligatio alijs modis, quām reliquę obligati
ones, nisi fortè hoc quis uelit illi esse singulare, quòd cūm ea in solis uerbis
19 consistat, facilior sit eius translatio & dissolutio. Nam etiamsi plures sint rei debendi, tamen totam obligationem in se recipere unus potest, & uno ex illis soluente, omnes liberantur. iux. ea quæ traduntur in tit. de duobus reis stipulandi, quem nunc cum reliquis huc pertinentibus subijciam.

ff.

De uerborum obligationibus.

Cod.

1. De contrahenda & committenda stipulatione.
2. De inutilibus stipulationibus.
3. De duob. reis stipulandi & promittendi.

Instit.

1. De uerborum obligationibus.
2. De duobus reis stipulandi & promittendi.
3. De diuisione stipulationum.
4. De inutilibus stipulationibus.

Auth.

De duobus reis promittendi.

DE FIDEIVSSORIA Obligatione. Cap. XII.

SVMMARIVM.

1. Fide-

1. Fideiubere quid sit.
2. Differentia fideiussionis à reliquis obligationibus.
3. Quæ personæ possint fideiubere, & quæ non.
4. Pater semper tenetur de peculio filij qui pro alio fideiusit.
5. Fideiussor quis recusari possit.
6. Cauillosi & rixosi reñciuntur à fideiusione.
7. Fideiussor pro maleficio non potest intercedere.
8. Vadimonium pro reo facere.
9. Fideiussor obligari durius non potest, quàm reus principalis.
10. Plures fideiussores, an singuli teneantur.
11. Regulare esse, fideiussorem teneri in solidum.

PROTERAT huius obligationis tractatio differri in alium locum, tanquam ea, quæ per se nullibi existat, sed reliquis coniungatur, nisi ea ideò uiderem stipulationi proximè subiungenda, quia per stipulationem fiat. §. in stipulationibus. Institut. de fideiussoribus. Est autem fideiubere, alienam obligationem in suam recipere fidem, principali debitore manente nihilominus obligato. Nam in hoc differt à reliquis accessorijs obligationibus (quæ intercessione, aut expromissione, aut constitutione contrahuntur) quòd hæ in promissores transferant principalem obligationem, illa uerò eam relinquat. Fideiubere autem possunt, qui alioqui se obligare possunt. Miles uerò, item clerici, & fœminæ non obligantur fideiubentes, nisi renuncient suis priuilegijs. Auth. de sanctissimis episcopis, §. aliud. C. de locat. & conduct. & l. si mulier. ff. ad S. C. Velle. Seruus autem fideiubens non obligat dominũ ad soluendum de peculio eius, nisi in re peculiari, puta, si pro eo, quirem eius alteri dandam tenebat, factus sit fideiussor. l. licet. §. si filius. ff. de peculio. Pater uerò semper tenetur de peculio filij, qui pro alio fideiussit. iux. iam alegatam legem. Item si quis non habeat possessiones, & bona immobilia, ubi fideiubere uelit, non habetur idoneus fideiussor. gloss. circa. Auth. de exhibendis reis. §. sancimus. Potest quoque recusari fideiussor, qui de iure, uel facto in iudicio conueniri non possit. iux. Bald. circ. l. sententia. C. de fideiussorib. Cauillosi & rixosi reĳci quoque possunt, iux. Bart. cir. l. ĳ. ff. qui satis. cog. Item is qui molitur abitionem in alterius principis territorium. glos. circ. l. si ita stipulatus. §. possum. ff. de uerbo. obligat. Præter has autem exceptiones si quis oblatum fideiussorem accipere nolit, datur contra eum iniuriarum actio, tam illi à quo exigitur, quàm illi, qui ut fideiuberet conductus est. l. si uerò. §. qui pro rei. & ibi dd. ff. qui satisd. cogant. Ac si persona ad fideiubendũ producta, fuerit illi, qui eam accipere recusat, aliqua necessitudine coniuncta, tum quinquaginta aureis multatur. l. ĳ. ff. in ius uocati ut eant.

Siue autem principalis obligatio fuerit naturalis, siue ciuilis tantũm, uel utriusq; notæ simul, & ex quacunque causa orta, fideiussores illi adiungi poterunt. l. i. l. græcè. §. præterea. ff. de fideiussorib. Maleficiorum tamen fideiussor accipi non potest, nam flagitiosæ rei societas nullam uim habet. l. si à reo. §. illud. ff. de fideiussoribus. Itaque si plures furtum commiserint, non possunt inuicem fideiussores de re furtiua diuidenda dare, ita ut obligentur, sed in obligatione tamen, quæ ex delicto descendit, potest utiliter dari fideiussor, ut si quis fideiubeat pro pœna quadrupli, quæ iure communi à fure exigitur, tenetur promissor, quia magna ratio suadet pœnas hoc maleficio soluendas esse. l. si à reo. §. ultimo. ff. de fideiussoribus. Ad corporalem tamen pœnam iure Romano rapi fideiussor non potest, si reum criminis, pro quo uadimonium fecit, absque dolo suo in iudicio sistere non possit. gloss. circ. cap. cũm homo. xxiĳ. q. v. & Bartol. l. iiĳ. C. de custodia reorum. Nam si fideiussor reum criminis absque dolo suo non exhibet, pecunia mulctatur, si uerò

dolo

dolo eius factum est, quò minus sisti reus in iudicio posit, arbitrio iudicis punitur. l. si quis reum. ff. de exhibendis reis. & l. ij. C. ad Turpilianum. Porrò qui promittit se curaturum, ut alius præstet promissa, non obligatur tanquam fideiussor, nam alienum factum sicut nec stipulari, ita nec fideiubendo promitti potest. l. sicut reus. ff. de fideiussoribus. Quare is demum fideiussisse dici potest, qui sua fide esse iubet, quod ab alio dandum uel faciendum est, & id quidem aliquis uel purè, uel sub conditione promittere potest, ualet quę conditio apposita eatenus, quatenus in reliquis uoluntatum & contractuum dispositionibus ualet. l. si sub impossibili. ff. de fideiussoribus. Neque opus semper est, ut ipse fideiussor sua uoce testetur fideiubendi animum. iux. l. v. ff. de uerborum obligation. sed sufficit secundum Paulum de castro, ut testimonium fideiussionis extet in scriptis, argumento legis sciendum. ff. de
9 uerb. obligation. Et cùm fideiussor adhibeatur obligationibus, ut debitum principalis in suam fidem recipiat, nunquam in duriore est causa, quàm principalis fuit. l. græcè. §. illud. ff. de fideiussoribus. Nec enim fideiussor obligatur ad id, quod reum principalem non debere constat. l. fideiussor. ff. de fideiussoribus. Neque dubium est, liberari fideiussorem, si uel is, pro quo fideiusit, uel ipse promissum præstet, aut quoquo modo tollendarum obligationum data fides per illos redimatur, sed cùm plures ferè simul fideiubeant, quę
10 ri potest, num illis liceat ita inter se diuidere debitum diuisibile, ut quisque pro uirili parte tantùm teneatur, & ea soluta liberetur. Et est distinguendum, quòd aut omnes fideiussores sunt soluendo, & tum suam partem soluens liberatur, aut metuendum est, quòd quidam ex illis non sint soluendo, & non fit sine periculo talis diuisio & solutio. Nam regulare est, fideiussorem teneri in
11 solidum. l. cùm fideiubeat. ff. de fideiuss. Itaque si quis temerè soluat partem, quam ex diuisione obligationis fideiussoriæ se debere existimet, & postea unus ex fideiussoribus inueniatur non esse soluendo, cęteri non coguntur admittere, ut solutum in diuisionem conferat, sed illud tantùm cum eo diuidunt, quod in iudicio ab illis nomine fideiussorię obligationis exigitur. §. si plures. Instit. de fideiussoribus.

ff. & Cod.

De fideiussoribus.

Adijcitur in utroq; loco de mandatoribus, sed de illis commodius infrà de obligatione mandati. In Nouellis quoq; est titulus, de fideiussoribus, uerùm ibi non de obligatione fideiussoria agitur, sed quæritur, reus ne, an fideiussor prius sit conueniendus.

Instit.	In decret.
De fideiussoribus.	De fideiussoribus.

DE CONSTITVTI OB. ligatione. Cap. XIII.

SVMMARIVM.

1. Constitutum in omni debito fieri posse hodie.
2. Differentia inter fideiussionem & constitutionem.
3. Quæ personæ constituere possint.
4. Obligatio ex constituto alij non quæritur, nisi constituens uicem eius, cui promittimus solutionem, tanquam tutor aut administrator sustineat.
5. Quæ aptitudo in uerbis requiritur.
6. Constituere quid sit.

OLIM in ijs tantummodò reb. quæ numero, pondere & mensura consistunt, aliquem se debitorem pro alio constituere posse uoluerunt. Sed hodie in quacunque re debita id facere aliquis potest, iux. l. receptitia. C. de constit. pecun. Et quamuis perquàm similis sit hæc obligatio fideiussioni, tamen in hoc differt, quòd

is, qui se constituit debitorem pro alio, ita in se recipiat eius debitum, ut alter non maneat obligatus, sicut fit in fideiussione. Deinde constituitur quis debitor pro alio solo nudo pacto, nulla solennitate uerborum interrogandi & respondendi, sicut in stipulatione, requisita. Nam si quis per stipulationem constituat se debitorem pro alio, tum non constituti, sed stipulationis obligatione tenetur. §. de pecunia. Instit. de actionibus. In reliquis uerò omnibus personarum ac rerum & uerborum obseruationibus idem ferè Ius est in constituto, quod in aliis uerborum obligationib. Nam eædem personæ constituere possunt, quæ obligare se possunt, tantùm hoc accuratè obseruandũ est, ut uerba concipiantur in personas constituentium, nam si quis suo & aliorũ nomine constituat aliquid soluendum, cæteri non obligãtur, nisi consentiãt, & ipse solus tenetur in solidum, maximè si disiunctiuè facta est constitutio. Si enim copulatiuè facta est, tum reliquis recusantib. constituens tenetur pro portione. §. ultimo. Auth. ut cũm de appellatione cognoscetur. Proinde habetur in hac forma contrahendę obligationis regulare, quòd alij non quæratur obligatio ex constituto, nisi constituens uicem eius, cui promittimus solutionem, tanquam tutor aut administrator sustinęat. l. eum. §. item si mihi in sequentib. ff. de constituta pecunia. Neq; in reb. quas constituimus soluere, aliquid magis desideratur, quãm ut sint debitæ ex aliqua causa naturali uel Ciuili, propter quam aut potuerint peti, aut solutę retineri. l. ij. §. debitum. ff. de constituta pecun. Itaq; aliqua exceptione indebitum, si quis constituat, soluere non tenetur. l. iij. §. si quis. ff. de constituta pecunia. Nec in uerbis alia requiritur aptitudo, quàm ut idonea sint ad exprimendas uoluntates inuicem constituentium, & potest quis se constituere debitorem etiam absens per epistolam uel nuncium. l. qui autem. §. ultimo. ff. de constit. pecu. Per se autem liquere arbitror, quòd cum constituere sit alienum debitum recipere soluendum, hęc obligatio contrahatur, ut alius liberetur. Neq; ambigi potest hanc obligationem ijsdem modis solui, quib. cæterę, cũm tantùm sit quędam translatio obligationis. Nisi fortè quis hoc uelit esse in hoc schemate iuris singulare, quòd si appareat constitutum esse indebitum, constituens liberetur. Sed propter istam causam rectius dicitur non existere constituti obligatio, quàm dissolui. 3 4 5 6

T T. huc pertinentes tradunt etiam formam actionis. ff. & C. de constituta pecunia.

DE EXPROMISSIONE ET intercessione. Cap. XIIII.

SVMMARIVM.

1. Expromissor quis dicatur propriè.
2. Expromissio quò sit referenda.
3. Quomodo contrahantur expromissio & intercessio.
4. Intercessio quomodo fiat. 5. Quibus modis tolluntur.

Expromißio.

IT & expromissio & intercessio pro alijs, sicut fideiussio & constitutum, itaq; rectè de his post illas tanquam de cognatis obligationibus quæritur. Sed expromissor propriè is dicitur, qui pro non obligato se debitorem facit, iuxta gloss. circ. l. stipulatio alia. §. satis. ff. de uerb. obligationib. siue id uerbis, siue re, uel quocunq; alio contractu fiat. l. & primo. §. omnis. ff. ad S. C. Vell. Itaq; uideri alicui possit, quòd hęc non sit inter uerborum obligationes solũm referenda. Et ego quidem non aliam ob causam eius mentionem hoc loco feci, quàm ut formas obligationum, quib. pro alijs interuenimus, simul complecterer. Porrò contrahuntur hæ duæ obligationes, aut per stipulationem, aut simplicem sponsionem, & obseruantur eadem per omnia in his, quæ in pactis & stipulationibus obseruari indicauimus. Quomodo autem fiat intercessio per alios 1 2 3 4

alios contractus, partim ex illis, quę de obligationibus ex re natis diximus, partim ex illis, quæ porrò de cæteris contract. dicturi sumus, colligi facilè poterunt. Neq; aliis etiam modis tolluntur, quàm ijdem contractus, quibus fortè extiterunt, dissoluuntur. Locus autem harum obligationum ordinarius est in glo. cir. Aut. de fideiuss. & mand. §. infr. in explicatione uerbi fideiussorem.

DE POLLICITATIONIBUS & Votis. Caput XV.

SVMMARIVM.

1. Pollicitatio fit reipub. Votum Deo.
2. Fœminæ pollicita tenentur.
3. In malis promissis rescindenda est fides.
4. A turpib. promissis etiam iuramento firmatis recedendum.
5. Pollicitatio non ob iustam causam facta, non obligat.
6. Nuda pacta per se non gignunt obligationem.
7. Votum Deo factum quatenus obliget.
8. Iephthe uotum, uotum ἀνόμαλον.
9. Liberatio pollicitationum & uotorum quomodo fiat.

VIDENTVR & hæ duę formæ promittendi inter obligationes, quę ex uerbis oriuntur, ponendæ. Nam & hæ solis uerbis cõcipiuntur, sed differunt à reliquis uerborum pactionib. quòd solius offerentis promissione contrahuntur. l. pactum. ff. eod. Neq; dubium est, utriq; esse hoc commune, quòd solo offerentis promisso existant, sed differre inter se dici possunt, quòd Pollicitatio sit promissum, quod fiat Reipub. Votum uerò, quod fit Deo. libet etenim has formas promittendi, ita inuicem docendi gratia separare, quamuis in titulo ff. de pollicita. ita uideantur coniunctæ, ut non obscurum sit, Romanos promiscuè earum appellationib. esse usos. Quia uerò hæ pollicitationes magnam haberent pietatis cõmendationem, Imperatores constituerunt, ut non solũ masculi, sed & fœminę, si quid pollicitæ essent, tenerentur. l. toties. §. nõ tantũm. ff. de eod. Itaq; quisq; facilè cogitabit, quòd omnino sit licitum polliceri aliquid illis, qui alioqui obligari possunt. Neq; res polliceri prohibetur qualiscunq;, nisi talis sit, ut sine scelere, aut peccato præstari non possit. Nam in talibus locum habet Regula, qua dicitur, quòd in malis promissis rescindenda sit fides, & turpi uoto mutandum sit decretum, xxij. q. iij. c. in malis. & Imperator in Auth. scenicas, non solũm si fideiuss. præest, permittit esse liberum, ut à turpib. promissis etiam iuramento firmatis recedamus. Quid enim minus potest placere Deo, quàm peccando uelle religiosum uideri? Innuit autem glos. cir. l. i. ff. eod. quòd quamuis pollicitatio sit solius offerentis pactum, tamen & stipulationem posse interuenire, sed ut fiat pollicitatio, uidendum est, ut propter aliquam causam facta sit, qui enim sine causa aliquid polliceturr, nõ habetur obligatus. l. i. non sem. ff. eod. Itaq; Bart. cir. l. si unus. §. si pactus. ff. de pact. dicit, quòd ex sola pollicitatione non nascatur obligatio, nisi ea subiuncta sit alteri cuipiam contractui, sed ego arbitror ueteres ideo noluisse ex pollicitatione sine causa facta oriri obligationem, quia nolebant quenquam cogi, ut esset beneficus in remp. nisi deliberato animo ob iustã causam aliquid promisisse uideretur. Nã consulta uoluntas, non temeraria, meritò homines obligat, proinde quod Bart. in allegato loco de pollicitatio. dicit, appareret eum de nudis pactis uoluisse intelligi. Nã & hoc alioqui regulare habetur in pactis nudis, quod ipse de pollicitationib. ibi dicit, uidelicet quòd quãuis nuda pacta per se nõ gignant obligationẽ ad producendam actionẽ sufficientem, tamen alijs contractibus subiuncta talem uim habere censeantur, sicut suprã de pactis annotauimus. Causarum autem, propter quas pollicitationes fieri debent, exempla ponuntur in. l. propter. ff. eod. uidelicet incendium, ter

remotus, & ijs similia. An uerò ad hoc, ut uota nos obligent, requiratur, ea fieri propter causam, quæri potest, & respondeo, quòd cùm pietatis causa suscipiantur, satis uideri posse, si colendi Dei causa fiant. Sed quia cogitationib. humanis non potest colligi, quo cultu Deus gaudeat, iux. illud Iohan. iij. Deum nemo uidit unquam, unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis: uidendum est, ut uotum sit cultui Dei per Christum reuelato consentiens & ἀνάλογον. Nam omne quod non ex fide est, peccatum est, ad Rom. xiiij. Tale fuit uotum Iephthe Iudic. xi. qui cùm propter uictoriam Deo uouisset, quodcunq; ipsi domum redeunti primùm occurrisset, filiam quam habebat unicam sibi occurrentem Deo immolauit. Nam istud uotũ fuit ἀνόμαλον, quia scriptura testatur, Deum non delectari sacrificijs, sed magis misericordia & fide. Oseæ vi. & Math. xij. Itaq; ex talibus uotis non nascitur obligatio. Miserabilis, inquit D. Ambros. necessitas est, quæ soluitur homicidio. Et melius est non uouere, quàm uouere id, quod sibi is, cui promittitur, nolit exoluí, xxij. q. iiij. c. unusquisq;. Soluuntur autem uota ritè facta præstatione earum rerum, quæ promissæ sunt: aut si qua obstet accusabilis necessitas, dispensatione eorum, qui præsunt ecclesijs, commutantur, & aliarùm rerum, quàm quę promissæ sunt, præstatione redimuntur, Iux. Canonistas cir. tit. Iuris Cano. quos iam annotabimus. Líberamur eodem modo & ab obligatione pollicitationum, nam ab illis qui præsunt reb. publicis pollicita possunt in solidum exigí, uel remittí, uel diminuí, ut pars tantùm eorum præstetur. l. ex pollicitatione. ff. eod. Sequitur index tt. ff. In decretalib. & sex. de pollicitationib. de uoto & uotí redempt. In decretis, xvij. Causa per omnes quæstiones.

DE LITERARVM OBLIGAtione. Caput XVI.

SVMMARIVM.

1. Quæ literæ & quando obligent.
2. Duæ species literarum quæ obligationem pariunt, enumerantur.
3. Differentia inter priuati hominis, & publicæ personæ chirographa.
4. Literæ quando sint efficaces.
5. Lex rebus non uerbis imponitur.
6. Literis fides derogatur duobus testibus.
7. Quæstio, an libri rationarij mercatorum & quando obligent.

NON exquibuslibet literis à contrahentibus ultro citroq; datis statim nascitur obligatio. Nam plerq; literę, testimonij, aut memoriæ gestæ rei gratia describuntur, ex quibus non obligatio, sed fides rerum gestarum existit. Verùm in hac obligatione agitur de literis, quæ per se gignunt obligationem, nullo contractu precedente aut interueniente. Nam si debet hæc obligatio à cæteris esse distincta, necesse est hic solum de illis literis queri, quæ obligationem sua ui pariunt, non quę negotijs aut contract. testimonij causa adhibentur, ut quia extant literæ Titij quibus fatetur se debere centum Caio, uidetur teneri Titius, & si nulla præter literas extet eius obligationis causa, aut probatio. Proinde in hac obligatione queritur, quando solæ literæ aliquem obligent ad dandum uel faciendũ aliquid, cùm causa debiti ignoretur, aut negetur. Porrò literarum, quę pariunt obligationem, duæ sunt species. Quædam enim sunt constitutiuę, quę testantur debitum esse contractum, & græcè tales literę uocantur συγγραφαί. Quædam sunt remissoriæ siue liberatorię, & dicuntur ἀποχαί, quæ testantur debitum esse solutum. Iam igitur ut solę literæ habeant uim obligandi, requiritur, ut aut ab ipso, contra quem proferuntur, aut à publica persona scriptæ sint. Nam priuatí hominis chirographo facilè creditur, si quidem contineat, quod scriptorem grauet. Secus si pro commodo eius aliquid scri-

quid ſcriptum appareat, aut eius manu non ſcriptum eſſe conſtet .l. fideiuſſor. §. pater Seij .ff. de pignorib. Publicæ autem perſonę chirographo ideo creditur, quia eius fides publica autoritate ſuffulta uidetur. C. de contrah. &
4 commit. ſtipu. l. optimam. & de probat. l. cum precib. Deinde ut literæ ſint efficaces ad gignendam obligationem, neceſſe eſt, ut contineant res, quæ honeſtati, legib. & conſuetudini non repugnent. l. fina. C. de Canone largitio. tit. lib. x. De uerborum autem forma & delectu quibus literæ obligatoriæ concipiantur, non poteſt ualde diſceptari. Nam regula eſt in C. Com-
5 munia de legat. l. iij. Quòd rebus, non uerbis, lex imponatur. Sufficit igitur literas talibus uerbis eſſe conceptas, ut inde certa obligatio colligi poſsit. Cur autẽ dentur literæ, per ſe manifeſtum puto, Nimirum, ut ſi res in diſceptationem ueniat, literæ poſsint iudicantium animos inſtruere. Cęterũm poſſunt & literis adhiberi teſtes, qui ſubſcribant, iuxta ea quæ de teſtibus generaliter in contractibus adhibendis annotauimus ſuprà de mutuo. Sed hoc
6 in tollenda literarum obligatione ſingulare eſt, quòd illis derogetur fides contraria depoſitione duorum teſtium omni exceptione maiorum, iux. DD. in l. ad teſtium. ff. de teſtamentis. Abbas cir. cap. cum à nobis, extrã de teſtibus. Item licet omnium literarum obligatio diſſoluatur, ſi datæ ſint, quibus priores reuocentur, tamen literæ, quæ inuicem à contrahentibus dantur, nõ poſſunt reuocari, niſi promiſſum ſolutum ſit, aut is cui datæ ſunt, ultro patiatur eas reuocari, iuxa Sali. cir. l. comparationis. ff. de fide inſtrumentorũ. Prę ter has autem obſeruationes obligatio literarum diſſoluitur ijſdem modis, quibus cæteræ obligationes.

AD PRAECEDENTEM THESIM SEquitur Hypotheſis, de libellis rationarijs Mercatorum.

7 INCIDIT in hanc θεσιν quæſtio, uidelicet, An literæ, & libelli rationarij mercatorum pariant obligationem, quam præterire non poſſum, quamuis enim in compendio tantũm theſes doctrinę iuris declarari debeant, tamen quia hęc hypotheſis tam eſt in hac forma obligationum frequens, ut propter eam ſolam de literarum obligatione quæri uideatur, non poſſum omittere, quin obiter eam theſi adiungã. Eſt quidem in confeſſo inter dd. quòd mercatorũ συγγραφαὶ pariant obligationem, ſi diſpoſitiuè conceptę fuerint, hoc eſt, ſi contineant uerba obligatoria. Vt ſi quis per epiſtolam promittat alicui x. aureos ſe daturum ad Calendas Maij, tenetur ad præſtandum eos .l. Titius Seio. ff. de conſtituta pecunia. Sed ſi renunciatiuè, ſiue indicatiuè alicui per literas officij gratia quis ſignificet, pecuniam aut rem illi debitam apud ſe eſſe, tum iſtæ literæ non obligant eum ad præſtandam talem rem, ſed præbent tantùm argumentum depoſiti. l. publica. §. final. ff. depoſiti. Baldus in Annotationibus Rubricæ. C. de conſtituta pecunia. Præterea neq; in magna diſceptatione eſt, rationarios Codicillos mercatorum parere obligationem. Nam ueri mercatores gerunt quaſi publicum officium, iux. Bal. cir. l. quadam. §. nummularios. ff. de edendo. Itaque rationarijs eorum tanquam publicæ ſcripturæ ferè creditur, & in illis nihil ſine conſenſu contrahentium ſcriptum eſſe præſumitur, quia ita fieri ut plurimùm conſueuit, argumento l. ſi quis argentarijs. §. ratione .ff. de edendo. Verũm quando non in rationario, ſed in Enchiridio mercatoris aliquid memoriæ cauſa ſcriptum eſt, id non magis obligat, quàm ſi quis te abſente nuda uoce profiteatur, te illi centum debere. Nam ad inducendam obligationem, neceſſe eſt, utriuſq; partis conſenſum aut extare, aut ueriſimiliter præſumi. l. inter mortem .ff. de donatione cauſa mortis. Et uidetur quidem ſic de mercatorum rationarijs ſentiendum, licet Bart. cir. l. nuda ratio. ff. de donationibus, diuerſum contendere nitatur. Nullus autem eſt locus, præter eos, quos annotauimus, de materia huius obligationis, ordinarius, niſi in Conſtitutionibus: De literarum obligationibus.

Nam quæ passim de literis alioqui traduntur, ad fidem rerum, quam in probationibus habent, spectant.

DE OBLIGATIONIBVS ex consensu. Cap. XVII.

SVMMARIVM.

1. Consensus est finalis causa contractus.
2. Solum est exclusiua particula.
3. Literæ sunt signa uoluntatum & consensus.
4. Obligationes ex consensu quomodo differant à uerborum obligationibus.
5. Stricti iuris esse quid sit.
6. Nuptiæ & coniugium sunt contractus ex consensu.
7. Contractus ex consensu gignere actionem.

MIRARI quis possit, qui fiat, quòd hæ obligationes, tanquam separatæ à cæteris discernuntur, cùm omnis obligationis ex contractu natæ quasi finalis causa sit consensus, sed facilis est huius discriminis ratio, si quis hanc exclusiuã particulam adiecerit, uidelicet, quòd ex solo consensu nascantur. Nam quamuis etiam uerbis contrahantur, & literæ, aut etiam res nonnunquam interueniant, tamen propterea existere non dicuntur, quippe cùm illæ tanquam signa uoluntatum & consensus tantùm interueniant. Id quod uel inde liquere potest, quòd hę obligationes non in uerba, aut literas, sed in id, quod ex æquo & bono præstari conuenit, concipiantur, unde sic quoque discernuntur ã uerborum obligationibus, quòd illę sint stricti iuris, hoc est, ex quibus nihil amplius quàm id, in quod expresse conuentum sit, peti possit. Contractus uerò ex consensu existentes iudicentur ex æquo & bono, ita, ut non tantùm ipso, in quod conuentum sit, uerumetiam quod naturalis æquitas in tali contractu quenque dare aut facere moneat, præstetur. Deinde differunt hæ obligationes à reliquis in eo quoque, quòd in his utrinque oriatur obligatio, in illis ex sola altera parte contrahentium nascatur. Numerantur autem harum obligationum sex tantùm species, in l. consensu. ff. de actionibus & obligat.

Ex æquo & bono, id est sunt bonæ fidei.

	Emptio,	Venditio.
Videlicet,	Locatio,	Conductio.
	Mandatum,	Societas.

Sed his nos adijciemus Nuptias, siue coniugium, & possunt huius generis censeri multi alij contractus, maximè Innominati, nam & illi solo consensu contrahuntur. Sed hoc tamen interest, quòd talium contractuum obligationes non sunt firmæ ad gignendam actionem, donec res promissa ab altero contrahentium tradita fuerit, aut factum promissum præstetur. Idem dici potest de nudis pactis, nam & illa solo consensu contrahuntur, sed non habent uim gignendæ actionis, sicut contractus ex consensu, nisi uestita fuerint.

DE EMPTIONE ET Venditione. Cap. XVIII.

SVMMARIVM.

1. Permutatio uetus forma est distrahendarum rerum & commerciorum.
2. Emptio & permutatio quomodo differant.
3. Quæ sit essentialis differentia permutationis & uenditionis.
4. Inter quas personas contrahatur uenditio.
5. Quarum rerum emptio prohibita sit.
6. Emptio sacrarum rerum irrita.
7. Emptio rei furtiuæ.
8. Rei communis uenditio.

9. Fru-

9. Frumenti publici emptio prohibita.
10. Quid à uenditore requiratur.
11. Arbitrium precij in tertium aliquem conferri non posse.
12. Error in emptione uitiat contractum.
13. Erroris uarij differentiæ recensentur.
14. Error qualitatis quomodo spectandus.
15. Emptionis causa finalis est traditio rei uenditæ.
16. Venditio quibus modis probetur.
17. Arras testimonij gratia dari.
18. Pacta quædam emptionibus apponi solere.
19. Lex commissoria in emptione.
20. Perfecta uenditione commodum & periculum spectare ad emptorem.
21. Res degustata ab emptore est ipsius periculi.
22. Effundere res uenditas quando liceat.
23. De casu fortuito uenditorem non teneri.
24. Pactum etiam fortuito casui derogare.
25. Quid si res uendita euincatur.
26. De euictionibus in actionibus dicetur.
27. Omnes fructus rei uenditæ post perfectum contractũ ad emptorem pertinere.
28. De rescindenda uenditione.
29. Eodem genere quid dissolui, quo colligatur.
30. Precio soluto emptio infecta fieri nequit.
31. Pura emptio non tollitur conditionali secuta.
32. Arræ & fideiussorum datio accidentia sunt.
33. Vitio rei emptæ rescinditur nonnunquam uenditio.
34. Actio redhibitoria quo casu detur aduersus uenditorem.
35. Domus empta sub conditione.
36. Dolus & mala fides emptionem faciunt irritam.
37. Contrahentibus licere se inuicem circumuenire.
38. Negligens & supinus est, qui precium rei familiaris ignorat.
39. Temerarius est, qui rem ignotam nullo adhibito consultore emit.
40. Consuentio hominum imprudentiam & supinitatem excitans legibus toleratur, ut discant cautius mercari.
41. Deceptio ultra dimidium iusti precij legibus uindicatur.

QVID sit Emptio & Venditio notius ex communi usu esse arbitror, quàm ut opus sit aliqua declaratione. Conferendus tamen
1 est hic contractus cum permutatione. Nam permutatio uetus
2 est forma distrahendarum rerum & commerciorum. Differunt autem permutatio & uenditio in eo, quòd in contractu permutationis datur species pro specie. In Emptione uerò datur precium pro re, id quod distinctè accipiendum est. Nam si ita ab initio inter contrahentes conuentum est, ut uenditor det rem, & emptor pecuniam, non est uenditio, sed contractus innominatus, Do ut des. Contra naturam enim contractus emptionis & uenditionis est, ut uenditor obligetur ad rem dandam. l. fin. & ibi glos. ff. de condic. causa, data causa. & l. ex empto. ibiq; Bartolus. ff. de act. empt. & uend. Itaque ut constet Venditio, necesse est precij quantitatem pro-
3 mitti. Nam hæc est essentialis differentia permutationis & uenditionis, quòd uenditio solo consensu, permutatio traditione rei contrahitur. l. ex placito.
4 C. de rerum permutatione. Porrò contrahitur uenditio inter eas personas, quibus alioqui concessum est res suas alienare, uel sese alijs obstringere. Peculiariter prohibita est uenditio illis, qui in aliqua administratione sunt rerũ alienarũ. l. si in emptione. §. ult. ff. de contra. empt. & de iure fisci. l. auferẽ. §.
5 quòd. Rerũ uerò uendendarum necesse est eam esse conditionẽ, ut natura, ll.

moresq; patiantur esse in commercio hominum. Irrita nanque habetur emptio rei, quę non potest haberi in patrimonio nostro, ut sunt res sacræ, & religiosæ. l. æde sacra. & l. si in emptione. §. omnium. ff. de contrah. empt. Valet tamen emptio rei furtiuæ, si ignoranter est facta. l. si in emptione. §. Item si emptor. ff. de contrah. empt. Si uerò quis sciens amat aut uendat rem alienam, uel furtiuam, tenetur furti. l. rem alienam. ff. de contrah. empt. Suæ uerò rei emptio non ualet. l. si debitor. ff. de contrahenda empt. Si uerò quis uendat rem, quam habet cum alio communem, tenet uenditio pro ea parte, quę illi competit ex diuisione rei communis. l. sed si communis. ff. de contrah. empt. Præterea legibus Romanis non licet priuato emere pũrpuram, aut sericum. Item prohibitum est emere publici canonis, aut quod exercitui mittitur, frumentum. C. quæ res uendi non possunt. Nec licet Imperij Romani hostibus uendere arma, aut cuiusque generis tela. C. quo res exporta. non debeant. Item prohibitum est diruere ædes, & particulatim distrahere eas, negotiationis aut alterius cuiuscunque quæstus causa. l. Seruatus. ff. de contrah. empt. Venduntur autem res non modò corporales, sed etiam incorporales, ut sunt actiones, hęreditates, seruitutes, C. de hęredi. & acti. uend. 6 7 8 9

Requiritur à uenditore, ut demonstratiuè, uel comprehensiuè speciem rei uendendæ indicet. Demonstratiuè, ut istum taurũ, aut fundum tibi uendo. Comprehensiuè, Vt si quis cum quopiam ita contrahat: mille tegulas x aureis tibi uendo. Quamuis enim ad oculum non appareat, quę sint istæ tegulę, tamen intellectu colligitur earum species. l. conuenit. ff. de contrahen. empt. & uend. Nonnunquã tamen & species uenditur. l. nec emptio. ff. de contra. empt. Item exigitur ab uenditore, ut precium certa summa pecuniæ, & non aliarũ rerum speciebus constituat. Nam empti ac uenditi fides sine quantitate nulla est. l. empti. C. de contra. empt. Exprimitur autem quantitas precij uel uerbis uel rebus ipsis. Verbis, ut xx. dabo. Rebus, ut quanti uicinus meus emerit modium frumenti hoc anno, eodem precio tibi dabo. l. hęc uenditio. §. huiusmodi. ff. de contrah. empt. Si tamen precium in alicuius ex contrahentibus uoluntatem conferatur, ut: dabis quantum uoles, aut quantum ego uoluero, nulla existit obligatio. l. in uenditis. C. de contrah. empt. Nec ualet uenditio, in qua precium in arbitrium tertij collatum est, nisi nominatim designatus fuerit, nec recusset suum arbitrium in constituendo precio interponere. l. si merces. ff. locati. Ideo autem precij constituendi arbitrium nõ potest in alterius uoluntatem conferri, quia necesse est, cõtrahentes omnino consentire in uenditione, modò enim consensum sit, non refert pecuniam statim numerari. 10 11

Potest autem uariẽ errari à contrahentibus, quò minus coisse uoluntatem eorum dici possit. Nam sæpe aut in corpore, aut nomine, aut substantia siue materia, aut qualitate rei, aut quantitate precij erratur. Vt si ego me existimẽ fundum Cornelianum emere, tu mihi uendere Sempronianum putasti, nulla est, quia in corpore dissensimus. Sed si nomine tantũm dissentiamus, uerũ de corpore constet, Vt si tu electrum, glessum, ego succinum uocem, nulla dubitatio est, quin ualeat emptio & uenditio. Nihil enim facit error nominis, cũm de corpore cõstat. l. in uenditionibus. ff. de contra. empt. Sed quid si in corpore nõ erretur, sed in substantia, siue materia rerũ, Vt si stannum pro argento ueneat? Marcellus sentit uenditionẽ esse quia in corpus consensum sit. Sed Vlpianus cõtendit, nullã esse uenditionem, quoties in materia erretur: quę sententia uerior esse uidetur, sed eam tamẽ ita moderat Vlp. in l. quod tamen. ff. cont. empt. Quòd si ambo errent, uenditor & emptor, in materia, eaq; sit facies rei, ut referat aliquo modo eam materiã, pro qua uenditur (ut puta, cũm inauratũ poculũ p auro uendit) tũ ualeat uenditio. Ita tamẽ, ut uenditor teneat ad interesse emptori, quanti eius interest, eũ non esse deceptũ. l. si steri lis. §. quãuis. ff. de act. emp. et uen. In errore qualitatis uidendũ est, an qualitas 12 13

spectet

spectet usum aut precium siue bonitatem rei. Nam si alius est usus rei, quàm emptor putarit, non ualet uenditio, ut si mihi uendas seruum fullonem, cùm cupiam pistorem habere, non stat uenditio, nisi mihi antea seruus ita fuerit notus, ut non uerisimile sit me ignorasse eius opificium. l. qui habeat. ff. de rebus dub. In qualitate autem precij nulla datur emptori recedendi à conuento facultas. Vt si quis emat pannum deterioren, quàm putarit, non auditur. l. in uenditionibus. §. ult. ff. de contrah. empt. Nonnunquam erratur in ipso contractu, ut cùm ego me putem uendere, tu autem existimes tibi donari, nulla oritur obligatio uenditionis. l. si ego. ff. de reb. creditis.

15 Finalis causa emptionis est, ut res uendita emptori tradatur, & tamen non impeditur obligatio uenditionis, etiamsi res tradita non fuerit. l. ex empto.
16 ff. de act. empt. & uend. & l. ex placito. C. de rerum permu. Possunt adhiberi uenditioni testes, fideiussores, atq; etiam literæ interuenire, sicut sup. in alijs
17 contractib. annotauimus. Item dantur arræ non ad constituendam emptionem, sed testimonij gratia: l. quod sæpe. ff. de contrah. empt. Nam ll. uolunt coërceri inconstantiam contrahentium datione arrarum. Itaq; uolunt emptorem etiam perdere arram, si ab emptione nulla legitima ex causa recedat. Si uerò uenditor recusat tradere rem uenditam, uolunt eum in duplum arræ condemnari iudicis officio. l. ex empt. ff. de act. empt. & uend. Solent & pacta
18 quædam apponi emptionibus, quorum quædam sunt planè extranea, ut si cõueniam cum emptore fundi, ut nõ faciat monumentum in eo, uel istum non alienet. l. ij. & l. initiò, & l. ult. C. de pact. inter empt. & uend. compo. Quę dam uidentur esse de substantia emptionis, puta quę agunt de minuendo, aut augendo precio, si cessat emptor precium numerare, aut uenditor rem tradere, de quibus in l. pacta conuenta. ff. de contrah. empt. Quædam dicuntur
19 esse de natura emptionis, ut sunt pacta de euictionibus. Fit & in emptione pactum legis commissoriæ, quo sic paciscitur, ut si emptor precium statuto tempore non soluat, res inempta, & non uendita habeatur. De hoc pacto uide l. ult. ff. de lege commiss. Et l. commissoriæ. C. de pact. inter empt. & uend.

Porrò postquam existit uenditio, uidendum est etiam, quatenus contrahentes ad pericula rei uenditæ obligentur. Nam persæpe accidit, ut res uendita non statim tradatur emptori. Itaq; euenire frequenter etiam solet, ut res
20 uendita casu uel culpa uenditoris deterior fiat. In hunc casum generalis traditur regula: Quòd perfecta uenditione omne commodum uel incommodũ rei uenditæ ad emptorem spectet. l. i. C. de pericul. & commo. rei uend. Sed propter uarios rerum euentus, uariè hęc regula castigatur. Nam cùm sub conditione contracta est emptio, tum ante conditionis euentum res perit uenditori. l. necessario. §. quod si pendente. ff. de pericul. & commod. rei uend. Idem Iuris est, si in genere, & non in specie siue indiuiduo aliquid uendatur. Vt si quis alicui uendat equum, nec eum corãm adducat, aut ita uerbis depingat, ut deprehendi cogitatione eius species in indiuiduo possit, nunc si pereat equus, quem uenditum uoluit, antequam emptori traderetur, uenditoris est periculum, argu. l. quod si neque, & l. lectos. ff. de peric. & commod. rei uend. Hoc tamen uerum est, cùm incertum de incerto debetur. Nam si incertum de certo debeatur (puta si uendiderim unum equum ex meis) tum si omnes mei equi pereant, uenditor liberatur à traditione rei, quæ sine eius culpa perijt. Ac proinde emptoris periculo & damno perijsse censetur, nec si solutum sit precium, id ab emptore repeti potest. Arg. l. ratione. §. incertæ. ff. ad l. Falcid. Secus si unus tantùm perijt equus de certis. Quandoque res uendita apud uenditorem perit, eo casu quo peritura erat apud emptorem, & liberatur debitor. l. cùm emptor. §. emptio. ff. de rescind. uend.
21 Videndum est & in hac materia, an rei uenditæ bonitas potuerit explorari degustatione. Nam in talibus rebus, periculum tum demum ad emptorem

ptorem pertinet, cùm res empta ab eo degustata est .l.i. ff. de periculo & commod. rei uend. Sed periculum spectat ad uenditorem, cùm res empta est, ut admetiatur. Nam isto casu incumbit illi custodia rei usque ad diem solutionis. Priusquam enim admetiatur, uenditio quasi sub conditione pendet. Sitamen 22
dies admetiendi ueniat, & emptor se subducat, ne ipsi admetiatur, licet uenditori etiam effundere res uenditas. l.i. §. sed &. & §. licet, & l. ij. ff. de pericul. & commod. rei uend.

Postremò si res uendita uel propter delictum uenditoris, per uiolentiam superioris publicetur, tum uenditor tenetur ad restituendum precium. l. si fundus. ff. locat. & conduct. Item si mora, culpa, aut dolo uenditoris res uendita pereat, periculum est uenditoris. l. custodiam. ff. de per. & commod. rei uendit. & l. si uendita. ff. de act. empt. & uend. De fortuito tamen casu non tene 23
tur uenditor. l. morte. C. de pericul. & commod. rei uend. Sunt autem hæc omnia uera & indubitata, nisi aliud inter contrahentes pactum sit. Nam pactum etiam fortuito casu derogat. l. si in uenditione. ff. de peric. & commod. 24
rei uendi. Sunt & ea, quæ hactenus diximus de periculis rerum uenditarum, accipienda de periculis, quæ eueniunt antequam res est tradita, nõ enim dubium est, custodiam rei traditæ pertinere ad emptorem, sed quid si res uendita 25
& tradita euincatur, ut si res furtiua uendita sit, & postea dominus eam in iudicio repetat ab emptore, & probet causam sui dominij? Respondeo, quòd si res uendita euincat ex causa, quę præcesit uenditionẽ, tum periculũ esse uenditoris, si emptor id denunciet uenditori, & eo præsente euincatur. l. i. C. de peric. & commod. rei uend. Si uerò euincitur res ex causa sequente uenditionem, periculum emptoris est, ut si seruus uenditus eripiatur seruituti, propterea quòd desertorem militiæ prodiderit, emptoris damno potestatem dominicam euadit. l. ulti. C. ex quibus causis ser. pro præmio libert. accip. sed de eui- 26
ctionibus plura in actionibus: nunc uidendum est, cui accedat commodum, si quod in re uendita eueniat, & regulariter quidem omnis fructus rei uendi 27
tæ post perfectum contractum, ad emptorem pertinet. l. fructus. ff. de actio. empt. & uend. Sed habent sua commoda quæque prędia. In urbanis prædijs pensio locationis cedit emptori, nisi nominatim aliud inter contrahentes conueníse proponatur. l. Iulianus. §. si fructibus. ff. de act. empt. & uend. Alioqui prędio urbano tantũm cedunt, quę perpetui, nõ temporalis usus causa parata sunt, ut sunt putei, canales, & quę inter ruta & cæsa haberi non possunt. l. non magis. & l. fundi. §. Item quod insula. & §. Labeo, & l. granaria. ff. de empt. & uend. Prædio uerò rustico nihil cedit, præter id quod in se tanquam partem continet. Neque enim instrumenta, ut sunt: uasa, torcularia, & id genus alia, rustico prædio cedunt, nisi specialiter conuentum sit. l. fund. i. & §. si ruta. & §. ulti. ff. de act. empt. & uend.

Postquam diximus quibus modis emptio & uenditio cõtrahatur, dicendum 28
nunc est, quibus modis rescindatur. Rescinditur autem hic contractus, utroque ex contrahentib. uolente, aut altero inuito. Vtroq; uolente dissoluitur sicut contrahitur, nimirũ ex diuerso consensu, nihil enim tam naturale est, quàm eodem genere quodq; dissolui, quo colligatũ est. l. nihil. ff. de reg. iur. 29
Ergo uel nudo pacto tollitur emptionis obligatio. l.i. C. quãdo liceat ab empti discẽ. Sed hoc nõ semper est contrahentib. integrum facere, nam re tradita, aut precio, uel eius parte soluta, nuda conuentione non dissoluitur, nisi res simul aut precium restituatur. Nõ enim potest fieri emptio infecta post preciũ 30
solutum, nisi istud reddat. l. ij. ff. de rescin. uend. Item dissoluitur emptio etiã alijs modis tollendarum obligationum, ut acceptilatione. l. ult. ff. de accep. & l. cũm emptor. ff. de rescin. uend. Sed ut rescindatur per posterius pactum emptio, requiritur, ut posterior conuentio non sit imbecillior, aut diuersa prorsus à precedente. Nam pura emptio nõ tollitur cõditionali sequuta, nec dissolui- 31
tur uen-

tur uenditio, si pupillus sine autoritate tutoris remittat obligationem uendi
tionis, quam antè cum autoritate tutoris acquisiuit. l. si id quod. ff. de rescin.
uend. Præterea nec si plures aliquid emerint, per unum dissolui uenditio po-
32 test. l. i. §. Nam quod Aristo. ff. de rescin. uen. Non autem arræ & fideiuslo-
rum datio impediunt rescissionem uenditionis, quia accidentia sunt: Itaque ea
rescissa, simul quoque tolluntur. l. emptio. ff. de rescind. uend. Nisi fortè arra
loco precij, sicut alicubi fit, ex consuetudine computetur. Nam tum non dis-
soluitur conuentione contraria, nisi arra restituatur, sicut suprà de precio di-
33 ximus. Inuito altero ex contrahentibus rescinditur uenditio, si intra sex men
ses utiles emptor tale aliquod uitium in re empta deprehendat, ut nullo mo-
34 do emturus fuisset, si compertum id antè habuisset. Nam isto casu emptori
datur aduersus uenditorẽ actio redhibitoria, qua cogitur rem uenditam reci
pere, & reddere, si quid precij eius rei nomine ab emptore solutum est. l. i. ff.
de ædil. edic. Item rescinditur uenditio emptore inuito, si pacto legis commis
soriæ res uendita fuerit, & ipse conditionem pacti non præstiterit. l. si fundus.
35 ff. de lege commissoria. Rescinditur & propter pactum adiectionis in diem,
ut si quis ita uendat domum: centum empta tibi domus sit, nisi quis intra ca-
lendas Ianuarias proximas meliorem conditionem obtulerit. l. i. ff. de in diem
adiectione. Quamuis talis dissolutio uideri possit non inuito altero ex con-
trahentibus fieri, quia in id ab initio consensum est, sicut alioqui cùm in ca-
sum aliquid pactum est de dissolutione eius, rescinditur. Cæterùm non
dicitur rescindi uenditio, cùm res uendita est, quam per leges non licet,
aut ab eo empta est, qui obligare se non potest. nam tales uenditiones ipso iu
36 re sunt nullæ, & rescindi non possunt dici. Sed quid si interuenerit dolus
emptoris uel uenditoris? Tritum est, Malæ fidei emptionem esse irritam. l. i.
37 C. de rescin. uend. Sed ex diametro pugnat cum hac regula l. in causa. §. pe-
nult. ff. de minoribus. Dicitur enim ibi quòd contrahentibus liceat se inui-
cem circumuenire. Itaque cùm nulla in ll. esse debeat ἀντινομία. C. de emend.
Cod. Ita distinguendũ est in dolo contrahentium, quòd si quis dolo inducat
aliquem, ut emat uel uendat, cùm id facturus citra eius persuasionem non e-
rat, tum ipso iure irrita est emptio. l. i. C. de rescind. uend. Si uerò quis ma-
ior uigintiquinq; annis pluris emat, uel minoris uendat, quàm oportuit,
38 non auditur. Nemo enim debet esse tam negligens & supinus, ut rei familia
39 ris, quam uenditurus est, precium ignoret, neq; tam temerarius, ut rem igno
tam nullo adhibito consultore emat. l. quisquis. de rescind. uend. & hoc ca-
su locum habet lex In causa. ff. de minoribus. Ne enim litium & querela-
40 rum nullus sit finis, toleranda uidetur ll. talis conuentio, quæ hominum im
prudentiam & supinitatem excitet, ut discant cautius mercari, sed rursum ne,
sicut fit, ista licentia circumueniendi daretur occasio improbitati intolera-
41 biliter quosuis decipiendi, hunc ll. constituunt modum, ut si quis decipiatur
ultra dimidium iusti precij, detur aduersus decipientem actio. l. si uoluntate.
ff. de rescind. uend. Hæc ferè sunt, quæ de uenditione in genere obseruan-
da sunt. Specialium exempla extant in titulis quos subijcio.

ff.

De contrahenda empt. & uend. — De lege Commissoria.
De in diem adiectione. — De pericul. & commod. rei uend.

Cod.

De contrah. uend. & empt. — Quæ res uendi non possunt.
De pact. inter empt. & uend. — De pericul. & commod. rei uend.
Quando liceat ab empt. disced. — De rescind. uend.

Instit.

De emptione & uenditione. — In Decret.
De emp. & uend.

DE LOCATIONE & Conductione. Cap. XIX.

SVMMARIVM.

1. Cognatio inter emptionem & conductionem quanta.
2. Differentia inter eaſdem quæ.
3. Seruitutes prædiorum locari non poſſe.
4. Conductores partiarij qui dicantur.
5. Locatio in prædijs quomodo fiat tacitè.
6. Conductor tenetur de dolo & lata culpa.
7. Locator tenetur uillam diſiectam reficere.
8. Locator conductori intereſſe tenetur.
9. Locator tenetur præſtare, ut conductor commodè in prædio habitare poſsit.
10. In operarum locatione quid attendendum.
11. Fullo ignorans quando teneatur.
12. Error in proprio facto non eſt probabilis.
13. Merces in locatione conſtituta quo tempore ſolui debeat.
14. In omnibus obligationibus illud ſpectandũ, quod actum eſt.
15. Locator an poſsit conductorem expellere antequàm tempus locationis tranſ-(actum ſit.

TANTA eſt inter emptionem & conductionem cognatio, ut in quibuſdam caſibus dubitari poſsit, utra appellatione rectius utamur in deſignando contractu: ut ſi cum aurifice conueni am, ut ex ſuo auro mihi annulum certi ponderis, certæq; formæ faciat, nulla mercede ſtatim inter nos conſtituta, ſed ego pollicitus tantum me daturum poſtea, quantum æquum uideatur, profectò dubitari poſsit, an emptio uel conductio inter nos contracta ſit, quanquam placet iure 1 conſultis, ut emptio potius quàm conductio dicatur, quia non tantũm opera aurificis conducta ſit, ſed & de rei traditione inter nos conuentum l. ij. §. adeo. ff. eod. Quare ea demum cõuentio dici poteſt locatio, qua de utenda re, uel perſonę opera, conuentum eſt, non qua aliquid dandum uel faciendum promittitur, nam talis conuentio, eſt contractus innominatus, Do ut des, uel Do ut facias. Itaque non eſt locatio, cùm de certa mercede non conuenit inter contrahentes, ut ſi quis cum ſocio paciſcatur, ut alternis annis fructus percipiant ex reb. quas habent communes, non ex locato, nec ex empto, ſed actione incerti agitur, ſi Socius neget annuos fructus relinquere. l. ſi conuenerit. ff. communi diuidundo. Aliàs autem in conſtituenda locatione iiſdem utimur Iuris regulis, quibus in uenditione. Nam eædem perſonæ poſſunt locare & conducere, quæ uendere aut emere, nec magna eſt differentia inter uenditionem & locationem, quantum ad res attinet. Nam eadem ferè quæ uendi, poſſunt & locari. Seruitutes tamen prædiorum locari non poſſunt, ſi- 3
cut uendi poſſunt. l. locare ſeruitutem. ff. eod. Perſonalis tamen ſeruitus rectè locatur. l. arboríb. §. ij. de uſufruct. & inſtit. de uſu & habitatione. §. minus, ſicut quotidie opera artificum conducitur. Et naſcitur hinc certa quæ- 2
dam differentia inter emptionem & conductionem. Nam in emptionis obligatione uenit traditio rei. In conductione uerò tantùm factum quoddam. Conducimus enim rem uel operam alienam certa mercede, aut locamus alijs noſtras res uel operam, ſed uendimus ipſas res, aut earũ uſum ita alienamus, ut niſi reddito precio repetere uſum rei non liceat.

Sed ſicut in uenditione, ita nec in locatione exiſtit obligatio, niſi inter contrahentes de mercede conſenſum uideatur. Id uerò fit aut expreſsis uerbis, aut tacitè. Expreſſe, ſi quis certa penſione conducat fundum, aut ita paciſcatur locator cum conductore, ut ſocietatis quaſi iure damnum & lucrum pariter habeant commune. l. ſi merces. §. conducto. & ſequentibus. ff. eod. Vnde & quidam conductores dicuntur partiarij, nimirum, qui ita conuenerunt 4
cum loca-

cum locatoribus, ut damna & lucra rei conductæ partiantur. Tacitè, cùm utraque pars impleto tempore conductionis tacet, ita ut sua taciturnitate uideantur conuentionem renouasse. l. Item quæritur. §. qui impleto. ff. eodem.

5 Vt si quis patiatur colonum finito tempore locationis in fundo uersari, uidetur de integro locasse eum, neque opus est uerbis, aut scriptura, sed nudo & tacito consensu conualescit talis contractus. l. quia certum. ff. eodem. Ac si quidem prædium conductum est rusticum, tum tacendo semper in annum locatum uidetur, quia usus eorum annuũ requirit spacium. Si uerò prædium est urbanum, non diutius locatum uidetur, quàm istud inhabitatum est tacito consensu locatoris, & ità quoque obligatur conductor ad mercedem locationis. l. idem quæritur. §. in urbanis. ff. eod. Fit autem omnis locatio & conductio, aut ut nobis in alienis, aùt ut alijs in nostris aliquid liceat facere. Sed hoc peculiare est huic contractui, ꝙ uel in certum tempus, uel sine prefinitione temporis, ita ut etiam hæredes conductoris in obligationem succedant, fieri potest. Atque hoc quidem fit pactis in contrahendo appositis. Nam in omnibus obligationibus propter priuatam affectionem licet contrahentibus aliquid inuicem sibi per pactum remittere, aut aliquid addere illis, quæ regulariter in obligationem cuiusque contractus alioqui ueniunt. l. paciſci. ff. de pactis. Itaque permittitur, ut ultrò citroꝙ inter locatorem & conductorem etiam pericula, ad quæ alioqui obligantur pactis, remoueantur, aut recipiantur ab illis, nam leges latę sunt, ut succurratur illis, qui nolentes, non qui ultrò & bona sua pace grauiorem conditionem iuris recipiunt.

6 Porrò regulariter in hoc contractu, uterque contrahentium tenetur, de dolo & lata culpa. Abest autem ille demum à culpa, qui omnia præstitit, quæ diligentissimus quisque obseruaturus erat. l. in iudicio. C. eodem. Quare si quis rusticum prædium conducat colendum, tenetur prospicere, ne intempestiua aut negligenti cultura, fundus deterior fiat, si tamen ex ui maiore, quam Græci θεραγίαν, intolerabile aliquod damnum adferatur fundo, ad illud non tenetur conductor. Sed si damnum fuerit modicum, cogitur conductor istud ferre, citra remissionem pensionis, de qua inter conductorem & locatorem conuentum est. Quia modicum lucrum illi non aufertur. Secus fit cum partiario conductore, nam ille quicquid accidit fundo, societatis quasi iure, lucrum &

7 damnum cum locatore partitur. l. si merces. §. cond. ff. eod. Ediuerso locator tenetur ad præstandum, ut conductor commodè frui prædio possit. Itaque si tempestatibus fortè disiecta est uilla, cogitur eam reficere, ut conductor cum iumentis & pecoribus tutus ab iniurijs cœli in ea uersari possit. Item tenetur

8 curare locator, ut cõductor in colendo fundo nõ impediat, uel ab ipso, uel ab alijs. Nã si impedit ab ipso, uel ijs, quos prohibere ne id faciãt, possit, tenet cõductori ad interesse, ne liberatur, etsi ex interuallo prestiterit fruẽdi fundi facultatẽ, si non prestitit cũ cõductoris interfuit. l. si fun. quẽ mi. ff. eo. Sed quid si prohibetur ab alio quopiam, qui sibi aliquo iure uendicet prædium? respondeo, uidendum esse an locator sciens uel nesciens alienum fundum locarit. Sciens tenetur conductori de dolo. l. in iudicio. C. eodem. Nesciens tenetur ad exonerationem mercedis pro rata, hoc est, pro ea parte temporis, quo frui non licuit. l. si tibi alienum, cum duabus sequen. ff. eo. Idem ius obligationis cauendorum damnorum seruatur in prædijs urbanis. Nam & talium conductor tenetur ad cauendum, ne suo dolo aut culpa minus commodum fiat ad ha-

9 bitandum, & locator tenetur præstare, ut conductor commodè habitare in prædio conducto possit. l. qui insulam. ff. eodem.

10 In locatione autem operarum, quia facile est fallere spem conductoris, non solũm negligentia, sed & imperitia, error, & sæuitia culpæ annumerantur. Nam si gemma includenda aut sculpenda artifici data frangitur ab eo, aut indoctè sculpitur, imperitia artificis culpæ annumeratur, & periculum ad i- *Locatio operarum.*

psum pertinet. l. Item quæritur. §. si gemma. ff. eodem. Aut si fullo alterius 11
pannum alij dederit, etiamsi ignorans id faciat, tamen tenetur, quia error in 12
proprio facto non est probabilis. l. item quæritur. §. si fullo. ff. eo. Et omnino nunquam liberatur culpa aut periculo, qui operam suam locauit, nisi omnia ea fecerit, quæ expectantur ā diligentissimo artifice. l. si merces. §. si columnam. ff. eodem. Quæri quoque in hac forma iuris solet, quo tempore con- 13
stituta merces in obligationem solutionis ueniat, non enim desunt exempla legum, quibus aliis probari uidetur, ut statim ab initio, aliis in medio, aliis in fine temporis locationis merces numeretur. Sed quia nihil in hunc casum definitum est legibus, rectē Azo iudicauit sequēdam esse l. semper in stipulationibus. ff. de reg. iur. quæ decernit in omnibus obligationibus illud es- 14
se spectandum, quod actum sit. Ac si id non appareat, seruandum esse morem regionis, qui si propter uarietatem sit dubius, eligendum esse id, quod minimum est, & exigendam mercedem tempore locationis transacto. Nam isto tempore omnia præstita uidentur à locatore, quæ in obligationem locationis uenerunt. Itaq; par est quoque, ut conductor præstet mercedem, propter quā locatio facta est. Cæterūm non dubium est, locatorem expellere conductorem ex prædio posse, si tempus locationis effluxerit, sed an idē illi etiam ante istud tempus liceat, quæri potest. Nam nisi aliud conuentum est, requirere 15
ius locationis uidetur, ut locator non prius exturbet conductorem, quām tempus locationis transierit. Il. uerò quibusdam ex causis permittunt locatori, ut conductorem ante istud tempus eijciat, uidelicet, si fortè prædium locatum uendiderit. l. emptorem. C. eod. Item si conductor prædium reddat incommodum ad habitandum, aut non satis diligenter colat. l. ædes. C. eo. Sed hoc licitum est, in conductore, cui prædium in certum tempus, non cui in perpetuum id locatum est, nam ille donec pendet promissam pensionem, non potest deijci prædio, quia ius in re habere censetur. ff. si ager uectigalis fuerit, per tot. tit. Ita uerò locatus ager magis in Emphyteusin datus, quām locatus dici potest. Quare omissis iam reliquis, quæ de locatione perpetua hic annecti possent, dicemus de emphyteusi, in qua sæpius ista usu ueniunt.

TITVLI uerò huc pertinentes, continent etiam modos agendi in hac forma Iuris.

ff.	Cod.
Locati & conducti.	De locatione & conductione.
Instit.	In Decret.
De locatione & conductione.	De locatione & conductione.

DE EMPHYTEVSI.

Caput XX.

SVMMARIVM.

1. Emphyteusis medius contractus est inter locationem & uenditionem.
2. In quo differant.
3. Emphyteusis quid dicatur.
4. Res Ecclesiasticæ mobiles in emphyteusin dari possunt.
5. Emphyteuta potest prouentus sua industria partos, alienare.
6. Emphyteuta cessans soluere canonem, id est, pensionem, intra triennium a-
7. Aequitas depositæ pensionis obseruanda. (mittit ius suum.
8. Quando obligatio emphyteuseos extinguatur.
9. Quo tempore cœperit Emphyteusis contractus haberi.

INTER locationem & uenditionem quasi medius quidam con- 1
tractus uidetur emphyteusis esse, nam hoc habet cum uenditione commune, quòd & in huius conuentione statim aliquid datur domino fundi, sicut in uenditione precium. Sed differunt, 2
quòd hoc contractu non sicut in uenditione transfertur dominium.

tum. A locatione autem differt, quia res ſoli tantùm in Emphyteuſin dantur,
3 cùm res etiam mobiles locentur. Eſt igitur emphyteuſis contractus, quo res ſoli annua penſione, in definitum, uel indefinitum tempus traduntur colendæ, ita utis, qui eas accepit, uſu, non autem dominio eas habeat, tanquam ſuas. Inditum enim eſt iſti contractui nomen emphyteuſis, quia cultura ſoli, nõ ipſum ſolum propter penſionem in eo conceditur, græcè nanq; ἐμφύτευσις dicitur inſitio. Itaque ex appellatione huius contractus ſatis apparet, quòd emphyteuta ius habeat arandi, ſerendi, plantandi, demetendiq; fundi, non autem alienandi.

Et poſſunt quidem in emphyteuſin dare & accipere ijdem, qui alioquí con
4 trahere obligationem põſſunt. Sed priuilegium quod conceſſum eſt eccleſiis, facit, ut res Eccleſiaſticæ etiam mobiles in emphyteuſin dari poſsint. Cùm aliàs regulariter tantùm immobiles hoc contractu obligentur. Auth. perpetua. C. de ſacroſanctis Eccleſijs. Conſenſu quoq; utriuſq; domini & emphyteutę exiſtit hic contractus; ſicut uenditio, ſed neceſſe eſt interuenire etiam ſcripturam, qua concipiatur contrahentium conuentio. In hoc enim contractu ll. neceſſariò requirunt literas, non ſicut in reliquis, teſtimonij tantùm cauſa, l. i. C. de iure Emphyteutico. Reliqua ferè habet cum reliquis contractibus, qui ex conſenſu oriuntur, communia, uidelicet, quòd poſsit contrahi purè, uel ſub conditione, adhibitis teſtibus uel non. Item quòd pactis liceat ius huius obligationis reſtringere, uel extendere, & tenentur quoq; ſibi inuicem cõtrahentes emphyteuſin de dolo, & lata culpa, ſicut in uenditione. Sed hoc amplius iuris conſequitur emphyteuticarius ex hoc contractu, quàm cõductor ex locato, quòd licet illi ius ſuum, quod ex hoc contractu in fundo emphyteuticario habet, & ἐμπονήματα, hoc eſt, prouentus, quos ſua induſtria in agro efficit, alteri donare, in pignus dare citra conſenſum domini directi. l. ff. de fundis patrimonialibus. Sed uendere illa ipſi non licet, niſi id prius domino denunciauerit, ut aut ipſe ea emat, aut alij uendi ea permittat. Nam poſt
5 quàm domino adhibitis teſtibus denunciauit emphyteuta, ſe uenditurum ius, & ἐμπονήματα ſua, tum ſi recuſet ea emere, aut per duos menſes ceſſat uoluntatem ſuam declarare, poteſt etiam inuito eo iſta uendere. Et cogitur dominus talem emptorem ad rerum emphyteuticarum poſſeſsionem admittere, & uiua uoce aut literis, ſiue coram magiſtro cenſuum, aut præſide poſteriorem emphyteuſin approbare, pro qua ſua confirmatione licet illi expetere ab emphyteutis quinquageſimam partem precij. l. ult. C. de iure Emphyteutico. Videndum uerò eſt Emphyteutæ, ut uendat perſonæ ad ſoluendum Canonem prioris Emphyteuſis idoneæ. Niſi enim hoc fecerit, prohibere dominus uenditionem poteſt. Itaque ne dolo agere uideatur, curandum eſt Emphyteutæ, ut ijs perſonis ſuam emphyteuſin uendat, quibus per ll. licet, nam deprehenſus ſecus quidem feciſſe, ius ſuum amittit. l. ult. C. de iure emphyteutico.
6 Præterea poteſt quoq; dominus eripere emphyteutæ fundum emphyteuticum, ſi intra triennium promiſſam penſionem non ſoluat, & hoc ſpacium temporis conſtitutum eſt, quando fundus prophanus in emphyteuſin datus eſt, nam quando fundus Eccleſiæ, tum intra biennium, non ſoluto Canone, Emphyteuta deijci poteſt. l. ij. C. de iure emphyteutico. & Authentica de nõ
7 alienandis uel permutandis rebus Eccleſiaſticis. §. ſcire. In ſolutione autem penſionis quoq; obſeruatur æquitas, ut ſi eam adhibitis teſtibus deponat ad dictam ſolutioni conſtitutum, & dominus accipere eam recuſet, ſoluiſſe iudicetur, iuxta ea, quæ ſuprà de modis tollendarum obligationum annotauimus.
8 Præter has autem cauſas, nulla eſt, propter quam hæc obligatio extingueretur, niſi res in emphyteuſin data penitus pereat. Nam manet obligatio penſioni ſoluendæ, donec aliqua particula rei emphyteuticæ reliqua eſt. l. i. C. de iur. emphyt. Et de extinctione huius obligationis rectius quæritur, cùm ea

in perpetuum, non in certum tempus constituta est, nam aduenìente tempore, in quod concepta est, magis nulla esse, quàm tolli dici potest. Cæterùm huius obligationis materia in unicum tit. C. de iure emphyt. redacta est. Nam temporibus Zenonis Imperatoris primùm pro peculiari forma contractus cœpit haberi emphyteusis. Antè enim comprehẽdebatur sub legatione locationis & conductionis. Itaq; nec uetera iura huius contractus faciunt mentionem, atque etiam dd. huius formæ materiam tractatui locationum adiiciunt, sicut & in Decretalibus ca. Potuit, quod præcipuè de emphyteusi ecclesiastica agit, sub titulo locationis & conductionis positum est. 9

Emphyteusis ecclesiastica.

DE SOCIETATE.

Caput XXI.

SVMMARIVM.

1. De tribus societatis speciebus.
2. Societas quæ dicatur.
3. De quibus contrahatur societas.
4. Omne pactum accipere legem ex conuentione.
5. Leonina societas quæ uocetur.
6. Societatem cum hæredibus socij iniri non posse.
7. Contrariorum eadem ratio.
8. In lucro esse quid dicatur.
9. Damnum culpa socij datum eidem imputari.
10. Ad iniurias obligari inuicem socios.
11. Damna fatalia socij non præstant.
12. Quibus modis soluatur societas, & eorundem modorum enumeratio.
13. Quæ bona ueniant post societatem diuidenda.
14. Scelerum fœdam esse communionem.
15. Societas omnium bonorum quousq; se extendat.
16. Quando unius alicuius rei aut negotij societas contracta est, tum id solum, quod ex ea re aut negotio quæsitum est, in obligationem collationis inter socios uenit, & non id, quod illis aliunde obtigit.

TRES numerantur societatis species, quarum alia dicitur Incidens, alia quasi societas, alia contractiua. Incidens est, cùm casu quodam, absque affectione societatis, duorum aut plurium res fit communis, sicut euenit in hæreditate delata, & in re pluribus legata, aut simul ã pluribus empta. l. ut sit. ff. pro socio. Et talis communio rerum impropriè uocatur societas, quia sine cõtractu societatis oritur. l. nam cùm. ff. pro socio. Talis ferè est & ea, quæ dicitur quasi societas. Nam eam sic uocant, quia tacito consensu existit, nulla societatis facta mentione. Sicut accidit, cùm duo commigrant in idem habitaculum. nam illi, si quid effusum deiectumue in prætereuntes fortè fuerit, tanquam ex societate tenentur ad farciendum damnum ex habitaculo datum. l. perceptione. ff. de his qui deiecer. uel effu. Contractiua uerò dicitur, qua duo pluresue res suas aut operam ita conferunt, ut spem lucri habeant communem, & periculum pariter sustineant. Et de hac cõuentione solùm in hoc schemate obligationis agitur. Nam ea demum conuentio dicitur societas, qua damni & lucri communio initur. l. si unus. ff. pro socio. Atque id uel solo consensu uel stipulatione, uel literis, uel nuncio interueniente inter eas personas, quæ obligari inuicem possunt, fieri posse certum est. l. iiij. ff. pro socio. 1 2

Et contrahitur quidem societas, aut de uniuersis uel singulis rebus, aut in certo tantùm negotio. l. v. ff. pro socio. Vtut autem contracta fuerit, nisi de damni & lucri communione in ea conueniatur, societas non dicitur. Porrò hęc communio pactionibus adiectis uariè remittitur & transfertur. l. penultim. C. pro socio. Cùm igitur unius ex contrahentibus industria talis esse appareat, 3

reat, ut sua opera plus conferre societati, quàm alius sua pecunia uideatur posse, licebit illis inter se pacisci, ut is solũm operam suam conferat, & extra periculum damni sit. l. si non fuerit, & l. uerum. ff. pro socio. Ac ualent quidem talia pacta non iure societatis (nam societatis ratio & natura exigit, ut lucrum & damnum socij habeant commune) sed pactionis: omne nanque pactum accipit legem ex conuentione. l. i. §. si conueniat. ff. depositi. Itaque ex conuentione pactionis obligatio nascitur, etiamsi legibus societatis ea pactio non sit comprehensa. Non tamen ualet pactum, quod ita cum societatis iure pugnat, ut omnem communionem tollat, Vt si quis ita cum quopiam paciscatur, ut ipse omne damnum, nullam aũt partem lucri ferat, non ualet pactum. Nam talem conuentionem societatis leges uocant leoninam societatem, haud dubiẽ alludentes ad fabulam Aesopi, qua Leo prædam, quam cum Asino & Vulpe nactus erat, sibi soli uendicasse dicitur, dilaniato asino, propterea, q̃ stolidus exegerat eam in æquas portiones diuidi. Proinde iniquam societatem leges uocant leoninam. l. si non fuerit. §. ult. ff. pro socio. Præterea in societate priuatorum non potest pacisci, ut mortuo uno ex socijs cum hæredibus eius maneat societas, quia hoc in præiudicium contrahentis fieret, si hæres fortè parum idoneus esset ad gerenda societatis negotia. l. nemo potest. ff. pro socio. Sed in societate publicorum uectigalium bene coire societas cum hæredibus sociorum potest. l. adeò. ff. pro so.

Postremõ est & hoc in pactionibus societatis obseruandum, quòd ubi in conuentione fiat mentio lucri, ibi tacitè quoque intelligatur conuentum esse de damno diuidendo. Contrariorum enim eadem esse debet ratio, argumento l. ult. §. final. ff. de legatis iij. In lucro autem esse dicitur, quod deducto damno reliquum manet, quare impossibile est in eadem societate simul damnum & lucrum esse. Et tamen ita possunt socij inter se pacisci, ut quisque certam quandam partem lucri & damni ex negotijs accepti ferat. l. Mutius. ff. pro socio. Quando autem de damno quæritur, uidendum est, an dolo uel culpa socij istud acceptum sit. Nam ubi id deprehenditur, solus sarcire damnum cogitur is, cuius dolo aut culpa istud datum apparet. l. non ob eam, & l. cum duobus. §. uenit. ff. pro soc. sed ne in culpa esse uideatur socius, sufficit talem diligentiam communibus rebus adhibuisse, qualem in suis rebus curandis adhibere solet: quia enim eligere potuit aliũ socium, de se potius queri, q̃ de socio debet, quòd talem sibi adiunxit. l. socius socio. ff. pro soc. Vbi uerò socij in pari dolo aut negligentia deprehenduntur, tum compensatione dissoluitur obligatio doli & culpę. l. si ambo. ff. de compensationibus. non autem admittitur compensatio, si unius tantũm dolo aut culpa damnum sentiatur in re communi. l. non ob eam, cum sequenti. ff. pro soc. Itaque non conceditur, ut is qui damnum dedit, in re communi suo dolo aut culpa, euadat allegatione suæ industriæ, qua antea eandem rem auxerit. Præter dolum autem & culpam, socij etiam obligantur inuicem ad iniurias, quas hominum uiolentia, aut fortuito casu patiuntur, Vt si quis mercium comparandarum gratia peregrè profectus à latronibus spolietur, aut uulneretur, tum socius pariter cum socio sustinere rerum ablatarum iacturam, & expensas quas in curando uulnere fecit, præstare cogitur. l. cum duobus. §. quidam Sagariam. ff. pro soc. Nam damna fatalia socij non coguntur præstare iuxta iam allegatam legem. §. damna. Item si unus ex socijs non patiatur socium uti re communi, eo usu, cuius causa comparata est, aut ipse ea abutatur contra societatis conuentionem, conueniri de iniuria potest. l. si fundus mihi. ff. pro soc. Et generaliter quicquid causa societatis in res quascunq; impensum est, ad illud soluendum socij simul tenentur. l. si fratres. §. penult. ff. pro soc.

Atq; hæc quidem requiruntur à socijs durante adhuc societate. Postquam autem ea soluta est, requiruntur etiam alia quædam à socijs in diuisione re-

Quib. modis soluitur societas.

rum. Priusquàm igitur ista enumeremus, quibus modis ea soluatur, indicabimus. Distrahitur autem societas, his ferè modis & causis, uidelicet renunciatione, morte sociorum, interitu rerum naturali uel ciuili, cessione bonorum, peremptione actionum. 12

Renunciatione.

Renunciationum autem alia est tempestiua, quæ fit iusta ex causa, aut necessitate cogente. Vt si quis reipubl. negotijs implicitus, uacare societati non possit, licet illi renunciare societatem. Alia est Intempestiua, quæ temerè & in fraudem socij fit, & ea non est licita. l. si conuenerit, cum duabus sequentibus. ff. pro socio.

Morte.

Morte uerò sociorum naturali soluitur societas, cùm unus ex illis extinguitur, etiamsi plures supersint, nisi de integro nouam societatem contraxerint. l. actione. §. morte. & l. planè. ff. pro socio. Ciuili autem morte socij, rumpitur societas, cùm capitis diminutione media uel maxima status socij mutatur.

Rei interitu.

Res autem naturaliter intereunt, cùm corpora earum pessum eunt. Ciuiliter, cùm conditio earum per consecrationem aut publicationem mutatur. l. uerum. §. ult. & l. actione. §. publicatione. ff. pro so.

Cessione bonorum.

Cessione uerò bonorum dirimi societas dicitur, cùm propter æs alienum aliquis ex socijs bonis cedere cogitur. l. iiij. ff. pro socio.

Peremptione actionum.

Peremptione autem actionis soluitur, si quod iure societatis alter alteri debeat, unus patiatur sibi per delegationem alij alium dare reum, qui pro debito ex societate sese obliget. Nam hoc casu non datur ius conueniendi socium debitorem, quia tacitè renunciasse societatis iuri uidetur, alio reo & debitore accepto. l. uerum. §. ult. & l. actione. ff. pro socio.

Cæterùm quia dissolutionem societatis sequitur diuisio rerum communium, non abs re quoque quæritur, quę res in obligationem diuisionis ueniant inter socios. Nam haud ferè accidit, ut socij in diuisione rerum non quærant certamina πλεονεκτημάτων. Gignit autem ipsa diuersitas conuentionum in societatibus distinctionem iuris. Nam si specialiter & expressis uerbis omnium bonorum societas contracta est, tum quaque ratione acquisitum in commune conferre ad diuisionem coguntur. l. iij. §. cùm specialiter. ff. pro soc. Ni si fortè id scelere acquisitum est. nam turpiter quæsita non ueniunt in obligationem collationis, quia scelerum fœda est communio. Itaque nec tenetur socius ad præstandum, si propter maleficium socius aliquam iacturam suarum rerum fecerit. l. cum duobus. §. ultim. iunctis sequentibus usque ad l. si id, quod. ff. pro socio. Ac si societatem uniuersarum fortunarum ita contraxerunt socij, ut quicquid erogaretur aut quæreretur, communis lucri aut impendij esset, tum ea quoque, quæ in honorem alterius liberorum erogata sunt, utrisque imputantur. l. si societatem uniuersarum. ff. pro socio. Sed si expressis uerbis conuentio societatis non fuerit distincta, sed simpliciter de rebus communiter habendis concepta, tum quamuis societas omnium bonorum contracta uideatur, tamen de illis tantùm socij consensisse iudicantur, quæ opera sua quisque illorum consequeretur. Quare si quid ex alia causa, ut ex donatione, aut hæreditate illis obuenit, illud non coguntur conferre. Idem obseruatur, cùm quæstus aut lucri societas contracta est. l. coire, cum sequentibus usque ad l. si conuenerit. ff. pro socio. Atque ita generalis Regula est, quòd, quando uniusalicuius rei aut negotij societas contracta est, tum id solum, quod ex ea re aut negotio quęsitum est, in obligationem collationis inter socios uenit, & nō id, quod illis aliunde obtigit. l. cum duob. §. duo erāt. ff. pro socio. Titulus continens materiam societatis eandem habet epigraphen in ff. & C. uidelicet, Pro socio. 13 14 15 16

DE NVPTIIS.

Caput XXII.

SVM-

SVMMARIVM.

1. Nuptiæ quid sint.
2. Contractus nuptiarum quando initiatur.
3. Sponsalia quid sint.
4. Quomodo contrahantur nuptiæ, & quando consumentur.
5. Quomodo contrahantur nuptiæ.
6. Duæ species sponsaliorum.
7. Qui possint contrahere sponsalia.
8. Aetas sponsaliorum contrahendorum definita non est.
9. Obligatio matrimonij contrahendi oritur ex sponsalibus.
10. Consensus nudus sufficit in matrimonialibus.
11. Consensus parentum an requiratur in contrahendis sponsalibus.
12. Matrimonia constituti iure poli, non iure fori.
13. Clandestinæ desponsationes sunt prohibitæ.
14. Clandestina sponsalia quæ dicantur.
15. Quare prohibeantur.
16. Sponsalia quo proposito fiant, uidelicet, ut matrimonium ea sequatur.
17. Conditiones sponsalibus adiectæ spectandæ.
18. Sponsalijs habitis quantum temporis detur ad matrimonium contrahen-
19. Biennio lapso sponsa puella nubere alteri potest. (dum.
20. Sponsalia quibus de causis soluantur.
21. Impotentia ex uiolenta causa.
22. Fornicatione solui sponsalia, Renunciatione, contraria dissensione.
23. Societas omnis contraria dissensione distrahitur.
24. Sine autoritate Episcopi sponsalia licitè non dirimuntur.
25. Ingressus religionis liberat à sponsalibus.
26. Qui possint contrahere matrimonium, uel non.
27. Impedimenta matrimoniorum recensentur.
28. Matrimonia inter coniunctos cur sint interdicta.
29. Arbor consanguinitatis & affinitatis demonstrat gradus personarum.
30. Affinitas quousque matrimonium impediat.
31. Duo fratres possunt duas ducere sorores in aliena familia.
32. Persona addita personæ per carnis copulam mutat genus, non gradum.
33. Affines post quartum gradum sicut cognati ad nuptias admittuntur.
34. Prohibitio matrimoniorum inter personas diuersæ religionis.
35. Matrimonium ui extortum non tenet, quemadmodum & flagicio quæsitum.
36. Matrimonia debent esse libera.
37. Impedimenta perpetua sunt incœstus, raptus.
38. Prohibitæ nuptiæ in politicis legibus recensentur.
39. In coniunctionibus non solùm id, quod licet, uerumetiam quod decet consi-
40. Nulla dignitas hodie nuptias impedit. (derandum est.
41. Exposita suscepta & educata non ducitur.
42. Polygamia Romanis legibus prohibita est.
43. Mulier nubens intra annum luctus iuxta leges infamis est, sed Canones eam li
44. Papa potest de nuptijs dispensare. (berant.
45. Frustra precibus impetratur, quod iure communi concessum est.
46. Nuptiæ de præsenti publicè contrahi debent.
47. Nuptiæ publicè debent pro concione renunciari.
48. Nuptiæ per proxenetam contrahi possunt.
49. Mutuus consensus sufficit.
50. In dubio ad communem intellectum uerborum & usum loquendi recurritur.
51. In dubio semper pro matrimonio iudicatur.
52. Solennitates matrimonij non sunt necessariæ.
53. Dos sine matrimonio non potest esse, secus è diuerso.
54. Contrahens cum concubina sua, requiritur ut instrumentis testetur matrimo-
nium, propter liberos.

55. Matrimonij contrahendi causæ duæ principales.
56. Peruerse facit, qui medias res, & non principales spectat.
57. Matrimonium consummatum esse, ubi consensum animorum sequitur corporum coniunctio.
58. Vnus è coniugibus altero repugnante addicere religioni se non potest.
59. Corporum fœditas aut lepra non segregant coniuges.
60. An uxor teneatur sequi maritum quocunque proficiscitur.
61. Pœnis nemo cogendus ad contrahendum matrimonium.
62. De diuortijs, & legitimis causis diuortij.
63. Propter hæresin an liceat separare matrimonia.
64. Impotentia coeundi an separet thorum.
65. Impotentia ex uiolenta causa.
66. Nefariarum nuptiarum pœna.
67. Capto ab hostibus coniuge an liceat alteri contrahere.
68. Exacto quinquennio licet contrahere.
69. Flagitia causas esse dissoluendi matrimonij.
70. Propter sçuitiam mariti an separari possit matrimonium.
71. Iudiciarius ordo seuerè non obseruatur in diuortio.
72. Testes ante litem contestatam non recipiantur.
73. Ob fornicationem diuortium quæri.
74. Canones tutius de matrimonijs dirimendis iudicant.
75. Concubinatus speciem coniugij habet.
76. Beneficium legitimationis conceditur ex concubina natis.

NVPTIAE sunt coniunctio maris & fœminæ, individuam uitæ consuetudinem continens. l. i. ff. de rit. nupt. & Institut. de patria potestate in princip. Cùm igitur & nuptijs contrahatur quædam societas uitæ, subiungere huius contractus epitomen illius contractui libuit. Quia uerò contractus nuptiarum, non statim ut conceptus est absoluitur, quidam hunc progressum in eo constituendo faciunt, ut dicant hunc initiari, cùm per uerba futuri temporis nuptiæ promittuntur, sicut fit in sponsalibus. Nam sponsalia sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum. l. i. ff. de sponsalibus. Quando uerò per uerba præsentis temporis nuptiæ promittuntur, tum dicunt eas contrahi, id quod fit consensu legitimo, ex quo statim nuptiæ existere iudicantur, etiam absque concubitu. l. nuptias. ff. de Regulis iuris. Consumari uerò dicuntur, cùm coniuncti onem animorum sequitur coniunctio corporum. Nos igitur in tractatione huius contractus, qui longissimè patet, dicemus ordine de singulis contrahendarum & absoluendarum modis, ut eorum obseruationem in tanta uarietate melius discernere discentes possint. Ac primùm dicemus quomodo contrahantur. Sunt autem sponsaliorum duæ quasi species, quarum alia nuda & simplex, alia firmata dicitur. Nuda est, cùm nulla interueniente arra, sponsus & sponsa inuicem se obligant ad contrahendum matrimonium. c. si inter. ext. de sponsalibus. Firmata uerò sponsalia dicunt, quando aliquid nomine arræ, aut pignoris loco, utrinque & altera tantùm à parte aliquid datum est, aut iuramentum interpositum. cap. si quis desponsauit. xxvij. quæstio. ij. & cap. de illis, cap. ueniens ad nos. & ext. de sponsalibus. Possunt autem contrahere sponsalia personæ, inter quas matrimonium existere potest. l. oratio. ff. de sponsalibus. Minoris tamen ætatis contrahere sponsalia possunt, quàm matrimonium. Nam quamuis regulariter in sponsalibus contrahendis, ætas contrahentium definita non sit, sicut in matrimonijs, tamen septem annos nati, ut contrahant sponsalia permittitur. l. in sponsal. ff. de sponsal. Minores uerò quàm septem annorum, si contrahant sponsalia, nihil egisse censentur, nisi ætate progressi rata habuerint sponsalia. xxx. quæstion. ij. capit. ubi non est, & ex. de sponsal. c. iuuenis. & de sponsi. impub. c. literas, & c. accessit.

Quando consumantur nuptiæ.

Nuda sponsalia quæ.

Firmata quæ

In

9 In sponsalibus autem non contrahuntur nuptiæ, sed obligatio ad cõtrahendum matrimonium oritur. Itaq; contrahuntur per uerba futurum consensum promittentia, c. si inter. §. uerũm. ext. de sponsalibus. Id uerò fit aut publicè, aut clam, & publicè, aut inter præsentes, uel absentes, uidelicet, per nũcium uel per literas. l. sufficit. cum seq. ff. de spons. xxx. q. v. c. nec illud. & xxxij. qu.
10 ij. c. honorantur. Neq; in sponsalib. necessaria est stipulatio, sed satis est nudũ
11 consensum interuenisse, quibuscunq; uerbis ille expressus sit. Si tamen contrahentes fuerint in potestate parentum, requiritur & illorum uoluntas, secũdum ll. Rom. l. in sponsalibus. ff. de sponsalibus. Idem exigunt & ueterum Canon. xxx. q. v. c. nostrates. Eadem ratio iuris uidetur esse in tutorum consensu. arg. c. ij. xxx. q. ij. sed hæc communis est opinio, quòd secundum Canones, parentum consensus requiratur ratione honestatis, nõ autem necessitatis. Nã earum personarum consensum necessariò tantùm requirunt Canones, de quarum coniunctione agitur, xxvij. q. ij. c. sufficit. & xxxij. quæ. ij. c. ult. & ex. de spon. c. cùm locum. Itaq; etiamsi parentes consentiant, tamen nihil agitur, ni
12 si & contrahentium cõsensus interueniat. xxx. q. ij. c. ubi non est. Constituuntur autem matrimonia iure poli & non iure fori. iux. communem theoricã. Itaq; uidentur Canones etiam in requirenda uoluntate parentum sequendi. Aliquando sponsalia contrahuntur purè, aliquando sub conditione, sicut cæteri contractus ex consensu, & quæ præterea consensui adijciuntur, loco pi-
13 gnoris uel arræ, accidentalia sunt. Hęc de pub. sponsalib. Clandestina despon satio adeò prohibita est, ut si ea manifestis indicijs probari non possit, publicè
14 facta sponsalia illi præferantur. c. aliter. xxx. q. v. Dicuntur autem sponsalia clãdestina, quę extra præsentiã hominum, aut nullis adhibitis testib. facta sunt, ita
15 ut eorum probatio difficilis sit. c. ij. ex. de cland. desp. Nam ea potissima causa est, q; talia sponsalia prohibeantur, quia si contrahentium uoluntas, fortè ex aliqua occasione uel offensione mutetur, iudici non possit fieri fides, ad statuẽdũ ius inter eos, qui contracta sic sponsalia esse contendunt, unde postea quoque accidit, ut contra conscientiam uenire non possit, nec quietis animis alias nuptias contrahere possint. Bono itaq; & utili consilio clan. spon. prohibentẽ, ne pleriſq; dent occasionem faciendi contra conscientiam, & iudicis cognitio propter obscuritatem cõtractus impediatur. Et tamen illa quoq; tolerantur, si ex liquida & legitima probatione iudici de illis cõstet, & non aliud legitimũ impedimentum inter contrahentes esse uideatur. c. i. & ij. ext. de clan. despon.
16 Quamuis autem sponsalia hoc proposito fiant, ut matrimonium ea sequatur, tamen cogi contrahentes ad id non possunt, nisi iuramentum interpositũ sit. c. ex literis. ex. de sponsalib. Ac neq; hoc fieri potest, nisi purè contracta fuerint, nam in conditionalibus sponsalibus obligatio matrimonij cõtrahendi manet suspensa, donec extet conditio, nisi fortè conditionalem consensum sponsaliorum concubitus, aut consensus per uerba præsentis temporis secutus sit. Isto nanq; consensu cessum à Conditionali uidetur, sicut in alijs obligat. c. de illis, & c. super eum. & c. per tua. ext. de condi. appo. in desponsa. In
17 ipsa qualitate conditionum hæc spectantur, ut si conditio spons. apposita pugnet cum matrimoniorum iure, tota dispositio sponsaliorum pro nulla habeatur, ut si quis promittat mulieri, se ducturum illam, si fœtum conceptum extinguat ueneno. Non autem uitiat sponsalia conditio inhonesta, aut impossibilis, si matrimonij legib. non aduersetur. iux. c. ult. & ibi glo. quæ copiosè hæc
18 de condit. explicat. ext. de conditi. appo. Quia uerò de illis potiſſ. sponsalibus nunc loquimur, quæ in futurum matrimonij consensum fiant, quæri potest, quo curriculo temporis consensus matrimonij post contracta sponsalia utrinque expectari ll. & Canones iubeãt. Fieri enim posset, ut cum periculo alterius ex contrahentib. differrentur nuptiæ, si cuiuis in futurum quandiu libitũ esset, subtrahere se liceret. Quare hæc in duratione obligationis ex sponsalib. circa temporum spacia obseruanẽ, ut si tempus in ipso contractu sponsaliorũ

apposítum

appoſitum effluxerit, impunè liceat aliàs nuptias quærere. At ſi tempus non 19
eſt adiectum, & nulla grauior cauſa interueniat, cur ſponſalia trahenda uideantur, & ſponſus in eadem, qua ſponſa, degat prouincia, tum ſi puella nolit ſua uota diutius eludi, poterit elapſo biennio cui uolet nubere. l. ij. de ſponſalibus. In alia prouincia agentem ſponſum ll. in triennium uolunt expectari. l. liberum. C. de repudijs, uerùm hæc ipſa temporum ſpacia poterunt Iudicis arbitrio prorogari, ſi iuſta & neceſſaria aliqua cauſa iſtud fieri ſuadeat. l. pen. ff. de ſponſ. Præterea datur repudiandi alteri ex ſponſis facultas, ſi alterum ex 20
illis moribus aliquis (ut eſt lepra) ante contractas nuptias reddat ad procreandam ſobolem inutilem, id quod & obſeruatur, cùm ex uiolenta aliqua cauſa 21
idem eueniat. c. quemad. ext. de iureiu. Soluuntur ſponſalia & propter forni- 22
cationem. c. fin. ext. de coniugio leproſorum, maximè uerò propter fornicationem, quæ commiſſa eſt à ſponſo uel ſponſa cum cognatis eorum. c. ueniens. ext. de eo qui cog. conſang. uxo. ſu. Soluuntur & ſola renunciatione, ſi contracta fuerint à pupil. c. de illis. & c. à nobis. ext. de deſponſ. imp. Rectius autem 23
diſſolui nullo modo uidentur, quàm contraria diſſenſione, ſicut ſocietas alioqui diſtrahitur omnis. l. utrum. §. pen. ff. pro ſo. Sunt & aliæ cauſæ, propter quas ſponſaliorum obligatio tollitur, ut eſt cognationis ignotæ diuulgatio, & flagitioſe contrahendarum nuptiarum quæſita oportunitas, ſed propter illas ipſas cauſas matrimonium etiam contractum dirimitur, itaq; magis uolumus eas inde tanquam à maiore ad minus referri, quàm diligentes in annotandis illis hic uideri. Hoc uerò adijcimus numeratis modis diſſoluendorum ſponſa- 24
liorum, quòd illis omnibus, quas recenſuimus, cauſis, neceſſe ſit accedere autoritatem Epiſc. qui eas abſoluat. arg. c. acceſsit, & c. de illis. §. ſi uerò alteruter. & c. duo pueri in fin. ext. de deſpon. imp. Propter religionem tamen Ca- 25
nones liberari uolunt eum, qui ſe illi addixit, ab obligatione ſponſalium etiam ſine autoritate epiſc. c. commiſſum. ext. de ſponſal. Hoſtienſis contendit ſponſalia ipſo quoq; iure diſſolui citra autoritatem iudicis, per poſterius matrimonium per uerba præſentis temporis contractum. iux. c. ueniens. ext. de ſpõ ſal. Sed in eo ipſo c. requiritur cognitio eccl. Atq; eſt quidem per ſe ſatis manifeſtum, quòd cùm nemo ſibijpſi ius dicere debeat, l. nullus. C. de Iudeis & cœlicol. requirit ut autoritate publica diſſoluantur ſponſalia, niſi fortè cauſa, propter quam ea diſſolui cupimus, tam ſit notoria, ut nulla indigeat cognitione aut probatione, ſicut poteſt eſſe fornicatio. Sed de cognitione cauſarum dirimendi futuri matrimonij etiam inf. de diuortijs. Iam de contrahendo matrimonio per uerba præſentis temporis.

Ac poſſunt quidem matrimonium de præſenti contrahere puberes, hoc 26
eſt, qui eo ſunt habitu corporis, ut procreare ſobolem poſſe uideantur. Nam in contrahendis matrimonijs pubertas non ex annorum numero, ſicut in finitione tutelæ, ſed ex diſpoſitione corporum æſtimatur. iuxta Can. ext. de deſpon. impu. c. puberes. Deinde requiritur talis quoq; in contrahentibus mentis ualetudo, ut conſentire queant. Furioſus enim, qui nulla habet interualla furoris, contrahere matrimonium non poteſt. xxxij. qu. vij. c. neq; furioſus. Mutus tamen & Surdus matrimonium contrahere poſſunt, quia non uerbis tantùm, ſed & nutu atq; ſignis ſenſa mentis exprimuntur. c. Cùm apud. & cap. tuæ. ext. de ſponſalibus. Sicut autem impubes propter ætatis infirmitatem, ita nec illi, qui frigiditate naturæ, aut incantamentis redditi ſunt impotentes, non admittuntur ad contrahendum matrimonium. ca. ad ſedem. ext de frigidis & malefi. Atq; hæc quidem impedimenta matrimoniorum contrahendo 27
rum hærent in ipſa natura. Sunt & alia, quæ ex ordinatione eccleſiaſtica aut
Impedimenta eccleſiaſtica matrimonij. politica exiſtunt. Eccleſiaſtica, ut eſt uotum. c. i. ext. de uotis in vi. & per totum ti. qui Clerici, & uouentes matrimonium contrahere poſſunt. Item cognatio ſpiritualis, cuius tres Canoniſtæ faciunt ſpecies:

1. Pater-

1. Paternitatem. 2. Fraternitatem. 3. Compaternitatem.

Sed non uideo cauſam, cur matrimonia impediri debeant ratione officiorum, quibus alter alterum in amplectenda fide Chriſtiana adiuuat, nam ſi uotum aut oratio, quam quis pro alterius ſalute facit, ſatis cauſæ eſt, impediendi matrimonij, pariter uariè inter ſe prohibebuntur Chriſtiani ducere uxores, cùm inuicem iſta officia præſtare quotidie orando cogantur. Valeat igitur ſua autoritate quantum poſſit talis ordinatio, ego diſcentes ad tit. decretalium de
28 cognatione ſpirituali remitto, & nunc de cognatione ſanguinis dicam, in ea nanque plus eſt cauſæ matrimoniorum impediendorum. Per ſe enim fœdum eſt neceſsitudinum humanarum nullam eſſe in concubitu uerecundiam. Refert Plinius equum petijſſe prærupta, & exanimatum eſſe, cùm detracto operimento oculorum ſe cum matre coijſſe uideret, unde ſatis apparet, naturam tacito quodam ſenſu deteſtari promiſcuam libidinem. Quamuis igitur initio mundi propter hominum paucitatem coacti ſunt inuicem cognati inter ſe contrahere matrimonia, tamen ſtatim poſtq; ſublata eſt illa neceſsitas, diuina uoce interdictum eſt, ne porrò commiſcerentur ſanguinis fœdere iuncti, Leui. xviij. & D. Aug. de ciui. Dei li. xv. cap. xvi. pulcherrimam reddit rationem, quare perſonarum copulatio in pluribus gradibus cognationum prohiberi debeat, uidelicet, quòd cùm maris & fœminæ coniunctio ſit quoddam ſeminarium charitatis, adeoq; ſocietatis in hac uita, prudenter & utiliter conſtituit, ut neceſsitudines, quæ ex nuptijs oriuntur, in multas familias ſpargantur. Quapropter iure naturali, Ciuili, & Canonico, inter eos, qui ſibi inuicē ſunt parentum & liberorum loco, in uniuerſum prohibitæ ſunt nuptiæ. c. in copulatione. xxxv. q. iij. Inter eas autem perſonas, quę ex tranſuerſo latere cognatæ ſunt, prohibentur nuptiæ uſq; ad quartum gr. Inſt. de nup. §. fratres &.
29 c. non debet. ext. de conſang. & affi. Quomodo autem computentur perſonarum gradus, facilius fuerit ex demonſtratione arboris, quàm uerbis declarare. Itaq; diſcentes ad eam, & ca. ad ſedem. xxxv. remittimus. Naſcitur autem et inter conſanguineos coniugum cum ipſis coniugib. quædam neceſsitudo, quę dicitur affinitas, quaſi duarum cognationum fines coniungens. l. non facilē. §. affines. ff. de gra. af. Impedit uerò affinitas in contrahendis matrimonijs
30 tantùm eas perſonas, quæ nuptias contraxerunt. Conſanguinei enim mulieris tibi nuptę, tibi tantùm ſunt affines, & tui conſanguinei per affinitatem tantùm tuæ uxori iunguntur. Inde eſt, q̄ pater & filius per nuptias ſimul con-
31 iungi poſsint matri & filiæ, & duo fratres poſſunt duas ducere ſorores in alienā familia. Nam conſanguinei uiri & mulieris inter ſe non coniungunt uinculo affinitatis. C. quod ſup. ex. de conſ. & aff. Iunguntur coniugib. utriuſq; cognati, eo gradu, quo utriq; per cognationem naturalem iuncti ſunt, ut frater uxoris cenſetur marito primo gr. iunctus ſicut ſorori. Hinc natum eſt uri-
32 tum illud, q̄ perſona addita perſonæ per carnis copulam mutet genus, ſed nō gradum. Nam cùm coniuges tranſeūt ad aliarum familiarum cognationes, nouam quandam cognationem ſibi aſciſcunt, ſed nullum gr. in ea conſtituunt. eo nanq; gradu, quo ante nuptias ſibi iunctos habuerunt cognatos, eadē illis
33 iungitur perſona, per nuptias illis copulata, unde quoq; affines poſt quartum gradum ſicut cognati ad nuptias admittuntur. ca. non deb. ex. de conſ. & affi. Contrahitur affinitas etiam per illicitum coitum. xxxv. q. iij. c. de incœſt. Pro
34 hibetur & conſtitutione eccl. contrahi matrimonium inter perſonas, quę ſunt
35 diuerſæ religionis, ut ſunt Iudæi & Chriſtiani, xxviij. q. i. Nec tenet matrimonium ui extortum, & metu, qualis in conſtantem uirum cadere poſsit, promiſ-
36 ſum. cap. ueniens. ext. de ſponſalibus. matrimonia enim debent eſſe libera. Præterea non coit matrimonum, quod flagitio eſt quæſitum, ut ſi quis illi, quam per adulterium polluerit, promittat, ſe ducturum eam mortua ſua uxore. c. ul. ext. de eo qui du. in matri. quam poll. per adulter. Aut ſi quis inſidiatus

tus sit uitæ uxoris, ut aliam duceret, cum qua uiuente uxore rem habuerit. c. laud. ex. de conuers. infid. & de eo qui du. in matr. quam pol. c. su. hoc, & c. significasti. Atq; hæc quidem flagitia præstant impedimentum perpetuum, ita 37
ut propterea non solùm impediantur, sed & dirimantur matrimonia. Sed sunt & alia crimina, quæ impediunt contrahenda, sed non distrahunt contracta matrimonia, ut est crimen incœstus commissi cum cognata ultra quartum gr. c. si quis uiduã. xxxij. qu. vij. Item raptus. c. statutum. xxvij. q. ij. Si tamen quis rapiat puellam, aut alioqui solutam, eum Can. admittunt ad contrahendum matrimonium cum rapta, si ea in id consentiat. c. pe. & ul. ex. de rap. & xxxvi. q. ij. denicq;. Si uerò rapta non consentiat, redditur ea patri, quo accusante raptor subijcitur pœnæ capitali. xxxvi. qu. ij. c. de puellis. Eandem uim impedi endi censentur habere susceptio propriæ sobolis, publica pœnitentia, cædes sacerdotis, & alia his similia crimina, quæ quisq; sua industria facilè sibi annotabit in locis decretorum eccles. ordinarijs, quos inf. assignabimus. Postremò impediuntur etiam matrimonia ratione interdicti Ecclesiastici, cuius causa si est temporalis, ut est feriarum, impedimentum quoq; est temporale. c. non oportet. xxxiij. qu. iiij. Si uerò causa interdicti est perpetua, ut est consanguinitas, etiam impedimentum manet perpetuum, iuxta totum titulum decre. de matrimonio contracto contra interdictum ecclesiæ.

Impedimẽta Politica matrimonij.

Politica ordinatione primùm prohibentur matrimonia inter adoptantem 38
& adoptiuam. l. adoptiuus. ff. de ritu nupt. Nam cùm adoptati habeantur loco liberorum, nasci quoq; inter eos & adoptantis cognatos necessitudine cognationis, ll. & Canon. uolunt, ex. de cogna. leg. Sed durat ea cognatio, donec adoptatus in adoptantis manet potestate, nec obstat in contrahendo matrimonio talis cognatio, nisi adoptato, & illis, qui sunt in potestate adoptantis, iuxt. c. i. & ibi not. xxx. q. iij. & Inst. de nuptijs. §. hoc ita, & §. sed & si. Item prohibentur nuptiæ etiam ratione publicę honestatis, ut si quis cum uxore diuortium faciat, & ea postea ex alio procreet filiam, tum quamuis ea non sit eius prigna, tamen parum uerecundè faceret, si eam duceret. Itaq; ll. uolunt in con- 39
iunctionib. non solùm id quod liceat, uerũetiam quod deceat considerari. l. se. & l. si quamihi uxor. ff. de ri. nup. Prohibitę sunt nuptiæ & propter alias pleraſq; causas politicis legib. quę tamen hodie non ita obseruantur, quia Ius Ca. aut etiam consuetudo publica contrarium obseruet, ego tamen quasdam propter exẽplum, & ut eò cõmodius quidam tituli annotari possint, indicabo, ut inter pupillum & tutorem prohibetur matrimonium. c. de matri. inter pup. & tut. Item prohibetur matrimonium inter præsidem & subiectam mulierem. C. si rect. prouin. uel ad eum pertinen. spon. ded. & de nup. l. & si contra. Iulia quoq; lege prohibita sunt matrimonia inter senatorem & libertam, inter filiã senatoris & libertum, inter mulierẽ scenicam, & omnino inter eam cuius parentes ludicram artem exercuerint, & senatorij ordinis homines. l. imperiali. ff. de ri. nup. Sed nouissimo iure nulla dignitas prohibet cum libertis contra- 40
here nuptias, quia differentia libertorum & libertinorum sublata est. Inter patronum quoque & libertam olim prohibitæ sunt nuptiæ. l. Patrona. ff. de ritu nupt. Item uolunt ll. ut nec eam quis ducat, quam expositam susceperit, & 41
loco filiæ educauerit. l. si quis. ff. de ritu nupt. Prohibentur legibus etiam liberi cum seruis contrahere nuptias, sed iure Canonico ista impedimenta conditionis seruilis sublata sunt, ext. de cognat. seruili. Porrò quamuis scriptura 42
habeat exempla Polygamiæ, tamen legibus Romanis ea prohibita est, l. nemi nem. C. de incœstis & inutilibus nuptijs, & ad l. Iuliam, de adulterijs. l. eum, qui duas. Canones quoq; damnant Polygamiam, ca. de benedicto. xxxij. qu. i. Neque desunt exempla in historijs, unde satis conijci possit, quòd occidentalis ecclesia semper detestata sit Polygamiam. Certè quantopere Romani Imperatores oderint istam petulantiam nuptiarum contrahendarum, testantur

ll. in

43 leges in rit. C. de secundis nupt. quibus etiam infamem fieri uoluerunt eam, quæ inter annum luctus ad secundas nuptias properasset. Sed Canones liberant infamia mulierem intra annum luctus denuo nubentem, c. penult. & ult. ext. de secundis nuptijs. Et ad remouenda impedimenta nuptiarum promissa est quoque dispensatio. Ac siquidem prohibitæ sunt nuptiæ iure gentium
44 uel Canonico, ut propter consanguinitatem uel affinitatem, tum earum indulgentia à Papa impetrari potest. Quibus autem casibus id liceat Papæ, indicat ca. literas. ext. de restitutione spolia. Si uerò impedimentum nuptiarum fuerit iuris ciuilis, neq; illud est iure canonico sublatum, tum imperator potest illud suo rescripto tollere iuxta titul. C. si nuptiæ ex rescri. pet. ubi uerò neutro iure prohibentur nuptiæ, ibi non est necesse impetrare earum indul-
45 gentiam, frustra enim precibus impetratur, quod iure communi concessum est. l. unica. c. de thesauris, lib. x.

46 Debent autem nuptiæ de præsenti publicè contrahi. Nam ideò quoque
47 Canones uolunt eas pro concione renunciari, ne clam aut insidiose contrahantur. Non tamẽ refert, utrum ipsis personis, quæ contrahunt eas, præsenti
48 bus & stipulantibus fieri, nam & per proxenetam contrahi possunt, si id fiat scientibus uel postea ratificantibus personis, inter quas contrahuntur. l. suffi
cit. cum sequ. de sponsalibus. Item possunt per literas quoq; contrahi, non e-
49 nim necessariò requiritur stipulatio uerborum, sed sufficit contrahentes talibus uerbis conuenisse, ex quibus mutuus consensus colligi possit, c. i. ex. de
50 sponsa. duorum, in dubio uerò recurritur ad communem intellectum uerbo
51 rum & usum loquendi, neq; enim simplici assertioni creditur, sed in dubio semper pro matrimonio iudicatur. c. ex literis. & c. consultationi. ext. de spon. & matr. & de sent. & re iudica. c. ult. Tutius enim uidetur in tali casu ita interpretari uerba, ut ualeat res magis, quàm pereat. c. Abba. ſ. ul. ex. de uerb. sign.
52 Cæterũm quæ uel beneuolentiæ, uel pro more publicarum solennitatum in contrahendis matrimonijs fiunt, ea non ut necessaria ad constituendum matr. requiruntur, sicut est dotis promissio, arra, sponsalitia largitas, donatio propter nuptias, benedictio nuptialis. Nam etiamsi ista non interuenerint, ta-
53 men subsistit matr. mutuo consensu contractum. Licet enim dos sine matrimonio non consistat, tamen matr. sine dote bene existere potest, iux. gl. & alleg. cir. c. nostrates. xxx. q. v. Nam dos requiritur magis, ut eius promissione matr. reddantur celebriora, & eò facilius probari possint, q̃ ut sine eius constitutione matrimonia subsistere non posse iudicentur, & ita accipiendum esse c. nullum. xxx. q. v. similiaq; iura, Hostiensis, & alij Canonistę palãm contendunt. Quod autem de dote dixi, idem de reliquis don. nupt. accipiendum est. Sunt enim & illæ speciales quædam largitiones, quæ inter sponsum & sponsam fiunt, non ut inde oriatur matrimonium, sed ut mutuam suam beneuolentiam
54 contestatam faciant, itaq; eas quoq; inter donationes posuimus. Præterea nec necessariò requiruntur instrumenta ad constituendas nuptias, nisi quis cum ea contrahat, quam loco concubinæ diu secum habuerit. Nam in tali casu requiruntur instrumenta dotalia, non nuptiarum contrahendarum causa, sed ut liberi qui ex concubina suscepti sunt, per subsequens matrimonium æstimentur legitimati. iux. not. glo. cir. ſ. ult. Instit. de nupt. Quomodo autem matrimonialis consensus probetur, aut præsumatur ex datione arrarum, & instrumentorum testimonio, non est huius loci ostendere uelle, sed indicabimus infrà de probationibus.

55 Porrò duæ sunt principales causæ, cur matrimoniũ contrahi debeat, uidelicet, susceptio sobolis, quę ideò expetenda est bono uiro, secundum Platonem, ut quis post se relinquat, qui Deum religiose colat, & pietatem ad posteros propaget, siue transmittat. xxxij. q. ij. C. pudor. Deinde, ut uitetur fornicatio. 1. ad Corinth. vij. ubi Paulus dicit: quòd unusquisq; debet habere suam uxorẽ

uitandæ fornicationis causa. Sed præter has causas incidunt sæpe multæ aliæ, 56
propter quas quis ad ducendam aliam præ alia in uxorem animum adiungit, ut est, forma, ætas, ordo, familiæ splendor, opes, & quæ sunt his similes causæ, quas quidem si quis magis spectet, & illas principales, non dubium, eum peruerse facere. Sed tamen ob id nihilominus matrimonium existere iudicatur, si in id expresse consensum sit ā contrahentibus. c. solet quæri. xxxij. q. ij. cūm enim istæ res sint mediæ, propter paucorum abusum, prohiberi omnino earum appellatio tanquam semper peruersa non potest, cūm & bene quis illis uti possit: ubi uerō consensum animorum secuta est corporum coniunctio, matrimonium dicitur consumatum, cuius præcipuus est effectus, ut per illud procreentur liberi legitimi, nisi enim ea fuerint circa matrimonium obseruata, quæ suprā annotauimus, non nascuntur ex concubitu masculi & fœminæ legitimi liberi, nec sunt in potestate parentis, sed uulgo quæsiti censentur. § si aduersus. Instit. de nuptijs. 57
Vnde unus ex coniugibus altero repugnante, addicere religioni se non potest, propter indissolubilem matrimonij coniunctionem. extra, de conuersione coniugatorum. c. cūm sis, & c. ad apostolicam. 58
Item nulla potest interuenire tanta corporum fœditas, propter quā segregentur coniuges. c. si uxorem. & c. horrendus. xxxij. q. v. Nam adeō in diuidua est societas coniugum, ut nec propter lepram subtrahere se prorsus consuetudini coniugali possint. c. ij. ext. de con. leprosi. 59
An autem coniunx teneatur maritum sequi quocunq; proficiscatur, si id ab ea expetat, quæri solet. Et Cynus cir. l. liber. C. de oper. liber. ita iudicat sentiendum esse, & si uxor anteq̄ contraheret, sciuerit has esse rationes negotiorum uiri, ut hinc inde peregrinari cogatur, tum eam uideri in id consensisse, ut cum eo incertis sedibus uagetur. Argumento leg. plenum. § equitij. ff. de usu & habit. Si uerō contractis iam nuptijs, primūm ita uagari instituat, tum eam non teneri, ut ipsum sequatur. Idem sentit Bar. cir. l. Mæuia. § uxore. ff. de annuis legatis. 60

Adhæc sicut pactis pœnarum nemo potest cogi ad contrahendum matrimonium, l. ij. c. de inutilib. stipulationib. ita nec pactionib. dissolui possunt. c. finali. extra de transactionibus. Scriptura enim dicit: Quos Deus coniūxit, homo nō separet. c. quos Deus. xxxij. q. ij. Itaq; hominum transactionib. distrahi matrimonia, quæ constat esse contracta, non possunt: sunt tamen causæ, propter quas diuortium inter coniuges fieri permittitur. Sed diuortio non tollitur obligatio matrimonij. Nam consuetudine coniugali tantūm liberantur coniuges per diuortium. c. interueniente & sequen. xxxij. q. vij. Hinc est, quōd diuortium fit aut in perpetuum, donec uixerint diuncti coniuges, uel ad certum tantūm tempus, aut donec concilientur rursum. c. nosse. xxx. q. i. Item ideō prohibetur aliam ducere, qui diuortium cum uxore fecit, quia thoro tantūm separatus ab ea iudicatur. c. apostolus. xxxij. q. vij. Quamuis autem pleræq; ā iure ciuili ponantur diuortij causæ, tamen sola fornicatio siue adulterium sufficiens iure diuino & canonico habetur. Et faciunt quidem canones duplicem fornicationem, Alteram carnalem, de qua Lucæ xvi. & in c. dixit dominus. xxxij. q. i. Alteram spiritualem, ut est hæresis, & idolatria. Sed propter hanc eatenus dissolui matrimonium canones uolunt, quatenus unus ex coniugibus ad Christianam fidem conuersus, alter odio eius religionis cohabitare illi nolit. c. quanto. ex. de diuortijs. Atq; ita accipi uolunt canones illud Pauli i. ad Corinth. vij. ubi inquit: si infidelis discedit, discedat, quia non est frater uel soror subiectus seruituti. Sed de hac fornicatione plura Canonistæ cir. c. infidelis. xxviij. q. i. 61 62 63

Solet quoq; in dissolutione matrimonij admitti querela impotentiæ, & Iustinianus satis consideratē uult in exploratione impotentiæ coniugalis expectari triennium. Aut. de nuptijs. § per occasionem. Sed citra mentionem temporis Canones constituunt matrimonium dissolui probata impotentia. c. ex literis, 64

teris,& c.fraternitatis.extra de frigi.& malefi. Ac probata quidem impotentia matrimonium nõ tantũm iuxta thori separationem dissoluitur, sed permittitur etiam,ut aliud connubium quærat is, qui coniugem impotentiæ conuicit,sed id tum demum tamen permittitur,cũm istud impedimentum præcessit matrimonium,nam præcedente illo, matrimonium non potuit existere,iuxt. glos. cir.c.ex literis,extra de frigidis & malefi. Secus cũm coniunx matrimonio semel consumato,morbo uel aliqua alia uiolenta ex causa, impotens reddi
65 tur. Nam tum potenti non permittitur, ut ab impotente recedat, sed cogitur istud incommodum sicut alia infortunia cum coniuge perferre, iux. c.si uxorem.xxxij.q.v. Quòd autem de impotentia coniugali diximus,idem de reliquis impedimentis matrimonij perpetuis, de quibus suprà, statuendum est, uidelicet,ut per ea matrimonium nunquam extitisse iudicetur. Et ideò etiamsi celebratæ sint nuptiæ,tamen eas tanquãm incœstas & inutiles damnari,
66 & matrimonia dissolui. Nefariæ uerò nuptiæ, hoc est, quæ sunt inter ascendentes,& descendentes cõtractę,etiam pœnam exilij & confiscationis bonorum merentur,iux.tit.C.de incœstis & inutilibus nupt.& Auth.de incœst.& nefar.nupt.ubi glos. uult eidem pœnæ subijci omnes illos, qui quoquo modo illicitas contraxerint nuptias. Sed non desunt, qui contendant istam pœnam incurrere tantũm eos, qui contra iura sanguinis contraxerunt nuptias,iuxta Bart.cir.Aut.incœstas.C.de incœstis & inutilibus nuptijs.

67 Præterea non rarò quoq; accidit, ut alter ex coniugibus capiatur ab hostibus,aut aliquo alio casu ita subtrahatur, ut incertum sit eum superstitem esse, uel non.Itaq; cũm periculosum sit coniugi absentis reditum incertum perpe
68 tuò expectare,iura ciuilia constituerunt,ut exacto quinquennio, ei qui ignoret absentis uitam,liceat alias nuptias contrahere. ℣ sed etiam.Auth.de nupt. Sed iura canonica simpliciter uolũt absentem coniugem expectari, donec de morte eius certò constet.c.in præsentia,ext.de spon.& c. dominus,ext.de secundis nuptijs. Ponuntur & flagitia diuersi generis inter causas dissoluendi
69 matrimonium. ℣ si igitur secundum Theodosij. Auth. de nupt. Sed quasdam earum ipse Imperator in ℣ quia uerò plurimas. Aut. Vt liceat matri & auiæ, corrigit. Et Canonistæ propter iam allegata capitula,& propter istud Christi: Quos Deus coniunxit,homo non separet: uolunt matrimonium semel cõsumatum,nunquam posse dissolui,quo ad uinculum matrimoniale, licet propter fornicationem quò ad thorum separari coniuges permittant. Nam fœdus matrimoniale,non nisi morte dissolui contendunt,iuxta illud Paul. Quã diu uixerit uxor,subiecta est legi uiri. Cũm autem in matrimonijs contrahendis, nõ id solũm,quod liceat,sed & quod deceat spectemus,iux.l.semper. ff.de
70 rit.nup.nescio an nõ eadẽ ęquitas sequenda sit in dissoluendis matrimonijs,ut si coniunx propter sęuitiam coniugis sine periculo mortis apud eum uersari non possit,iux. ius Auth. ab eo separetur, Iudicis ordinarij cognitione præcedente. Nam cũm matrimonium de futuro contrahendum non possit repudiari sine autoritate publica,sicut paulò antè in dissolutione sponsaliorum annotauimus,multò minus matrimonium de præsenti contractum.Ne q; tamen in
71 diuortio faciendo iudiciarius ordo seuerè semper obseruatur. Nam cùm dirimi matrimonium quis contendit,quia obstet illi aliquod illorum impedimentorum,quæ perpetua uocantur, & alter coniugatorum per contumaciam iudicium fugiat,tum licitũ est, non obseruato ordine iudiciario contra absentẽ procedere.exempli gratia:Cornelia negat inter se & Sempronium matrimonium subsistere posse, quia comperit eum tertio gradu cognationis sibi esse iunctum. Sempronius in iudiciun uocatus, uenire nulla necessitate impeditus,recusat. Cornelia producit testes,licet iudici eos recipere, quamuis alio-
72 qui regulare sit,ut ante litem contestatam non recipiantur.c.quoniam frequẽter. ℣ porrò.ext.ut lite non conte.Secus agendum est,cùm neutra pars iudici

um subire recusat. Nam tum productio testium, ante litem contestatam non adiuuat producentem. c. pe. ext. ut lite non contest. id quod & in iudicio, quo propter fornicationem diuortium quæritur, processus iuris canonici exigit. 73
c. i. extra. ut lite non contest. Est autem iudiciorum de matrimonijs dirimendis uaria et religiosa obseruatio, tutius enim omnino iudicant canones contra 74
statuta hominum relinquere quosdam copulatos, quàm coniunctos legitimè contra statuta domini separare. c. licet. ext. de testib. Quare multò maiorem requirunt canones in matrimoniorum Iudicijs solennitatem, quàm in reliquis, sicut infrà in actionibus suo loco, & de iudiciorum obseruatione audiemus. Cæterùm sunt & concubinatus iura nobis hoc locò obiter attingenda. Nam & concubinatus speciem coniugij habere uidetur, neq; enim concubi 75
na dicitur scortũ quod corpore quæstum facit, aut pellex, quę cum eo corpus miscet, qui uxorẽ habet, sed quę cum cœlibe absq; nuptijs consuetudinẽ cõiugalem habet. Hinc est, q; cuius ll. ciuiles admittant concubinatum, tamen plures simul, aut eum qui habeat uxorem, concubinas habere nolint. l. i. C. de concubinis. & in Aut. quibus modis naturales efficiantur sui. §. si quis autem. Deinde negant sine criminis metu eam posse accipi in concubinam, in qua stuprum admittatur, ut est uirgo, & uidua minor xxv. annis. l. inter liberas. §. lex. ff. ad l. Iuliam de adulterijs. Imò nouissimo iure, uidet nulla rectè suscipi loco concubinæ, nisi eadem possit quoq; esse uxor. Auth. ut liceat matri & auiæ. §. ad hoc. Atq; sunt quidem iura concubinatus ideò obseruanda, quia beneficium legitimationis nullis conceditur, nisi illis, qui ex concubina nati sunt. 76
Nam ex aliquo alio concubitu iure ciuili prohibito natus ad istud beneficium non admittitur. iux. l. Anastasij legem. C. de naturalibus liberis. Quãuis igitur canones xxxij. q. iij. c. nemo sibi, iudicent concubinatum sine pacto fieri non posse, tamen ad discernendum eos, qui legitimari possunt, ea iura retinenda sunt. Neq; defuerunt, sicut indicat Panormitanus cir. c. cum sit generale. ext. de foro compe. qui contenderint etiam ius ciuile reprobare concubinatum, quia in causis matrimonialibus, canones sequatur. Sed rectè Panormitanus respondet, iura ciuilia indirectè improbare concubinatum, non enim prorsus illum damnant, sed in legitimationis quæstione eius iura retinent.

SEQVITVR INDEX TITVLORVM.

ff.

1. De sponsalibus.
2. De ritu nuptiarum.
3. De gradibus affinitatis & nominibus eorum.
4. De diuortijs & repudijs.

Cod.

1. De sponsalibus & arris sponsalitijs.
2. De nuptijs.
3. De incœstis & inutilibus nuptijs.
4. Interdicto matrimonio inter pupillam & tutorem, seu curatorem liberosq; eorum.
5. Si quacunque præditus potestate, uel ad eum pertinentes, ad suppositarum iurisdictioni suæ aspirare tentauerit nuptias.
6. Si nuptiæ ex rescripto petantur.
7. De secundis nuptijs.
8. De repudijs, & de iudicio de moribus sublato.

Instit.

De nuptijs. De gradibus cognationum.

Authen.

De nuptijs.
De incœstis & nefarijs nuptijs.

In Decretis.

A cauſa xxvij. in omnibus ſequentibus cauſis, & quæſtionibus uſq; ad tractatum de conſecratione.

In Decretal.

Toto lib. iiij. in omnibus tit. Et in iij. lib. de clericis coniugatis.

In ſexto.

De deſponſatione impuberum.

De cognatione ſpirituali.

In Clementinis.

De conſanguinitate & affinitate.

DE MANDATI OBLIgatione. Caput XXIII.

SVMMARIVM.

1. Mandatum habere quis dicatur.
2. Mandati obligatio ex libera obſequendi uoluntate proficiſcitur.
3. Mercedis conuentio in mandato eſſe nequit.
4. Remuneratio non impedit mandati obligationem.
5. In ambigua oratione à uerbis non receditur.
6. Mandatum tacitè fieri poſſe.
7. Patientia pro conſenſu habetur.
8. Ratihabitio mandati quando fieri cenſetur.
9. Mandatum uarijs de cauſis fieri.
10. Fines mandati diligenter eſſe obſeruandos.
11. Simplex mandatum non obligare.
12. Neminem ex conſilio obligari.
13. Clauſula contrahentium, ut ualeat omni meliori modo & forma &c.
14. Mandati duas eſſe formas.
15. Mandatum cum libera conuentione quod uulgo uocetur.
16. Adminiſtratio ad litigandum & inſtandum libera commiſſa.
17. Poteſtas mandatarij quouſq; extendatur.
18. Mandatum contractus eſt bonæ fidei.
19. Mandatum ſpeciale quod dicatur.
20. Singulare mandatum.
21. Mandatum quomodo finiatur.
22. Mandati reuocatio, & quæ iuſtæ cauſæ reuocandi.

VLTIMO loco inter obligationes, quæ ex conſenſu oriuntur, de mandato agere ideō placuit, quia obligationes, quę ex quaſi contractu oriuntur, quandam cognationem cum mandato habere uidentur. Dicitur autem habere mandatum, qui rogatus ultrò & gratis alterius negotium ſuſcipit agẽdum. Proficiſcitur enim mandati obligatio ex libera obſequendi uoluntate. Nam qui cogente neceſſitate, aut legitima poteſtate alterius negotia gerit, ille non ex mandato, ſed iure aut metu cogente agit. Et ille qui alicui operam ſuam ex conuentione mercedis promittit, ille ex locato obtemperat & miniſtrat. l. i. §. ul. ff. man. Si tamẽ mandator aliquid compenſandi officij cauſa det, aut promittat mandatario nomine donatiui, nihilominus exiſtit mandati obligatio, nam mercedis conuentio in mandato eſſe non poteſt. Remuneratio uerò ſi interueniat, non impedit aut uitiat mandati obligationem. l. ſi remunerandi. & l. itemq;. ff. mandati. Contrahitur autem mandatum inter eas perſonas, quæ ſibi inuicem obligari poſſunt. Neque in rebus aliud ſpectatur, quàm ut ſint honeſtæ & poſsibiles, ſicut in pactis, niſi quòd tum demum quis mandato agere uideatur, ſi faciat, quod ſine commiſsione alterius expedire non poſſet, ſed poteſt, uel inter præſentes, uel abſentes, uerbis, per literas uel nuncium ſuſcipi, neque refert admo

dum, an uerbis commendatícijs, uel perſuaſorijs, uel precatorijs, aliquis inducatur ad ſuſcipiendum mandatum, ſi modò ex illis appareat, quòd animo obligandi ſint prolata aut ſcripta. leg. i. ff. mandati. In ambigua uerò oratione â propria ſignificatione uerborum non receditur, niſi manifeſtè appareat, contrahentes aliud, quàm uerba referunt, ſenſiſſe, ſicut fit in diſpoſitionibus teſtamentorum, & reliquis contractibus omnibus. l. non aliter. ff. de legatis iij. Nonnunquam etiam tacitè fit mandatum, ut qui præſens patitur ab alio mandari, ut ſibi credatur, mandare intelligitur, talis nanque patientia pro conſenſu habetur. l. qui patitur. & ibi gloſſ. ff. mandati. Itaque Bald. circa l. cum oportet. C. de bonis quæ liberis. contendit, quòd ſi pater ſciat filium conſuetum fœnerari, & det ei pecuniam, teneri extacito mandato ad reſtitutionem quæſitarum uſurarum per filium. Rati quoque habitione mandare cenſemur, cùm id quod noſtro nomine agi cœptum eſt, probamus, & ad pergendum actorem hortamur, iuxta doctores circa l. Iulianus. ff. qui ſatisdare cogantur. Porrò mandamus aliquid agendum uel noſtra, aut aliena tantùm, aut noſtra & aliena ſimul, aut noſtra & mandatarij, aut mandatarij & alterius cuiuſpiam cauſa, ſolius autem mandatarij gratia ſi quid mandatur, non parit obligationem, niſi appareat, ſine impulſu mandãtis id facturum non fuiſſe, ſicut copioſe exponit l. ij. ff. mandati: & ſunt quidem diligenter conſiderandi fines mandati. Nam ſi quis ſimpliciter alicui commendet negotium ſuum, uel alienum, nec cum eo conſtituat modum & formam agendi, tum non magis obligatur ad agendum, quàm ſi nudo pacto aliquid promiſiſſet, iuxta Alexandrum de Imola circa leg. ſi cùm Cornelius. ff. de ſolutionibus. Itaque tritum eſt, ſimplex mandatum non obligare, ſicut nec ex mandato obligatur, qui alicui ſuadet aliquid ad agendum: nemo enim ex conſilio obligatur, quia cuique liberum eſt, apud ſe explorare, an expediat ſibi conſilium nec ne, iuxta Baldum circa l. i. C. de ſeru. fugiti. Niſi igitur id, quod alterius fidei & curæ iniunctum uolumus, certa forma mandati illi commendetur, nulla inde mandati exiſtit obligatio. Itaque ſæpe ex metu ne quid in conſtituendo mandato omiſſum uideatur, adijci hæc clauſula ſolet per contrahentes: Vt ualeat omni meliore modo, & forma, qua iure fieri poſsit aut debeat. Sunt autem mandati duæ potiſsimũm formæ, uidelicet, mandatum generale, & mandatum ſpeciale. Generale dicitur, quo ſine certa definitione actionum alicui negotium expediendum committitur, & id fit aut prorſus libera adminiſtratione permiſſa, cuiuſmodi mandatum uulgò uocant Mandatum cum libera, aut nominatim expreſſa conuentione, in qua conatum mandatarij liberum mandator eſſe uelit. Cui commiſſa eſt libera adminiſtratio, is, ſicut dominus aliud pro alio exigere & accipere poteſt. leg. procurator cui generaliter. ff. de procuratoribus. Vt ſi quis tali mandato conſtitutus ſit procurator in iudicio, is non modò ius habet uocandi aduerſarij in iudicium nomine mandatoris, ſed & cum eo tranſigendi. Sed cui commiſſa eſt libera adminiſtratio ad litigandum cum quopiam alterius nomine, is tantùm inſtandi, non autem tranſigendi habet poteſtatem. iuxta Bartolum circa l. qui Romæ. §. Callimachus. ff. de uerborum obligationibus. Quantũuis autem generale & liberum fuerit mandatum, tamen non comprehendit facultatem profundendi temerè aliena, quia mandatum fit, ut res curentur, non ut diſsipentur, iuxta Bald. circa l. i. C. de bonis maternis. Vnde licet mandatum ſit contractus bonæ fidei, & ob id poſsit latè interpretari, tamen extendi non poteſt eius facultas, ut mandatarius faciat id, quod dominus non eſſet ueriſimiliter facturus, iuxta Bald. circa l. falſus. C. de furtis. Speciale mandatum dicitur, quo res gerenda ita deſcribitur circumſtantijs, ut in certa ſpecie negotij conſiſtat. Sunt aũt multi caſus, in quibus tale mandatũ requiritur, ut ſi quis alterius nomine matrimonium promittere uelit, non ſufficit habere in mandatis, ut de uxore alicubi

Generale mandatum.

Speciale mandatum.

cubi illi prospiciat, sed necesse est, ut nominatim exprimatur, cum qua contrahere uelit, cuiusque matrimonium expetat. Talium casuum plerique extant in glos. ultima, circa c. qui ad agendum. extr. de procuratoribus, in vi. & uenient annotandi in C. de Iudicijs infrà. Bald. circa leg. i. C. etiam per procur. restitu. in inte. pe. pos. conatur inter mandatum speciale & singulare hanc facere differentiam, quòd mandatum speciale sit, quando qualitas actus
20 tantùm exprimatur. Singulare uerò, quando etiam cæteræ circumstantiæ adijciantur, ut in specie specialissima, siue in individuo negotium mandetur. Sed non ualde laboro in constituenda tali differentia, quia cùm opus est speciali mandato, refert, ut istud quàm proximè possit, concipiatur, siue id fiat sola specifica, siue accidentali etiam differentia, ut ad individuum usque deducatur. Hoc magis obseruandum est, quòd speciale mandatum tantùm obliget dominum: generale uerò dominum & mandatarium simul, iuxta Bartol. circa leg. si ab alio. ff. de institoria actione. Si tamen mandatum speciale non expediatur secundùm modum in eo expressum, mandator non obligatur. l. creditor. C. de fideiussoribus. Aliàs regulariter mandatarius tenetur de omni culpa & dolo, nec liberatur ab obligatione præstandi damni, nisi in solo fortuito casu. l. à procuratore. C. mandati. Item tenetur mandator suppeditare sumptus mandatario, quos in executione mandati facere cogitur. l. si uero. §. finali. ff. mandati. Non autem transit hæc obligatio ad hæredem mandatarij, quia industria personæ uidetur electa. l. mandatum. ff. mandati.

21 Finitur autem mandatum ipso iure, mortuo mandatore, iuxta Bartol. circa l. & quia. ff. de iurisdiction. omnium iudicum. Nisi fortè mandatum sit publico instrumento firmatum. Nam tum nec reuocari potest, si mandatarius offerat suam operam ad illud expediendum. l. si cùm fundum. ff. de pactis. Item finitur mandati obligatio ipso iure, ueniente die, in quem conceptum est, sicut fit in reditu eius, qui abiens alicui sua negotia commendauit, ut eo absente ista curaret, iuxta Bartol. circa l. filiusfamilias. §. procuratorem. in fine. ff. de procuratori. Reuocari uerò ab eo potest mandatum, ut etiamsi pactum sit, ne reuocetur, tamen hoc mandatori liceat, iuxta Bartol. cir. l. cum precario. ff. de precario. Iustæ tamen causæ reuocandi habentur, inimicitia, furor, conditionis mutatio, qua minus idoneus ad sustinenda mandati negotia factus est mãdatarius. l. qui seruum. & l. si quis alicui. ff. de acquirenda hæreditate. & l. mandatum. C. mandati. *Mandatum finitur.*

DE PRAEPOSITIS NEGOtiorum. Caput XXIIII.

SVMMARIVM.

1. Negotia aliena gerentes similes esse mandatarijs.
2. Locati obligationem nasci ex certæ mercedis conuentione.
3. Institores qui dicantur.
4. Magister nauis quis uocetur.
5. Negotijs qui præficere possint.
6. Præpositio certam legem dat contrahentibus.
7. Nouatione definit dominus institoria obligatione teneri, si stipulando in aliam obligationem transferat.
8. Præpositio mandatum quoddam esse uidetur.
9. Actiones institorias tituli continent.

1 SIMILES mandatarijs uidentur, qui ex certa conuentione aliena negotia gerunt, ac suscipiunt, nisi quòd hi suo quodam emolumento, illi uerò gratis ea suscipiant, neq; in constituendis prępositis
2 negotiorũ conueniendum est de certa mercede, nam inde nascitur locati obligatio, non prępositionis. Ac ll. quidem talium prępositi

torum diuersitatem his appellationibus assignant, ut alios institores generali uocabulo uocent, alios magistros nauium à specie negotij denominent, dicitur enim institor, qui negotio gerendo insistit, qualecunque illud fuerit, modò alterius nomine, non suo id gerat. l. iij. & ibi gloss. ff. de instito. acti. Magister uerò nauis appellatur, cui totius nauis cura mandata est. l. i. ℣ magist. ff. de exer. act. Possunt aũt præficere negotijs, aut nauí, omnes illi qui alioqui contrahere possunt, adeò ut nihil referat, masculus an mulier, paterfamilias an filiusfamilias sit. Pupillus tamẽ si uelit aliquẽ prepone negotijs, aut nauí, requiritur tutoris autoritas. l. i. ℣ exercitorem. ff. de exerci. acti. & C. eodem. l. si à muliere. Nec in negotijs, quibus quis præponitur, aliquis delectus, aut exceptio est, si modò talia fuerint, ut legibus non aduersentur. l. quicunque. ff. de instit. act. sicut neque refert an nauis marina sit, uel in aliquo stagno nauiget, siue σχεδία sit. l. i. ℣ nauem. ff. de exerci. acti. Præponuntur uerò negotijs institores & magistri nauium manifestẽ aut tacitè, uidelicet, cùm dominus negotij, aut exercitor nauis scit, aut patitur suis negotijs præesse aliquem, aut fungi magisterio nauis. leg. prim. ℣ magistrum. ff. de exercitoria actio. Manifestẽ uerò, cùm expressis uerbis, & nominatim negotia, aut nauis alicui committuntur. Et in tali commissione maxima uis huius obligationis sita est. Non enim ex omni contractu institoris, & magistri nauis, domini negotiorum, & exercitores nauium obligantur, sed eius rei tantùm nomine, cuius causa præpositi fuerunt. Nam præpositio certam legem dat contrahentibus cum institore aut magistro nauis, quare si quis præpositus est nauí, ut uecturas exigat, non ut locet, aut mercibus præstet, uel contrà, & magister nauis modum commissionis egrediatur, exercitor non obligatur, id quod alioqui regulariter fit, cùm præpositus id, quod commissum illi est, aut rei commissæ ratio requirere uidetur, agit. l. prim. ℣ non autem ex omni. ff. de exercit. actio. Idem obseruatur in institoris contractibus, nam si non ob eam causam, propter quam præpositus est negotiationi, aliquid acceperit, uel alij promiserit, tenetur dominus negotij in solidum propter accommodatam uoluntatem. l. si institorem. ff. si certum petatur. & ibi Bartol. Baldus uerò circa leg. mandatum. C. mandati. Institor autem cùm fecit, quod ad præstandam fidem susceptæ functionis pertinet, non obligatur. l. finali. ff. de institoria actione. Ad hoc igitur, ut ex contractu institoris & magistri nauis obligentur illi, qui eos præfecerint, non sufficit probatio contractus, sed in contrahentibus, hæc etiam requiritur diligentia, ut æstimari possit ex eorum uoluntate, quòd necessitatem rei gerendæ ad commodum dominorum perpenderint. l. Lucius Titius. ff. de exerci. acti. Non autem obligationem hanc extinguit alia adiecta, ut si filius tabernæ præpositus à patre, mercium causa mutuam pecuniam accipiat, & pater pro eo fideiubeat, nihilominus pater institoria obligatione tenet, quia illi obligationi mixta fideiussio uidet. l. pen. ℣ taber. ff. de inst. act. Nouatione tamen desinit dominus institoria obligatione teneri, si stipulando in aliam obligationẽ transferat. l. habebat. ℣ meminisse. ff. de inst. act. Idem fit si deleget aliquis debitor ad soluendum hanc obligationem, aliàs ferè sicut mandatum tollitur, nam & præpositio mandatum suo quodam modo esse uidetur. Itaque sicut mandatum tollitur reuocatione, ita & institoria obligatio, sicut est cernere in l. uero procuratori. ℣ i. ff. de solut. Morte tamen eius, qui aliquem præfecit, non finitur. l. si quis. ℣ impubes. ff. de instito. act. Solutione autem eius, quod per institorem contractum est debitum, solui hanc obligationem, superuacuum esset monere, nisi hoc uideretur adijciendum, quòd etiam institori solui possit, & talis solutio liberet dominum. l. quod seruus. & l. filiæ quod. ff. de solutionibus.

TITVLI huc pertinentes continent etiam actiones, itaque annotare eos hoc loco omittimus.

DE

DE OBLIGATIONIBVS,
quæ ex quasi contractu oriuntur.
Caput XXV.

SVMMARIVM.

1. Ex quasi contractu obligatio orta quæ dicatur.
2. Absentes esse defendendos.
3. Negotiorum gestores ad reddendam rationem cogi posse.
4. Administratio negotiorum obligat.
5. Hæres obstrictus est ad soluenda legata.
6. Pupillus non tenetur negotiorum gestori in solidum.
7. Negotia aliena quæ dicantur, & id quatuor modis.
8. Funeraria obligatio quando nascitur.
9. Ad obligationem negotiorum gestorum quæ requirantur.
10. Mandati taciti obligatio quando oritur.
11. Diligentia negotiorum gestorum qualis requiratur.
12. Negotiorum gestores teneri de dolo & lata culpa.
13. Fortuitus casus quando præstatur. (nem orirl.
14. Domestica affectio erga uxorem & similes personas prohibet hanc obligatio-

1 EX quasi contractu orta dicitur obligatio, quam ab initio nulla cõ
2 uentio contrahentium præcesserit, sed propter utilitatem eius, cui absenti, & ignoranti aliquid præstitum est, prætoris autoritate: ne enim absentes, si non defenderentur, rerum suarum quacunque iniuria iacturam facerent, sine sua culpa, edicto prætoris ita extra periculum collocati sunt illi, qui aliquid utiliter in absentium negotia impenderunt, ut illis copiam faciat eo nomine conueniendi eos, quorum
3 negotia gesserunt, quasi ipsorum uoluntate id factum sit. Quia uicissim illis quoque eandem concedit facultatem, ut si secus, quãm oportuerit, curata sint ipsorum negotia, ad reddendam rationem cogere negotiorum gestorem possint. leg. secund. ff. de negotijs gestis. Nam proprie is solùm negotiorum gestor dicitur, qui absentis negotia sine mandato curauit. Sed quidam eos etiam sub ea appellatione constituunt, qui ex aliqua necessitate iuris, aliena negotia suscipiunt, sicut faciunt Tutor & Curator. Ego uerò docendi causa talium obligationem suis formis relinquam. Nam quamuis & illi ex gestis negotijs obligentur, tamen id fit magis propter demandatam administrationem, quãm ex sola negotiorum curatione. Idem ferè dici potest de reliquis exemplis huius obligationis, quæ in textu Institutionum ponuntur. Nam & illi inuicem obligantur, qui rem ex aliqua causa rerum acquirendarum, & non ex consensu habent communem, sed illa obligatio non inde solùm est, quia alter alterius fortè portionem apud se habuit, sine eius mandato. Nam etiamsi neuter illorum communis rei curam cepisset, tamen ad diuidendum inuicem tenerentur, ex eo, quòd illis communi ex causa res debeatur, sicut & hæres obstrictus est ad soluenda legata, quia testatoris uoluntas exigit, ut præstentur. Quamuis igitur omnes illi, qui quoquo modo alienas res apud se habeant, dici possint ex quasi contractu teneri illis, quibus res debentur, tamen si ex aliqua alia causa ad eos deuenerunt, quãm ex ultronea cura seruandi illas absentibus & nescientibus, existimo rectius suis causis eas relinqui, unde principaliter alijs deberi cœperunt, nam ita distinctius huius obligationis differentia à reliquis causis, quibus res fiunt nostræ, discerni poterit. Vt autem negotiorum gestorum obligatio nascatur, necesse est personam, cuius negotia gesimus, sui iuris esse, nam si pupillus est, non tenetur negotiorum gestori pro eo, quod eius nomine utiliter gesit, in solidum: sed quatenus locupletior inde factus uidetur, leg. si pupilli, in principio, & ibi glos. Digest. de negotijs

gest.

gest. In persona uerò eius, qui gessit aliena negotia, si error sit cõditionis, nihilominus oritur hęc obligatio, ut si quis tanquam seruus meus, negotium meum gerat, cũm esset ingenuus, teneor ad id quod impendit meo nomine, iuxta iam allegatam l. ℣ si quis, quasi. Deinde ut existat hæc obligatio, requiritur, ut negotium, quod gestum est, sit alienum.

Dicũtur autem aliena negotia, aut re ipsa, cũm uidelicet in rem meam aliquid ab alio expenditur meo nomine. l. Item si. ℣ sed si cum. ff. negotiorum gestorum. Aut quia ratione officij ad aliquem spectant negotia, sicut administratio rerum pupilli ad tutorem spectat, sed talia negotia si quis gerat, tum demum tenetur hac obligatione, si tutoris contemplatione gesta fuerint, nam, sicut dictum est, pupillus non tenetur in solidum. Aut Ratihabitione, nam si quis nomine meo pecuniam ab aliquo accipiat, aut aliquid nostri emat, & ego postea approbem, negotium alienum gessisse dicitur, & id quod emptum est, mihi quæritur, & ego teneor ad repetendum, si quid eius rei causa impensum est. l. si ego. & l. si pupilli. ℣ item quæritur. ff. de negotijs gestis. Adijciunt quartum modum, quo negotia dicuntur aliena, uidelicet, cũm quis putaret aliquem hæredem, qui non erat, & Insulam hæreditariam fulciat, tum etiamsi ratum habeat, quod gestum est negotium, tamen uero hæredi negotiorum gestorum obligatio acquisita iudicatur. l. si pupilli. ℣ quod ergo. ff. de negotijs gestis. Sed talis modus, meo iudicio, sub eo, quo negotia reipsa dicuntur aliena, comprehẽdi dicitur. Præterea requiritur, ut negotia sint uiuentis. Nam si quis nondum adita hæreditate, aliquid impendat ad faciendum funus mortuo, non negotiorum, sed funeraria obligatio nascitur. leg. tert. ℣ hæc uerba. ff. de negotijs gestis. & ff. de religion. & sumptibus funer. leg. prim. & leg. at si quis. ℣ Labeo. Præcipuè uerò ad contrahendam hanc obligationem requiritur, ut quis sponte sua negotia suscipiat, nam qui ratione susceptæ administrationis, aut errore quodam ductus existimat sibi incumbere, ut huius aut illius negotia curet, ille non acquiret hanc obligationem. Sed aut habet specialem actionem, ut est tutelæ, aut utili negotiorum gestorum actione, illi succurritur, le. tert. ℣ hac actione, & ibi gloss. ff. de negotijs gestis. Deinde necesse est, ut nesciat sua negotia geri dominus. Nam si sciat & taceat absens uel præsens, oritur obligatio taciti mandati. Quanquam autem negotiorum gestor non sui, sed eius causa, cuius negotia sunt, suscipere & gerere ea debeat, nihilominus, imò magis hac obligatione tenetur, & ita cum eo agitur, ut quia improbè ad aliena negotia accessit, non id quod ei abest propter gesta negotia, sed in quo locupletior factus est is, cuius negotia gessit, petere ab eo possit. leg. si pupilli. ℣ sed si quis. ff. de negotijs gestis. Tenentur autem negotiorum gestores hanc præstare diligentiam, ut nihil earum rerum omittant, quas alius uir diligens in eodem negotio curaturus erat. l. si pupilli. ℣ uideamus. ff. de negotijs gestis. & Bartol. circa legem tutori. C. de negotijs gestis. Non tamen tenentur conuenire debitores domini negotiorum, quia sine mandato illud non possunt. Si quid uerò ipse debet domino, cogitur illud ã se exigere, alioqui ad usuras etiam teneri incipit. l. si pupilli. ℣ finali. ff. de negotijs gestis. Item tenentur ad restituenda ea, quæ occasione administrationis suæ nacti sunt, etiamsi domino non fuerint debita. l. si autem. ℣ Item si fundum. ff. de negotijs gestis. Si uerò ipsi soluerint domino indebitum, non possunt istud repetere. leg. si quis negotia aliena. ff. de negotijs gestis. Item tenentur negotiorum gestores de dolo & lata culpa. leg. tutori. C. de nego. gestis. Nonnunquam etiam de leui & leuissima culpa tenentur. ℣ sicut. Institutio. de obligat. quæ ex quasi. De fortuito autem casu non tenentur, nisi in euentum, si quando gesturi essent alicuius negotia, specialiter se ad præstandum casum obligauerint. leg. negotium. C. de negotijs gestis. Aut culpa uel mora eorum casus euenisse uideatur,

7 8 9 10 11 12 13

deatur, id quod in quolibet debitore generale est. l. cùm res. §. vlt. ff. de legatis 1. Volunt etiam leges negotiorum gestorum teneri ad usuras, quas dominus rebus suis facere potuisset, aut ipse deductis necessarijs & utilibus impensis ex domini rebus acceperit. l. & qui natura. §. penult. de negot. gestis. Atq; tenetur quidem negotiorum gestor ad hæc omnia, etiamsi negotia alij mandarit gerenda, id quod licet illi, iuxta l. nam & si seruus. §. mandato. ff. de negot. gest. Sed hæc non ueniunt in obligationem, si quis ex pietate erga parentes uel liberos negotia eorum gesit. l. 1. & l. si paterno. C. de negotijs gest. & ff. eodem, Nesennius. Item si quis extraneus ex affectione necessitudinis aliquid agat, in rebus cognatorum, non obligatur negotiorum gestori. l. is, qui amicitia. ff. negot. gest.

14 Domestica quoque affectio, quam quis habet erga uxorem, & similes personas, prohibet hanc obligationem oriri. l. quod in uxorem. C. de negotijs gestis. Nec liberto obligantur patronus & eius liberi, si quid in illorum negotio expenderit. l. officiæ. C. de negot. gest. Neque ille hanc obligationem acquirit, qui prohibente domino negotia eius gerit. l. ultima. C. de negotijs gestis. Vnicus tit. Instit. de obligat. quæ ex quasi contractu oriuntur, huc præcipuè pertinet. Reliqui in ff. & C. multi sunt, in decidendis casibus huius obligationis.

DE CONTRACTIBVS Innominatis. Caput XXVI.

SVMMARIVM.

1. Quando contractus innominati obligent contrahentes uel non.
2. Causæ loco conditionum habentur.
3. Liuij historia describenda promissa omnes decades describendæ erunt.
4. Quando locus sit pœnitentiæ, & pacto recedere liceat.
5. Interesse præstandum.
6. Doli obligatione tenetur qui cessat dare promissum.
7. Actio præscriptis uerbis quando detur.
8. Innominatorum contractuum frequens usus in commercijs.
9. Causa finalis sit honesta.
10. Turpe est, cædem expetere.

VI contractus dicantur innominati, ab initio huius capitis indicauimus, cùm de origine omnium obligationum ageremus, itaq; præter rem iudicamus fore, si illa hic repetere uellemus, dicemus
1 igitur hoc loco tantùm, quando tales contractus obligent contrahentes uel non, neq; enim statim, ut initi sunt, pariunt obligationem præstandi, sicut contractus nominati, quia nudo pacto fieri solent, nam si stipulatio intercesserit, obligatio non ex contractu innominato, sed ex stipulatione oritur. Neque pacta innominatorum contractuum unquam censentur uestita, nisi ab altero contrahentium id præstitum sit, de quo con-
2 uentum est. Nam causæ, in quas concipiuntur contractus innominati, haben-
3 tur loco conditionum. l. ex placido. C. de rerum permut. Vt si quis paciscatur cum quopiam, se daturum illi centum, ut integram historiam Liuij ipsi det describendam, tum promissor non tenetur ad numerãda centum, donec omnes
4 decades Liuianæ illi fuerint exhibitæ ad describendum. Est igitur generaliter in his contractibus obseruandum, Quòd si neutra pars contrahentium præstiterit id, in quod conuentum est, tum locus est pœnitentiæ, & licet pacto recedere. Si uerò altera pars præstiterit, quod nudo pacto promissum est, & altera cesset stare pacto, tum licet parti, quæ soluit promissum, aut repete-
5 tere, quod dedit. l. ij. ff. de condictione causa data, causa non secuta: aut agere ad interesse, quanti sua interfuisse probat, ut in tempore præstaretur, de quo conuentum est. l. naturalis. §. & si quidem. ff. de præscriptis uerbis. Atque

hæc

hæc quidem obligatio reſtituendi acceptum, aut præſtandi intereſſe, illi qui pepigit cum ceſſante ex ſolis duabus ſpeciebus contractuum innominatorum oritur, uidelicet, ex do ut des, & do ut facias. In reliquis enim duabus ſpeciebus, alia habetur obligationis ratio, nam qui ſpe promiſsi aliquem inducit, ut faciat, quod ab eo expetit, & poſtea quàm uſus eſt eius obſequio, ceſſat dare promiſſum, ille obligatione dolí tenetur. l. naturalis. §. quòd ſi faciam. ff. de præſcriptis uerbis. Neq; enim factum repeti poteſt, itaq; tanquam aduerſus eum, qui inſidioſe alterius operam deluſerit, datur actio doli. Si uerò abſq; dolo tale quid factum arguatur, tum poteſt conueniri actione præſcriptis uerbis, & peti, ut det quod promiſit cum intereſſe. l. ſolent. ff. de præſcriptis uerbis, ſicut & in contractu, quo propter factum promiſſum, eſt factum. l. naturalis. §. penult. & ult. ff. de præſcript. uerb. Sunt autem contractus innominati in multo & frequenti uſu, quia uulgus ferè his utitur in exercendis commerciis, & in quotidianis pactis. nam ſtipulationũ uſum ut plurimũm ignorat. Quare diligenter ea obſeruanda ſunt, quæ iam de forma & effectu eorum annotauimus. In perſonis enim & reb. nõ eſt alius delectus in his contractib. q̃ in reliquis obligationibus. Porrò in cauſa finali hoc aduertendum eſt, ut ea ſit honeſta, nam ſi quis alicui dederit pecuniam, ut cædem committat, non datur illi ius repetendi id quod dedit, quia turpe eſt illud à quoquam expetere. l. i. & ñ. C. de condictione ob turpem cauſam, & l. ubi, cum ſeq. ff. eod. Hæc ferè ſunt, quę in genere de contractibus innominatis annotari poſſunt. Ex profeſſo autem in nullo titulo iuris Romani de his agitur, ſed in titulis actionum, quæ ex illis naſcuntur.

DE RERVM PERMVTATIONE. Cap. XXVII.

SVMMARIVM.

1. Contractus nomen generale eſſe.
2. Permutatio rerum contractus eſt innominatus.
3. Similitudo magna eſt inter emptionem & permutationem.
4. Differentia contractus emptionis & permutationis.
5. Alienę rei, quæ repoſci poſsit, translatio nulla eſt.
6. Traditio rei promiſſæ debetur.

NOMEN huius contractus generale eſt, ita ut ſub eo accipi poſſit omnis contractus, quo hinc inde aliquid datur & accipitur. Sed eadẽ appellatione ſpecialis quidã cõtractus, quo certa ſpecies rei pro certa ſpecie datur, etiam uenit. Is igit̃ contractus, cùm ſit ſpecialis, nec tamen habeat nomen proprium, ſub quo ſpecialiter acciperetur, inter innominatos collocatur, iuxta gloſſ. circa epigraphen. C. eodem. Atque habetur quidem hic contractus pro æquiſsimo, tanquam is, quem rerum uſus inter homines neceſſariò produxerit. Nam ſicut teſtatur Ariſtot. lib. i. polit. cùm natura ita comparatum, ut alij abundent rebus, quibus alij egeant, ipſa rerum egeſtas coẽgit homines, ut inuicem permutarent. Eſt igitur inter emptionem & permutationem magna ſimilitudo, nam utroque contractu res comparantur & alienantur, ſed differunt, quòd in uenditione datur precium pro merce, in permutatione uerò ultrò citroq̃ commutantur res mutua quadam compenſatione rerum, non precij & mercis. l. i. ff. eodem. Et ã contractu innominato, Do ut des, ita diſcernitur, quòd in permutatione detur indiuiduum pro indiuiduo. In iſto uerò contractu generaliter alia res pro alia datur, puta triticum pro uino. Neque caret quidem talis diſtinctio ſua ratione, & lex, quando aſſeueras. C. eodem, idem requirere uidetur. Nemo autem, niſi qui dominium rei, aut ex aliqua alia cauſa poteſtatem eius alienandæ habeat, facere permutationem poteſt. Alienæ enim rei translatio nulla eſt, cùm ea poſsit iure repoſci. leg. prim. §. ultim. ff. eod.

ff. eod. Sed sicut in genere de contractibus innominatis diximus, quòd ex illis non existat obligatio efficax ad agendum, nisi re secuta, ita & de permutatione dicimus: nam cùm & ea ideo fiat, ut propter rem traditam res nudo pacto promissa tradatur, non potest quis expetere sibi præstari promissum, cùm ipse nondum præstiterit id, cuius gratia illi facta est ab alio promissio, postquàm uerò ab aliquo traditum est id, de quo conuentum est, tum cessator obligatur ad reddendũ acceptum, cum solutione eius, quod à tempore moræ sua interfuisse, ut id præstaretur, reposcens probauerit. l. ex placito. C. eod. Neque liberatur quis ab hac obligatione semel orta, nisi aliquo modo tollendarum obligationum, ei qui pactum conuentum præstitit, satisfaciat.

ff. C. In Decretalib. & Sexto. De rerum permutatione.

DE TRANSACTIONIBVS.

Caput XXVIII.

SVMMARIVM.

1. Transigere qui dicantur.
2. Transactio an sit de processu iudicij.
3. Transactio similis est contractui, do ut des.
4. Actione præscriptis uerbis ad præstandum interesse cessator cogi potest.
5. Transactio metu facta inualida est.
6. Dolo item. 7. Super quibus rebus liceat transigere.
8. De distrahendo matrimonio transigere non licet.
9. Transactio de alimentis quando ualeat.
10. De rebus ecclesiasticis transigere prohibitum est.
11. An liceat transigere de causa criminali.
12. Furtum, iniurias, crimina priuata esse.
13. De adulterij crimine non licet transigere.
14. Falsi crimen an transigatur.
15. Transactio scriptura quomodo fiat.
16. Transactio uarijs modis fieri potest, stipulatione, iuramento, nouatione.
17. Aquiliana stipulatio quæ.
18. Transactionem gratis non fieri.
19. Improbitas transigentis transactionem uitiat.
20. Transactio habet autoritatem rei iudicatæ.
21. Transactio communi partium consensu dissoluitur.

1 TRANSIGERE dicuntur, qui propter incertum euentum litis præsentis, aut inter eos futuræ inuicem aliquid remittentes
2 uel dantes, dissidium suum componunt, unde quidam uolunt transactionem esse de processu iudicij, & in ff. atq; C. de ea in iudicialibus agitur, uerùm quia ab omnibus inter pacta & contractus innominatos numeratur, & generaliter omnem compositionem inter dissceptantes de re aut iure aliquo comprehendit, placuit eius tractatum huc referre. Nam ortus obligationis in ea planè similis est illi, qui est in contractu,
3 Do ut des, nisi quòd rei traditio in transactione sæpe fit per acceptilationem. Itaq; siue datum, siue accepto latum sit, de quo in transactione conuentũ, per unum ex transactoribus, & alter cesset præstare id, quod pollicitus est, tum condictione causa data, causa non secuta, rursum in obligationem, in qua ante transactionem fuit, trahi, aut actione præscriptis uerbis ad præstandum in
4 teresse cogi potest. l. si quis accepto. ff. de condictione causa data, causa non seq. & l. ob eam. ff. de præscript. uerbis. Porrò ut transigere quis possit, aut nõ, nulla alia obstet personę conditio, præter eas, quas in obligationibus & alienationibus obstare indicauimus suprà. Videndum autem est, num metu, qui ca-
5 dere possit in constantem uirum, quis coactus transegerit, nam talis transa-

ctio non ualet.l. interpositas. C. eod. Item si quis dolo inductus est ad transi- 6
gendum, non ualet transactio.l. in summa.ff. de condictione indebiti: si ta-
men quis errore ductus, puta quòd existimauit concertatorem esse in causa su
periorem, transigat, ualet transactio, nam hoc ipsum satis est causę seruandæ
transactionis, quòd à lite discedatur.l.i. & ibi Bart. C. de errore calculi. Li- 7
cet autem transigere de omnibus ciuilibus controuersijs, præter quàm de il-
lis, in quibus ex peculiari causa prohibeť, ut de distrahẽdo matrimonio, quod 8
semel extitit, transigere non licet.c.final.ext. de transact. Nec firma habe- 9
tur transactio, quæ cum eo facta est, cui in Testamento in futurum relicta
sunt alimenta, nisi principis aut prætoris decretum interuenerit, aut manife-
stè appareat eius conditionem, qui est alendus, ex transactione factam esse
meliorem.l. cùm hi. ff. eodem, & C. eodem.l. de alimentis, sicut & alioquí
de omnibus controuersijs, quę ex Testamento proficiscuntur, transigí nõ po
test, nisi prius inspectis uerbis Testamenti.l. de ijs.ff. eodem, Et regulariter 10
prohibita est fieri transactio, de rebus Ecclesiasticis, quia speciem habet Si-
moniæ.cap. constitutus, & cap. præterea. extr. eodem.

At in criminalibus causis hæc obseruatur distinctio iuris, quòd si crimen 11
tale sit, ut ll. autori irrogent extremum supplicium, & quemlibet accusatorem
de populo admittant, sicut fit in crimine publico, tum liceat Actori cum Reo
transigere, propter metum periculi, in quo uterque uersatur, nam talis accusa
tor subire pœnam rei cogitur, si non probat crimen, cuius Reum accusauit,
Iure Romano .l. finali. C. de accusat. & inscript. Itaque conceditur illi, ut si
metuat se posse probare crimen intentatum, ab accusatione desistat, & de iniu
ria cum Reo transigat. l. transigere. C. eodem. Si uerò Reus deprehenditur
aliquid dedisse accusatori, pro confesso habetur, l. in fisci. ff. de iur. fis. Cæte-
rùm Reus transactione ita dimissus non penitus liberatur, sed licet alij pro-
pter idem crimen in iudicium eum uocare, quia crimen publicum est, l. qui
cœlum. §. finali. ff. ad l. Iuliam de ui pub. Secus fit in crimine priuato, ut est 12
furtum, iniuriæ. Cuius persecutio illi solùm datur, qui eo læsus est, ergo cùm
eius iniuria Reo per transactionem remissa est à læso, non potest ab alio por
rò inquietari Reus.

A Regula autem publicorum criminum excipitur adulterium, nam de eo 13
fieri transactionem prohibitum est. l. transigere. C. eodem. De alijs quoque
criminibus, in quorum ultionem non est constituta pœna capitis, non ualet
transactio, præsertim à Reo quęsita, nam fateri Reus crimen uidetur, qui trans
actionem quærit. l. in omnibus .ff. de prœuaricat. Itaque cùm publicè inter-
sit delicta, quæ in confesso sunt, non manere impunita. l. Ita uulneratus. ff. ad
l. Aquiliam, nihilominus punitur. Ab hac regula excipitur crimen falsi. Hu 14
ius uerò diuersitatis in iure transigendi diligenter causas inquirit Bart. cir. l.
transigere. C. eodem. Fit autem transactio scriptura interueniente apud iu- 15
dicem, uel non, ac sic quidem facta, semper firma est ad excipiendum, non au-
tem si nudo tantùm pacto facta est. Nonnunquàm etiam stipulatione fit transi 16
actio .l. siue apud acta. C. eodem, & ibi gloss. Aliquando etiam iuramentum
adhibetur, & grauis pœna constituitur in eum, qui illud negligit. l. si quis ma
ior. C. eodem. Verùm quia transactionibus sæpe cupimus omnes causas lí-
tium, quæ inter disceptantes sunt, tollere: Aquiliana stipulatione nonnun-
quàm etiam in transactionibus utimur. Nam cùm naturalia non nisi natura-
libus, & ciuilia ciuilibus tollantur, sępe accidit, ut obligationes naturales per
acceptilationem, adeòque ciuilem modum tollendi obligationes tolli non pos
sint, in transactionibus, necesse est hac ambage nos uti, ut primùm per stipu-
lationem Aquilianam omnem obligationem, qua nobis obstrictus est is, cum 17
quo transigere uolumus, innouare hoc modo: Quicquid mihi debes ex qua-
cunque causa, illud animo nouandi mihi promittis te præstiturum. Nam ubi

promissor

promissor responderit, se id promittere, tum ex quacunque causa aliquid illi debuit, iam ex stipulatione debere illi incipit, ac proinde per acceptilationem rectè illi debita in transactione remittit. l. ut responsum. C. eodem. Præterea potest transactio fieri sub conditione, aut purè, aut pœna adiecta, sicuti alij
18 quidam contractus. l. cùm proponas, & l. promissis. C. eodem. Quoquo modo uerò facta fuerit, ut ualeat, necesse est, hinc inde à transigentibus aliquid retineri, aut dari, aut ut minimum promitti, nam hæc formalis eius differentia est, qua differt à pacto gratuito, & donatione, quòd gratis non fiat. l. transa-
19 ctio nullo dato. C. eod. Causa autem finalis non uitiat transactionem, nisi ma-
20 nifesta improbitas transigentis in ea appareat. l. si maiores. C. eod. Legitimè uerò facta transactio non minoris est autoritatis, quàm res iudicata. l. minorem. C. eod. Ac si quidem generalis transactio est, generalem quoq; præbet exceptionem. l. sub prætextu. ff. eod. Si specialis, datur etiam exceptio speci-
21 alis. l. siue certa. C. eod. Dissoluitur transactio communi partium consensu. l. si diuersa. C. eod. Non autem uni soli ex illis licet ab ea recedere. l. quamuis. C. eodem. Præter has autem causas non facilè rescinditur, quia litium uaria semina ex eius dissolutione sparguntur, unde nec si fundus, qui causa transactionis datus est, euincatur, eius obligatio tollitur. Sed actio petendi, quod promissum est, ex præscriptis uerbis datur. l. si pro fundo. C. eod. Imo nec si Imperator iubeat eam reuocari, eius obligatio legitimè semel constituta tollitur. l. eius. C. eod. Tanti ubique in ll. fiunt pacta, quibus lites remouentur fauore tranquillitatis publicæ.

ff. C. & in Decret.

De Transactionibus.

DE OBLIGATIONIBVS quæ ex delicto oriuntur.

Caput XXIX.

SVMMARIVM.

1. De delictis quæ furtim & clam fiunt.
2. Delictorum uaria genera.
3. Furtum quasi genus est delictorum.

1 POST tractationē obligationum, quę ex contractibus & pactis existunt, dicendum nunc est de obligationibus, quæ ex mero facto oriuntur: non autem obligamur alijs ex puro nostro facto, ni
2 si & læsi uideantur. Itaque receptum est, ut ex delicto nasci dicantur, quæ in genere ex facto oriri dici poterant. Atque sunt quidem uaria delictorum genera, sed nos de illis iuxta eam distinctionem, quam suprà in ca. unde oriantur obligationes, posuimus, ordine dicemus. Ponuntur autem in ea distinctione primo loco delicta, quæ clam & fraudulenter fi-
3 unt, & inter ea furtum quasi genus est, & communem habet noticiam reliquorum eiusdem notæ. Quare & nos illi primum locum tribuemus.

DE FVRTO.

Caput XXX.

SVMMARIVM.

1. Furtum quid sit, definit Azo. 2. Quæ ad furtum requirantur.
3. Immobilia & incorporalia non furantur.
4. Contrectatione resistit furtum.
5. Fullo uel sarcinator quomodo furti incusari possint.
6. Meretricem rapiens fur non est.
7. Furtum duplex, manifestum, nec manifestum.
8. Pacto posse furtum remitti.

PLACET definitio Azonis, quæ dicit, furtum esse fraudulosam contrectationem rei alienæ, mobilis & corporalis, quæ fit inuito domino, lucri faciendi gratia, uel ipsius rei, uel possessionis, uel usus. nam ea plenior est ea quæ ponitur l. i. ff. eod. Ac si pro bē consideretur, penè aperit uniuersam noticiam huius delicti, ut quis inde statuere de facto certa ratione possit, an furtum dici mereatur, id quod in declaratione obligationum, quæ ex delictis nascuntur, præcipuè ostendendum & obseruandum est. Nam scire, quando, & quas ob causas ali cui possit illud, aut illud delictum imputari, est tenere modos, quibus obligatio delicti existit. Iam igitur indicat definitio, eum demum rectè posse dici cōmisisse furtum, in quo euidens sit doli machinatiō. Vnde palàm est, quòd mente captus non faciat furtum, etiamsi alienam rem surripiat. Neq; is argui furti potest, qui errore ductus, alienam rem pro sua abstulit, sicut infrà de facti & Iuris ignorantia, latius ostendemus. Deinde fit furtum in aliena re, nam qui ex bonis eius, quem putabat mortuum, cùm uiueret, pro hærede res apprehenderit, furtum non fecisse iudicatur, l. qui ex bonis. ff. eod. Itaq; qui rem, quam ex aliqua probabili causa suam æstimauit, abstulerit alteri, furti accusari non potest. Item furtum committitur in re mobili & corporali, quia immobilia & incorporalia apprehendi, ut auferantur, non possunt, l. seruus. §. neque. ff. de acquirendo rerum dominio. Præterea sine contrectatione rei non fit furtum. Itaque opem ferre, uel consilium dare ad faciendum furtum non nocet, nisi contrectatio secuta sit. l. si quis uxori. §. neque. ff. eod. Contrectare autem non is solùm dicitur, qui manibus rem apprehendit, sed qui quoquo modo eam abducit ex domini possessione. Inuito uerò domino dicitur quis contrectare rem alienam, non si manibus & pedibus reluctetur dominus, uerumetiam, si sciat rem suam sibi surripi, aut non possit prohibere, aut cùm possit, tamen propter uerecundiam aliquam quiescat. l. si quis consciret. ff. eod. Postremò, ut furtum factum uideatur, necesse est rem alienam sui lucri causa esse subtractam à fure, nam si quis ob aliquam aliam causam, alteri aliquid subduxerit, furti incusari non potest. Fullo igitur uel sarcinator, qui polienda uel sarcienda uestimenta accepit, si fortè ea induat, furtum ex contrectatione rerum fecisse uidetur. l. fullo. ff. eod. Non autem fur iudicari potest, qui meretricem libidinis causa rapuit. l. uerùm. ff. eodem. Qui uerò iam enumeratis modis rem alienam contrectauerit, ex furto, si id est manifestum, hoc est, si deprehensus est in ipso furto, obligatur ad restituendum quadruplum. Si uerò furtum non est manifestum, sed de eo post factum fur conuictus est, obligatur ad duplum. Aut potest cum eo etiam mitius condictione furtiua, uel rei uendicatione agi, sicut infrà in actionibus audiemus. Nam hic sufficit ostendisse, ad quam pœnam siue compensationem ex delicti obligatione quis propter quodq; delictum obligetur. Illarum enim exolutione tolluntur obligationes ex delictis natæ. Peculiare uerò est in furti obligatione, quòd pacto remissorio quoque tollitur ipso iure. l. si unus. §. pactus. ff. de pactis. Rei autem furtiuæ extinctione non tollitur furti obligatio. l. inter omnes. ff. eodem.

1
2
3
4
5
6
7
8

ff. C. & in Decretalibus, de Furtis.
Et Instit. de Obligationibus quæ ex delicto nascuntur.

QVI OBLIGENTVR ex furto suorum. Cap. XXXI.

SVMMARIVM.

1. De furtis seruorum & familiæ.
2. Noxæ dedere quid sit.
3. Nautæ, caupones, stabularij in duplo tenentur.
4. Tignum furtiuum æstimatur. 6. Tignum quid significet.

SI autem

1 SI autem unus ex seruis, aut tota aliqua familia furtum faciat, do-
2 minus obligatur ad soluendam æstimationem rei furtiuæ, uel si nolit facere, noxium seruum, aut familiam noxæ dedere, hoc est, corpora eorum, qui furtum fecerunt, propter delictum actori addicere. l. 1. ff. de noxal. actio. Atque datur quidem hæc facultas dedendi corporis quod deliquit, uel furti æstimationem dandi domino, quoties ignorante eo furtum factum est, nam si sciente eo factum est, tum & suo & singulorum seruorum nomine conueniri potest, nec una æstimatione, quàm homo liber sufferret, defungi poterit. l. 1. ff. si famil. fur. feciss. dic. Tenentur & illi ad restitutionem in duplo, qui naues, caupones, aut stabula exercent, si à quoquo eorũ, quorum opera in sustinendo tali exercitio utuntur,
3 furtum factum esse dicitur. Quanquam autem hæc obligatio inter eas alioqui referatur, quæ ex quasi delicto oriuntur, tamen libuit eius hic mentionem facere, quia ad perspicuitatem conducere iudico, si eiusdem delicti species coniungantur.

DE FVRTO, QVO ALIENA materia in ædificium translata est.

Huius furti obligatio uariat à generali, ergo ab ea separanda fuit, nam cũm
4 tignum furtiuum ædificio iniunctum est, non permittitur, ut quis illud resti-
5 tuat petenti, sed dupli æstimatione obligatur. Tigni autem appellatione omnis materia, ex qua ædificia constant, uenit.

ff. De tigno iniuncto.

DE STATV LIBERO HAEREDITATEM non aditam depopulante. Cap. XXXII.

SVMMARIVM.

1. Depopulator hæreditatis, dupli actione tenetur.
2. Dominus non habet furti actionem cum seruo.

1 TENETVR & ille dupli solutione, qui cũm in Testamento liber esse iussus est, ante aditam hæreditatem aliquid ex ea surripuerit, aut dolo interuerterit, ut ad hęredem non ueniret, fretus hac fiducia, quòd propter imminẽtem libertatẽ tanquam seruus coerceri non possit, neque damnari tanquam liber, quia nõdum adita hæreditate manumissus non est, ac proinde ab hæredibus non potest cõ-
2 ueniri, dominus enim non habet furti actionem cum seruo suo, quia cum his, quos in potestate habemus, non magis, quàm nobiscum agere ipsi possumus, l. nec cum filio familiàs. ff. de furtis. Ne contrahant igitur confidentiã effugiendæ pœnæ furti, Prætor naturali æquitate motus statuit illum obligari ad dupli solutionem, qui tale quid ausus fuisset.

ff. Si quis Testamento liber esse iussus fuerit, & post mortem domini ante aditam hæreditatem surripuisse quid dicetur.

DE SACRILEGIO, & peculatu. Cap. XXXIII.

SVMMARIVM.

1. Sacrilegium fieri multis modis.
2. Circumstantiæ in sacrilegio attendendæ.
3. Peculatus crimen quando committatur.
4. Publica pecunia quæ habeatur. 5. Res fisci quæ.
6. Peculatus conuicti deportantur.

1 CANONISTAE uolunt fieri sacrilegium, cũm sacrum de sacro, uel
2 sacrum de nõ sacro, uel non sacrum de sacro aufertur. xvij. quęst. iiij. c. qui rapit, & ibi gloss. Sed ll. tum solũm fieri dicunt, cũm sacrum de sacro sublatum est. l. Diui. ff. ad l. Iuliam peculatus. Pœ-

na sacrilegij capitalis est, sed licet tamen magistratui pro qualitate personæ, proq; rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexus, uel seuerius, uel clementius statuere .l. sacrilegi capite. & l. sacrilegi pœnam .ff. ad l. Iuliã peculatus.

Porrò peculatus crimen committitur, si quis pecuniam sacram, religiosam, 3
publicãmue auferat, aut intercipiat, aut efficiat, ut ab alio auferatur, nisi hoc fortè illi per legem licuerit: aut si in aurum, argentũmue, aut æs publicum aliquid indat, uel illi admisceat, quo id peius fiat.

Publica autem pecunia ea solùm habetur, quæ est urbis Romanæ, non ali 4
arum ciuitatum. Nam quod illis subtrahitur, furto ablatum habetur. l. hoc pecuniam .ff. de furtis.

Sub pecunia autem urbis Romanæ, accipiendæ sunt res fisci, nam & iste 5
peculator habetur, qui à debitore fisci, per dolum aliquid aufert. l. sacrilegi capite. §. Labeo. ff. ad l. Iuliam peculatus.

Habetur quoque huius criminis Reus, qui in tabulis pub. minorem pecu-
niam, quãm quid uenierit, scripserit, aliũdue simile admiserit, & qui prędam ab hostib. captam surripuit. l. hac lege. & l. pecul. ff. ad l. Iuliam pecul. Iuben 6
tur deportari, qui huius criminis conuicti sunt. l. iij. ff. ad l. Iuliã peculatus.

Cæterùm in ff. adiungitur crimini peculatus, aliud quoddam illi non dis-
simile, quo quis publicam pecuniam in usum aliquem delegatam sibi retinet. Itaq; ueteres dixerunt illum de residuis teneri, & pœna in eum statuta est, ut amplius tertia parte, quam ex residuis debet, puniatur, ita ut ultra summam residui tertiã totius soluere cogatur. l. iij. §. l. Iulia. ff. ad l. Iuliam peculatus.

ff. ad l. Iuliam peculatus, & de sacrilegijs & residuis.

C. de crimine sacrilegij.

De crimine peculatus.

DE EXPILATORIBVS

Caput XXXIIII.

SVMMARIVM.

1. Expilatores esse fures atrociores.
2. λωποδύται qui sint.
3. Expilatorem hæreditatis ad pœnam furti non obligari.
4. Extraordinaria cognitio quæ dicatur.
5. Saccularij & directarij puniuntur pro modo furti.
6. Furtum per uiolentiam factum improbius censetur.
7. Furta domestica leuiora per patremfamilia uindicari queunt.

Scholion. Lopodytas uocant eos, qui uestes furturantur, quos scribunt illæsos permisisse Dionysium, non quidem ut impunitate cresceret audacia, & aleretur au gesceretq; flagitium, sed ut ea ratione Syracusanos à commessationibus & ebrietatibus, quibus nimio plus distinebantur, abduceret, Cælio teste lib. 22. cap. 18.

Saccularij autem intelliguntur, qui uetitas artes exercẽt, ac in sacculos partem subducunt, partem subtrahunt.

Sunt & Directarij, quos multi diætarios etiam dicunt, quòd in alienas se dirigant domos, tanquam τοιχοβάται, ut uocant Græci. Idem Cælius eodem loco.

Expilatores.

TEXTVS in l. i. de effractoribus & expilatoribus dicit, expilato- 1
res esse fures atrociores, & Græcè eos appellari λωποδύτας, cu- 2
ius uocis Etymologia significat eos sic esse uocatos, qui uestibus homines exuissent, unde satis manifestum est, ueteres sub appellatione expilatorum comprehendisse eos fures, qui ita alios suis rebus spolient, ut ne pilum illis reliquum faciant: sicut etiam testatur Asconius circ. secundam actionem in Verrem. Et in hac generali significatione agitur de hoc crimine, in titulo ff. de effractoribus & expilatoribus. Postea in sequenti titulo, Expilatæ hæreditatis, & in C. eodem titulo, specialiter de 3
expilatione hæreditatis hanc ob causam agitur, quia ad pœnam furti non obli-

gatur,

gatur, qui aliquid subtrahit de hæreditate, nondum occupata ab hærede, nam rei, quæ sine domino est, furtum non fit. l. ulti. ff. de commu. expilat. hæred. Itaque cum eadem obligatio ex utroque crimine oriri non posset, necesse fu it legibus ea delicta separare. Ex neutro autem illorum delictorum quis ad
4 certam pœnam obligatur, quia cognitio eorum extraordinaria est, hoc est, arbitrium statuendi de talibus furibus pœnam, liberum est ei, qui de illis co gnoscit. l. i. ff. de effracto & expila. & l. ij. ff. expilat. hæreditatis. sicut & Sac
5 cularij & Directarij puniuntur pro modo furti, grauiore pœna, quàm simplices fures, pro iudicis arbitrio. l. saccularij. ff. de extraordinarijs criminibus.
6 Idem fit in reliquis omnibus furtis, quæ propter aliquam circumstantiam ui
7 olentiæ improbiora censentur. iuxta titul. de furibus Balnearijs. Quædam etiam furta publicè iudicari prohibentur, ut sunt domestica leuiora. Nam ea leges per patresfamilias uindicari iubent. l. respiciendum. ff. de pœnis.

DE PLAGIARIIS.
Caput. XXXV.

SVMMARIVM.

1. Plagium quid sit.
2. Plagij pœna capitalis.
3. Princeps & autor delicti iustè tenetur.
4. Correpti serui obligatio pœnalis.

1 INTER furta ponitur & Plagium, sed hoc nunquam furtum dici potest, cùm res tantùm sunt surreptæ, nam liberorum, aut alia rum personarum, quæ nostro iuri subiectæ sunt, abductio propriè uocatur Plagium: id uerò fit, cùm quis alienis liberis uel ser uis persuadet, ut nescientibus parentibus aut dominis aufugiant, aut cùm quis fugitiuum seruum, aut liberum hominem tanquam suum uendit, sciens esse alienum. l. penult. §. ulti. ff. ad l. Fauiam de plagiarijs. Sicut autem in cæteris speciebus omnibus furtorum, necesse est ea considerari, quæ in generis tractatione annotauimus obseruanda, Ita & in hac specie furti requiritur, ut talis abductio fiat inuitis & nescientibus parentibus, aut dominis, per dolum, & non per errorem, ut satis perspicuè indicant ll. tituli
2 huc peculiariter pertinentes. ff. & C. Ad l. Fauiam de Plagiarijs. Pœna autem Plagiariorum capitalis est semper, & ob id eius cognitio habetur ordinaria, licet permittatur iudici, ut pro modo delicti eam mitiget & exasperet. l. ult. ff. & C. ad l. Fauiam de plagiarijs.

Si uerò quis seruum alienum prauis suis colloquijs & instigationibus deteriorem tantùm faciat, & non ad fugam eum impellat, aut pro suo uendat, is obligatur ad solutionem dupli eius precij, quo seruus antequam corrumperetur ab eo æstimatus est isto anno. Duplatur quoq; damni æstimatio, quod domino, postea quàm corruptus fuit, dedit. Neque refert an ad corruptorem
3 res domino surreptæ fuerint perlatæ, an ad alium. Etenim iustius est eum teneri, qui princeps fuerit delicti, quàm eum quæri, ad quem res perlatæ fuerint. dd. cir. §. omnes autem actio. Instit. de Actionibus, contendunt ad similitudinem corrupti serui etiam obligari ad eam pœnam eos, qui corruperint alicuius liberos. Hæc de furtis sufficiant.

ff. & C. de seruo corrupto.

DE FALSARIIS.
Caput XXXVI.

SVMMARIVM.

1. Falsarius quis dicatur.
2. Falsitas est imitatio ueri.
3. Falsum committitur non solùm literis, & imitatione, sed etiam lingua.

4. De falso dicto, & mendacio.
5. De corruptoribus monetæ.
6. Falsarius quis habeatur.
7. Vendens eandem rem duobus, falsarius est.
8. Liberti fingentes ingenuitatem falsarij sunt.
9. Mutatio nominis in fraudem facta pœnam falsi meretur.
10. Monetæ corruptæ pœna concrematio.
11. Falsa mensura usus tenetur ad duplum.
12. Crimen falsi ad aliam obligationem transferri potest.
13. Falsi tractatio quibus titulis contineatur.

FALSARIVS dicitur impostor, qui imitatione ueri suum eom- 1
pendium alterius dispendio per dolum quærit, Ideo nanque in Authentico de instrumentorum cautela & fide, Imperator Iusti nianus falsitatem dicit aliud nihil esse, quàm imitationem ueri, 2
cuius sententia magis perspicua est in Græco textu, propter uo-
cem, qua utitur in exprimenda ista imitatione, & eam παρεκποίησιν uocat. Non tamen imputari illi crimen falsi potest, qui sine dolo aliquid effingit. l. nec Epistola. C. ad l. Corneliã de falsis. Sępissimè autẽ hoc crimen committi tur in tabulis, & Instrumentis publicis aut priuatis, ut in Testamentorũ tabu lis, & rationibus non rarò euenit, ut quędã ascribantur aut deleantur, aut alia quadam uia contra uoluntatem testatoris, aut eorum, quorum interest, tabu las integras accipere. l. i. §. qui in rationibus, & l. qui Testamentũ. & l. Pau-
lus. ff. ad l. Corneliam de falsis. Et peculiariter de Testamentorum depraua tione in titulo C. de his, qui sibi adscribunt in Testamento. Nec minus fre 3
quenter falsum dicitur, quãm scribitur, nam & eius delicti multa & lucrosa 4
est occasio improbis, præsertim in dicendo testimonio, & in allegationibus falsarum legum, ferendisq; sententijs. l. i. in princ. & l. ulti. ff. ad l. Corneli-
am de falsis. Non tamen statim incidit in hoc crimen, qui mendacium dicit, nisi id ad pertrahendum iudicem, ut perperam de causa pronunciaret, fecisse deprehendetur. l. quid sit falsum, & l. si quis obrepserit. ff. ad l. Corneliam de fal. Nonnunquam ipsarum rerũ depraua tione falsum committitur, uidelicet, 5
si quis publicam monetã radat, tingat, uel fingat, aut mensuras publicas uen dendo uel emendo non probatas habeat, illisqũe utatur, aut partum mu-
lieri supponat. l. quicunque. & l. qui falsam. & l. penult. ff. ad l. Corneliam de fal. Et de falsarijs monetæ peculiariter agitur titulo in C. de falsa moneta. Cę terũ non illi tantũm iudicantur falsarij, qui ipsi tale quid, cuiusmodi exempla iam recensuimus, fecerunt: uerumetiam illi, quorum subministratione, aut do lo tale quid factum est. l. qui Testamentum, in fin. ff. ad l. Corneliam de fal. Item falsarius habetur, qui falsis instrumentis, aut testibus, aut nummis sci- 6
ens utitur, aut qui proba instrumenta apud se deposita communicauerit ad-
uersario deponentis. Nam & fraudulenta captatio facti, pro falsa habetur, eti amsi res per illum non corrumpatur, unde ll. & illum iudicant falsarium, qui 7
eandem rem duobus in solidum diuersis contractibus uendidit. l. qui duobus. & l. i. §. is qui. ff. ad l. Cornel. de falsis. & C. eod. l. si falsos. Olim quoq; liberti 8
iudicati sunt falsarij, qui se finxerant ingenuos, ut ad honores publicos ad-
mitterentur, iuxta tit. C. ad l. Viscelliam, uerũm quia nouissimo iure, liberto-
rum & libertinorum sublata est differentia, ita ut liberti pro ingenuis habean tur, saluo iure patronorum, Auth. ut liberti dec. ingen. habeã. Non uiden-
tur hodie incidere liberti in crimen falsi, etiamsi ut ingenui publicos honores appetiuerint, quia leges iudicant eos esse ingenuos. Alias tamen falsi Reus agitur, quicunq; conditionem mentitus est, ad imponendũ alijs, ut si quis pro milite se gerat, & falso diplomate utatur, ut tutò commeare possit. iuxta l. eos qui. §. finali. ff. ad l. Corneliam de falsis. sicut & ille meretur pœnam falsi,

qui no-

9 qui nomen in alterius fraudem mutat. C. de mutat. nom. Puniuntur autem falsarij pœna deportationis, publicatis illorum etiam olim bonis, l. i. §. fin. ff. ad l. Cor. de fal. Sed nouissimo iure si habuerint ascendentes uel descendentes hæredes, bona eorum non publicantur, Auth. ut nul. iudic. liceat habere loci seruat. §. final. Sed hæc pœna licet generaliter in omnes falsarios constituta sit, tamen grauior quibusdam imponitur à ll. & licentia est iudici eam
10 pro qualitate falsi moderari. Nam pœna corruptæ monetæ est autoris concrematio. l. penultim. C. de falsa moneta. Etenim uiolatæ quoque maiestatis teneri uidet, qui tale quid ausus est. Itaq; longè seuerius cum falsarijs monetę,
11 quàm cum reliquis agitur. l. i. C. de falsa moneta. Rursum quoq; cum quibusdam mitius agitur, ut qui falsa mensura usus est, tenetur ad duplum, & relegatur. l. penult. ff. ad l. Corneliam de falsis.

Potest quoque ipse Actor crimen falsi, ad aliam obligationem transferre, si
12 ciuiliter Reum actione in factũ conueniat, ut suum interesse expetat, iuxta
13 l. penulti. & ulti. & ibi gloss. C. ad l. Corneliam. Cæterùm hæc generalis tractatio falsi continetur in titul. C. & ff. ad l. Corneliam de falsis, & ad S. C. Libonianum, & in Decretalibus de crimine falsi.

DE CALVMNIATORIBVS, PRAEuaricatoribus, & Tergiuersatoribus. Cap. XXXVII.

SVMMARIVM.

1. Calumniari quis dicatur. 2. Calumnia euidens pœnam meretur.
3. Calumniatoris pœnam esse legitimam.
4. Præuaricator quis dicatur.
5. Aduocati collusores qui sint.
6. Præuaricatoris pœna extraordinaria.
7. Tergiuersarij qui dicantur.

POSSENT isti iudiciorum peruersores simpliciter inter falsarios poni, nisi ll. eos propriis appellationibus, & pœnis, ab illis discreuissent, uisum igitur & nobis est utile, separatim de illis agere.
1 Calumniari autem dicitur, qui sciens falsa crimina alteri intendit in iudicio, non enim protinus calumniator est, qui non probat, quod intendit, nam inquisitioni cognoscentis committitur, ut uideat an Actor iusto errore ductus, crimen intenderit, quod probare non possit, an euidenti calumnia suscepisse accusationem deprehendatur. l. i. ad S. C. Turpi-
2 lianum. Propter euidentem enim calumniam solùm quis subijci legitimę pœnæ potest, non propter eam, quæ ex suspicione aliqua præsumitur. Est autem
3 legitima pœna calumniatoris, ut eidem pœnæ subijciatur, cui reus subiectus fuisset, si eum criminis, quod intendebat, conuincere potuisset. l. ult. C. de accusationibus, & ibi gloss. In quibus autem casibus quis sine metu calumniæ possit aliquem accusare, ostendit Panormitanus, c. ij. extr. de calumniatoribus. Et in C. sub eadem epigraphe extant utiles alię regulę de hoc crimine in
4 singularibus casibus iudicando. Porrò pręuaricator is dicitur, qui colludit cũ Reo proprias probationes dissimulãs, & falsas Rei excusationes admittẽs. l. i. §. pręuaricatorem. ff. ad Turpilianum. Ac propriè quidem sic uocatur, qui in publico iudicio diuersam partẽ adiuuat, prodita sua causa. l. i. ff. de pręuaric. Sed καταχρησικῶς etiã Aduocati in priuatis iudicijs colludentes sic uocant
5 l. i. C. de aduocatis diuersorum iudiciorum. Extraordinaria & in arbitrio cognoscentis est pręuaricatoris pœna. Hoc tamen obseruari Imperatorem suum uoluisse Paulus in l. ab Imperatore. ff. de præuaricat. dicit, ut in crimi-
6 nibus extraordinarijs præuaricatores eadem pœna afficiantur, qua tenerentur, si ipsi in legem commississent, qua Reus propter præuaricationem absolutus

absolutus est. Et l. si is. ff. eodem, dicit eum fieri infamem, qui cùm sciat se excusari à calumnia (sicut pater excusatur, si non probet cædem filij ab eo factam, quem accusauit) præuaricator esse pronuncietur.

Tergiuersarij uerò dicuntur, qui ab accusatione publica, non impetrata abolitione in uniuersum, desistunt. l. i. ff. ad Turpilianum. Pœna talium est in famia, & v. libræ auri. Permittitur tamen iudici, ut extraordinariè de illis iudicet, iuxta gloss. in capit. i. extra. de collusione detegenda. 2

DE CAPTATORIBVS Munerum.

Caput XXXVIII.

SVMMARIVM.

1. Ambitus crimen quod sit.
2. Quomodo liceat offerre pecuniam pro publico munere consequendo.
3. Iudicis pœna uenalem sententiam ferentis.
4. Inter falsarios numerantur, qui sui cõmodi causa publica autoritate abutuntur.

QVI ambitiosè suffragia hominis clancularijs largitionibus emũt, ut ipsis publica munera & dignitates conferantur, illi incidunt in crimen ambitus, & centum aureis cum ignominia puniuntur. ff. ad l. Iuliam de ambitu. unde & Canones legum ciuilium imitantes exemplum, prohibent ecclesiasticas functiones pecunia comparari, & statuunt in eos tanquam flagitiosos pœnam, qui tale quid admisisse deprehensi sunt, extr. de simonia, & in tit. Ne præ. uic. suas uel eccle. sub ann. cens. conced. Non autem illi tantùm committunt crimen ambitus, qui pecunia uoluntates suffragatorum sibi deuinciunt, uerumetiam illi, qui subdolis precibus iudicantium animos in suas partes trahunt. Itaque ll. Romanæ subijciunt pœnę ambitus reum & accusatorem, qui domum iudicis ad solicitandum eum ingrediuntur. §. finali. ff. ad l. Iuliã de ambitu. Qui uerò publicè offerunt suam operam ad sustinendam aliquam administrationem publicã uel priuatam, illi non possunt accusari, si modò constet, quòd iuuandi animo id faciant. l. i. ff. de pollicitationibus, & de administratione tutorum. l. non existimo. & Bart. cir. l. Barbarius. ff. de officio Prætoris, diligenter inquirit atque ostendit, quando liceat alicui promittere pecuniam, ut ipsi munus publicum conferatur. Porrò siue quis per ambitum, siue legitima electione præfectus sit alicui administrationi, si patitur se corrumpi muneribus, quò magis aut minus quid ex suo officio faciat, ll. uolunt ut minimè id ferat impune. Ac si quidem ciuiliter malignè ab eo acceptum repetatur, iubent in quadruplum eum damnari. ff. & C. ad l. Iuliam repetundarum. l. i. Si uerò criminaliter accusatur, pœna arbitrio iudicis in eum statuitur. l. antepenult. §. final. ff. ad l. Iuliam repetundarum. Quatenus uerò publica officia gerentes, minus aut magis quid ex officio suo fecisse dici possint, uix explicari potest. Nam officiorum publicorum munia uarijs legibus in quaq; repub. mandantur. Itaque sufficiat generali exemplo delictum neglecti propter munera officij publici declarasse. Vt si iudex uenalem sententiam ferat, aut pœnam atrocioris criminis alicui accepta pecunia remittat, obligatur ærario publico ad restituendum in quadruplo, quod accepit, uel subijcitur pœnæ, quam cognita causa iudex in eum statuerit. Etsi uerò ita delinquentes non puniantur l. Cornelia de falsis, tamen inter falsarios numerantur, qui sui commodi causa peruerse abutuntur publica autoritate. 1 2 3 4

DE INCANTATORIbus, & Ariolis.

Caput XXXIX.

SVM-

SVMMARIVM.

1. Ariolorum & incantatorum atrox pœna.
2. Ex malis moribus bonæ leges natæ sunt.
3. Mathematici qui dicantur.
4. Mathematicam non esse uetitam ab Imperatore.
5. Magiæ professores dici Mathematicos.
6. Malefici qui dicantur.

1 ATROCITAS pœnæ, quæ ab Imperatoribus Romanis in Ariolos & Incantatores constituta est, indicat eius seculi homines nimis quàm religio Christiana ferat, illis tribuisse: ut necesse fuerit durioribus ll. in eos animaduerti, qui tales artes profiterentur, ad deterrendum alios. Nam ferè ita fit, ut iuxta prouerbiũ, 2 ex malis moribus bonę ll. nascantur, sed in illis ipsis legibus diligenter aduertendus est usus uerborum, ne committere in eas ll. quis iudicet eos, quorũ professio ab istis artibus est alienissima. Nam in epigraphe, atque etiam ll. de 3 hoc genere delicti agentibus, Mathematicorum appellatione non sunt accipiendi illi, qui Siderum motus, positiones, & qui ex illis sequantur effectus, quamq; in inferioribus corporibus habeant uim, inquirunt, sed qui præscientiam futurorum sibi arrogant ex quibusdam obseruationibus, quæ superstitione hominum potius, quàm aliqua probabili causa rerum nituntur. Et satis apparet tales diuinatores dictos esse Mathematicos, propterea quòd multi prætextu præclarissimæ artis Mathematicæ Magiam professi sint. Itaq; propter hominũ uitium malè cœperunt audire Mathematici, ipsiusq; profes- 4 nis appellatio odiosam significationem sortita est. Quòd uerò Imperatores non damnarint ueros Mathematicos, liquet ex l. eorum est. C. de maleficis & Mathematicis, in ea nanque lege crimini eximuntur, qui tempestates fu- 5 turas prædicunt, quod proprium est Mathematicorum. Quare non est dubi- 6 um magię professores hoc loco dici Mathematicos. Malefici uerò in eod. tit. uocantur, qui arte magica & incantamentis aliorum saluti insidiantur, & usq; adeo quidem ll. detestantur tales artes, ut nec dignitati parci uelint, quin tormentis subijciatur, qui istis deditus deprehendatur. Ac si earum professores circumeundo uenditent tales artes, iubent eos concremari. Illos uerò qui ultro eos accedant, ut aliquid consilij ex illorum artibus percipiant, capite plecti iubent. l. nullus. l. nemo. & l. si excepta. C. de Maleficis, & Mathematicis, & cæteris similibus. & in decretis, xxvi. q. i. & ij. Hęc de delictis, quę furtim & clam fiunt: sequitur ut dicamus de illis, quæ palàm & uiolenter fiunt.

DE VI PVBLICA ET priuata. Cap. XL.

SVMMARIVM.

1. De delictis quæ palàm & uiolenter fiunt.
2. Violentiæ nomen generale esse.
3. Vim facere quid sit.
4. Omne multiplex indistinctũ parit confusionem.
5. Vis publica quæ uocetur.
6. Reipublicæ interest arma non moueri.
7. Deportationem esse pœnam uiolentiæ.
8. Vis priuata quando committatur.
9. Priuata uis criminaliter quæsta infamat.

1 VIOLENTIAE nomen adeo generale est, ut sub eo penè om-
2 nia delicta comprehendi possint. Nam quid aliud est uim facere,
3 quàm alterius res, aut corpus, contra ius inuadere. Siue igitur id
fiat insidiosè, siue apertè, nõ dubium est, uim esse factam, uerũm
4 quia omne multiplex indistinctum, parit confusionẽ, ideo libuit

delicta

delicta seperare, ut seorsim primùm de insidiosis, nunc de apertis agerem. Di uiditur autẽ omnis uis in publicã & priuatam. Publicam uocant, quę fit armis uel quocunque genere teli, quo quis alij possit nocere, non enim licet nobis arma sumere, nisi ad nostri defensionem, & ll. administrantibus. Ergo qui arma sumunt ad inuadendum alios, non modò ipsis, in quos ea stringunt, sed & reipub. cuius interest, arma nõ moueri, nisi ea requirente, uim inferunt. Atq; huius quidem uis exempla satis multa extant in ff. ad l. Iuliam de ui publica. Itaq; superuacuum duxi ea hic plurib. recensere. Pœna autem huius uiolentiæ est, Deportatio, si à libero facta est. Nam à seruo nesciente domino admissa, punitur ultimo supplicio. l. seruus. C. ad l. Iuliam, de ui publica & priuata. Porrò priuatam uiolentiam committi uolunt, cùm quis sine armis in alterius res, aut corpus impetum facit, ut si quis id, quod sibi deberi putat, non apud iudicem, sed manu sua reposcat, & debitori eripiat. Is autem, qui talem uim perpetrasse conuictus est, mulctatur tertia parte bonorum, & fit infamis. l. ult. ff. Ad l. Iuliam, de ui priuata. nisi fortè ciuiliter, & non criminaliter de ui quæratur.

DE CRIMINE LAESAE MAIESTATIS, & seditiosis. Cap. XLI.

SVMMARIVM.

1. Maiestatis crimen summum.
2. Quando maiestatis crimen committatur.
3. Perduelles olim, nunc hostes uocari.
4. Maiestatis rei qui dicantur.
5. Seditiosi qui uocentur hodie.
6. Conatus in crimine proditionis punitur.
7. Proditionis pœna grauissima.

SVMMVM crimen uis publicæ est, quod in maiestatem publicam committitur, id uerò fit non solùm, quando quis principis saluti insidiatur, uerumetiam quando aduersus Rempub. aliquid hostile molitur. Itaq; hoc crimine tenentur, qui quoquo modo hostes adiuuant. Ac propriè quidem illi, qui hostium rebus studuisse deprehensi erant, olim habiti sunt perduellionis rei, nam ueteres eos, quos nunc hostes appellamus, perduelles uocare soliti sunt. l. quos nos. ff. de uerb. signi. Maiestatis autem rei dicti sunt, qui in caput principis aliquid meditati fuerant per conspirationem ad euertendum reip. statũ. Sed hoc discrimen appellationis non ita seuerè obseruatum est, ut non & perduelles aliquando dicti sint maiestatis rei. Et hodie promiscuè ferè omnes illi, qui quoquo modo reip. statum labefactare conati sunt, seditiosi uocantur, quanquam propria significatione uocabuli illi soli sic appellentur, qui tribunitijs clamoribus plebem aduersus magistratum concitant. Quare non est superstitiosè innitendum appellationis proprietati in denotandis his delictis. Nam pari pœna quoq; puniuntur, nimirum capitis, omnes illi, qui facto aut consilio rempub. prodiderunt, aut prodere suis factionibus conati sunt. Nam in hoc crimine etiam conatus punitur, & in filios delinquentis extenditur uindicta, omnibus nanq; bonis paternis priuantur, & omnium cognatorum successione excluduntur, atq; notati infamia paterna ad nullos honores admittuntur. Filię tamen accipiunt Falcidiam ex bonis maternis. l. quisq;. C. ad l. Iuliam maiestatis. Itẽ ff. eod. & C. de seditiosis, & his qui plebẽ audent contra Rempub. colligere. Et in glos. cir. Clementinam pastoralis. De sententia & re iudicata.

DE HAERETICIS ET apostatis, atque schismaticis. Caput XLII.

SVM-

SVMMARIVM.

1. Hæretici, apoſtatæ, ſciſmatici idem ſunt in eccleſia, quod ſeditioſi in republica.
2. Hæretici qui dicantur. 3. Sciſmaticus quis ſit.
4. Apoſtatæ qui dicantur.
5. Iulianus Imperator fuit apoſtata.
6. Magiſtratus publicæ religionis reuerentiam conſeruare debet.
7. Leges contra hæreticos, & quos Canoniſtæ ſciſmaticos haberi uolunt.

QVOD in repub. ſunt ſeditioſi, idem ſunt hæretici, & apoſtatæ, & ſciſmatici in eccleſia. Hæretici enim dicuntur, qui contra manifeſtam uerbi dei doctrinam & ueritatem impias opiniones in uulgus ſpargunt, easq; pertinaciter defendunt. Non enim eſt hæreticus, qui à ritibus eccleſiaſticis hominum traditione conſtitutis recedit, & ab illis uariat, ſed ſciſmaticus. Nam hæreticus eſt, qui contra articulos fidei, aliquod impium dogma defendit, non qui diuerſis ritibus tantũm, & non impijs utitur. Apoſtatæ uerò dicuntur, qui cũm fidem catholicam ſemel amplexati ſint, poſtea ab ea recedunt, & uerbi dei doctrinam, tanquam ſtultam deridẽt & inſectantur, ſicut Iulianus Imperator feciſſe perhibetur. Pertinet autem ad magiſtratum publicæ religionis reuerentiam, quantum in ipſis eſt, conſeruare. Itaq; ll. Romanæ capite plecti eos uolunt, qui impios errores contra autoritatem uerbi dei, defendere non ceſſant, aut blaſphemas uoces in ipſam religionem iactare non uerentur. Item iubent ll. hæreticorum, & apoſtatarum teſtamenta & donationes reſcindi, & bona eorum publicari, niſi habeant liberos aut cognatos catholicos. l. quicunq;. C. de hæreticis. & l. finali. C. de apoſtatis, & in Decretalib. ſub ijſdem titulis. Nulla eſt autem conſtituta pœna in ſciſmaticos ll. ciuilib. quamuis Canoniſtæ uelint eos excommunicari, & ordine moueri. cir. c. quoties. i. q. vij. & extr. de Sciſmaticis. Sed Canoniſtæ contra primitiuæ eccleſię conſuetudinẽ ſciſmaticos haberi uolunt, qui ab eccleſia Romana quoquo modo diſſentiunt. An autem eius ſuæ opinionis ſatis iuſtam habeant cauſam, non eſt huius loci inquirere.

Hæreticus.

Sciſmaticus.

Apoſtata.

DE CONVENTICVLIS.

Caput XLIII.

SVMMARIVM.

1. Collegium quod ſit licitum.
2. Scelerati homines cœtibus utuntur pro ſuæ malitiæ officinis.
3. Cœtus ſeu collegia facere ſine magiſtratus autoritate non licet.

CAVENDARVM conſpirationum cauſa, ll. nullum collegium uolunt eſſe licitum, quod principis, adeoq; magiſtratus autoritate non coierit. Experientia nanque docet, quòd rebuſpub. periculoſum ſit permittere, ut homines, quæcunq; uelint, celebrent collegia. Nam ſcelerati homines talibus cœtibus libenter utuntur pro officinis, in quibus præformant animos ad mouendas ſeditiones, & ſpargendas hæreſes. Proinde non minore pœna puniri præcipiuntur à ll. illi, qui ſine magiſtratus autoritate cœtus faciunt, quàm qui hominibus armatis loca publica, uel templa occupaſſe iudicati ſunt. l. quiſq;. & l. collegia. ff. in ſumma. ff. de collegijs & corporibus.

DE SICARIIS ET

Veneficis. Cap. XLIIII.

SVMMARIVM.

1. Cur titulus de ſicarijs. & non homicidis inſcribatur.
2. Homicidia data opera & cum dolo perpetrata.
3. Sicarij qui dicantur. 4. Sica, omne genus telorum comprehendit.

5. Venenum occidendi causa ministrantes, sicarios quoque esse.
6. Falsum testimonium proferens, propter quod aliquis condemnatur, tenetur (pœna legis sicariæ.
7. Voluntas occidendi punitur.
8. Voluntas in maleficis spectatur, non exitus.
9. Sicarij, uenefici & incendiarij capite puniuntur.

QVM in hoc titulo ll. agãt de omnis generis homicidis, mirari quis posset, cur de sicarijs magis, quàm de homicidis inscribatur. Sed ea inscriptio non caret ratione. Nam in hoc titulo non de homicidijs agitur, quæ casu aut permittentibus ll. fiunt, sed quæ data opera & cum dolo perpetrantur. Itaque rectius de sicarijs, quàm de homicidis inscribitur. Dicuntur enim sicarij, qui telum quodcunq; animo occidendi hominem gerunt, nam per interpretationem extensiuam sub sicę appellatione omne genus telorum comprehenditur. §. item lex. Cornelia. Instit. de publicis iudicijs, sicut pœna sicariorum extenditur non solũ in eos, qui ipsi in alios gladium strinxerunt, aut uenenum malum occidendi eius causa ministrauerunt, uerumetiam qui causam mortis præbuerunt, Vt sunt qui dolo malo falsum testimonium dicunt, ut quis cãpitali iudicio damnetur, aut uenenum uendũt illis, quos sciunt aliquid machinari in alterius mortem. Solet & in hoc crimine puniri uoluntas, etiamsi effectus non secutus sit, si animo occidendi telum gestasse, & in alium misisse conuictus est. In maleficis enim uoluntas spectatur, non exitus. l. diuus. ff. Ad legem Cornel. de sica. & l. is qui. C. eod. Atq; uidentur quidem ll. ideo tam seuerẽ prosequi sicarios, quia non potest non esse nefarium, quod de cæde hominis ultrò cogitatur. Nam qui in rixa, aut defendendi sui causa, aut casu cędem fecerunt, cum illis mitius agi uolunt, sicut infrà in materia legis Aquiliæ audiemus. Cæterùm sicarij & uenefici puniũtur capite, iux. l. Corneliã. qua pœna & incendiarios teneri eadem uult lex. l. iij. §. legis Cornelię, & l. si quis dolo. ff. eod.

1
2
3
4
5
6
7
8
9

DE PARRICIDIS.

Caput XLV.

SVMMARIVM.

1. Cur pœna parricidij à Romulo nulla instituta fuerit.
2. Sexcentis annis Romæ parricidium nullum patratum fuisse.
3. Res omnes tempore fieri deteriores.
4. Violenta remedia decent uiolentos.
5. Pœna parricidij qualis sit.
6. Conscios eadem pœna plectendos.
7. Lex Pompeia in parricidas.

FERVNT Romulum ideo nullam pœnam in parricidas instituisse, quia existimarit impossibile esse, ut quis tam immane flagitium committere auderet, neq; sexcentis quidem annis post illum quisquam Romæ tam dirum facinus perpetrauit, sed sicut aliæ omnes res tempore fiunt deteriores, ita posterioribus seculis nullum scelus tam fœdum, tamq; immane fuit, quod homines perpetrare ausi non fuissent. Quare legum latores coacti sunt, uiolentis remedijs occurrere sceleratis. Et sanè grauis pœna in parricidas constituta est, quamuis tale flagitium mereatur grauiorem, si ullam inuenire maiores potuissent. Etenim iubent leges eos primùm cędi uirgis, donec sanguis ẽ corpore defluat, deinde culeo insui, cum cane, gallo gallinaceo, uipera, & simia, atq; ita in mare, aut profluentem iactari. Eadem pœna plecti uolunt conscios, & qui quoquo modo adiutores illis fuerunt. Prętera lex Pompeia non solũm eos parricidij reos iudicat, qui parentes aut liberos occiderunt, uerumetiam qui fratrem, sororem, maritum, uxorem, generum, nurum, & similes personas, quæ cognationis, aut beneficij necessitudine ita nobis deuinctæ sunt, ut meritò eas parentum

1
2
3
4
5
6
7

rentum, aut liberorum loco habeamus, interfecerunt, ſicut manifeſtē oſtendunt ll. ff. ad l. Pompeiam de parricidijs. & in C. de his qui parentes uel liberos occiderunt.

DE ADVLTERIS, STVPRATORIBVS, INCOESTVOSIS, LENONIBVS, & raptoribus.

Caput XLVI.

• SVMMARIVM.

1. Matrimonij uiolatio crimen eſt cædi proximum.
2. Adulterium in nuptam, ſtuprum in uirginem committi.
3. Matrimonij nec ſpes quidem uiolari permittatur.
4. Maritus rem habens cum ſoluta non dicitur adulter.
5. Incœſtus quis dicatur.
6. Lenocinium qui committat.
7. Raptus quid ſit.
8. Pœna adulterij quando capitalis.
9. Patri, aut marito quando occidere adulterum liceat.
10. Seruus cum domina rem habens quomodo puniatur.
11. Raptus pœna mors eſt.
12. Matrimonium inter raptorem & raptam Canones permittunt.

CAEDI proximum crimen eſt, uiolatio alieni thori, nam ea diſſoluitur ſocietas, ex qua omnis neceſsitudo in hac uita, tanquam ex fonte oritur. Committitur autem adulterium propriè in nuptam, Stuprum uerò in uirginem & uiduam: nupta autem intelligitur etiam ſponſa, quia nec ſpem matrimonij uiolari permittitur. l. inter liberos. & l. ſi uxor. ſ. diuus. ff. Ad l. Iuliam de adult. cohe. & ſtupro. Itaq; ſi maritus rem habeat cum ſoluta, propriè adulter dici non poteſt, licet matrimonium propter talem fornicationem diſſoluatur. Neq; committitur ſtuprum in mulierem, quæ pudicitiam proſtituit. In puero autem compreſſo ſemper committitur ſtuprum. l. ſtuprum. ff. eod. Incœſtus uerò dicitur cœitus, qui fit cum ſanguinis, aut affinitatis, uel religionis contumelia. l. ſi adulterium. in princ. ff. eodem. & copioſe in xxxv. diſt. per omnes quæſtiones. Lenocinium autem committit, qui quæſtum ex adulterio uxoris facit, aut qui deprehenſam in adulterio uxorem retinet. l. mariti. & l. is cuius. ſ. ſi uir. ff. eod. ff. ad l. Iuliam, de adulterijs, & C. eod. l. ij. & l. caſtitati. Rapina fit, cùm quis honeſtæ famæ fœminam, ſiue uirgo, ſiue uidua, ſiue monialis ſit, inuitis illis, in quorum eſt poteſtate, abducit. Neq; enim refert, an quis uolente an nolente rapta id faciat. Nam uis quæ parentibus aut curatoribus fit, maximè ſpectatur. Atq; adeo quidem ll. ciuiles oderunt raptores, ut nec illum liberent crimine rapinæ, qui ſponſam ſuam inuitis parentibus abducat. C. de raptu uirgi. ſeu uidu. nec non ſancti. Sed canones ſtatuunt crimen raptus non cõmitti cum ſponſa, aut cum ea quæ uolens raptorẽ ſecuta eſt, & permittunt, ut cum rapta matrimonium contrahat raptor. extra. de raptoribus.

Porrò pœna adulterij in maſculo eſt capitalis, nam Conſtantinus Imperator ſacrilegos cenſet, qui cùm ipſi habeant uxores, contaminare tamen alienum thorum non uereantur. l. quamuis in fine. C. eod. Fœmina uerò nouiſſimo Iure in monaſterium mitti iubetur. Auth. ut nulli iudi. liceat habere loci ſeruatorem. ſ. ſi uerò quando. Atque hac quidem pœna plectitur à publica perſona adulter. Sed odio talis delicti etiam priuatæ perſonæ patris permittitur uindicta, ſi adulterum cum filia in domo ſua, aut generi, deprehendat in ipſa turpitudine, nam iſto caſu ll. permittunt patri, ut utrunq; in continenti occidat. l. quod agit lex. ff. eod. Marito uerò non licet nouiſſimo iure adulterum occidere, niſi antè ter illi adhibitis teſtib. denunciauerit, ut abſtineat à colloquio & conſuetudine ſuæ uxoris. Auth. ut liceat auiæ & matri. ſ.

penult. Stupratoribus aufertur dimidia pars bonorum, si honestioris ordinis
Pœna stupri. fuerint. Si uerò uilis est persona stupratoris, tum relegatur, & in corpore co
ercetur. Instit. de publicis iudicijs. §. i. In puerum autem commissum stupri punitur gladio, l. cùm uir. C. eod. Item tutor qui constuprauit pupillam, deportatur, & bona eius publicantur. C. si quis eam cuius tut. fuer. corru. Seruus quoque qui cum domina rem habuit, durius punitur, nam igne comburitur, & domina eius capite plectitur, & bona eius perueniunt ad cognatos. C. de Mulierib. quæ se pro. ser. iunx. Incœstum qui sciens admisit, adulteri pœna punitur, si uerò absque contumacia iuris commissus est, pœna mitigatur. l. si adulterum. ff. eod. Est & lenocinij coniugatorum eadem pœna, quæ adulterij. l. si quis adulterum. in fine. ff. eod. Raptores autem subijciuntur pœnę mortis, ac si rapta fuerit ingenua, etiam bona raptoris illi adijciuntur, nisi fortè matrimonium eius expetiuerit. Nam tum amittit ius petendi eius bona, tanquam ea quæ nefarias nuptias quęsiuerit. Auth. de rapt. muli. quæ rapt. nubunt. Puniuntur quoque cum raptore omnes illi, quorum opera adiutus est, ut raptam abducere possit, ac si tales fuerint serui, ignis pœnam subeunt. C. de raptu uirginum. Canones minus seuerè hoc crimen insectantur, ita ut etiam permittant matrimonium inter raptorem & raptam contrahi. xxxvi. q. i. & ij.

DE PRAEDONIBVS, ET DIreptoribus, atque incendiarijs.

Caput XLVII.

SVMMARIVM.

1. Prædones, & direptores numerari inter fures.
2. Prædo quis dicatur.
3. Abigeos esse, qui pecora ex pascuis abducant.
4. Arbores alienas succidentes, prædones haberi.
5. Ex incendio rapere quis dicatur.
6. Ex ruina, naufragio, rate aut naui qui rapiunt, prædones sunt.
7. Expugnatores ædium & uillarum eadem ruta puniunt.
8. Incendiariorum pœna quæ sit.

INTER fures numerari prædones & direptores possent, si prædam sine aperta ui agerent, & res alienas diriperent. Cùm uerò ipsorum furta non fiant absq; magna uiolentia, rectè à furibus separantur. Nam Prædò dicitur, qui alienas possessiones
Prædo. infestat & ui depopulatur, sicut faciunt abigei, qui pecora ex
Abigeus. pascuis uel armentis subtrahunt. Nam qui bouem aberrantem abducit, non est abigeus, sed fur, & cùm durissimè puniuntur, ad gladium damnari solent, alioquí in opus nonnunquam temporarium dantur. ff. de abigeis. Possunt & inter prędones numerari, qui furtim alienas arbores succidunt, etiamsi animo auferendi id non faciunt. nam & illi infestant alienas possessiones, obid. l. sciendum. ff. arbo. fur. cæsa. tales tanquam latrones puniri iubet. Nec dissimiles prædonibus sunt, qui ex incendio, ruina, naufragio, rate, aut naui expugnata aliquid diripiunt. Ex incendio autem rapere dicitur, qui propter tumultum & trepidationem incendij ex flagrantibus ædibus, aut uicinis aliquid surripit. Sic ex ruina rapere dicitur, non tantùm, qui ex illis quæ ruerunt, uerumetiam qui ex adiacentibus aliquid aufert. Ex naufragio uerò non rapit, qui rem in littore iacentem tollit, sed qui eo ipso tempore, quo naufragium fit, res ejectas diripit. E rati aut naui expugnata rapere uidetur, qui cùm in prælio nauali inter piratas uersetur, nauem spoliat. Cùm igitur magna sit improbitas, ex alieno periculo sumere occasionem prædandi, ll. iubent ingenuos isti crimini obnoxios fustibus cędi, & in triennium relegari, sordidiores

in opus

in opus publicum eiusdem temporis dari. Seruos uerò flagellis cæsos in metallum damnari. Atq; hoc quidem fit, cùm criminaliter accusantur. Nam ciuili actione conuenti tenentur in quadruplum. l. i. ij. & iij. ff. de incend. rui. naufra. rate naui expug. Eadem autem iura locum habent in expugnatoribus ædium & uillarum. l. ij. §. Labeo. ff. eod. Cæterùm qui data opera incendium faciunt, iubentur igne necari. Si uerò casu, id est, negligentia, aut noxam sarcire coguntur, aut si minus idonei sunt, leuius castigantur. l. qui ędes. & l. qui fortuito. & l. fin. ff. de incend. rui.

DE VIOLATORIBVS sepulchrorum. Cap. XLVIII.

SVMMARIVM.

1. Violatores sepulchrorum qui censeantur.
2. Ad interesse obligari uiolatores.
3. Inhumanitas creditorum iure nouissimo coercita.

RESTANT pauca quædam uiolentia crimina specialiter à legib. annotata, quæ & si minus habeant sæuitiæ quàm superiora, tamen quia & in illis euidens est uis, meritò inter crimina, quæ fiunt aperta ui, numerantur. Violare autem sepulchrum censetur, qui dolo malo aliquid inde aufert, cuius sublatione species monumenti deformatur, sicut fit, quando columnæ aut statuæ, uel alioqui saxa fabricandi aut uendendi gratia ex eo transferuntur, & qui tale fecisse deprehensus est, obligatur ad interesse eorum, ad quos pertinet sepulchrum, & fisco pœnę nomine inferre cogitur decem pondo auri. Neq; uolunt quidem tales uiolatores minoris ad interesse damnari centum aureis. Nam prętor tantundem petendi facultatem etiam illis dat, quorum non interest sepulchrum non esse uiolatum, ut sunt extranei. l. iij. ff. de sepulchro uiolato. & C. eod. l. qui sepulchra. Verùm qui corpora extrahunt, uel ossa mortuorum inde proiiciunt, aut cadauera spoliant, in eos capitaliter animaduerti ll. iubent. l. iij. §. aduersus. & l. ult. ff. eod. Præterea cùm quidam essent tam inhumani, ut propter debita non uererentur animam agentibus esse molesti, constitutum est nouissimo iure, ut qui audeant debitorum morientium ædes ingredi, & absque iudicis autoritate aliquod pignus sibi sumere, uel ui obstare, ut funus non fiat, nisi prius soluantur debita, ius petendi debiti amittant, & hæredibus defuncti tantum quantum debitum fuit præstent, cum iactura tertiæ partis bonorum suorum, quam pati loco mulctæ coguntur. Aut. ut defunct. seu fun. illor. non iniur. & Aut. ut cum de appella. cog. §. meminimus. prohibetur, ne intra nouem dies ab obitu cuiusquam aliqua suscipiatur actio contra necessarios defuncti, sed si quid secus fit, pro inutili habetur.

DE TERMINO MOTO. Caput XLIX.

SVMMARIVM.

1. Termini qui dicantur.
2. Ad quid ponantur.
3. Publicè interest, distinctos esse limites.
4. Pœna termini moti quæ sit.
5. Ex sylua nouale facere.

TERMINI dicuntur signa ex lapidibus, siue ex alia quacunq; materia in limitibus agrorum posita, ad distinguenda rerum dominia. quia uerò publicè interest, distinctos esse limites agrorum, constitutum est, ut qui extra suum gradum positos terminos dolo malo mouerint, pro singulis quinquaginta aureos in publicum dent. Ac siquidem quis conuincatur terminos protulisse occupandorũ

alienorum causa, pro conditione personæ & ætatis relegatur. Si uerò fortuitò lapides terminorum quis sustulerit, uerberib. cæditur. l. ij. & iij. ff. eod. Censentur autem & illi mouere terminos, qui faciem locorum mutant, puta ex sylua, nouale faciunt, ut distinctionem limitum obscurent. l. finali. ff. eod. 5

DE CONCVSSIONE.

Caput L.

SVMMARIVM.

1. Concussores qui dicantur.
2. Pœna concussorum quæ sit.
3. Accipiens pecuniã ab innocente, ne falso eum deferat, lege Cornelia tenetur.

CONCVSSORES dicuntur, qui prætextu publicæ potestatis amplius quiddam, quàm illis iure debetur, per comminationem ab hominibus extorquent, & qui tale quid amisisse conuicti sunt, coguntur ablatum restituere, & officio iudicis coërcentur. l. i. ff. eod. sed si quis ideo accipiat pecuniam ab innocente, ne falso crimine eum deferat, is tenetur lege Cornelia de falsis. 1 2 3

DE EFFRACTORIBVS Carcerum. Caput LI.

SVMMARIVM.

1. Effractores carceris capite puniri.
2. Negligentia custodum.
3. Parietes perforantes, & fores effringentes furti faciendi causa, inter effractores censeri.

INTER crimina uiolentiæ ponitur & carceris effractio. Nam quamuis fortè innocẽtes ex eo crimine inueniãtur propter quod impacti sunt in carcerem effractores, tamen conscij criminis uidentur, in eo quòd ui carcerem effringunt. Itaq; capite iubentur puniri. l. i. ff. de effractoribus. sed l. in eos. ff. de custodia reorum, capitis pœnam in innocentes non constituit, sed simpliciter puniendos eos esse pronunciat. Cæterũm si per negligentiam custodum euadunt, leniùs puniri ll. eos permittunt. l. i. ff. de effractoribus. In eodem tit. agitur & de illis, qui furti faciendi causa parietes perforant, aut fores effringunt, sed de illis nos suprà de expilatoribus diximus. 1 2 3

DE RECEPTORIBVS.

Caput LII.

SVMMARIVM.

1. Receptorum pœna.
2. Reipub. interesse, ne crimina maneant impunita.
3. Sceleratos fouere in præiudicium reipub. est uiolare fidem publicam.
4. Occultatores nocentum cognati & affines mitius puniuntur.

PARI pœna puniuntur criminis rei, eorumq; receptores. Nam cùm interfit Reipub. ne crimina maneant impunita, uiolare fidem publicam iudicantur, qui sceleratos secum fouent, in præiudicium reipub. Itaq; si quis cesset Iudici postulanti tradere nocentem, etiam bonis mulctatur. Agitur tamen mitius cum cognatis & affinibus nocentum, si eos occultauerint. ff. eod. & C. de ijs qui latrones uel alijs criminibus reos occultauerint. 1 2 3 4

DE INIVRIIS.

Caput LIII.

SVMMARIVM.

1. Iniuria quid uocetur.
2. Contumelia æstimatur in iniuria.

6. Qui

2. Qui iniuriam facere non possint.
4. Iniuriam ex affectu facientis consistere.
5. Iniuria fit tripliciter, re, uerbis, literis.
6. Corporis læsio contumeliosa.
7. Verberare & pulsare qui dicantur.
8. Domus aliena ui ingressa.
9. Iniuria manu facta lege Cornelia coërcetur.
10. Iniuriæ condemnatio per iudicem fiat.
11. Actio prætoria de iniurijs.
12. Duo esse genera iniuriarum realium.
13. Conuicium quando fit iniuria.
14. Maledictum infamandi causa factum. 15. Nocentes infamare licet.
16. Astrologus non tenetur iniuriarum, propter professionem.
17. Iniuriarum non tenentur, qui probare possunt, se nihil in alios dixisse animo iniuriandi.
18. Executio iuris non habet iniuriam.
19. Affectus infamandi spectatur.
20. Si quis Imperatori maledixerit.
21. Principis esse maledicta contemnere.
22. Pyrrhus ebriosorum adolescentum maledicta contempsit.
23. Lubricum linguæ non facilè ad pœnam trahendum.
24. Libellus famosus est iniuria grauissima.
25. Qui crimina diffamat, præmium consequitur.

1 QVICQVID in alterius contemptum fit, iniuriam propriè uocamus, atq; ideo delicta huius notæ sic discernuntur à superioribus quòd in illis damnum & scelus, in his uerò contumelia æstimetur.
2 Proinde quoque censentur iniuriam facere non posse, in quos affectus contumeliæ alteri faciendæ non cadat, quales sunt, impu-
3 bes, furiosus, & his similes. Iniuria enim ex affectu facientis consistit. l. illud.
4 ff. eod. Porrò iniuria fit aut re, aut uerbis, aut literis. Re, Quando alicuius
5 corpus, aut dignitas, aut fama alterius facto lædítur. Corpus autẽ lædítur, cũm
6 contumeliosè aut pulsatur aut uerberatur, nam lex distinguit istorũ duorum
7 uerborum significationem, & dicit eum uerberare, qui cum dolore aliquem cædat, pulsare uerò, qui sine dolore alicui manum inferat. Atq; illi quidem,
8 qui hoc modo intulisse iniuriam conuicti sunt, & illi qui alienam domum ui
9 introierint, l. Cornelia, de iniurijs tenẽtur. Omnis etenim iniuria, quæ manu
10 fit, Cornelia lege coërcetur. l. lex Cornelia. ff. eod. Vult autem lex Cornelia, ut iniuriæ condemnatio fiat æstimatione iudicis, & non eius, qui iniuriam pas-
11 sus est, sicut fit in actione prætoria de iniurijs. Itaq; qui manu iniuriã alicui fecerunt, tenentur ad soluendam pecuniæ summam, qua iudex iniuriam æstimauit compensandam. l. constitutionibus. ff. eod. Reliquæ uerò iniuriæ, quæ
12 re fiunt, damnantur æstimatione quærentis de illis. Sunt autem earum duo genera, ut liquet ex diuisione suprà posita, uidelicet earum, quæ inferuntur dignitati, ut cũm comes matronæ abducitur, & earum, quæ infamiam eius spectant, ut est alienæ pudicitiæ sollicitatio. l. 1. ff. eod. His autem generaliter annumerari debent facta, quæ molestandi & iniuriandi alterius causa quoquo modo fiunt. Atq; hæc de iniurijs quæ re fiunt. Ea uerò quæ uerbis fit iniuria,
13 specialem appellationem habet, & dicitur conuicium. Non autem omne ma-
ledictum statim est conuicium, sed illud solũm, quod uociferatione, & in cœtu dictum est. Quamuis autem quodlibet maledictum non possit propriè
14 dici conuicium, tamen iniuriarum tenentur, qui infamandi alterius causa aliquid dicunt. l. Item apud Labeonem. §. conuicium. ff. eodem. Nisi fortè is, cui maledictum est, reus sit criminis, quo traductus est. Nam is, qui

Iniuria fit tripliciter. Re.

Verbis

nocentem infamauit, liberatur à condemnatione iniuriæ.l. eum qui .ff. eod. 15
Item non tenetur iniuriarũ Astrologus, si consultus pronunciet aliquem esse 16
furem, nam professio excusat eum, quippe qui nõ animo iniuriandi, sed iudicij
causa, quærenti ita respondit. l. item. ff. eod. Regulariter enim non tenentur 17
iniuriarum, qui probare possunt, se nihil in alios dixisse animo iniuriandi. l. si
non conuicij. C. eod. sicut nec magistratus iniuria reum afficit, cũm eum in
carcerem duci iubet, quia executio iuris, non habet iniuriam. Cæterũm uer- 18
bis iniuriam alijs affectu infamandi facientes, tenentur ad æstimationem in- 19
iuriæ, quam is, qui passus est eam, fecit, ita tamen ut immodicum quid non
postulet. ℌ pœna. Instit. eod. Si uerò quis Imperatori maledixerit, tum ui- 20
dendum est, an id deliberato animo factum sit, quo casu trãditur maledicus
Imperatori, ut ipse de eo cognoscat, & eum aut prosequatur pœna, aut illi re-
mittat. C. si quis Imperatori maledixerit. At si scurrili quadam leuitate, aut ab 21
ebrio uel furioso tale quid commissum est, magnanimi principis est maledicta
contemnere, sicut ferunt Pyrrhum fecisse, cũm ebriosorum adolescentum ma 22
ledicta in eum iactata illi narrarentur: & humanissimè prohibent ll. Roma- 23
næ, lubricum linguæ facilè ad pœnam trahi. l. famosi. ff. ad l. Iuliam maiesta-
tis. Omnium autem iniuriarum grauissimè punitur ea, quę fit libello famoso, 24
nam siue quis illum ipse scripserit, uel dolo malo curauit per alios tale quid fie
ri, immò qui casu talem libellum inuenit, & non statim corrupit, uel igni tra
didit, capitis pœna damnatur. Si uerò nomen suum, & eius, in quem ædidit, 25
professus est, ciuiliter cum eo agitur: ac si docuerit reipub. interesse, ut crimi
na diffamati fierent nota, etiam præmium consequitur. C. de famosis libel-
lis. De alijs autem iniurijs extra ordinem statuitur pœna, si criminali iudicio
quis de illis experiatur. l. ult. ff. de iniurijs & famosis libellis.

DE DAMNO INIVRIA, uel culpa dato. Cap. LIIII.

SVMMARIVM.

1. Iniuria, quod iure factum non est.
2. Culpa quid esse dicatur.
3. Vinum fugiens, insipidum, mucidum, pendens, cauponæ negligentia.
4. Lex Aquilia duo capita delictorum continet.
5. Actio Legis Aquiliæ cur prodita.
6. Animalia inter pecora quæ numerantur.
7. Vestem alterius inquinare.
8. Lolium in segetem alienam injicere.
9. Damnum dare uel leuissima culpa sufficit.
10. Culpa leuis & leuissima quæ sit.

IN hac forma delictorum iniuria non accipitur pro contumelia, si- 1
cut in proxima, sed generaliter pro eo, quod iure factum non est, 2
ponitur. l. v. ℌ iniuriarum. ff. ad l. Aquiliam. Culpa uerò dicitur
id, quod contra æquum & bonum per negligentiam admittitur,
ut igitur quis uideatur damnum iniuria uel culpa dedisse, necesse
est, factum hominis interuenisse, in quo appareat iniuria aut culpa. Nam ubi
quis sine facto hominis ex ipsa rerũ corruptione sentit damnum, non potest 3
dici cum alterius iniuria, uel eius culpa id accepisse. ut si uinũ fugiens cõmen
detur cauponę uendendum, & paulopõst id fiat insipidũ, non potest Cauponę
negligentia uideri id esse factum, sicut si uinum aliquid uitij, consistens apud
Cauponã, subitò contraxerit. Nam tum certè damnum potest Cauponę negli
gentię imputari, si subitò fiat mucidũ aut pendens. Præterea adeo necesse est
culpã interuenire, ut existat huius delicti obligatio, ut, si damnũ dent, qui qua
tenus alijs noceant nõ intelligant, extra noxã sint, ut si infans aut furiosus det

damnum,

damnum, culpa carere iudicatur, & ideo ex hoc delicto non obligatur. l. v. §. & ideo. ff. Ad l. Aquiliam. Quamuis autem culpa sine dolo esse possit, tamē sæpe nomine culpæ etiam dolus continetur, ut in l. si ex causa. §. mulier. ff. de minoribus, sicut & sub iniuria in hoc genere delictorum uis comprehen
4 ditur, nam duo quasi capita delictorum, quibus damnum per iniuriam & cul pam datur, facit lex Aquilia. Primo capite ponit iniuriam, qua damnum cum internecione rerum datur, & uult, ut qui hominem, uel quadrupedem, quæ pecudum numero sit, occiderit, in tantum domino damnetur, quanti ea res in eo anno plurimi fuerit. Cùm igitur cædes hominis, aut pecoris absq; ui nō fiat, manifestum est, etiam sub iniuria, qua damnum datur, uim comprehendi. Non tenentur autem obligatione huius delicti, nisi qui hominem seruū
5 & pecora occiderunt. Est enim legis Aquiliæ actio prodita, ut priuato iudicio liceret damnum in seruo occiso acceptum prosequi. §. liberum. Instit. Ad l. Aquiliam. Si uerō hoc modo quis damnum suum recuperari nolit, licet etiam l. Cornelia de sicarijs cædem serui sui uindicare. l. unde Neratius. §. sed si
6 dolo. ff. ad l. Aquiliam. Inter pecora uerō solùm illa animalia numerātur, quæ gregatim pascuntur, ut sunt, equi, boues, asini, oues, capræ, sues. Non igitur qui canem, aut felem, aut feram bestiam alterius occidit, obligatione huius capitis tenetur, sed sequentis. Nam secundo capite l. Aquiliæ teneri eos uult Imperator, qui quadrupedem alicuius, quę ex pecudum numero nō est, occiderint, uidelicet, ut damnentur criminis in tantum, quanti plurimi intra xxx. dies proximos ante cædem fuerint. §. capite. Instit. ad. Aquiliam. Et in eod. cap. legis Aquiliæ generaliter ad talem æstimationem & compensationem damni obligantur, quicunq; iniuria aut culpa sua reb. alienis citra internecionem earum ita nocuerunt, ut utilius æstimentur. Itaq; si quis uestem alte
7 8 rius inquinet, aut in segetem alienam lolium iniiciat, iuxt. secundum caput legis Aquiliæ compensare damnum culpa datum cogitur. l. si seruus seruum.
9 §. inquit lex. ff. ad l. Aquiliam. Sufficit enim uel leuissima culpa datum esse damnum. l. in lege. ff. ad legem Aquiliam. Quæ uerò sit leuis & leuissima, lata, latior, & latissima culpa, copiosè ostendit Bartol. circ. l. quod Nerua. ff. depositi. Sunt autem quām plurima exempla damni culpa dati in ff. ad l. Aquiliam, quæ partim repetita sunt in institutionibus, eodem titulo, & pauca quædam etiam in C. de l. Aquilia. Ex quibus quisq; copiosiorem declarationem huius materiæ sibi facilè colliget sine nostra opera.

Primum caput legis Aquiliæ.

Secundum caput.

DE EXTRAORDINARIIS Criminibus. Caput LV.

SVMMARIVM.

1. Nobile officium iudicis ad delictorum coërcionem.
2. Regionum quædam esse peculiaria flagitia.
3. Facere scopelismon.
4. Nili aggeres rumpere grauissimè punitur apud Aegyptios.
5. Iudicis cognitioni proponendū delictum, cui certa pœna legibus nō est statuta.
6. Frumenta ementes attentandæ uel onerandæ annonæ causa iudicis officio puniri.
7. Extraordinaria crimina quare dicantur.

SCHOLION.

Facere scopelismon. Arabum plerosque in prædia inimicorum lapides aggerere consueuisse, quod σκοπελίζειν dicunt, id est, scopelissare, quo significabant interituros malo leto, qui ea colere adorti forent, insidijs illorum qui scopulos posuissent. Quo fit ut nemo audeat crudelitatem ueritus insidiantium. Id inquit Vlpianus, grauiter persequi solent Præsides ad pœnam usque capitis. Meminit Cœlius lectionum antiquarum libro xvij. cap. xxxv.

PRAETER

PRAETER hactenus annotata crimina, multa sunt delicta, quæ meritò inter crimina referuntur, uerùm quia difficile est omnia flagitia enumerare, & speciales pœnas in ea constituere, placuit legum latoribus generali quasi remissione eorum censuram atq; coërcionem nobili officio iudicis committere. Vexantur enim nonnunquam regiones peculiaribus quibusdam flagitijs, tanquam domesticis malis, ut necesse sit eorum animaduersionem committere iudicibus præsidialibus, qui præsenti malo statim occurrere possint, ne latius uagetur, sicut necesse fuit Romanos permittere præsidibus Arabiæ, ut σκοπελισμὸν prosequerentur pœnis, quas tale flagitium mereri putarent. l. sæcularij. ff. eod. Et Aegyptijs concessum est, ut grauissimis pœnis eos subijcerent, qui Nili aggeres rupissent, quia irrigare suos agros alioqui non possunt. ff. eod. l. & tit. & C. de Nili aggeribus non rumpendis. Proinde quoties incidit aliquis casus, in quo sit delictum, quod non coërceatur certa aliqua pœna per ll. constituta, tum illud Iudicis cognitioni proponendum est, ut pro conditione admissi, pœnã in conuictos statuat, ut si qui sunt, qui frumenta coëmunt attentandæ uel onerandæ annonæ causa, aut merces supprimunt, neq; æquis precijs uendere uolunt, quia minus uberes expectant earum prouentus, illis debet aut negotiatione interdici, aut debent relegari, uel in opus damnari à Iudice. ff. eod. l. annonam. & ad l. Iuliam de annona. Idem accipiendũ est de reliquis omnibus criminibus, quorum pœna legibus non est manifestè expressa. Nam ideo talia crimina dicuntur Extraordinaria, quia legitimæ pœnæ in ea non sunt constitutæ.

DE CRIMINE STELLIONATVS.

Caput LVI.

SVMMARIVM.

1. Delictorum uarietas distingui specialibus nominibus non potest.
2. Stellionatus crimen qui incidant. 3. Stellio quale sit animal.
4. Merces adulterinas supponens stellionatus accusari potest.
5. In alterius necem colludens stellionatus tenetur.
6. Impostura criminaliter uindicanda.
7. Stellionatus crimen plectitur extra ordinem.

VIA uerò tanta est uarietas delictorum, ut nec distingui specialibus nominibus inter se per omnia exquisitè possint, statutum est, ut generali appellatione criminis stellionatus accusentur delinquentes, ubicunq; specialis titulus criminis deficiat. Non tamen quolibet modo delinquentes postulari Stellionatus possunt, Sed illi solũm, qui dolo aliquid dignum animaduersione in contractu uel extra designauerunt. Nam ut apparet, ideo huic crimini inditum est nomen Stellionatus, ut significaretur, eos in illud incidere, qui uarijs coloribus imposturarum homines deciperent, aut rebus, uel etiam uitæ eorum callidè insidiarentur. Est enim stellio, unde huius criminis appellatio deriuata esse uidetur, animal lucentibus guttis depictum, sicut lacerta, ut qui merces adulterinas pro bonis supponit, aut alteri obligatas distrahit, uel in alterius necem colludit, stellionatus accusari potest ab eo, qui criminaliter imposturam uindicatam cupit. Sicut autem crimen stellionatus, non est legitimum, ita nec legitima aliqua pœna, de eo prosequendo constituta est, sed plectitur extra ordinem. Hoc tamen in decernenda pœna stellionatus cauetur, ne ea in plebeijs egrediatur opus metalli, in honestioribus uerò contenta sit relegatione ad tempus, uel motione ordinis. ff. & C. eod.

DE DOLO MALO.

Caput LVII.

SVM-

SVMMARIVM.

1. Dolus malus quis dicatur.
2. Bona fides exigit, ne quem circumueniamus.
3. Machinatores in fraudem aliorum ex delicto de dolo obligantur.
4. Technis circumuentus actione de dolo agere potest.
5. Actio de dolo quando competat.
6. Ingratitudinis obligatio ex facto nascitur.
7. Ex facto obligatione contra quas personas agatur.
8. Doli actionem contra parentes & patronos intentare non licet.

1 DOLVS malus dicitur omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita .l. 2 1. ff. eod. Cùm autem bona fides ab omnibus pariter exigat, ne 3 quem circumueniamus, rectè & illi ex delicto obligari iudicantur, qui in fraudem aliorum aliquid machinati sunt. Itaq; si quis 4 criminaliter dolo alterius sibi damnum datum nolit prosequi, licet illi ciuiliter ex dolo agere. nam legib. ciuilib. nobis obligantur ad reddendum, quod ad eos peruenit, quorum technis circumuenti sumus. l. si & ex dolo. ff. eod. ut si 5 quis falso mihi aliquem laudet, & sui lucri causa affirmet, tutò illi me credere 6 merces posse, cùm sciret eum facultatib. labi, conuenire eum ex dolo possum, in quantũ ad eum peruenit lucelli. l. quòd si. ff. eod. Si uerò in delicto non est fraus, ex facto obligatio nasci dicitur, ut si mater ingratum sentiat filium, & cupiat ob id reuocare donationem illi factam, tum ingratitudinis declaratione filius obligatur ad restituendum ea, quæ filio donauit .l. his solis. C. de 7 reuocan. dona. Item ex facti obligatione etiam agitur aduersus personas, 8 quarum reuerentia prohibet ex dolo cum illis agi, ut sunt parentes & patroni, sicut in explicatione actionis in factũ generalissimè, latius indicabimus. Hoc loco sufficiat discentes admonuisse, quòd cùm delictũ alicuius non cadat in aliquam specialem delictorum notam, nec in eo dolus sit, aut si quis est, quæri de eo tanquam de dolo per ll. non liceat, tum nuda relatione facti, de damno delicto alterius dato, queri, & aut ablata restitui, aut eorum æstimatione damnum sarciri, nos petere posse.

QVATENVS EX DELICTO EORUM, qui in nostra sunt potestate, obligemur. Cap. LVIII.

SVMMARIVM.

1. Alienis delictis quomodo implicemur.
2. Domini quatenus obligentur ex delictis seruorum.
3. Idem in animantibus, quod de seruis seruari.
4. Animal non mansuetum, aut fera cicurata damnum dans.

1 HACTENVS exposuimus, ad quas pœnas nostra delicta nos obligent, nunc, quomodo alienis delictis implicemur, ostendemus. 2 Ita uerò obligantur domini ex delictis seruorum suorum, ut siue furtum admiserint, aut bona sua alteri ui eripuerint, aut damnũ dolo uel culpa cuiquã dederint, uel iniuria aliquem affecerint, cogantur aut corpus serui dedere, aut litis æstimationẽ sufficere. Nõ autem possunt domini criminaliter conueniri propter delicta seruorum, & rursum neq; dominis datur potestas dedendi serui, si scientibus illis delictum à seruo commissum est. Nam isto casu etiamsi seruus ad pœnam rapiatur, tamen domini coguntur præstare æstimationem damni. l. si seruus. C. de noxal. act. et ff. & in 3 Inst. eod. Quod autem de seruis diximus, idem ferè obseruatur in animantib. nostris. Nam si animal nostrum, quod inter mansueta numeratur, sine instigatione cuiusquam alicui damnũ det, cogimur aut corpus animantis dedere ei, 4 qui damno affectus est, aut æstimatione damni dati illud redimere. Si uerò secum quis foueat animal nõ mansuetũ, & illud in liberum hominem impetum faciat,

faciat, eiq; noceat, tum, quantum iudex æquum iudicauerit, dominus pro damno dare cogitur. At si in alijs reb. quàm in libero homine alicui damnum datum est, à fera cicurata, tum is, qui fouet feram, dupli solutione illud damnũ cogetur cõpensare. ff. C. & in Instit. Si quadrupes pauperiẽ fecisse dicetur.

DE OBLIGATIONIBVS, QVAE ex quasi delicto nascuntur. Cap. LIX.

SVMMARIVM.

1. Ex quasi delicto quæ obligatio nascatur.
2. Iudex per imperitiam litem suam faciens.
3. Culpa iudicis reprehendenda.
4. Qui deijciendo uel effundendo nocent, tenentur ex quasi delicto.
5. Liberum corpus non recipit æstimationem. 6. Subgrunda quæ sint.
7. Boni patrisfamilias esse, explorare suos, & innocentem habere familiam.

NON dissimiles sunt obligationes, quas Imperator ex quasi delicto 1
oriri uult, illis, quas nos ex nudo facto, in quo nec furtum, nec uis, nec iniuria, aut dolus manifestè deprehenderet, oriri paulò antè diximus. Itaq; & text. Instit. testatur ex illis casib. quos exemplorũ loco eod. tit. refert, id factum agi. Poterant igitur formæ huius obligationis ad generalẽ illam obligationẽ, quę ex facto est, referri, si recedere à uulgata illa distinctione obligationũ sine reprehensione nobis licuisset. Planè enim eod. modo gignitur obligatio ex quasi delicto, quo oritur ea, quę ex facto est. Sed tex. Instit. tantũm quatuor exempla obligationis ex quasi delicto enumerat. Primum est iudicis, qui per imperitiã litem suam facit, nam is, quia non ex industria alteri ex litigantibus nocet, iniuria, 2
aut dolo damnum dedisse uideri non potest, & tamen prorsus extra culpam 3
non est, ut enim non noceat studiosè, tamen ista cupiditas, qua in alterũ litigatorum magis propensus est, quàm in alterum, ex ignorantia Iuris, non effugit reprehensionem. Litem enim suam facere dicitur, qui non solùm iudicis, sed & causidici partes sibi sumit, aut usurpat. Placuit igitur talem iudicẽ ex quasi delicto obligari, & in quantum æquum uideatur iudicantis de eo religioni propter illud admissum damnari. Secus punitur cùm accepta pecunia, & nõ per imperitiam, sed dolo perperam quis iudicauit. Auth. nouo iure. C. de pœna iudicis, qui malè iudicauit.

Iudex faciens litem suam.

Secundum exemplum eorum est, qui deijciendo uel effundendo in publi- 4
cum iter quibusdam nocuerunt, publicè enim utile est, sine metu & periculo per itinera commeari. Tenetur autem de damno sic dato in duplum is, qui in eo cœnaculo habitat, unde aliquid proiectum est, & non dominus ædium. Ac si fortè liber homo periit ex tali deiectione, quinquaginta aureorum sit condemnatio: cùm uerò liberum corpus ex eo, quod deiectum effusumue est, læsum tantùm fuerit, ad impendia, quæ in curatione eius facta sunt, & ad æstimationem operarum, quibus caruit, & cariturus est, ob id quòd inutilis ex læsione factus est, tenetur qui domicilium in eo cœnaculo habet, unde deiectũ est. Hospes autem, qui paulisper tantùm commoratur in aliquo cœnaculo, non tenetur de tali damno, sed is, qui hospitium ei dedit. Nec in æstimatione læsi corporis nulla fit æstimatio cicatricum, aut deformitatis, quæ ex illis est, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem. l. i. & ult. ff. de his qui de- 5
iecerint uel effuderint.

Subgrunda uel subgrundia sunt prominentium tectorum constructiones aut tegulæ propẽdentes extra tectum domus ad munitionem seu defensionem parietum.

Tertium exemplum est planè eiusdem rationis, Nam sicut propter improui-
dentiam puniuntur, ex quorum habitatione aliquid proiectum uel effusum 6
est. Ita etiam illi qui in subgrunda proiectoue circa publicum iter aliquid positum, uel suspensum habent, cuius casus alicui nocere possit. Decem enim solidorũ mulcta in eos cõstituta est, qui ita suspensum aliquid habent. Sed hoc

tamen

tamen inter huius negligentiæ,& alterius obligationem interest, quòd hæc existat etiam, cùm nocitum non est, si modò in tali loco positum, aut suspensum quid sit, quod nocere possit, si cadat. l. Si uerò plures. §. prætor ait. ff. de his, qui deiecerint uel effuderint.

Quartum exemplum est eorum, qui cùm in exercenda naue, aut caupona liberorum, & aliorum hominum opera utuntur, furtum, aut uis ab illis com-
7 mittitur, in rebus, quæ sunt in naue, aut caupona repositæ. Nam cùm bonum patremfamilias explorare deceat, cuius sint fidei & innocentiæ, quorum opera utitur, ex quasi delicto in solidum teneri iudicatur, si quid ex naue, aut caupona istorum hominum furto subtractum, aut dolo uitiatum in ea sit. Secus sit cùm ã seruis exercitoris damnum datum est, nam tum licet seruum noxæ dedere. l. ul. §. hac actione. ff. Nautæ, caupones, stabularij, ut receptarestituant.

DE OBLIGATIONE EX lege. Caput LX.

SVMMARIVM.

1. Ex lege obligari quid dicatur.
2. Arræ acceptæ reddantur in duplum.
3. Lex publica & legis autoritas idem.
4. De coërcenda uiolentia.
5. Hominum malitia nouis uinculis coërcenda.
6. Nouæ constitutiones ad mitigandas pandectarum leges proditæ sunt.
7. Lex, si quis in tantam. C. unde ui.
8. Lex, meminerint.
9. Ex nudo pacto non nascitur obligatio, uel actio.
10. Clientes aduocatis salaria promissa soluant.
11. Stipulatio legis gignit obligationes.
12. Constitutiones congerere longi operis esse.
13. Romanus imperator est legitimus orbis Monarcha.
14. Historiam constituti iuris in qualibet forma iuris conferendam esse.
15. De tribus ultimis libris Codicis.
16. De Municipalibus statutis, & traditionibus ecclesiasticis.

1 VANDO specialiter aliquid prohibetur, aut præcipitur in ll. nec
2 alia in re constituta uersatur obligationis causa, quàm publica autoritas, ex lege obligari dicimur, ut qui acceptis arris uendere domum alicui pollicitus est, si postea recuset stare promissis, cogitur emptori arras in duplum reddere, etiamsi inter contrahentes nihil tale conuentum sit, de reddendis arris, si quem pœniteret contrac-
3 tus. Nam ita lege publica constitutum est, leg. contractus. §. illud. C. de fide instrumen. Ex hoc autem exemplo satis manifestum esse arbitror, quòd non solùm ex contractibus aut delictis, uerumetiam nonnunquam sola legis autoritate ad præstandum aliquid obligemur. Atque in Pandectis quidem nulla sunt obligationis exemplа, præter illud, quo is, qui seruum alicuius de adulterio accusari, & quæstioni illum subijci uelit, duplum precium domino
4 præstare iubetur. l. si postulauerit, in fine, & proximè sequenti lege. ff. ad l. Iuliam de adulterijs. Sed in posterioribus Principum constitutionibus plurima sunt. Ac uidetur huius rei hæc esse causa, quòd in Pandectas redactæ sint generales iuris formæ, quas usus iam tum fecerat in foro consuetas, ut non ex noua constitutione, sed ex longa maiorum approbatione illis uterentur. Verùm subinde rebus exigentibus, ut nouis uinculis hominum mali-
5 tia coërceretur, aut etiam humanitatis causa ueteris iuris seueritas. I quibus-
6 dam casibus mitigaretur, plurimæ sunt proditæ nouæ constitutiones, quæ cùm ã ueteris iuris forma aliquid uarient, & contrà reipublicæ utilitas suadeat, ut eas obseruemus, reliquum fuit, ut iureconsulti deficientibus alijs obli-

gationum causis, nos ad obseruandas tales constitutiones, ex ipsa lege teneri dicerent, ut generali forma ueteris iuris hoc de ui constitutũ est, ut si quis probare possit, se suis possessionib. ui deiectum esse à quopiam, tum obligatur is, qui uim fecit, non solũm ad restitutionem possessionum, uerumetiam ad compensationem damni dati. Hæc uerò generalis forma per l. si quis in tantam. C. unde ui, ita in domino uiolatore correcta est, ut si dominus sit fundi, ex quo possessorem nullo iudiciorum ordine obseruato deiecit, amittat fundi dominium. Proinde non communi forma de ui obligatur dominus uim possessori inferens, sed cum eo ex obligatione legis agitur. Idem ratione aliarum constitutionum fit, quæ speciales uiolentiæ casus continent, & à generali uiolentiæ obligatione nonnihil recedunt, sicut fit in l. meminerint, & in l. inuasor. & l. non absre. & l. cùm quærebatur. C. Vnde ui. Item in l. si constituerit. C. finium regundorum, & in l. ex lib. C. de acquiren. possess. & in Auth. ut nulli iudicum liceat habere loci seruatorem. ff. quia uerò. Nam in his omnib. legib. coërcetur uiolentia, sed noua quadam forma, quam propter legis publicæ auctoritatem meritò obseruamus. Idem fit in alijs multis rerum formis, maximè in ciuilibus negotijs, ubi aliquid constituit, quod generaliter alias non obseruatur, ut ex nudo pacto regulariter non nascitur actio, & tamen, quia in l. properandum. §. penult. C. de iudicijs, constitutum est, ut Clientes aduocatis salaria promissa soluant, legis autoritate firma fit obligatio præstandi nudi promissi, id quod discentibus accuratè obseruandum est; nam & stipulatio legis 11 gignit obligationes, etiamsi in ea non exprimatur, quantum ex ea peti possit. Quare quisque per se in legibus obseruet, ubi speciale quiddam contra communem iuris formam constituatur, aut approbetur. Nam nimis longi operis 12 esset hic constitutiones, unde hæc obligatio existit, uelle congerere.

Porrò sunt & inter titulos Codicis plerique, quorum constitutiones, cùm nec de iure personarum in personas, nec de modis acquirendi res, nec de obligationibus, quibus homines sibi inuicem obligentur, agant, non absre illos quoque obligationem ex lege producere quis dixerit. Nam ad obseruationem eorum, quæ in illis præcipiuntur, propter solam autoritatem constitutionum, tenentur illi, qui eos agnoscunt superiores, aut in ea Republica, in cuius iure talis constitutio extat, uersantur. Vt statim in initio C. prohibet Imperator de rebus fidei temerè disputare, & doctrinam Christianam patrum autoritate receptam in dubium uocare. Ad cuius constitutionis obseruationem obligantur omnes, qui Romanum Imperatorem tanquam legitimum or 13 bis Monarcham agnoscunt. Annotabimus igitur tales titulos, non quòd dubitemus, quenquam per se non posse illos suo studio facilè congerere, sed ut ostendam hanc obligationem necessariò in methodo doctrinæ iuris generalibus formis adiungi, quia multa sunt in eo doctrinæ genere constituta, quæ iuris uim ex sola legis autoritate habent.

SEQVVNTVR TITVLI Cod. AD HANC formam obligationis pertinentes.

Ne sanctum baptisma iteretur.

Nemini licere signum saluatoris Christi humo, uel in silice, seu marmore sculpere aut inpingere.

De Iudæis & Cœlicolis.

De Paganis & sacrificijs & templis eorum.

De precibus Imperatori offerendis, & quibus de rebus supplicari liceat, & ubi.

Vt lite pendente, uel post prouocationem, aut definitiuam sententiam nulli liceat Imperatori supplicare, libro primo Codicis.

De statuis & imaginibus.

Vt

Vt omnes Iudices, tam ciuiles, quàm militares, post administrationem depositam per quinquaginta dies in ciuitatibus, uel cæteris locis maneant.

De contractibus iudicum, uel eorum, qui sunt circa eos, & inhibendis donationibus in eos faciendis, & ne administrationis tempore proprias ædes ædificent.

De errore Calculi.

Vt nemini liceat sine iudicis autoritate signa rebus imponere alienis.

De aleæ lusu, & aleatoribus, in titu. de religiosis & sumptibus funerum.

Quæ res exportari non debeant.

De Eunuchis.

De monopolijs & conuentu negotiatorum illicito, uel artificum, ergolaborum, nec non balneatorum prohibitis & illicitis pactionibus.

Vectigalia noua instituí non posse.

De commercijs & mercatoribus.

Ne fideiussores uel mandatores dotium dentur.

Ne pro dote mulieris bona mariti addicantur.

Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur, libro septimo titul. xxi.

De ædificijs priuatis.

Possunt huc referri & alij quidam tituli C. cuiusmodi sunt: Ne Tutor uel Curator uectigal conducat: Item ne liceat in una eademq; causa tertiò prouocare. Sed quia tales tituli habent formas, quibus subijci possunt, licet ã com-
14 muni eorum iure uarient, libenter illis eos adiungo. Habet enim plurimum utilitatis, historiam constituti iuris in qualibet forma rerum conferre. Nam
15 inde communis formæ uariatio maximè apparet. Itaque difficilius etiam iudico, trium posteriorum librorum C. quasdam constitutiones separatim ad legis obligationẽ cum aliqua luce traducere, quãm eas collatis illis, quibus connunctæ sunt, explicare. Nam cùm in x. lib. de priuilegijs fisci, & munerum immunitate agatur, non absurdum uidetur illis formis iuris adiungi constitutiones, quæ de Canone, aut indictione munerum & exactoribus illorum eodem libro ponuntur. Eodem modo & in xi. agitur de obligatione & periculo eorum, qui conuehunt publicas annonas, sed simul prospicitur illis quoque, quorum patrimonia istis annuis pensionibus onerantur. XII. totus est in describendis dignitatibus & officijs militaribus, in prospiciendo, ne quid exercitui in itinere deficiat. Itaque in eo quoque prohibetur, ne illi infestentur, quorum sedes attingendæ sint. Quamuis & illis constitutionibus teneamur propter publicam autoritatem legis, tamen quia ipsæ res sic cohærent, ut diuelli sine aliquo incommodo explicationis non facilè possint, nolui multam operam
16 in transscribendis illis constitutionibus ponere. Tenemur autem eadem obligatione ad statuta municipalia, & traditiones Ecclesiasticas.

ATQVE SIC ABSOLVIMVS ETIam istum Tractatum de Pactis & Obligationibus.

QVARTA PARS HVIVS METHODI DE DOCTRINA IVRIS CIVILIS, QVAE EST DE Actionibus.

QVID SIT ACTIO. Caput I.

SVMMARIVM.

1. Actionis uerbum generale & ſpeciale eſſe.
2. Actio propriè quid dicatur.
3. Perſonalis actio, condictio uocatur.
4. Perſequi eſt extraordinariam iudicis executionem implorare.
5. Actiones rerum, petitiones & rei uendicationes uocari.
6. Actio eſt aut ordinaria, aut extraordinaria.
7. Depoſiti actio ordinaria eſt.
8. Actio ordinaria & extraordinaria quid ſit.
9. Prçmia profeſſoribus liberalium artium non conſtituta, cognitione iudicis decernuntur.
10. Ordinariam actionem habens, iudicem habet mercenarium.
11. Officium iudicis Extraordinaria actione implorans, nobilẽ habere iudicem dicitur.
12. Actio quando proponi dicatur.
13. Officium iudicis quando imploratur.
14. Actio in genere quid ſit.



CTIONIS uerbum generale eſt & ſpeciale. Nam ſignificatione ſpeciali ſiue propria, Actio dicitur, qua cum eo agimus, qui obligatus eſt nobis ad faciendum, uel dandum aliquid. l. Actionum. ff. de actio. & oblig. Itaq; perſonalis actio propriẽ ſic appellatur, quæ alio uocabulo magis propriẽ etiam condictio uocatur. Illę uerò actiones, quibus res noſtras repetimus, rei uendicationis & petitionis uerbo comprehenduntur, & propriè loquẽdo magis petitiones, quàm actiones eas dicere ſolemus. Quoties uerò extraordinariã iudicis executionẽ imploramus, nõ agere, ſed perſequi nobis debita dicimur. l. pecuniæ. ff. de uerbo. ſig. Propria igitur ſignificatione ſolæ perſonales actiones, uerbo actionis accipiuntur. Sed generali ſignificatione omnis generis actiones eius appellatione continentur. l. actionis uerb. ff. de actio. & oblig. Atq; hac ſignificatione in hoc tractatu actionis uocabulo utemur. Eſt autem actio ſic accepta, aut Ordinaria, aut Extraordinaria. Ordinaria dicitur, cuius forma in petendo ex cauſa debita legibus comprehenſa eſt, ut iudici ab ea recedere nonliceat, ſicut in depoſito, quod quis inuito domino contrectauit, licitum eſt furti cum depoſitario agere: aut ſi quis malit ciuiliter eum conuenire, non ſolũm rem depoſitam, ſed etiam uſuras ab eo petere poteſt, & cogit Iudex depoſitariũ condemnare, ut illas ſoluat. l. iij. C. depoſiti. Hinc eſt quod in Inſtitutionibus actio ſic definitur: Quòd ſit Ius perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur. Actio enim non eſt facultas temerè querulandi in iudicio, ſicut fortaſſe quidam incircumſpecti cogitant, ſed eſt ius, hoc eſt, conſtituta quædam forma in iudicio petendi, non quantum cuique uideatur, ſed quantum illi deberi leges propter quamlibet cauſam exiſtiment. Eſt igitur ordinaria Actio, legitima petendi in iudicio debiti definitio. Extraordinaria uerò actio dicitur, cuius debitum non eſt legibus conſtitutum, ſed in cognitione iudicis conſiſtit, ut quod eius æquitati dignum uideatur, cauſa propoſita pronunciet, ut cũm legibus non ſint conſtituta præmia profeſſoribus liberalium

liberalium artiũ, cognitioni iudicis permissum est, ut illis ex nuda conuentio
10 ne petentibus ea decernat. l. i. ff. de uar. & extraordinar. cognition. Proinde qui ordinariam habet Actionem, iudicem habet mercenarium, quippe, qui
11 cogitur secundum actionis propositæ formam pronunciare. Cũm uerò quis implorat officium iudicis extraordinaria actione, nobilem habere iudicem dicitur, quia in eius arbitrio est, eum ad agendum admittere, uel non, & de eius causa statuere, quod illi æquum uideatur. Nam ideò etiam obseruatur hæc differentia in agendo, ut Actio dicatur proponi, cũm ordinaria actione agi-
12 mus: officium uerò iudicis implorare dicimur, cũm extraordinaria Actio-
13 ne aliquid petimus. Quare ut ambas species actionum sub eadem definitio-
14 ne complectamur, sic in genere actionem definimus, quòd sit petendi in iudicio debiti à legibus constituta, aut iudicis cognitioni permissa deputatio.

DE DIFFERENTIIS ACTIONUM. Caput II.

SVMMARIVM.

1. Differentia actionum quæ.
2. Ciuiles actiones unde dicantur.
3. Ius prætorium unde, & idem dici honorarium.
4. Leges non omnes casus complecti.
5. Actio redhibitoria emptionis contractui succurrit.
6. Prætoriæ actiones quæ dicantur.
7. Aedilium edicta pro iure prætorio haberi.
8. Certi fines temporum actionibus sunt constituti.
9. Actio in rem quid sit.
10. Actio in personam quæ dicatur.
11. Mixtæ actiones quæ sint.
12. Rei persecutoriæ actiones quæ.
13. Pœnales actiones quæ sint.
14. Furti manifesti esse pœnam quadrupli.
15. Pœnales actiones quomodo à criminalibus differant.
16. Mixta actio quæ uocetur.
17. Actio de ui bonorum raptorum.
18. Iniuriæ æstimatio in seruo corrupto.
19. Plus petitionum pœna.
20. Metu incusso rem extorquere.
21. Venditio ædificiorum ruta cæsa non complectitur.
22. Actiones bonæ fidei quæ uocentur.
23. Aequitatis esse, inter bonos benè agi.
24. Vsuræ ex officio iudicis deputantur.
25. Actiones stricti iuris quæ.
26. Fructus & interesse etiam in stricti iuris actionibus peti.
27. Actiones perpetuæ xxx. annorum.
28. Temporales actiones, quæ dicantur.
29. Iniuriarum actio ex L. Cornelia uno anno finitur.
30. Hæreditariæ actiones à non hæreditarijs discernantur.
31. Hæres eadem persona cum defuncto.
32. Actiones ex iure defuncti ad hæredem transeuntes.
33. Personalis actio nascitur ex contractu.
34. De actionibus ex priuatis delictis.
35. Ex contractu defuncti quando teneatur hæres.
36. Alieno scelere non diteſcendum.
37. Litis contestatione actio contrahitur & perpetuatur.
38. Iniuriarum actio de contumelia.
39. De priuatis delictis defunctorum.

40. Actiones famosæ quæ sint.
41. Publico crimine damnatus fit infamis.
42. Iniuriarum actionem infamare.
43. Transactio de delicto importat infamiam.
44. Quatuor actiones de dolo ignominiosæ.
45. Actiones directæ & contrariæ quæ.
46. Deponentis contra depositarium, & depositarij cõtra deponentem actiones.
47. In contrarijs actionibus non agi de perfidia.
48. De perfidia in societate.
49. Actiones directæ & utiles quæ.
50. Vtilis actio quare uocetur.
51. Debitum petitum fit signatum.
52. Actiones uniuersales quatuor tantùm.
53. Res generaliter concipiendas, & in causę processu declarandas esse.
54. Generales & speciales actiones quæ.
55. Singulares actiones plurimas esse.
56. Fundi seu rei petitæ descriptio & circumstantię.
57. Simplices & duplices actiones quę.
58. Ex ipsis causis natę actiones tres sunt.
59. Arbitrariæ ad interesse, natiuæ & datiuę actiones quæ.
60. Exempla differentiarum actionum in institutionibus.

PRIMA actionum differentia sumitur à diuersitate iuris, quo proditæ sunt. Nam quę legibus, Senatusconsultis, Plebiscitis, Principum placitis, aut responsis prudentum continentur, Ciuiles, tanquam communi ciuium consensu receptæ dicuntur, quas uerò Prætor sua iurisdictione concesit, Prætoriæ dicuntur. Nam cũm autore Pomponio, ff. de origin. Iuris. leg. ij. Consules auocarentur bellis, ita ut in ciuitate non essent, qui populo ius dicerent: factum est, ut crearetur Prætor, cui data est potestas adiuuandi, supplendi, atque corrigendi iuris ciuilis propter utilitatem publicam. Itaque Edicta à Prætore proposita, ius Prætorium appellat. Idem ius dicitur & Honorarium, eò quòd hic honos publicè habitus est Prætori, ut eius edictis pro iure publico uterentur. Quia uerò leges ita scribi non possunt, ut omnes casus complectantur, leg. neque. ff. de legibus, accidit, ut in plurimis casibus Prætor sua æquitate succurrere illis, qui contra ius uidebantur lædi, propositis uarijs actionibus coactus sit, ut in contractu emptionis ã iure ciuili in hunc tantùm casum prospectum erat emptori, ut si cessaret uenditor rem emptam soluto iam precio tradere, petere ã iudice posset, eum cogi, ut traderet rem, aut solueret interesse, quanti emptor sua interesse habere rem emptam posset probare. leg. i. & l. ex empto. ff. de actione empti & uenditi. Prætor autem cũm uideret multipliciter falli emptores à uenditoribus, censuit illis succurrendum actione redhibitoria, & actione quanto minoris, quibus uenditores rursus accipere res uitiosas, aut quanto minoris est res uendita propter uitium, emptori de precio soluto restituere coguntur. l. i. & l. quod si nol. §. si quis egerit. ff. de ędilit. edict. Quæcunque igitur in iure Romano edictis Prætorum, aut ędilium proditæ sunt, dicuntur Prætoriæ. Nam & ædilium edicta pro iure prætorio habentur, quia non propter rogationes ciuium, sed propter Iurisdictiones Magistratus habent Iuris autoritatem. §. Prætorum. & seq. Instit. de iure nat. gent. & ciuil. Neque uerò magni momenti est hæc differentia actionum, non enim hodie actio iure ciuili prodita indifferenter perpetua est, & Prætoria temporalis, sicut olim, sed sunt illis certi fines constituti temporum, quibus intendere eas liceat nouissimis constitut. quemadmodum infrã indicabimus de perpetuis & temporalibus actionibus.

1 2 3 4 5 6 7 8

Prætoriæ actiones unde.

Emptionis contractus.

Secunda Actionum differentia maiorem habet uim in discernendo earum usu, nam & ad generale discrimẽ causarum, propter quas actiones dantur, pertinet,

9 tinet, quòd aliæ in rem, aliæ in personam dari dicuntur. In rem Actio est, per quam rem nostram, quæ ab alio possidetur, petimus, & semper aduersus eum est, qui rem possidet. Talis est rei uendicatio, ex quacunque causa do-
10 minium rei consecuti sumus. In personam autem actio est, qua cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid, uel dandum, & semper aduersus eundem locum habet: ut ex empto agitur aduersus uenditorem, siue rem uenditam habeat, siue non. leg. Actionum, & ibi gloss. ff. de obligationibus & actionibus. Autor Institution. §. quædam actiones. addit huic di-
11 uisioni tertium membrum, uidelicet, quòd quædam actiones sint mixtæ, quæ tam in rem, quàm in personam dentur, ut sicut actio familiæ herciscundæ, communi diuidendo, & finium regundorum. Nam illæ actiones sunt in rem, quia res nostras à possessore petimus ad diuisionem conferri, & sunt in personam, quia illi qui nobiscũ habent res communes, ex quasi contractu obligantur ad diuidendũ eas nobiscum. Ista enim actio dicitur in personam dari, qua cum eo agimus, qui obligatus nobis est. In rem uerò, quando cum eo agimus, qui obligatus nobis non est, sed rem, quam detinet, ab eo petimus ratione dominij, quod in ea habere nos aliqua ex causa, qua dominium acquiri solet, contendimus.

12 Tertia Actionum differentia est, quòd quædam sint persecutoriæ rei, quales sunt omnes Reales, atq; etiam personales actiones, quibus id tantũm exigitur, quod in obligationẽ citra pœnã leges uenire statuerunt, nam illę actio-
13 nes, quæ cum constitutione pœnæ proditæ sunt, pœnales uocantur, qualis
14 est actio furti manifesti, cuius pœna quadrupli est, qua condemnatur fur propter delictum. Huc tamen non sunt referendæ criminales Actiones, in
15 quibus etiam ad solam pœnam agitur. Nam differentiæ Actionum, de quibus hic agimus, ad ciuiles Actiones tantùm pertinent. Etenim si quis criminaliter alicui intenderet actionem furti, non ipsi, cui factum esset furtum, sed Reipublicæ cederet pœna, in quam fur condemnaretur. Itaque non rectè diceretur pœnam persequi Actor, quam ipse non consequitur. At si quis ciuiliter persequitur pœnam, non modò ea ipsi cedit, sed & rem furto ablatam, à quocunque ea detinetur, uendicare præterea potest. Dicitur igitur pœnalis Actio, qua nobis condemnari aliquem ad soluendam pœnam, ad quam legibus dictantibus ex delicto nobis obligatur, petimus.

16 Mixta uerò uocatur, qua simul rem cum constituta pœna persequimur, si-
17 cut fit in Actione de ui bonorum raptorum, qua res intra annum cum pœna tripli potest peti, ut res restituatur. §. rei persequendæ. & §. ex maleficijs, Institution. de actionibus. Et ut magis appareat, quæ Actiones dicantur ciuiliter pœnales, quarta constituitur inter eas differentia, uidelicet, quòd quibusdam Actionibus petatur tantũm simplum debiti, sicut in repetitione mutui:
18 quibusdam uerò concedatur amplius quiddam peti, quàm datum damnum per se sit, propter æstimationem iniuriæ, ut si quis seruum alienum corrumpat, ita ut propter uitia, quib. animus eius imbutus est, multò sit deterior quàm fuit, datur domino contra eum Actio petendi in duplo, quanti æstimat incommoditatem, quam in seruo corrupto fert. l. i. ff. de seruo corrupto. Item olim in triplum condemnabatur, qui maiorem summam in libello assignauerat,
19 quàm reus illi debebat. §. tripli. Institut. de actionibus. Sed hodie aliter puniuntur, qui plus debito in iudicio petunt. C. & extra. de plus petitionibus. Ne-
20 que ulla actio nouissimo iure in triplum datur. In quadruplum autem conueniri potest, qui cũm iussus est à iudice restituere rem, quam alteri incusso metu extorsit, contumaciter id facere renuit. l. metum. §. ex hoc Edicto. ff. de eo, quod metus causa.

Ex hac differentia actionum satis apparere arbitror, quòd actio non sit ius

petendi in iudicio, quod quiſq; ſibi deberi exiſtimet, ſed quod ll. propter quã libet cauſam debitum pronuncient. Abſurdum nanq; eſſet quadruplum pro ſimplo petere, niſi iura hoc nobis concederent, neq; enim alioqui in obligatio nem uenire tanta acceſsio ſimpli uideri poſsit.

Quinta act. differentia.

Porrõ ſunt Actiones, in quibus nonnunquam amplius quiddam petitur, quãm in obligationem expreſſe deductum eſt, non tantũm quia leges id approbent, uerumetiam quia æquitas earum ita expoſtulet, ut etſi in uenditione non ſit cautum de rutis & cæſis per emptionem uenditori concedendis, tamẽ quia æquitas iudicat, ea, quæ in ædificijs non ſunt perpetui uſus cauſa, non cum ædificijs uendi, poteſt uenditor poſtulare ab emptore, ut ruta cæſa ſibi exhibeat. l. fundi. §. ſi ruta. ff. de actiõ. empti & uenditi. Eodém modo fit & in reliquis actionibus bonæ fidei, quæ in §. actionum autem. Inſtit. de act. enumerantur: nam ideõ quoque actiones bonæ fidei uocantur, quia ultra id, de quo conuentum eſt, etiam æquitas, qua inter bonos bene agi præcipitur, in illis aliquid peti permittitur. Veniunt autem in talibus actionibus ex æquitate, adeoq; iure earum, petenda omnia ea, quæ inter acceſsiones rerum numerantur, exceptis uſuris. Nam illę non iure actionis nobis debentur, ſed officio iudicis nobis petentibus cognita mora in debitore deputantur. l. iiij. C. depoſ. & l. quia tantundem. ff. de negot. geſt. Secus fit in actionibus ſtricti iuris, nam illis nihil amplius peti poteſt, quãm id de quo expreſſe conuentum eſt, ut ſi ſtipulatus ſim ab aliquo mihi dari centũ, nõ poſſum ab eo petere uſuras, etiamſi differat ſolutionem, niſi illæ ſpecialiter promiſſæ fuerint in ſtipulatione: poſt litis tamen conteſtationem, ſi ceſſet debitor ſoluere promiſſum, etiam in ſtricti iuris actionibus fructus, & intereſſe petuntur. l. uideamus. §. ſi actionem. ff. de uſuris. Item petuntur, cũm factum promiſſum eſt, nam ubi id non præſtatur, ad intereſſe noſtrum agere poſſumus. l. ſi quis ab alio. §. finali. de re iudicata.

21 22 23 24 25 26

Sexta differentia actionum eſt, quõd aliæ ſunt Perpetuæ, aliæ Temporales. Perpetuæ dicuntur, non quæ nullo non tempore dantur, ſed quæ generali omnium finiendarum actionum tempore dari deſinunt. Eſt autem generale finiendarum actionum tempus triginta annorum ſpacium. leg. ſicut. C. de præſcriptione triginta uel quadraginta annorum. Temporales uerõ dicuntur, quæ ſuis quibuſdam temporibus, minoribus uel maioribus triginta annis exoleſcunt, qualis eſt actio iniuriarum ex lege Cornelia, quæ unius anni ſpacio finitur. leg. ſi conuicij. C. de iniurijs. Item in realibus, cũm actio competit pro re mobili, datur triennium, pro re immobili inter præſentes decennium, inter abſentes uiginti annorum ſpacium ad finiendam actionem: quæ uerõ requirantur ad præſcriptionem cuiuſcunque iuris, ſuo loco annotauimus.

27 28 29

Septima act. differentia.

Huic differentiæ cohæret quædam alia, qua diſcernuntur hæreditariæ ã non hæreditarijs actionibus. Et eſt quidem huius differentiæ præcipuè neceſſaria obſeruatio. Nam cũm iniquum uideatur, aliquem ex contractu, uel delicto alterius teneri, non fruſtra in diſceptationem ſæpe uenit, quatenus alij pro alijs conueniri poſsint. Atque ſatis quidem uidetur cauſæ in alijs perſonis, cur aliorum nomine non conueniantur. Sed cũm hæres ſit penè eadem perſona cum defuncto, Authentic. de iureiurando ã mor. præ. in princi. non abs re uidetur quæri, quę actiones ex iure defuncti ad illum tranſeant, ita ut ipſe conuenire obnoxios defuncto, aut ipſe conueniri propter contractum, uel delictum defuncti ab alijs poſsit. In conſideratione enim actionum hereditariarum utrumq; ſpectandum eſt, uidelicet, an actiones, quæ competebant defuncto, tranſeant ad eius hęredes, & an defuncti hæredes conueniri illis actionibus poſſint, quibus ille tenebatur. Deinde & hoc in explicatione huius eſt differentię obſeruandum, q eius inquiſitio ad ſolas perſonales actiones pertinet, nam Reales aduerſus hęredes defuncti non inſtituuntur tanq;

30 31 32

contra

contra hæredes, ſed tanquam contra quoslibet poſſeſſores, ſicut de rei uendi
catione latius indicabimus. Proinde ſi realis eſt actio, non quæritur an ſit hæ
33 reditaria uel non: cũm autem omnis perſonalis actio naſcatur ex contractu,
34 uel quaſi, ex delicto uel quaſi, de ſingulis ſeorſim dicendum eſt. Ex defun-
35 cti igitur contractu uel quaſi hęres regulariter tenetur, & contra eum agitur.
l. ex contractibus. & l. ex depoſiti. ff. de actionib. & obligationibus. & de regu
lis Iuris. l. ad ea. §. in contractibus. Excipiuntur quidam caſus, quos anno-
tant gloſſ. circa locos allegatos. Sed ex defuncti delicto, uel quaſi, orta Actio,
non datur contra hæredem, niſi in id, quod ad eum peruenit ex illo delicto.
leg. uideamus. ff. de eo, quod met. cauſ. & Inſtitut. de perpet. & temp. actio.
36 §. non autem, & ibidem gloſſ. quæ annotant caſus exceptos. Videtur e-
nim æquiſsimum, ut quis ad illud reſtituendum cogatur, ne alieno ſcelere di-
tetur. Nonnunquam autem etiamſi nihil ad hæredem ex maleficio defuncti
peruenerit, tamen ſi lis per eum, antequam moreretur, conteſtata ſit, hæres
tenetur: omnes enim Actiones, quæ morte aut tempore pereunt, ſemel in-
cluſæ iudicio, ſaluæ permanent. ff. de regulis iuris. §. omnes, & ſicut dicunt
37 quidam, litiſconteſtatione Actio quaſi contrahitur, itaque hæres defuncti
ex delicto poſt litem conteſtatam tenetur tanquam ex contractu defuncti.
Rurſum uerò ſi defunctus habuit actionem ex delicto contra alium, regula-
riter datur ea hæredi eius, niſi quia ad ſolam uindictam, & non quia nobis in
38 hæreditate delata aliquid deficit, quod ad Reum peruenerit, prodita ſit, ſicut
eſt iniuriarum actio, qua de ſola contumelia nobis facta agitur. Itaque in bo-
nis noſtris ante litis conteſtationem eſſe non cenſetur, non igitur competit ea
hæredi defuncti, niſi lis conteſtata ſit. l. iniuriarum. §. iij. in principio. & l. In
39 tereſt. ff. de iniurijs. Quæ uerò de actionibus ex delictis deſcendentibus ha
ctenus diximus, de priuatis delictis accipienda ſunt. Nam publicorum crimi
num accuſationes nec hæredibus, nec contra hæredes dantur. leg. ex iudicio
rum. ff. de accuſatio. Poſt mortem enim accuſatoris, uel rei, etiam ſi lis ex ap-
pellatione pendeat, quæſtio de ademptione bonorum contra hæredes moue
ri non poteſt. l. ultim. C. ſi Reus uel Accuſator mortuus fuer. Excipiun-
tur quidam caſus, quos annotant gloſſæ circa titulos, quos paulò põſt aſsigna
bimus. Quæ uerõ præterea ad explicationem huius differentiæ pro diuerſita
te caſuum & iuris requiruntur, ea peti poterunt ex titulis Codicis: ut actiones
ab hęredib. & contra hæredes incipiant. Item de hęreditarijs actionibus, & ex
defunctorum delictis, in quantum hæredes conueniantur. in Inſtitut. de per-
pet. & tempor. action. & quæ ad hæredes & in hæredes tranſeunt. Præcipuẽ
uerò annotanda eſt gloſſa, circa titulum Cod. ex delictis defunctorum &c.
Nam ea copioſe indicat huius differentiæ ſubdiſtinctiones. Cæterũm quate-
nus uariat ius Canonicum ã iure ciuili in hac materia, canoniſtæ diſputant cir
ca c. ult. ext. de ſepult.

40 Octaua differentia Actionum eſt, quõd quædam infamant, quædam non,
id uerõ ſic accipiendum eſt, quõd ſint quædam Actiones, quibus ſi quis con-
uincatur, & damnetur, infamis fiat, & ut quis de hac differentia diſertẽ iudi-
care poſsit: rurſum iuxta actionum cauſas colligendæ ſunt iuris regulæ, ſi-
41 cut in proxima differentia fecimus. Eſt autem perpetua regula, quõd pu-
blico crimine damnatus fiat infamis. Si quis uerõ propter priuatum deli-
42 ctum damnatur, is non fit infamis, niſi tale fuerit delictum, ut etiamſi ciuili-
ter eius pœna expedita ſit, tamen Reum ſequeretur infamia, ſicut fit in a-
ctione furti, ui bonorum raptorum, & iniuriarum. Quamuis enim his actio
nibus non conueniatur aliquis criminaliter, ſed ciuiliter, tamen important
43 infamiam illi, ſi damnetur. leg. infamem. ff. de public. iudic. Imõ non ſo-
lũm notantur infamia damnati publicis, & talibus priuatis criminibus, ue-
rumetiam

rumetiam illi, qui deprehenduntur precio de illis transegisse. Nam transigens de delicto habetur pro confesso. l. Athletas. §. fin. & l. quoniam. ff. de his qui not. infa. Secus fit in actionibus, quæ ex contractu proficiscuntur. Licet enim illis damnati propter dolum in contractu admissum, non tamen notantur propter transactionem de illis factam. l. in actionibus. ff. de his qui not. infa. Assignantur in Institut. de pœna temerè litigantium. §. ex quibusdam. quatuor Actiones ex contractu descendentes, quibus de dolo conuicti ignominia adficiuntur, uidelicet, Actio tutelæ, Mandati, Depositi, & pro socio. Sed & inter has certam leges faciunt importandæ infamiæ differentiam, quam ut discentes penitus perspiciant, necesse erit nonam actionum diuisionem obiter hic interserere. Ea uerò est, quòd aliæ sint Directæ, aliæ Contrariæ. Directæ dicuntur, quæ in illos intenduntur, quorum fidem in curanda re nostra sequimur. Contrariæ, quæ competunt alienas res curantibus, contra eos, qui ipsorum beneficia non agnoscunt, & nomine eorum expensa illis reddere nolunt, ut Actio, quæ datur deponenti contra depositarium, est directa, quia in eum datur, qui directè contra contractum fecit. Actio uerò, quæ datur Depositario contra Deponentem, est contraria, quæ datur illi, qui cùm præstiterit, quæ per eum fuerint facienda, bona tamen cum gratia impetrare non possit, ut sine suo incommodo ab eo discedat, & euadat. Iam igitur, ut redeamus ad differentiam famosarum Actionum, quæ ex contractu oriuntur, sic illæ distinguuntur, Quòd actio Tutelæ, Depositi, & Mandati directa propter dolum in talibus contractibus admissum, infamet damnatum, non autem contraria, quia in contrarijs Actionibus non agatur de perfidia, sed de calculo, hoc est, computatione expensorum & acceptorum, quorum controuersia ferè in iudicio dirimatur. l. furti. §. ultim. ff. de his, qui notant. infami. Actio uerò pro socio ideo utrinque infamat, quia ab utraque parte directa est, neque enim ratio officiorum inter socios uariat, sicut inter Deponentem, & Depositarium, sed pariter sunt sibi inuicem obligati. Quare incidit in ignominiam, quicunque inter eos perfidiæ in societate tuenda damnatus fuerit. §. ex quibusdam. Institut. de pœna temerè litigantium.

Nona act. differentia.

Sequitur decima Actionum diuisio, qua alia dicitur esse Directa, alia Vtilis, sed primum membrum non est ita accipiendum, sicut paulò antè de directis Actionibus diximus. Nam in hac diuisione Actio directa dicitur, quæ statim in initio conceptæ cuiuslibet Actionis formæ uerbis expressa est.

Vtilis uerò, quæ per extensionem uerborum in talibus formis postea à Iuris interpretibus ad hominum utilitatem data est, ne anxia uerborum obseruatione uoluntas utiliter proditarum legum impediretur, ut ne quadrupes cuiuspiam impunè alicui noceret, constitutum est, ut quadrupes propter datam pauperiem, aut noxæ detur, aut pauperies per dominum eius sarciatur.

Postea legum interpretes eadem æquitate moti constituerunt, non modò si quadrupes, uerumetiam si aliud animal pauperiem fecisset, eam actionem esse dandam, & placuit eam uocari utilem, tanquam ex utili extensione legum profectam, ut ã directa propter uicem, qua traditæ sunt, discerneret. Præter uicem enim originis, nulla est inter eas diuersitas, sed sunt eiusdem potestatis & effectus. l. penult. ff. si quadrup. paup. fe. dicetur, & negotiorum gestor. l. antepenul.

Vndecima Actionum diuisio magis nobis seruit in concipiendis libellis, quàm ad distinguendas Actiones. Nam uidere quæ actio sit uniuersalis, aut generalis, uel specialis, est intelligere, quando res, quas petituri sumus in iudicio, generaliter, uel specialiter sint in libello assignandę, ac refert quidem

quidem plurimùm in qualibet Actione, id posse díspicere. Nam in executío-
51 ne sententiarum magnam habet uim, signatum petitum esse debitum. Ita-
que maiores quoque tam fuerunt in discernendis Actionum petitionibus di-
ligentes, ut etiam uniuersales ā generalibus separarent, etsi alioqui eiusdem
52 notæ esse uiderentur. Volunt autem uniuersales actiones dici, quibus hæ-
reditates nobis, uel ab intestato, uel ex Testamento, aut uenditione debita
persequimur. Quia enim hæreditas est successio in uniuersum ius, quod de-
functus habuit, l. hæreditas. ff. de regulis iuris, placuit etiam Actiones, qui-
bus peteretur hæreditas, uniuersales dici. Sunt autem talium Actionum
tantùm quatuor numero, uidelicet, petitio hæreditatis, familiæ herciscundæ,
Actio ex Testamento, & Actio, quæ datur exempto, quoties tota hære-
ditas uendita est. Et in his actionibus indistinctis rebus concipitur libellus,
ad bona eius, cuius hæreditas petitur, nobis tradenda, uel diuidenda. Ge-
nerales uerò Actiones dicuntur, in quibus cùm uariæ res sint in obligatio- *Generales Actiones.*
ne, tamen generali appellatione, uel administrationis, uel conuentionis com
plectuntur & intelliguntur, sicut est Actio tutelæ, & Actio pro socio, omni-
um bonorum, & similes. Nam si quis aliquem conueniat actione tutelæ, satis
est petere, ut reddat rationem de bonis pupilli per eum administratis. Neque
enim opus est, ut nominatim indicet res, in quibus pupillum læsum existimat,
nisi fortè hoc explicatio causæ postea requirat in processu litis. Vnde est re-
53 gula de concipiendis libellis in generalibus actionibus, quòd res generali-
54 ter concipiantur, & in causæ processu declarentur. Secus longè fit in Actio- *Speciales.*
nibus specialibus, qualis est rei uendicatio. Nam in ea necesse est, rem, quam
petimus, ita omnibus circunstantijs depingere, ut in indiuidui significatione
accipiatur. Itaque cùm petit fundum, necesse est in libello indicare, inter
quos sit positus uicinos, an pratum, uel ager, uel uinea sit, an totum, uel par-
tem eius petat, & id genus alia, leg. cùm in rem. ff. de rei uendicat. Idem facien
55 dum est in reliquis omnibus Actionibus singularibus, quarum plurimę sunt.
56 Omninò .n. in illis, siue mobilis, siue immobilis petat̄ res, ita describenda est,
ut manifestē de ea constet, nec possit alia res eius descriptione comprehendi.

Duodecima actionum diuisio est, quòd aliæ sunt simplices, aliæ duplices.
57 Simplices uocant, in quibus alter litigatorum sustinet Actoris, alter Rei par-
tes, sicut regulariter fit in omnibus Actionibus. Duplices uerō dicunt, in
quibus propter mutuam Iuris contentionem uterque litigatorum Reus &
Actor esse uidetur, sicut fit in Actione familiæ herciscundæ, & communi
diuidundo, & in quibusdam interdictis, iuxta legem secund. ff. de interdictis.
Sed nihil est in hoc discrimine Actionum, quod ualde ad earum cognitio-
nem faciat.

Sunt aliæ quædam differentiæ Actionum, quas quamuis Ioannes glossator
in tractatu actionum, tanquam parum utiles, se negligere profitetur, tamen
ausim contendere, quòd magis declarant diuersitatem Actionum, quām illa
ultima differentia ab omnibus recepta. Nam prodest certè scire, quòd quibus-
dam actionibus aliquando consequimur integrum, quod nobis iure actionis
debetur, aliquando uerò non. Vt qui bonis suis urgentibus creditoribus se-
mel cessit, ille denuo, si qua fortuna ei adfulgeat, conueniri à creditoribus in *Cessio bono-*
solidum non potest, sed id tantùm, quod facere sine suo incommodo possit, ex *rum.*
periri illis permittitur. Inhumanum nanq; uidetur legibus, semel spoliatum
opibus suis, denuo ad inopiam redigi, si in solidum creditoribus damnetur. l.
is qui bonis. ff. de cess. bonorum.

58 Item prodest scire, quòd Actionum quædam nascantur ex ipsis causis à le-
gibus proditis, ut est Actio ex contractu, ex Testamento, & Actio in factum,
59 aliæ uerò dentur arbitrio iudicis, sicut fit in Actione, qua agimus ad inter-
esse. Nam in cognitione iudicis est, quantum cuique pro suo interesse
debeatur,

debeatur, hinc eſt quòd tales actiones uocantur arbitrariæ, l. arbitraria, ff. de eo, quod certo loco. & reſpectu earum Actionum, quæ ex ſuis cauſis nobis competunt, & Natiuæ uocantur, hæ dicuntur Datiuæ, quia iudicis officio nobis tribuuntur. Debent igitur & illæ differentiæ à diſcentibus obſeruari, ut adſuefaciant ſe iuxta uarias differentiarum in illis notas earum uim explicare: Nam hic uerus eſt omnium, quas indicauimus, differentiarum uſus, ut tanquam βασάνοις illis utamur in exploranda cuiuſque Actionis natura & ratione.

βάσανος eſt lapis index, cuius attritu fabri aurum uel argentū explorant.

Atq; hæc ferè, quæ de differentijs Actionum annotauimus, traduntur in titulis ff. & C.

ff. & C.

De Actionibus & obligationibus.

In Inſtitutionibus

Adiecta ſunt differentijs uaria exempla, quorum explicatione earum autor conſumit totum tractatum Actionum in titulo de Actionibus, quem ex profeſſo de illis inſtituit.

DE ACCESSIONIBVS & imminutionibus Actionum. Caput III.

SVMMARIVM.

1. De intereſſe, fructibus, & impenſis extraiudicialibus.
2. Actiones quomodo augeantur uel imminuantur.
3. Intereſſe quid uocetur.
4. Conuentum quid dicatur.
5. Pacta ſeruabo.
6. Singulare intereſſe quid ſit.
7. Commune intereſſe quod dicatur.
8. Fructus qui naturales & induſtriales.
9. Penſiones urb. prȩd. pro fructibus accipi.
10. Malæ fidei poſſeſſor quomodo teneatur ad fructus reſtituendos.
11. Triplices ſunt impenſę, neceſſariæ, utiles, uoluptariæ.
12. Mulier non oneranda in reſtitutione dotis.
13. Impenſæ ipſarum rerum conſeruandarum cauſa.
14. Aedificans in alieno ſolo quid conſequatur à domino uendicante ſolum.
15. Fructus perceptos induſtriales ſibi acquirit bonæ fidei poſſeſſor, nec opus habet in reſtitutione rei poſſeſſæ conferre.
16. De expenſis iudicialibus ante & poſt litiſconteſtationem.
17. Malitioſe excipit, qui exceptionem non probat.
18. Victus victori in expenſis condemnatur.
19. Expenſas iure actionis non peti, ſed officio iudicis.
20. Expenſæ appellationis.
21. Ex mora quomodo creſcant petitiones.
22. Mora ſine interpellatione non fit.
23. Vſuræ ſunt intereſſe.
24. Quando liceat ultra ſortem aliquid petere citra turpitudinem.
25. Fructus ab uſuris licitis quomodo differunt.
26. Cauſæ inter acceſsiones rerum ponuntur.
27. Acceſsiones ex cauſis quæ dicantur.
28. Inficiatione quomodo creſcant actiones.
29. Impudentes inficiationes pœna aliqua mulctandas eſſe.
30. Inficiatio calumnioſa damnatur.
31. Actio legis Aquiliæ.
32. Conditione petitur pœna dupli.

33. Qui-

33. Quibus casibus minuantur petitiones.
34. Reus quandoque in id, quod facere potest, condemnatur.
35. Compensatio etiam in delictis & pœnis permissa est.

1 QVOD Actiones sint constitutæ propter dominium, aut quemlibet contractum, uel quodlibet delictum, suprà diximus: hoc capite indicabimus, quomodo casu ipsę illæ constitutæ actiones
2 augeantur, uel imminuantur. Nam & hoc in omni actione considerãdum est, an quid amplius, quàm iure actionis regulariter debitum sit, propter moram & negligentiam debentis, peti possit. Plerunque enim accidit, ut non sine incommodo illorum, quibus dari aut præstari aliquid oportuerit, negligentiores sint debitores. Quare ne cui alterius supinitas alteri impunè fraudi sit, permissum est legibus, ut quis ultra id, quod debitum est, aliquando petat aliquid propter incommodum, quod ex negligentia debi-
3 toris sensit. l. i. in princip. ff. de actione emptio. & uendition. Vocatur autem illud ipsum, quod sic in obligationem uenit, generali uocabulo Interesse, quo comprehenditur lucrum cessans, & damnum ex negligentia debentis emergens. Atque est quidem aliud interesse conuentum, aliud singulare, ali-
4 ud commune. Conuentum dicitur, quod inter contrahentes pactum est, si ã quopiam illorum non præstetur promissum. Et hoc aliãs sub nomine pœnæ comprehenditur, & semper peti potest, ut præstetur, nisi probari possit, dolũ
5 in illius conuentione interuenisse, aut id, quod promissum est, pugnet cum bonis moribus, iuxta illud: Pacta seruabo. l. Iurisgentium. §. Prætor. ff. de pactis, & capite primo. extr. de pactis, & l. generaliter. ff. de usur. & fructi. &c.

6 Singulare uerò Interesse dicitur, æstimatio rei debitæ, ex speciali adfectione erga rem profecta, sicut quis pluris propter specialem commoditatem æstimat codicem diligenter perlectum, quàm non perlectum à se. Et hoc quidem Interesse peti potest, ut præstetur usque ad duplum communis interesse, & non ultrà, cùm certa res, uel quantitas in obligatione est. Vbi uerò in obligatione est incertum quiddam, sicut in faciendo, & non faciendo, ibi in iudicis definitione consistit, ut constituatur, quod alicui propter utilitatem priuatam deberi uidetur. C. de sentent. quæ pro eo, quod interest, proferuntur.

7 Commune interesse dicitur, æstimatio cessantis lucri, aut emergentis damni, quam quisque sine speciali adfectione facit, si promissum non præstetur. Neque enim in hac æstimatione precia rerum ex affectu uel utilitate singulorum, sed communiter finguntur. l. precia. ff. ad leg. Falcidiam. Commune igitur interesse petere dicimur, cùm fructus ex re debita perceptos, uel usuras, propter usum rei, uel moram negligentis, aut id, quod aliunde ex aliqua causa rei accessit, petimus.

De fructibus autem ideò primùm dicemus, quia illorum Interesse maximè
8 commune est, & euidentissimè cernitur. Inter fructus autem habetur, quicquid deductis in rem impensis supereſt. Itaque & pensiones urbanorum prædiorum pro fructibus accipiuntur. l. prædiorum. ff. de usuris & fructibus. Sed est tñ inter fructus hæc differentia, quòd alij sunt naturales, alij industriales.

Naturales dicuntur, qui sine facto nostro ex rebus proueniunt, ut sunt poma, ficus, glandes, nuces, & his similia. Industriales uerò uocantur, qui nostra cultura in rebus crescunt uel emergunt, ut sunt uina, segetes. Iuxta hanc fructuum differentiam Iura petendorum illorum ita distinguuntur, ut si quis rem suam petat sibi ã possessore restitui, naturales fructus, qui extant, posse simul cum re peti, leges permittant. Nam fructus naturales nullus possessor sibi acquirit ante præscriptionis tempus, etiamsi bona fide, & cum titulo rem teneat. l. fructus. ff. de usuris & fructibus.

Induſtriales autem fructus, bonæ fidei poſſeſſor ſuos facit propter operam, quam in producendis illis culturæ impendit. Itaque illos lucratur, nec poſſunt ab eo repeti, ſi quos ante litiſconteſtationem conſumpſit, ſed illos tamen reſtituere domino rei cogitur, qui extant. At poſt litiſconteſtationem tenetur ad reſtitutionem tam eorum, quos percepit & conſumpſit, quàm eorum, qui adhuc extant, & quos percipere potuerit. l. iiij. §. poſt litem. ff. finium regundorum. Et eſt huius rei ratio, q̃ poſſeſſor bonæ fidei poſt litis conteſtationem incipit eſſe malæ fidei poſſeſſor, quantum ad perceptionem fructuum pertinet. l. i. C. de petition. hæred. & l. certum, & ibidem gloſſ. C. de rei uendicatione. Non tamen ſimul cum re ab alio poſſeſſa uendicari induſtriales, ſicut naturales poſſunt. Sed officio iudicis poſſeſſor condemnari ad illos reſtituendos petitur, quia induſtriales fructus cenſentur eius eſſe, qui eos percepit: itaque uendicari, ut res noſtræ, non poſſunt. Malæ autem fidei poſſeſſor, tenetur indifferenter ad fructus conſumptos, & non conſumptos, perceptos, & percipiendos. leg. certum. C. de rei uendication. niſi quòd diuerſis actionibus ab eo petuntur. Nam ſi abſque titulo rem alienam inuaſit, de conſumptis tenetur cõdictione ſine cauſa poſt litem conteſtatam. De extantibus uerò rei uendicatione, non tamen ea, qua tenetur ad rem principalem, ſed ea, quæ eſt ex obligatione legis, quę dicit tales fructus à malæ fidei poſſeſſore eſſe reſtituendos. De percipiendis uerò, hoc eſt, de illis, quos uerus poſſeſſor percipere potuiſſet, tenetur iudicis officio. l. ſi nauis. ff. de rei uend. & in Inſt. de officio iudicis. §. illorum autem. Sed ſi malæ fidei poſſeſſor, cum titulo rem in ſua poſſeſsione habet, tenetur de conſumptis fructibus condictione ſine cauſa, de extantibus, rei uendicat. Ab illis uerò, quos percipere potuiſſet, propter titulum excuſatur, exceptis quibuſdam caſibus, iuxta gloſſ. finalem, cir. l. ſi fundum. C. de rei uendi. 10

Porrò ſicut actiones creſcunt acceſsione fructuum, ita illiſpſi fructus, adeõque actiones, quæ pro illis competunt, imminuuntur deductione impenſarum. Sunt autem impenſarum aliæ neceſſariæ, quæ uidelicet, ſi factæ non eſſent, res aut peritura, aut deterior futura fuiſſet, & hæ quidem ſemper deducuntur de fructibus, arg. leg. ij. §. æquiſsimum. ff. ad l. Rho. de iact. Et eſt huius deductionis exemplum in l. i. §. ſed nec ob impenſas. C. de rei uxoriæ actio. Aliæ uerõ impenſæ ſunt utiles tantũm, quibus quidem, etſi res melior reddatur, tamen onerari illis dominus poteſt, ſicut dicit l. impenſæ. ff. de uerb. ſignificat. Mulierem non debere à marito inuitam onerari in reſtitutione dotis, deductione impenſarum, quas fortè in erudiendis eius mancipijs fecit. Quare utiles impenſæ non penitus ſemper reſtituuntur, ſed exemplo l. i. §. ſed nec ob impenſas. C. de rei uxoriæ act. pro illis, tanquam re utiliter geſta, datur actio negotiorum geſtorum. Aliæ ſunt uoluptariæ, quæ ſpeciem duntaxat ornant, non etiam fructum augẽt, ut ſunt uiridaria, aquæ ſalientes, incruſtationes, picturæ, & iſtę non poſſunt peti, niſi uoluntate domini fuerint factæ. Fit & alia diuiſio impenſarum, quæ magis declarat, quę deduci de fructibus in reſtitutione illorum debeant. In gloſſ. uer. deducto, circa l. in fundo. ff. de rei uendi. uidelicet, quòd quædam impenſæ fiant cogendorum, conſeruandorumq̃ fructuum cauſa: & iſtæ ſemper deducuntur. l. ſi à domino. §. finali. ff. de petit. hære. Nullus enim caſus interuenire poteſt, qui hoc genus deductionis impediat. l. fundus, qui. ff. familię herciſcund. & l. fructus. ff. ſol. matrim. 11 12

Quædam impenſæ fiunt non fructuum, ſed ipſarum rerum gratia, ad perpetuam earum utilitatem. Sicut fit, quando quis in alieno fundo, quem imprudens à non domino emit, ædes de integro ædificat, aut collapſas, uel ruinoſas reficit. Sed eſt tamen quædam diuerſitas iuris in deducendis talibus impenſis. Nam is qui in alieno ſolo aliquid de integro ædificauit, ille ſi bona fide id fecit, conſequitur exceptionem doli aduerſus dominum uendicantem 13 14

dicantem ſolum, qua ſe tueri poteſt, ut non antè de poſſeſsione extructi ædificij cedere cogatur, quàm illud, quod in iſtud impendit, ſolutum ſit. Si uerò cedit de poſſeſsione eius ædificij, non acceptis impenſis, non poteſt eas aliqua actione à domino ſoli recuperare. l. Paulus. ff. de doli mali except. atque ideò non datur ſic cedenti de ædificio actio repetendi impenſas, quia iure ædificationis domino ſoli cedit ædificium in eo poſitum, ut nihil in illum ſua ceſsione tranſtuliſſe uideatur. l. ſi in area. ff. de condiction. indeb. Iudex tamen ſicubi tales impenſæ bona fide ſunt factæ, conſtituet quatenus pro ratione perſonarum & cauſarum ſoluendæ ſint. l. in fundo, in principio. ff. de rei uendicat. Vbi uerò ædificans in alieno, primùm quidem bona fide id fecit, ſed poſtea, cùm iam cœpiſſet ædificare, intellexit alienum eſſe ſolum, nec tamen deſtitit ab ædificando, illi non datur exceptio doli ad conſequendas impenſas, ſed hoc tantùm ei conceditur, ut ſine diſpendio domini areæ, tollat ædificium, quod poſuit. l. Iulianus. ff. de rei uendicat. Si uerò malæ fidei poſſeſſor ſumptus fecit, in alieno aliquid de integro ædificando, nihil poteſt nomine impenſarum à domino petere, quia cùm ſciens in alieno ædificauit, neminem obligare ſibi uoluiſſe uidetur. l. in hoc iudicium. ff. communi diuidundo, & Inſtit. de rer. diuiſ. §. ex diuerſo.

In reficiendo autem ſi qui facti ſunt ſumptus neceſſarij, uel utiles à bonæ fidei poſſeſſore, is tueri ſe exceptione doli poteſt, ne cedat poſſeſsionem, antequàm reddantur à domino. Quod autem uoluptarijs impenſis factum eſt, illud poteſt auferre citra læſionem prioris ſtatus in re, niſi dominus paratus ſit tantùm dare, quantum habiturus eſſet poſſeſſor his rebus ablatis. Iſto nanque caſu non permittitur illi, ut auferat ea, quæ uoluptatis cauſa facta ſunt, leg. in fundo. §. cenſuimus. ff. de rei uendicatione. Atque eſt quidem in deductione ſumptuum, qui in alienum prædium ædificando facti ſunt, hoc obiter obſeruandum, quòd compenſatione fructuum perceptorum ex prædio reſtituantur, iuxta leg. ſumptuum. ff. de rei uendicatione. Cùm alioquí
15 regulariter fructus perceptos, induſtriales ſibi acquirat bonæ fidei poſſeſſor, nec opus habeat in reſtitutione rei poſſeſſæ conferre, ſicut paulò antè indicauimus.

Cæterùm ſi malæ fidei poſſeſſor aliquid in refectionem prædij alieni impendit, ille nihil impenſarum in reſtitutione prædij & fructuum, præter eas, quas neceſſariò in eo reficiendo probat ſe feciſſe, deducere poteſt. Nam ſi quid utiliter ab eo factum eſt in prædio alieno, illud poteſt citra læſionem ſtatus, in quo prædium antè fuit, auferre. l. domum. C. de rei uendicatione. Voluptarias autem ſi quas fecit malæ fidei poſſeſſor in reficiendo, amittit. iuxta gloſſ. fin. in fin. circa legem, in fundo. ff. de rei uendicatione. Quæ uerò hactenus de impenſis diximus, de illis accipienda ſunt, quæ fiunt extra iudí-
16 cium. Nam ſunt & aliæ quædam impenſæ, quibus augentur petitiones in Actionibus, ſed fiunt iudicio iam ſuſcepto, uel ante litiſcontestationẽ, uel poſt, uel cauſa appellationis. Eſt igitẽ & de illis obiter dicendum, ut inſtituẽs quamcunque Actionem, intelligat quando ea ſibi reddi petere poſsit. Poſſunt igitur expenſæ cauſa iudicij factæ, ante litiſcontestationem iudicis officio peti, propter manifeſtam contumaciam aduerſarij. cap. conſtitutis. extr. de procurat. Item peti poſſunt, ſi quis deficit in probatione dilatoriæ exceptionis calumnioſe queſitæ. cap. exceptionem. extra de exceptionibus. Secus, ſi de malitia aduerſarij non conſtat, & maximè ſi iuratum eſt de calumnia, argument. cap. finem. extra de dolo & contuma. Neque impedit quidem expenſarum petitionem, quòd aliquis non habet iuſtam cauſam litigandi. cap. delicti. extra de dolo & contumac. Poſt litem conteſtatam itidem expenſæ cauſa iudicij factæ petuntur à parte contumaci. l. properandum. §. & ſiquidem. C. de iudi. Ac præſtare quidem expenſas, in quas aliquis propter contuma-

ciam damnatus est, antequàm porrō in causa audiatur, cogi cōtumax potest, cap. quoniam. §. in alijs. extr. ut lite non contestat. & l. sancimus. C. de iudicijs. Nec prohiberur quis ab eo petere expensas litis, qui in probatione exceptionum, quas oppositit post litem contestatam aduersarij fundamentis confirmatis succubuit. Nam malitiose excepisse præsumitur, qui exceptionem non probat, quam aduersarij intentioni iam confirmatæ opposuit. Sed in adiudicatione talium expensarum hæc obseruatur moderatio, ut si appareat, opponentem habuisse probabilem causam litigandi, aut si iuratum sit de calumnia, non condemnetur opponens exceptiones, in expensas, ne quis metu expensarum relinquat ius suum indefensum. Vbi uerō constat per calumniam, & malitiose esse oppositam exceptionem, indistinctē opponens condemnatur in expensas in dilatione exceptionis oppositæ factas. In petendis autem expensis totius causæ hæc obseruatur regula, ut victus victori in expensis condemnetur. cap. calumniam, extra. de pœnis. Obseruandum autem est præcipuè in petendis expēsis, quæ in iudicio factæ sunt ante, uel post litis contestationem, quòd non iure Actionis, sed officio iudicis petuntur. Itaque Speculatori consultum uidetur, ut quoties sententiam petamus, semper simul & expensas, quas deberi nobis existimamus, petere non negligamus. Nisi enim iudex in definitiua sententia pronunciet de expensis in litem factis, postea nulla datur pro illis Actio. leg. Terminato. C. de fructibus & liti. expens. De expensis autem factis causa appellationis, communis est opinio, quòd indistinctē possunt ab eo peti, qui in causa appellationis succubuerit, siue iustam habuerit appellandi causam, siue non, & aut ante sententiam, uel pòst appellauerit, iuxta notata gloss. circa c. finem, extr. de dolo & contumac. Sed magna pars Doctorum sentiunt, non posse appellantem indifferenter condemnari in expensas, nisi appareat manifestè per calumniam eum appellasse. Ac si probare possit appellans, quòd iustam appellandi causam habuerit, uel quòd appellando probabiliter errauerit, non esse eum in expensas condemnandum, sed solùm pronunciandum, quòd non rectè appellarit, contendunt. arg. c. cùm uenissent. ext. de iudicijs, & ibi gloss. quę sententia clementior est, sed utra sit sequenda, magis quærendum est in capite de iudicijs, ubi ostendi necesse erit, quando & quos inter litigantes Iudex condemnare in expensas litis debeat: hic satis est indicasse, quando & quæ peti possint in Actionibus expensæ. 17 18 19 20

Præterea crescunt petitiones Actionum etiam ex mora debentis, ut si quis tradat alicui fundum, quem illi uendidit, & postea emptor cesset illi numerare precium, non solùm ab eo precium, sed & quantum sua interfuisse probare poterit, ut statim post traditionem fundi illud acciperet, petere licebit. leg. ij. C. de Vsuris. Non autem quælibet cessatio constituit debitorem in mora. Is enim, qui non est interpellatus de debito soluendo, aut cui non facta est denunciatio debiti, aut qui alioqui satis iustam habet causam rei debitæ non præstandæ, in mora esse non censetur. Non enim ex re debita, sed ex persona opportuno tempore & loco interpellata, fieri mora intellìgitur. l. mora. & ibidem gloss. ff. de Vsuris. Neque uerò is, qui à Iudice cognitus est fuisse in mora, tantùm ad fructus ex re perceptos, quorum accessio naturalis est, sed & ad periculum rei tenetur, siue res apud Actorem peritura fuisset, siue non, sufficit enim non perire potuisse. ‖ cùm res. §. finali, & l. apud Iulianum. §. i. ff. de leg. i. 21 22

Ad hæc tenetur etiam ad soluendas usuras rei, maximè si contractus, ex quo debetur res, fuerit bonæ fidei, aut si ex legato, uel fideicommisso ea debeatur. Nam in petendis talibus usuris, legata, & fideicommissa bonæ fidei iudicijs æquiparantur. l. in minorum. C. in quibus causis restitu. in integr. non est ne. Secus sit in Actionib. stricti iuris. Nam in illis non petuntur usu-

ræ, ſed ea ſolũm quantitas, & res, quæ principaliter in obligationem dedu-
23 cta eſt. l.i. C. de condict. indeb. Vocantur autem uſuræ ex mora debitæ, nõ lucra, de quibus contrahentes inter ſe pro uſu rei ultra ſortem præſtandis paciſcuntur, & quæ ex mutuo accipi tanquam turpis quæſtus indiſtinctẽ prohibentur: ſed penſiones, quas æquitas requirit illi præſtari pro commodo ſuæ rei, qua diutius, quàm oportuit, propter debitoris moram caruit. Ita ut hæ uſu-
24 ræ, quaſi intereſſe, & non loco lucri ſoluantur. Et tales uſuras licet petere, non captandi lucri, ſed uitandi damni cauſa, iudicis tamen officio, & non iure actionis. l. ſocius qui. ff. pro ſocio, & c. quoniam. xiiij. q. iiij. ibidemq; gloſſ. Atque hic quidem eſt unus caſus, quo citra turpitudinem licitum eſt ultra ſortem aliquid petere ſine pacto. Reliqui notantur in gloſſ. & à Panor. circa ca. cauſ. quæſtus, ext. de uſuris.

25 Cæterũm fructus à talibus uſuris ita ferè diſtinguuntur, quòd illi ſunt na-
26 turales, hæ uerò ciuiles actiones, quia non ex ipſo corpore rerum debitarum, ſed ex alia cauſa, uidelicet mora, nobis debentur. l. uſura. ff. de uerb. ſignif. Ponuntur & cauſæ inter acceſsiones rerum. Sed quidnam propriè ſub appellatione cauſarum uoluerint intelligi, qui leges in titulos digeſtorum digeſſerunt, neq; ex ipſis legibus, quæ extant ſub titulo acceſsionum, neque ex illis, qui in eas ſcripſerunt; intelligi ſatis poteſt. Gloſſa circa Epigraphen tituli ff. de uſuris, remittit diſcentes ad l. æquis. ff. eod. Et ſanè innuit utcunque iſta
27 lex, quõd cauſas dixerint ueteres eas acceſsiones, quæ licet non ex ipſis rebus proueniſſent, in illisq; hærerent, tamen earum occaſione productæ meritõ res ipſas ſequerentur. Diſertè nanque in iſta lege diſtinguuntur fructus à cauſa, ut fœtum ex equa natum inter fructus. Secundum uerò fœtum, & partum mulieris, inter cauſas numeret, & ſanè ſiue ſecundum fœtum lex uocet eum, qui ex eadem equa eſt æditus, qua primus, ſiue eum, qui ex primo fœtu natus eſt, ſatis patet, quòd ex cauſa rebus acceſſiſſe dixerint ueteres, id, quod non reipſa, ſed occaſione rei debitũ eſſe uideretur. Quòd aũt in eadem lege partus mulieris omnino non inter fructus, ſed cauſas computatur, id ideò fit, quia partus hominis propter finem, quo naſcitur, inter fructus eſſe non exiſtimatur. leg. ancillas. ff. de petition. hæreditat. Ego itaque coniecturam ex hac lege faciens, omnia ea, quæ quaque occaſione rei accreſcunt debito, aut gratia eius illi adiunguntur, acceſsiones ex cauſis dici poſſe exiſtimo. Itaque ſi ſeruus ſit in obligatione, & illi aliquid à quopiam legetur, acquiri illud legatum ex cauſa, ei, cui debetur ſeruus, dici poteſt. Verùm quõd & acceſsiones, quæ ſunt ex cauſa, in Actionibus peti poſsint, id ex Epigraphe titul. acceſsionum liquet, in qua manifeſtẽ inter acceſsiones, quibus augentur Actiones, ponuntur.

28 Poſtremõ augentur quædam Actiones inficiatione negantis id eſſe factum, cuius conuinci poteſt, ut ſi quis συγγραφὴν alicuius proferat in iudicio, & ille neget eam eſſe ſuam, aut cũm agnoſcat, tamen inficiari non dubitet id, quod literæ teſtantur factum, & poſtea conuincatur mendacij, tum non modò ad ſoluẽdum debitum, ſed & peti poteſt, ut condemnetur in duplum debiti. Authen. de ſemiſſe & triente. §. ſtudium. col. iij. Atq; hoc quidem conſti-
29 tutum eſt exemplo legis Aquiliæ, ut impudentes inficiationes aliqua pœna mulctarentur, & ut lites malitioſis inficiationibus non protraherentur. Aquilius enim in Actione damni culpa dati primus ita conſtituit, ut qui negaſſent à ſe damnum iniuria aut culpa datum, ut actorem probationibus grauarent, & litem contraherent, conuicti in duplum condemnarentur. l. uide Neratius. §. hæc actio. ff. ad legem Aquiliam. poſtea & in alijs Actionibus idem ius proditum eſt ab Imperatore Iuſtiniano. Authentic. de triente & ſemiſſe. §. ſtudium. col. iij. Non tamen quælibet inficiatio negantem ſubijcit

pœnæ dupli, ſicut enim excuſatur à calumnia, qui adfectione paternæ mortis, medicum, aut cubicularium eius calumnioſe accuſauit, ita etiam uidetur excuſandus à calumnia, qui honeſta aliqua neceſsitate inductus aliquid in iudicio negauit, iuxta leg. qui cùm maior. §. ſi patris. ff. de bonis libertorum. & Angel. ſuper rubr. Inſtitut. de exceptionibus. Itaque propter manifeſtè 30
calumnioſam inficiationem ſolùm quis condemnatur in duplum, aut alioqui à iudice repellitur & mulctatur, atque ita etiam fit in certis ſolùm caſibus, qui legibus exprimuntur: ut in Actione damni, iniuriæ, & legatorum, quæ uenerabilibus locis relicta ſunt. §. aduerſus. Inſtitut. de pœna tem. litigat. Item poſſeſſor negans ſe poſsidere, amittit poſſeſsionem, ſi conuincatur poſſeſsionis. l. ult. ff. de rei uend.

Cæterùm differt Actio legis Aquiliæ in petendo duplo à reliquis Actioni 31
bus, in quibus nomine pœnæ ſtatim ab initio nulla interueniente inficiatione duplum petitur, quòd in illis precium rei, in hac uerò etiam intereſſe duplatur, iuxta gloſſam leg. contra negantem. Cod. de leg. Aquilia. Item pœ- 32
na dupli ab inficiante petitur condictione, iuxta gloſſam uerborum facta ſolution. circa Authentic. contra. C. de non numerata pecunia. in alijs uerò actionibus, ut in actione furti non manifeſti, duplum petitur ex obligatione, unde ipſa obligatio naſcitur. Quare diuerſa eſt ratio petendi dupli propter 33
inficiationem, ab actione, qua principaliter ad pœnam dupli agimus. Atque hi ferè ſunt modi, quibus actionum petitiones augentur, pauciores ſunt modi, quibus minuuntur. Etenim quòd à quibuſdam perſonis (ut ſunt parentes, patroni, coniuges, ſocij, donatores, ceſsionarij) non quantum nobis debeant, extorquere poſsimus, ſed id tantùm ab illis petere, quod ipſi citra egeſtatem ſuam facere poſsint, iuxta legem, in condemnatione. ff. de regulis Iuris, id magis ex indulgentia legum, quàm ipſo iure fit, & beneficium potius, quàm legitima diminutio petitionis, ſi cui à legibus ita parcitur, ut ne egeat, in minus condemnari, quàm ſit debitum, iubeatur, ſicut textus Inſtitution. de actionibus. §. ſunt præterea, uſque ad finem tituli, enumerat qua- 34
tuor caſus, in quibus reus ſolùm in id condemnatur iure Romano, quod facere poteſt. Sunt igitur duo tantùm modi, quibus petitio actionum reipſa minuitur, uidelicet, deductio impenſarum, de qua in hoc capite ſuprà diximus, & compenſatio debitorum, qua inuicem Actor & reus debita propter debita remittunt, & à ſumma petitionis deducunt. Atque eſt quidem talis 35
compenſatio debitorum ſumma æquitate permiſſa. Intereſt enim noſtra, potius non ſoluere, quàm ſolutum repetere. leg. i. ff. de compenſationibus. Itaque & propter eius æquitatem ea etiam in delictis & pœnis permiſſa eſt. xxxij. quæſtion. vi. capit. nihil iniquius, & extr. de pœnis. cap. conſtitutus. Quarum autem rerum, & à quibus fieri poſsit compenſatio, uel non, ſuprà & nos de obligationibus, in capite, quibus modis tollantur obligationes, indicauimus: & plenè idem tradit gloſſ. circa l. finalem. C. de compenſationibus. & gloſſa circa c. bona fides, extr. de depoſito: Cæterùm huc peculiariter pertinent Tituli:

ff.

De uſuris, fructibus, & cauſis, & omnibus acceſsionibus, & mora.
De compenſationibus.

Cod.

De uſuris.
De compenſationibus.

DE CAVSIS AGENDI.

Caput IIII.

SVM-

SVMMARIVM.

1. Qui cauſam propoſiti allegare non poſsit, in iudicio non audiatur.
2. A notioribus ad ignotiora procedendum.
3. Cauſam petendi in qualibet actione exponendam eſſe.
4. Omnis actio cur inſtituatur.
5. Quod antè nullius eſt, occupanti conceditur.
6. Præſtet ne petitorio, quàm poſſeſſorio experiri.
7. Videndum, in quam ſpeciem contractuum cadat præſens negotium.
8. Plures actiones ex eodem facto quandoque competere.
9. Legatario datur actio ex teſtamento, rei uendicatio, hypothecaria.
10. Actio in factum generaliſsima, ſubſidiaria quando competat.
11. Nemini ſuus dolus ſit lucroſus.
12. Condictio ex lege, & officium iudicis quando datur.
13. Vſurarum petitio propter moram.
14. Premium pro medici opera iudicis cognitione conſtitui.
15. Iudicia temerè non eſſe inquietanda.
16. Exceptionum munus quod ſit.

ET SI ex his, quæ hactenus annotauimus, ſatis intelligi poſsit, quæ in qualibet actione proponenda conſiderari debeant, ne quid inſcitè, aut non ſatis conuenienter in iudicio petamus, tamen quia non ſufficit diſertè aliquid proponere, niſi appoſita etiam adiungatur cauſa, ex qua ius petendi emineat, uiſum eſt operæpretium, de cauſis agendi, pauca quædam dicere, antequàm ad ſingularum actionum explicationem deſcendamus. Præterquam enim, quòd regulariter in iudicio non audiatur, qui cauſam propoſiti allegare non poſsit, leg. cũm hi. §. in cauſa. ff. de tranſactionibus, methodi quoque ratio requirit, ut generalem quandam imaginem omnium actionum concipiendarum diſcentibus præformemus, cuius intuitu & conſideratione tanquàm ex theatro actionum digreſsi, communem quandam notionem ad ſingulas propius pernoſcendas adferamus. Nam in diſcendo hæc compendiaria, ſecundum Ariſtotelem, eſt uia, ut à notioribus ad ignotiora procedamus. 2

Cũm igitur generis notitia in qualibet re cognoſcenda magis in aperto ſit, & facilius apud animum concipiatur, quàm ſpeciei, abſoluenda eſt generalis nobis actionum forma, dicamus cauſam quoque petendi in qualibet actione exponendam eſſe, ut appareat, cur id, quod agẽdo petimus, deberi nobis cenſeamus. 3

Porrò, ut in tanta uarietate cauſarum, aliqua diſtinctione iuuentur cogitationes, in inquirenda cuiuslibet cauſa, obſeruandum erit, quòd omnis actio inſtituatur, aut rei uendicandæ gratia, aut acquirendæ, uel retinendæ, uel recuperandę poſſeſsionis cauſa, aut ut præſtetur nobis id, de quo cum quopiã conuenimus, aut ut redimatur culpa, & emendetur damnum, alterius cauſa, dolo, uel ui nobis datum. 4

Rem uendicamus iure dominij, quod nobis competere ex aliqua cauſa, ſiue modo acquirendarum rerum oſtendere poſſumus. Poſſeſsio ijſdem ex cauſis nobis debetur, quibus dominium, iuxta gloſſam leg. quòd meo. Digeſtis, De acquirenda poſſeſsione. Itaque ijſdem quoque cauſis eam acquirimus, tuemur, & recuperamus. Et ſæpe accidit, ut ſimul cum iure dominij poſſeſsionem acquiramus, ſicut fit in feris, quas capimus, aut in agro, quem uacuum animo poſsidendi occupamus, quia, Quod antẽ nullius eſt, id naturali ratione occupanti conceditur. leg. tert. ff. 5

de acquirend.rer. dominio. Sed in rebus, quæ, antequām nos eas apprehenderemus, aut ex aliqua iusta acquirendi causa nobis factæ sunt debitæ, alterius cuiuspiam fuerunt, in illis non acquirimus possessionem, nisi tradantur, ut hæres institutus adita hæreditate, acquirit ius dominij, quod defunctus habuit, ad quam ipse per institutionem uocatus est, non tamen acquirit eius possessionem, nisi legitimo modo eam apprehendat. l. cùm hæredes. ff. de acquiren. uel amittend. possess.

Proinde cùm sæpe accidat, ut quis iustam habeat causam, propter quam iure dominij rem uendicare, aut possessionem eius sibi concedi postulare possit, non rarò quoque euenit, ut ex ijsdem causis nunc res ipsa, nunc possessio eius petatur. Nec leuis, quamuis trita sit, quæstio est: Præstat ne potius petitorio, quām possessorio iudicio experiri, & an utrunque simul suscipi, an uerò altero suscepto liceat ad alterum regredi, sed de hac infrà, ubi facti species hanc deliberationem offeret: hic satis sit monuisse, sæpe de dominio & possessione tanquam de iure separato agi, licet ex ijsdem causis utrunque nobis contingat, aut debeatur. 6

Quæ uerò sint istæ causæ, ex tractatu modorum acquirendi res, quisque requirat. At ubi aliquid ex conuentione pręstandum uenit, quærenda est actionis causa inter contractus nominatos & innominatos, & quasi contractus, atque uidendum, in quam speciem illorum potissimùm cadat præsens negotium, ut certò scire possit, quæ & qualis obligatio inde nascatur. 7

Itidem faciendum est, ubi intelligimus propter delictum, uel quasi, cum quopiam nobis esse rem. Nam & inter delicta uaria sunt discrimina, ita ut constituere non possimus, quid pro cuiusque emendatione ciuiliter petere liceat, nisi constet, in qua specie delictum uersetur, de quo acturi cum quopiam sumus. Neque uerò cogitandum est discentibus, quòd ex uno aliquo facto, unica tantùm nascatur actio. Nam sæpe plures actiones eodem ex facto competunt, ut si socius ex rebus sociorum clam aliquid subtrahat, sic potest cum eo agi, ut ex contractu societatis sarciat damnum dolo eius datum: aut potest conueniri de furto. l. rei communis nomine. ff. pro socio. 8

Item legatario ad consequendum legatum datur actio ex testamento, rei uendicatio, & hypothecaria. l. cùm filius. §. uarijs. ff. de l. ij. 9

Proinde cùm occurrit factum, ex quo agi possit, primùm iuxta distinctionem causarum, propter quas suprā nos agere in uniuersum diximus, bene perpendendum est, quomodo possit ex ea agi. Deinde, si plures ex eodem facto competant actiones, utra experiri magis tutum uideatur, aut placeat. Tertiò, ubi constituerimus, qnam actionem alicui intendere uelimus, perpēdendum, ex qua causa, uel acquirendi iuris modo ea potissimùm nobis debeatur. Quartò, an etiam ea, quæ in quoquo modo acquirendarum rerum, & in contractibus ad producendas obligationes requiri in tractatione iuris dominiorum & obligationum ostendimus, habeamus aut præstiterimus. Nam illa ad probationem causarum agendi necessariò requiruntur. Itaque qui illis destituitur, is facilè ab agendo depellitur, tanquam is, qui non satis sufficientem habet agendi causam. Postremò, ubi aliquis casus incidit, qui sub nulla earum causarum comprehendatur, ex quibus existunt actiones, & ordinaria auxilia persequendi iuris nostri, decurritur ad extraordinaria auxilia, uidelicet, ad actionem in factum generalissimam, & subsidiariam, aut ad actionem de dolo, aut ad condictionem ex lege, aut ad officium iudicis. Nec tamen ista subsidiaria auxilia pariter in omnibus casibus nobis conceduntur, sed singula in singulis, & certis rerum casibus nobis subsidio sunt, ut actio in factum generalissima, tum nobis competit, cùm ratione facti, iura quidem suadent actionem dari, sed nullam specialem assignant. Exempli gratia, si creditor sine suo uitio consequatur pignus à debitore eius, illi non traditum, & 10

de-

debitor ſoluat debitum, non poteſt quidē debitor actione pignoraticia repetere, quod ad creditorem peruenit, quia ea non competit, niſi ex conuentione re interueniente pignus datum ſit. Et tamen æquitas ſuadet, reſtitui illud, quod creditor ita accepit. Itaq; cùm nullam habeat cauſam actionis, ſubſidiaria in factum actione repetere illud licet, iuxta notata circa l. uſucapio. C. de pignoribus. Eodem modo & iure actio doli nobis datur, ſed non niſi aliquid in contractibus admiſſum ſit, quod in aliud genus delicti non cadat, quām doli, & tale ſit, ut ex æquo & bono damnum ex eo datum emendari iura ſuadeant,
11 ne alicui ſuus dolus ſit lucroſus. l. ne ex dolo. ff. de dol. Atq; ita uidere eſt, q̄ actio in factum generaliſsima, & actio de dolo, ſint ſubſidiariæ, cùm iura non exprimunt ſpecialem actionem, & tamen æquum eſſe iudicant, ut ubi tale quid cōtingat, quod actione dignū ſit, ea qualis illa ratione facti iudicari per
12 iudicem poſsit, non negetur. Contrà in cōdictione ex lege fit, nam ea non cō petit, cùm ratio facti ſuadet actionem dari, ſed cùm ſola legis autoritate conſtituitur actio ex ciuili quadam ratione & neceſsitate in tali facto, quod naturalis ratio in nullius debiti obligationem uenire exiſtimet, ſicut in tractatu obligationum exemplis declarauimus. Officium uerò iudicis tum demum imploratur, cùm iura nec actionem dant, nec ſuadent dari. Nam ad officium iudicis confugimus, tanquam ad ſacram anchoram, quod eſt in Prōuer. cùm nihil præſidij ex legibus reliquum eſt, quām ut æquitatem & miſericordiam iudicis imploremus ad ſuccurrendum laborantibus nobis in deſtitutione omnium auxiliorū ordinariorum, & aliorum extraordinariorum. Loquimur autem de officio iudicis, quo extraordinaria actio loco actionis proponitur,
13 non quod accidentaliter in actionibus imploratur, ſicut fit in petitione uſurarum propter morā in actionib. bonę fidei, nam tales uſuræ non ſeparatim, ſed circa principalem actionem expetuntur per officium iudicis nobis adiudicari, & adeò cohæret talis imploratio iudicis, actionib. principalib. ut illis per definitiuam ſententiam extinctis, ea non detur. l. ſi depoſita. C. depoſ. Secus fit in officio iudicis, quod principaliter loco actionis proponitur. Nam illius proponendi facultas nobis integra manet xxx. annis, ſicut aliarum actionum perſonalium, ſecundum Rofredum de ordine iudiciorum, in fin. tit. de prætorijs ſtipulationibus. Itaque uulgo etiam aliud dicitur eſſe officium iudicis in acceſſorijs, aliud quod loco actionis proponitur. Proponitur autem officium iudicis loco actionis in talibus caſibus, qui extraordinariæ iudicis cognitioni relicti ſunt decidendi, quales ſunt, qui notantur in titulo ff. de uarijs & extra
14 ordinarijs cognition. iudic. ut niſi de præmio ſuæ operæ medicus cum ęgroto conuenerit, iudicis cognitione conſtitui illud poteſt. Et in talibus caſibus nuda expoſitio facti, loco cauſæ eſt, ſi tamen tale fuerit factum, ut mereatur iudicis præſidium. Cæterūm ubi aut ll. prohibent actionem dari (ſicut prætor negat ſe actionem daturum in eum, qui aliquid ſubtraxerit illi, qui paſſus eſt alea ludi in ſuis ędibus. ff. de aleatoribus) aut ſi tale quid accidit, ex quo nec ex iure dominij, aut poſſeſsionis, uel quaſi, nec ex contractu, aut delicto, uel quaſi, aliquid nobis deberi uideatur, nec in eo aliquid emineat, quod præſidium
15 iudicis meritò deſideret, fruſtrà de actione quæritur. Neq; enim temerē, & ſine iuſta cauſa cuiquam inquietare iudicia conceditur, & contra religionem iudicis eſt, facere alicui poteſtatem, ut litem nulla, aut leui, aut turpi ex cauſa moueat. Quæ uerò ſint cauſæ, ex quibus uel omnino non naſcatur actio, aut propter quas, ſi nata ſit, ſortiri effectus non poſsit, uel penitus extinguat, infrà de exceptionibus dicemus. Nam hoc exceptionum munus eſt, ut oſtendant actiones non competere, aut competentes iugulent. Et quia magna eſt earum multitudo, nec uis aut uſus earum perſpici, niſi cognitis actionibus, probè poſsit, nos earum tractationem differemus attingere, donec actiones explicauerimus.

QVO

QVO ORDINE TRACTENTVR actiones. Caput V.

SVMMARIVM.

1. Series cauſarum, ex quibus quodlibet ius naſcitur, ſequenda.
2. Ius totum conſiſtere in acquirendo, amittendo, & conſeruando iure.
3. Catalogus actionum.
4. Subſidiariæ actiones & auxilia actionum quæ dicantur.
5. Ciuiles actiones primùm proditas eſſe.

IAM igitur, ut commodè percipere auxiliorum intuendo quolibet iure uarietatem diſcentes poſsint, ſequemur ſeriem cauſarum, ex quibus quodlibet ius naſcitur, & circa quas quælibet actio exiſtit, tanquam defendendi iuris propugnaculum. Totum enim ius conſiſtit in acquirendo, amittendo & conſeruando iure, l. fin. ff. de ll. Poſtquam igitur in ſuperioribus tribus capitibus ſecundæ partis doctrinæ iuris oſtendimus, quibus modis acquiramus, uel amittamus ius in perſonam, aut rem, & quibus modis ad præſtandum uel faciendum aliquid inuicem obligemur, & liberemur, ipſe ordo explicandi iuris requirit, ut ſingulis formis modos conſeruandi iuris adiiciamus. Id uerò iuxta ſummam illam diuiſionem formarum iuris facere cõſtituimus, uidelicet, ut primùm indicemus, quibus actionibus iura perſonarum in perſonas proſequamur, deinde quomodo acquiſitum dominium, aut adeptam poſſeſsionem tueamur, uel amiſſam recuperemus. Poſtremò quomodo ex conuentione, uel delicto debita extorqueantur. Prodita autem eſt in qualibet forma iuris, aut ſpecialis actio, aut ex ea tanq̃ ex cauſa dominij, poſſeſsionis, uel obligationis alicuius generali actione agimus. Itaq; in ſingulis formis, ſi qua ſpecialis actio eſt prodita, eam annotabimus, ſin minus, eam tanq̃ cauſam generalis iuris ad generalem eius actionem referemus. & ut argumenti loco diſcentes habeant, quid in quaq; actione conſiderandum ueniat, in explicatione cuiuſq; formæ iuris indicabimus, quæ & quales actiones inde tanq̃ ex cauſa actionũ oriantur, quidnam peti propter quanq; actionis cauſam poſsit, quibus, & contra quos ea detur, quo temporis curriculo ea uigeat, aut ceſſet poſſe dari. Neq; uerò hanc rationem tractandarum actionum, ideò inſtitui, quòd mihi uſq; adeò diſpliceat aliorum in tractandis illis conſilium. Non enim improbo quòd autor Inſtitutionum iuxta uarietatem differentiarũ inter illas conatus eſt uim & naturam earum explicare. Nam & collatio, quam fieri in tali explicatione earum neceſſe eſt, quandam lucem illis adfert, magis uerõ placet illorum inſtitutum, qui perpetuo quodam Catalogo primùm enumerant actiones, quæ à prætoribus ſunt proditæ, & interdicta, atque edicta eorum, quæ loco actionum propoſita ſunt, recenſent. Poſtea uerò altera quaſi claſſe actionum exponunt actiones, quæ ciuilibus legibus continentur. Et quia præter actiones reliqua quædam auxilia (uidelicet officium iudicis, bonorum poſſeſsiones, Senatuſconſulta, & conſtitutiones Imperatorię, quibus poſt uetera agendi iura nobis in certis quibuſdam caſibus ſuccurritur) appendicis loco hæc quoque auxilia actionibus adnumerant, non quòd actiones ſint, ſed quòd loco actionum proponantur, & in certamine iudiciorum idem, quòd actiones, operentur. Talem autem expoſitionem actionum magis probo, quàm eam, quę eſt in Inſtitutionib. quia multitudo & uarietas actionum per eam magis declaratur, nihilominus tamen meum inſtitutum mihi placet, q̃ exiſtimo, uſum actionum ita oſtendi apprimè poſſe, atque ratio etiam hiſtorię, qua conſtat eas eſſe proditas, me confirmat, ut quod inſtitui, ſequendum in illis explicandis cenſeam. Primùm enim omnium proditę ſunt ciuiles actiones, quibus deficientibus nonnunquam planè nouas Prętor inuenit actiones, in caſum nonnunquam antè inuentas, adhibito quaſi ſuo remedio adiuuit, ſicut

&

& posterioribus quibusdam constitutionibus Imperatores fecerunt. Itaq; sæpe contingit,ut in eadem forma iuris aliud Iure ciuili,aliud Iure prætorio, aliud nouissimo constitutionum iure competat auxilium: utigitur in qualibet forma iuris cerni possit, ex quo iure quæq; actio nobis detur,non catalogo,sed applicatione causarum actiones separabimus, & eo ordine,quem suprã indicauimus,eas explicabimus.

QVIBVS ACTIONIBVS Ius patriæ potestatis conseruatur.

Caput VI.

SVMMARIVM.

1. De iure patriæ potestatis.
2. Rei uendicatione agi ex causa dominij.
3. Actio in rem præiudicialis,item officium iudicis patri datur.
4. Cognitio prætoria idem est quod officium iudicis.
5. Interdictum de liberis exhibendis.
6. Interdicta quæ dicantur.
7. Præiudicialis actio alia ciuilis,alia prætoria.
8. Vtiles actiones uocari ratione utilitatis.
9. Adfectio naturalis inter parentes & liberos.
10. Præiudiciales actiones cur dicantur.
11. Actio in factum loco interdicti.
12. In omnibus interdictis prius cognosci de possessione, quàm de proprietate.
13. Maritus pro uxore exhibenda contra patrem.
14. Ioannis Glossatoris arbor actionum.
15. Actio ingratitudinis datur parentibus aduersus ingratos liberos.
16. Iniuriola leuis non satis est ad actionem ingratitudinis, sed atrox iniuria.
17. Quæ atroces iniuriæ censeantur in actione ingratitudinis.

1 IVS,quod in liberos nostros ratione patriæ potestatis habemus,non habet uim dominij. Neq; enim plenam prębet potestatem in liberos,tãquàm in res nostras. Itaq; si liberi nobis subtrahant,aut ipsi pro iure patrię potestatis nobis parere detrectent,non uidentur rei uendicatione nostræ potestati pos-
2 se restitui & subijci. Nam rei uendicatione non agimus,nisi ex causa,qua dominium acquiritur,& tamen quia ius patriæ potestatis quasi reale est, & personam tanquam rem afficit,permittunt iura,ut quis adiecta causa, unde potestas patria oritur, filium uendicet, & suę potestati subijciat.leg. 1. §. 1.ff. de
3 rei uendicatione. Ac siquidem ipse filius subducat se patrię potestati,negans se esse filium eius,qui petit eum,datur patri etiam actio in rem prędiudicialis,
4 item cognitio prętoria,quam uocamus officium iudicis. Eędem actiones dantur,cũm filius ultrõ patitur se ab alio detineri,nam & tum uidetur à nemine prohiberi,quõ minus parẽti obsequatur,& iuseius agnoscat. Itaq; in eadem est causa, ac proinde eodem etiam modo cum illo agi potest, ut parentis po-
5 testatem non detrectet. At si inuitus à quopiam detineatur, patri succurritur interdicto prętoris de liberis exhibendis & deducendis. Et rei uendicatione adiecta causa de iure Quiritum.leg. 1. ff. de liberis exhiben. uel deducend. Nõ aũt datur isto casu officium iudicis, aut actio in rem prędiudicialis, quia auxilia ista tantũm competunt cõtra ipsum filium detrectantem patriã potestatem. Interdictum aũt solũm competit,cũm inuitus ab alio detinetur.
6 Interdicta enim dicuntur iura inter duos de re tertia posita. Itaque quando filius ipse opponit se patri, non habet locum interdictum de liberis exhibendis,quia in ea controuersia non agitur de re tertia, sicut fit,cũm inuitus ab alio detinetur filius. Porrõ de rei uendicat.& officio iudicis,infrà suis locis dicemus.

cemus: hic quia ſpeciales ſunt actiones in hoc ſchemate iuris, actio in rem præiudicialis, & interdictũ de liberis exhibendis & deducendis, peculiariter de illis dicemus. Eſt autem præiudicialium actionum, quæ pro tuendo iure patriæ poteſtatis competunt, alia ciuilis, alia prætoria. Ciuilis intenditur, quando in controuerſiam uenit, an filius ſit in poteſtate, aut non. Itaque in proponenda ea uidendũ eſt, an illis modis, quib. patriã poteſtatem acquiri diximus, uel eum, quem contendis te habere in poteſtate patria, nõ ex ea dimiſeris, aut alio quodam legitimo euadendi eam modo acceſſerit. Niſi enim quis integrũ habuerit acquiſitæ patriæ poteſtatis ius, non datur illi hæc actio. Illud enim poſſe allegare & probare, eſt adiicere cauſam de iure Quiritũ. Ciuilis autem hæc actio eſt, quia ex iure, quod ciuibus Romanis in liberos ã lege, & non ã prætore datum eſt, oritur, quod ius uocamus patriam poteſtatem. In rem, non quia rem corporalem ea nobis deberi contendimus, ſed quia ius, quod nobis ã legibus ratione patriæ poteſtatis tribuitur, ea nobis uendicamus, & quia datur contra quemuis detinentem, aut retrahentem liberos noſtros, quõ minus iure noſtro in illis frui poſsimus. Quod uerõ ſit illud ius, quod nobis competit in eos, quos in patria habemus poteſtate, explicauimus in capit. de iure perſonarum, ſub titulo, de patria poteſtate. Perſecutoria uerò rei eſt, & in ſimplum datur, quia nihil amplius, quàm quod iure patriæ poteſtatis conceditur, nomine pœnæ in ea peti poteſt. Eſt quoq; ſtricti iuris, & ſingularis, quia contra libertatem datur. Itaque iura patriæ poteſtatis non egreditur, nec per eam cogi poſſunt liberi, ut in ſe permittant ratione æquitatis parentibus, quod illis ius patriæ poteſtatis non tribuat. Itaque acturi hac actione, coguntur peculiariter exprimere, quid in liberis pro iure patriæ ſuæ poteſtatis requirant. Perpetua autem ideò eſt, quia generali omnium actionum tempore durat, non ſolũm autem in eos, qui immediatè liberi noſtri ſunt, ſed & in nepotes datur. Itaque tranſitoria nuncupatur, quia mortuo patruo in auum tranſit. Directa uerõ reſpectu utilis, quia l. i. ff. de rei uendica. manifeſtis uerbis parentibus contra liberos ipſorum poteſtatem detrectantes datur. & quia utile eſt ita ſubigi liberos propter parentum poteſtatem, exemplo eius permittitur etiam cæteris, qui aliqua poteſtate habent alios obnoxios, ita ad debita officia uocare, licet enim domino Vaſallum ſuum, uiro uxorem, ſicuti parenti filium, iuxta formam huius actionis, cogere, ut illius poteſtati pareat. Quamuis id expreſſe in hac actione non ſit conceſſum. Itaque tales actiones, quæ ſic dantur ratione utilitatis, ex forma adiectarum uocantur utiles. Non autem hæc actio eſt adiecta reſpectu contrariæ, quia per hanc filius cum patre non agit, ut eum in poteſtatem recipiat. Secus ſit in actione in rem præiudiciali prætoria. Nam ea pater filium, ut ſe agnoſcat patrem, & alat, & è contra filius patrem, ut ipſum agnoſcat filium, & alat, cogere poteſt. l. ſiue. §. i. ff. de lib. agnoſ. Sed talis actio non naſcitur ex iure patriæ poteſtatis, ſed ex obligatione legis. Quamuis enim adfectio, quæ naturaliter eſt inter parentes & liberos, ſuadeat, ut ſe inuicem agnoſcant & alant, tamen ex ui eius obligationis agi non poſſet, niſi legis autoritas acceſsiſſet. l. ſi quis à libe. C. de alendis liberis. Si tamen quis recuſet patris poteſtati parere, quia neget ſe eſſe illius filium, datur actio in rem præiudicialis prætoria ad explorandum, an ex eo patre natus ſit, & in urgenda ea actione utimur argumentis, quibus aliquis legitimus alterius conuincitur eſſe filius, quæ facilẽ colligi ex modis acquirendæ patriæ poteſtatis poſſunt. Neque præſtat quidem hęc actio prætoris aliud ſubſidium, quàm ciuilis, de qua iam diximus. Nam iiſdem planẽ caſibus ea competit, ita ut ſuperuacanea eſſe uideri poſsit, niſi hoc & in aliis formis euenire ſciremus, quòd prætor nonnunquam polliceatur ſuam operam non egentibus auxilium, ſicut conſtat de poſſeſsione bonorum ſecundum tabulas, qua adiuturum ſe eum promittit prætor, qui ſine eius ſubſidio ex teſtamento agere poteſt. Cæ

7

8

9

terùm

80 terũm ambæ dicuntur præiudiciales, non quia semper illis præiudicetur alijs actionibus, sed quia aptæ sunt ad præiudicandum filio agenti, ne contra patrem litem moueat. illis enim propositis filius non auditur contra patrem, do nec euicerit, se non esse eius filium, uel in eius potestate. Cæterũm interdicta de exhibendis & deducendis liberis prætoria sunt. Nam omnia interdicta à prætoribus tradita sunt. Insti. de interdict. in princip. Et licet in rem uidean tur concepta, tamen ipsa imperſonalia sunt. l. i. §. penult. ff. de interdict. Suo nanque facto quis obligatur ad præstandum id, quod interdicto contínetur, qui non cauit, ut illud aduersus eum non competeret. Et tamen perse quutoria rei sunt, quia illud ius, quod patribus in liberos ratione patriæ pote statis concessum est, hæc interdicta patrib. reddi iubet. Itaq; loco horũ inter-
81 dictorum, sicut cuiuslibet alterius interdicti, competit etiam actio in factum, quæ proponitur loco sui interdicti. Institut. de interdictis. §. ultim. & leg. ul. C. de act. empti. Dantur quoque in simplum, quia pœnæ loco nihil in illis constitutum est, quod possit peti. Neque & in illis aliud uenit petendum, q̃ quod uerbis interdictorum expressum est, quia stricti sunt iuris. Non aũt potest quis agere his interdictis, nisi apud iudicem proponantur, cuius iurisdictioni subiectus sitis, contra quem ea proponat. l. ij. C. de interdictis. Item dantur contra quemcunque detinentem liberos nostros inuitos, tanquam
82 possessorem, & in omnibus interdictis prius cognoscitur de possessione, q̃ de proprietate. l. incerti. C. de interdictis. Quare neque in eum, qui ex successione liberos nostros fortẽ accepit, tanquam in hæredem, sed tanquam in possessorem dantur. Et speciale quidem est in interdicto de liberis deducendis, quòd non possit per procuratorẽ exerceri, nisi nominatim ei mandatum id sit, & pater ualetudine, uel alia iusta causa impediatur. l. Pomp. in princi. ff. de procur. Directè uerò agere patrem his interdictis nemo non uidet, qui modò respiciat titulum de liberis exhibendis, satis enim indicat uel Epigraphe eius, quòd peculiariter hæc interdicta parentibus data sint. Vtiliter age
83 re ex illis uideri potest maritus, si iuxta l. immo. ff. eod. tit. pro uxore exhiben da & deducenda contra patrem agat. Filius autem his interdictis non agit cũ patre. Itaque rectè his agi respectu contrariæ actionis in illis competentis ui deri non potest. Singularia autem & simplicia sunt hæc interdicta, quia non sub generali appellatione, sed specifica in illis exprimunt̃ petenda, nec simul actor & reus esse aliquis agentium uidetur. Quamuis autem hæc interdicta de exhibendis, & deducendis liberis sint prætoria, & ideò censeri
84 possent Annalia, tamen Ioannes Glossator in arbore Actionum ea inter perpetuas actiones collocat. Infamis uerò non fit, qui his interdictis condemnatur. Nullum enim interdictum est famosum. l. neque. ff. de ui & ui armata. Nihil autem prorsus interest inter hæc duo interdicta, nisi quòd de liberis exhibẽdis est præparatoria eius, quod datur de liberis deducendis. Nam aliàs ex eodẽ iure, uidelicet patriæ potestatis, competũt. l. deinde. §. i. ff. de li. exh. uel deduc. qui titulus peculiariter huc pertinet. Postremò datur parentibus
85 aduersus ingratos liberos actio ingratitudinis, atque datur quidem hæc actio pro conseruando patriæ potestatis iure. Nam hanc facultatem tribuunt patri leges Romanæ, ut si filius à patre emancipatus coram legitima persona se exhibeat ingratum, liceat illi in patriam potestatem eum reuocare. l. un. C. de ingra. liber. Et quia talis facultas patribus concessa est tanquam pars patriæ potestatis in liberos, superuacuum uideri alicui posset peculiariter actionem pro ista parte iuris dari, cũm reliquæ omnes communibus actionibus uendicentur, & hanc quoque facultatem ijsdem actionibus sibi usurpari, eademq̃ uice sibi eam in liberos competere possint contendere. Ve rũm mihi uidetur id inde uenisse, quia hæc actio aduersus emancipatos liberos datur, reliquæ uerò aduersus eos, quos adhuc in nostra potestate esse con-

tendimus. Vt autem patri competat hæc actio, non satis est leui aliqua iniuriola patrem à filio esse adfectum. Nam quamuis ll. patribus hoc ius ministrent, ut ingratos liberos in potestatem reuocent, tamen id nisi propter atrocem iniuriam fieri posse negant. Censentur autem in hoc casu atroces iniuriæ, propter quas donationem reuocare licet, quæ enumerantur in l. ult. C. de reuo. don. Item si filius tale quid committit in patrem, propter quod possit exhæredari, etiam reuocari eum in potestatem posse non est dubium. Enumerantur autem causæ exhæredationis in Authentic. ut cũm de appellati. cognoſ. §. causas. Itaque hæc actio ex delicto quasi nascitur, & tamen est personalis, neque ex obligatione delicti, sed ex iure patriæ potestatis in ea agitur. Non igitur obscurum est, hac actione nos uti, tanquàm utili rei uendicatione, ea nanq; filiũ non petimus cõdemnari propter delictum ab eo admissum, sed patriæ potestati eum subijci requirimus, quia iura patriæ potestatis hanc facultatem contra ingratos liberos emancipatos nobis concesserũt. Vnde puto liquere, quòd hac actione rem, adeõque ius nostrũm prosequimur. Nihil nomine pœnæ, sed simpliciter id solũm, quod leges nobis in istum casum concedunt, expetentes. Agit autem hac actione, uel pater contra filium, uel auus contra nepotem ingratum, non mater uel auia, quia liberi non sunt in illarũ potestate. Si tamen liberi aliqua atroci iniuria adficiant matrem, extra ordinem puniantur, pro cognitione iudicis. l. congruentius. C. de patria potestate. Perpetua uerò est, sicut aliæ ciuiles actiones. Reliquas differentias facilè quisque ex eius ratione colliget. 17

QVAE ACTIONES DENtur pro iure patronatus. Caput VII.

SVMMARIVM.

1. Actio in rem præiudicialis pro iure patronatus quibus & contra quos competat.
2. Liberti & patroni egentes inuicem se alant.
3. Actio bonor. poss. contra tabulas.
4. Quando liberti possint reuocari in seruitutem.
5. De ingratitudine libertorum.
6. De bonorum possessione, eiusq; agnitione.
7. Mater semper certa est, patrem ostendunt nuptiæ.
8. Alienata in fraudem patroni quomodo reuocentur.
9. Actio in factum reuocatoria.
10. De actione Fauiana & Caluisiana.
11. Fraudis conscius ex quasi delicto obligatur.
12. In stricti iuris actionibus fructus non petuntur.
13. In litem iurat actor, si res alienatæ à liberto restitui non possunt.
14. Actio Fauiana & Caluisiana quando detur.
15. Rei persecutionem habentes actiones pro perpetuis habentur.

SI libertus gerat se pro ingenuo, & patrono recuset præstare debita obsequia, potest ad ea præstanda cogi actione in rem præiudiciali. Neq; uerò hæc actio alia differentia uariat, ab ea, qua subijci iugo paterno diximus eum, qui negat se patris esse filium, quãm quòd in hac de libertinitate disceptatur, in illa uerò, an legitimus sit eius filius, qui patriæ potestatis obsequia ab eo postulat, quæritur. Nam in reliquis omnibus inter eas conuenit, præterquãm in arg. materiæ, de qua agitur. Itaq; ad differentiam actionis prætoriæ in rem præiudicialis, solet ad hanc actionem adijci, quòd sit actio præiudicialis in rem pro libertinitate. Sicut igitur in illa per modos, quibus legitimos nanciscimur liberos, conuincimus aliquẽ nostrum esse filium, ita in hac actione per modos, quibus acquiritur ius patronatus, ostendimus aliquem nostrum esse libertum, ac proinde petimus eum officio iudicis cogi, ut pro iure 1

Actio in rem præiudicialis.

re patronatus nobis pareat. iuxta §. præiudiciales. Instit. de action. & ibi not.
Datur autem hæc actio regulariter patrono, eiusque liberis & parentibus, ad uersus libertum & libertam. Verùm quia non pari benignitate serui à dominis manumittitur, sed quidam necessitate exequendi fideicommissi causa, qui dam etiam prorsus inuiti coguntur ex seruitute sua dimittere seruos, pariter quoque non gaudent iure patronatus, quod illis propter beneficium manumissionis in libertos concessum est. Itaque ut quis sciat, an illi hæc actio in libertum detur, diligenter inquirendum est ex ipso iure patronatus, quid ipsi petere ā suo liberto liceat, ne petat quod illi pro modo, quo acquisiuit ius patronatus, non competat. Nam ei qui per fideicommissum rogatus aliquem manumisit, ille si petat se ali à liberto, non auditur, & si aliàs regulare sit, ut liberti & patroni egentes inuicem se alant. leg. si quis. §. solent. ff. de lib. ag. & leg. si tuis. C. de ope. libert. Eodem modo repelluntur quidam patroni etiam alijs actionibus agere cupientes, quæ peculiariter pro certis obsequijs contra libertos proditæ sunt, ut si quis accepta pecunia aliquem manumisit, is præteritus in testamento liberti, qui ultra centum aureos habuit in bonis, non potest petere tertiam partem, quæ patronis nouissimo iure debetur ex bonis libertorum, neque si aliquid ex testamento nomine legati, aut donationis accepit, ad supplementum tertiæ agere potest. l. etiam. §. si quis nu
3 mos. ff. de bonis libert. Quamuis in istum casum prætor peculiarem actionem prodiderit, quæ uocatur bonorum possessio contra tabulas liberti, iuxta Titul. C. de bonorum possessione, contra tabulas libert. quæ patron. liberis. eor. dat. Item qui ex necessitate aliqua seruum manumitttere coactus est, non potest eum propter ingratitudinem in seruitutem reuocare, & si id
4 patronis alioqui liceat. leg. i. C. de libert. & eorum liber. Reuocatur autem libertus ingratus in seruitutem, non statim si aliquod obsequium neget patrono. l. solo. C. de liberali causa. Nisi fortè tale fuerit negatum obsequium, ut plurimum interfuerit patroni, istud præstitum esse. Vt si tutelam filiorum patroni suscipere nolit libertus. l. ingratus. C. de iure patrona. Aut egenti patrono neget alimenta. leg. ultim. ff. de alendis liber. Propter alia uero obsequia negata potest peti à prætore, ut coërceatur libertus. l. i. §. i. ff. de iure patronat. & de officio præfecti urb. l. i. §. cùm patronus. Si uerò ingratus habeatur propter illatam iniuriā, tum propter leuem etiam offensionem in seruitutem reuocari potest. l. si manumissus. C. de libert. & eorum liberis. Alij autem patroni, quibus ius reuocandi libertos in seruitutem negatur, illi possunt petere ingratorum libertorum coërcionem à prætore, qui libertis, si intolerabiliter ingrati deprehendantur, etiam bona auferre potest, & ea dare patronis, aut eos etiam fustib. cędere. l. Diuus Vespasianus. §. mandatis. & §. interdum. ff. de iure patron. Cæterùm quæ præterea in reuocatio
5 ne libertorum in seruitutem ueniunt consideranda, ea quisque ex actione ingratitudinis, quam suprà ostendimus contra ingratos liberos dari, colliget. Nam tanta est illius cum hac cognatio, ut in qualitate differentiarum nihil ua
6 rient: bonorum autem possessio non solùm uariat ab actionibus, quibus iura patronatus prosequimur, sed in uniuersum à natura actionum recedit. Propriè enim non est actio, adeóque ius, quo persequimur nobis debitum, sed est ius propter quod tum demùm prosequimur, postquām autoritate prætoris nobis istud ius, quod prætor uocauit bonorum possessionem, concessum est. Vnde qui agit bonorum possessione, ille non uendicat rem à possessore, sed petit decerni, quòd in ea conditione iuris uersetur, ut liceat ei possessoria hæreditatis petitione, à possidentibus uendicare bona, quæ ad illum pertinere à prætore sunt cognita. Quare patronus non uendicat tertiam in bonis liberti, proposita bonorum possessione contra tabulas liberti, qui cùm non haberet liberos, nec parentes uel fratres (nam istis existentibus patronus excludi-

Quibus competat hæc actio, & contra quos.

Quib. casib. patroni non habent ius patronatus in libertos.

tur iuxta §.i.Inſt.de cognat.ſeruiſ)condidit teſtamentum pręterito patrono, ſed ſolũm petit eam bonorum poſſeſsionem ſibi concedi, hoc eſt, ſententia iudicis pronunciari, quòd illi non obſtante condito teſtamento ratione iuris patronatus, debeatur tertia in bonis liberti, propoſita enim bonorum poſſeſſione quæritur ſuffragatio iudicis de facultate petendę hæreditatis delatæ, & nõ ipſæ res hęreditarię uendicantur. Hinc eſt, q̃ bonorũ poſſeſsio olim ſit data interpoſito decreto iudicis certis quibuſdam ſolennitatibus uerborum, ſed nouiſsimo iure ſufficit delatam bonorum poſſeſsionem, hoc eſt, ius petendæ hæreditatis iudice ſuffragante agnouiſſe. iuxta l. ultim. & ibi notata. C. qui ad mitti. Et de bonorum poſſeſsionibus dicendum erit copioſius infrã de actionibus, quibus hæreditates petuntur: hoc loco obiter tantũm annotanda iſta cenſuimus, ne diſcentium quis cogitaret eodem modo proponi bonorum poſſeſsiones, quo proponuntur & concipiuntur actiones. Datur autem hæc bonorum poſſeſsio non ſolũm patronis eiusq̃ liberis, uerumetiam cognatis patroni uſque ad quartum gradum. §. multis. Inſtitut. de ſucceſſ. libert. Sicut autem aliæ bonorum poſſeſsiones ab illis, quibus titulo liberorum deferuntur, intra annuum ſpacium agnoſci licitum eſt. l. penult. ff. Quis ordo in bono poſſeſſ. ſer. à reliquis uerõ, quibus titulo cognatorum deferantur, intra centũ dies utiles agnoſci eas neceſſe eſt. l. ij. C. qui admit. Ita & de hac bonorũ poſſeſs. quæ datur patrono, iudicandum exiſtimo. Admittuntur tamen ad ſucceſsionem liberti ſolũ legitimi & naturales patroni liberi: Sed patronę liberi etiam naturales tantũm, quia mater ſemper certa eſt, patrem uerò oſtendunt legitimæ nuptiæ. l. patronæ. ff. de bon. libert. 7

Cæterũm ſi libertus decedat inteſtatus non relictis liberis, aut parentibus, uel fratribus, patronus actione ciuili totam hæreditatem liberti petere poteſt, quia ius duodecim tabularum in iſtum caſum non eſt mutatum à prætore, aut Imperatoribus. iuxta §. ſed noſtra. Inſtit. de ſucceſſ. libert. Sed datur illi & bonorum poſſeſsio, quam prætor tuendarum legum cauſa ſe daturum promittit. l. ſed cum patrono. ff. de bonorum poſſeſſ. Poſtremò ſiue teſtatus, ſiue inteſtatus moriatur libertus, ſi quid in fraudem patrono alienaſſe uidetur, quò minus patronus ex eius bonis debitam conſequatur portionem, reuocantur alienata generali actione in factum reuocatoria, aut actione Fauiana, quæ ſpecialiter contra fraudem liberti tanquàm auctarium actioni in factum reuocatoriæ adiecta eſt, aut actione Caluiſiana, quę & ipſa in eundem caſum prodita eſt, eandemq̃ habet uim, quam Fauiana, atque etiam ob eandem datur cauſam. l. i. ff. ſi quid in fraud. patron. fact. ſit. & l. ij. C. Si in fraudem patron. à liberto ali. fact. ſit. 8

Sed quæri poteſt, quo iure iſtæ actiones aduerſus eum nobis competant, apud quem ſunt res alienatæ à liberto in fraudem patroni, certè non ex contractu, aut quaſi, cũm nihil tale inter patronum & illum actum ſit, neque ex delicto, quia fieri poteſt, ut is cui aliquid datum eſt ã liberto in fraudem patroni, neſcius fraudis id acceperit. Itaque nullo iure uidentur iſtæ actiones contra illum proponi, niſi fortè conſcius fuerit fraudis: Nam tum quaſi ex delicto obligatus eſſe nobis uideri poteſt. Et tamen dantur hæ actiones etiam aduerſus eum, qui neſcius fuit fraudis liberti. Reſpondendum eſt, quòd licet non uideantur competere aduerſus perſonam, cũm in facto non extet cauſa obligationis, tamen quia in rem ſcriptæ ſunt, dantur etiam contra eos, qui nullo iure nobis obligati ſunt, cauſa ex iure patronatus adiecta, uidelicet, quòd liberto, qui plus quãm centum aureos in bonis habuerit, & ſine liberis deceſſerit, non licuerit in fraudem patroni alienare ſua bona. Cenſetur autem libertus bona ſua in fraudem patroni alienaſſe in ultimis uoluntatibus, cũm euentus oſtendit, quòd plura alijs legarit aut donarit, quãm ut illis præſtitis patrono reliqua in bonis liberti maneat tertia. l. i. §. i. ff. ſi quid in fraudem patron. Et iſto caſu patronus petit tertiam detrahi ex relictis ultima uoluntate. Sicus æs 9 10 11

alienum

alienum alioqui ex legatis,& fideicommissis detrahi solet.l.i. §. penultim.ff. ad Trebellian. Patroni enim pars habetur prō ære alieno in bonis liberti. leg. si patronis.ff. de donationibus. Si uerō per contractum, aut donationem,uel aliquem alium modum alienandi inter uiuos, lucratiuo tamen titulo,bona sua ita diminuit libertus, ut patronus priuetur debita portione, tum uidendum est,an sine dolo id fecerit. Nam ubi id constat, non reuocantur alienata.l. patronis.ff. de probat. Si uerō dolo malo id effectum esse compertum fuerit, tum rursum distinguendum est, an in legis, uel patroni tantūm fraudem id fecerit. In legis fraudem factum iudicatur,si quid alienasse deprehenditur,ut minus, q̄ centum in bonis haberet,& prætextu legis in istum casum non admittentis patronum ad successionem liberti, eum hæreditate sua excluderet:& isto casu alienatio tanquam contra leges facta ipso iure non ualet,& in totum reuocatur. Ac si libertus decessit testatus, petitur bonorum possessio contra tabulas liberti. Si uerō decessit intestatus, datur patrono in omnibus liberti bonis uendicatio pro tertia parte consequenda. In patroni tantùm fraudem fit alienatio liberti,cūm circumuentione legis eum prorsus non excludit, sed efficit, ut minorem consequatur in bonis eius portionem nomine debitæ tertiæ,quam cōsecuturus fuisset,si dolō eius quædā inde alienata non essent,& isto casu ualet quidem alienatio, sed ex rebus alienatis petitur tertia actione Fauiana aut Caluisiana,& petit patronus ex rebus sic alienatis sibi restitui tertiam partem.l.si libertus.ff.de iure patronatus.et l.i. §.dolū. & l.quicunq;. in prin.ff.si quid in frau.patrō.alie.fue. Reuocatur autem propter fraudem liberti tertia patrono debita cum fructibus perceptis,& omnis
12 emolumenti causa.l.i. §.ult.ff.si quid in fraud. patron.alie. fue. Id quod miratri quis possit,cū alioqui regulariter in stricti iuris actionib.quales & hę sunt, quæ propter fraudem liberti patrono dantur, fructus non petantur, sed hoc ideō in his actionibus fieri dicendum est,quia præter omnem fraudem liber
13 ti rescindi uoluit.l. in Fauiana. ff.si quid in fraud. patro. Si uerō ita res alienatæ sunt ā liberto,ut restitui non possint,tanti condemnatur reus, quanti actor
14 in litem iutrauerit.l.tenetur.ff. si quid in fraudem patro.alie. fuerit.Datur autem Fauiana & Caluisiana actio hæredi, & cæteris successoribus patroni,& in hæredem liberti testamentarium, eiusqūe successores, non tanquām hæreditaria actio, quam patronus ex bonis liberti consecutus sit, sed quæ patrono debetur ratione iuris patronatus. Non enim hæreditarius, sed patroni est debitor,cui libertus aliquid in fraudem dedit.l. quod si in diem. §. penultim. ff. de petit. hæreditat. Itaque personales & hæ actiones iudicantur, quia ratione personæ, quam gerit patronus, illi, eiusqūe successoribus dantur contra eos,qui aut ipsi acceperint aliquid lucratiuō titulo à liberto in fraudem patroni,aut quod acceperunt,alijs dari iusserunt,tanquām debitores pa-
15 troni.l.i. §. hac actione.& l. tenetur.ff.si quid in fraudem patro. Et tamen hæ actiones habentur pro perpetuis,quia rei persecutionem habeant.l.si patronus. §. hæc acti. ff. si quid in fraudem patron. Inter has autem actiones, & eam,quæ datur creditori, ad reuocandas res in fraudem eius alienatas, hoc maximè interest,quòd in his non opus sit,ut ille,quem conuenimus,etiam fuerit in fraude,sicut in illa,ff. si quid in fraud.pat.l.i. §.in dolum.

QVOMODO AGATVR pro iure patronatus Ecclesiastico.

Caput VIII.

SVMMARIVM.

1. Pro iure Ecclesiastico tuendo non opus esse scrupulosa inquisitione.
2. Quæ disceptationes in hanc formam incidant.
3. De præsentatione.
4. Autoritas & institutio uiolenta,irrita pronunciatur.

REGVLARE est, quòd in tuendo iure, quod alicui competit ex cõ stitutione ecclesiastica, non opus sit proponere actionem, aut scrupulosè inquirere, quæ actio pro ratione cuiusque negotij nobis detur, aut non. Sed sufficit nuda narratione ita proponere factum, ut inde ius agendi perspicuè colligi possit. ca. delicti. extr. de iudicijs. Quare in hac forma iuris, cũm sit canonica, non ualde nobis laborandum est, ut inuestigemus, quæ actiones pro ea nobis dentur, hoc magis annotandum est, quòd in hac forma iuris incidant disceptationes, aut de ipso iure patronatus, aut de iure præsentandi, aut de honore & commodis, quæ patrono ab illis, quibus contulerunt beneficia ecclesiastica, debentur. De ipso iure patronatus contenditur, cũm duo aut plures inter se litigant, uter illorum meliore iure sibi uẽdicet ius patronatus in illo aut illo beneficio ecclesiastico: & in hac disceptatione allegantur modi, siue causæ, quibus acquiritur ius patronatus ecclesiastici, & petitur id concedi contra alterius instantiam. De præsentatione uerò agitur, cũm aut unus, aut plures simul patroni offerunt aliquẽ Episcopo, eũmque tanquam idoneum, cui committatur functio ecclesiastica, commendant, atque rogant, ut illum recipiat, & confirmet. c. significasti. & c. transmisit, extr. de iure patronatus. Nonnunquam patroni inter se dissentiunt, & alius alium offert episcopo instituendum, & tum disceptatur, uter magis idoneum obtulerit, & rogatur, ut ille recipiatur. c. considerandum. & c. si plures. xvi. q. ult. & c. quoniam in quibusdam, ext. de iure patronatus. Si uerò Episcopus neglecto patrono instituat aliquem uiolenta autoritate, potest patronus apud Metropolitanum, uel archiepiscopum petere, ut institutio uiolenter facta irrita pronuncietur. c. decernimus. xvi. q. vij. De honore autem præstando, aut suppeditandis alimentis aget patronus tanquam ex obligatione allegatæ causæ ex iure patronatus, cuius effectus explicauimus suprà abundẽ de iure personarum.

DE ACTIONIBVS, QVAE dantur pupillo contrà tutorem, uel tutori iure pupillorum. Caput IX.

SVMMARIVM.

1. Actio tutelæ quæ sit, & quando detur.
2. Pupillus præfertur alijs creditoribus.
3. Ex inuentario probat pupillus res ad se pertinentes.
4. Contra quos & ob quid detur hæc actio.
5. Infamat hæc actio.
6. Hęredes defuncti tutoris de dolo & lata culpa tenentur.
7. Principales debitores prius quàm mandatores, aut fideiussores conueniun-
8. Magistratus quando conueniri à pupillo possit. (tur.
9. Actio tutelæ quę directa, & quæ utilis detur.
10. Magistratus conuentus beneficium diuisionis habet.
11. Tutelæ diuisio qualis fiat.
12. Nulla est societas maleficiorum.
13. Quandiu unus ex tutoribus idoneus est, non potest ad magistratus, qui illos dederunt, peruenirì.
14. Actio tutelæ est perpetua.
15. Actio de rationibus distrahendis quę sit.
16. Surreptio rerum pupillarium pœna digna est.
17. Actio protutelæ quæ sit.
18. De contraria actione tutelæ, qua tutor impensa petit.
19. Regionis consuetudo in præstandis usuris obseruanda.
20. Ex alterius facto, alteri non quæritur obligatio.
21. Nouatio tutoris.
22. Falsus tutor propter dolum conuenitur, quę actio annuo tantùm spacio durat.

1 SI Tutoris culpa aut dolo res pupilli non administrentur, ut oportuit, datur in tutorem actio, quæ uocatur actio, & arbitrium tutelæ, qua ad reddendam rationem gestæ tutelæ cogitur. Nascitur autem hæc actio finita demum tutela. l. sed non dantur. ff. de
2 tut. & rationi. distra. & uti. cura. cau. actio. Et præfertur quidem in hac actione pupillus omnibus chirographarijs creditoribus. l. ex plurib. ff.
3 de admin. tutel. Res autem, de quarum negligentia contra tutorem agit, ex inuentario probat pupillus ad se pertinuisse. Et ut competat pupillo hæc aduersus tutorem actio, necesse est, quòd tutor aut fecerit, quod non debuit, aut non fecerit, quod oportuit illum facere. l. quicquid. C. arbit. tute. & l. 1. ff. de tutel. Quæ uerò facere tutorem oporteat uel non, ostendimus abundè suprà de
4 tutelaria potestate. Porrò est hęc actio ciuilis & personalis, & infamat, si quis
5 condemnetur ex ea propter dolum, non autem si ob culpam tantùm. §. suspectus. Instit. de suspe. tuto. Volo autem hic admonitos discentes, quòd in tractatu actionum ubicq; habere actionem debeant pro non famosa, ubi non annotauero quòd infamet. Datur autem hæc actio non solùm pupillo, sed & eius hæredibus, non tamen eo priuilegio, quo datur pupillo, uidelicet, ut hæredes eius præferantur reliquis creditoribus. Non enim causæ, sed personæ, quæ meruit istum fauorem, ita succurritur l. ex pluribus. ff. de admini. & peric. tut. Datur etiam in hæredes tutoris, quamuis enim hæres tutoris non sit tutor, tamen ea, quæ per defunctum sunt inchoata, per hæredem (si legitimæ ætatis & masculus sit) explicari debent. In quibus curandis dolus eius admitti potest, ut si post mortem tutoris, hæres eius pupilli negotia gerere perseueret, aut in arca tutoris pupilli pecuniam inueniat, & consumat, uel eam pecuniam, quam tutor nomine pupilli stipulatus est sibi dari, exigat, tute-
6 læ iudicio eum teneri non est dubium. De dolo autem, & lata culpa defuncti tutoris regulariter tenentur eius hæredes, non autem de leui culpa. l. i. & l. cùm ostendimus. ff. de fideiu. & nomin. & hære. Tut. & curat. & l. i. & ult. C. de hæred. tut. uel cur. Præterea conueniuntur actione tutelæ, qui aut ipsi per se, aut per alium postulauerunt, & nominatim expetiuerunt aliquem dari tutorem, aut pro illis, qui dati sunt, fideiusserunt, rem pupilli suo periculo saluam fore. Item postulatorum & fideiussorum hæredes. l. ij. & iij. ff. de fi-
7 deiuss. & nomin. & c. C. de fideiuss. uel curat. Nouissimo tamen iure necesse est, ut prius conueniantur principales debitores, quàm mandatores aut fi-
8 deiussores. Aut. fideiu. §. i. Postremò conuenitur etiam hac actione magistratus, qui pupillo non habenti testamẽtarium tutorem, aliquem dare neglexit, aut non satis idoneum dedit, uel ab eo, quem dedit, satisdationem non exegit, qua cautum esset, rem pupilli saluam fore. Quamuis autem eadem sit actio, qua conuenitur magistratus, cum ea, qua Tutor. l. ul. ff. de magist. conue-
9 niend. tamen diuersitate appellationis ita ferè separantur, ut actio tutelæ, quæ datur pupillo contra Tutorem, Directa: hæc uerò, quæ datur aduersus magistratus, utilis habeatur, & in factum subsidiaria uocetur, non quòd ad hanc tum demum confugiat pupillus, postq; alijs actionibus succubuerit, sed quòd ut plurimùm postremò hæc proponatur: licet aliquando etiam ante quàm tutor cõueniatur magistratus, ut si magistratus det tutorem, & cesset ab illo exigere satisdationem, tum si in diem finitæ tutelæ non sit soluendo, qui ab eo datus est tutor, periculũ ad magistratum pertinet. l. Aemylius. ff. de ad-
10 mi. & peri. tuto. Habet autem magistratus conuentus beneficium diuisionis, si consensu plurium, qui eundem magistratum gesserunt, datus est tutor, neque dolo malo, aut lata culpa illorum minus satis cautum est pupillo, pro portione in quenq; eorum datur hæc actio, & non in quenq; in solidum: secus fit cùm illorum dolus deprehenditur. l. antepen. ff. de magi. conue. Sicut fit quoque diuisio partium, qua quisq; conuenitur, cùm plures simul eandem gesse-
11 runt tutelam. Fit autem talis diuisio, aut ab ipsis tutoribus inter sese, & ea pro

nulla habetur, ac siue omnes pariter functi fuerint administratione tutelæ, siue neuter illorum, & omnes tenentur in solidum de damno, quod pupillus ex illorum negligentia accepit, & potest pupillus unum aliquem ex illis eligere, quem conueniat, sed illi rursum ita succurritur, ut si ex facto contutorum condemnatus aliquid præstiterit, utili actione id ab illis repetat, sed si ex dolo communi conuentus aliquid præstiterit, indignus iudicatur, qui à cæteris doli participibus aliquid consequatur. Nec enim ulla societas est maleficiorum, uel iusta communicatio damni ex maleficio. l. i. §. nunc tractemus. ff. de tut. & ratio. distrahend. 12

Aut tutelæ administrationem præses uel testator inter tutores partitus est, & in eo casu rursum uidendum est, an ita deman data sit portio gerendæ tutelæ, ut unus tutorum in hac, alius in alia prouincia curet pupilli negotia. Nam tum quilibet tutorum propter suam, & non alterius negligentiam conuenitur. l. ad eos. C. de pericul. Tutor. An uerò in eadem prouincia sua cuique Tutorum gerendæ tutelæ iniuncta sit cura. Nam isto casu quisque propter suam administrationem conuenitur, nec inuicem sustinent periculum, nisi suspectos & negligentes contutores in tempore à gerenda tutela non remouerint, tum enim alius aliorum delictis tenetur, si non fuerint soluendo. l. penultim. C. de diuid. act. tut. Aliàs autem usque adeò ad contutores non uenitur, si soluendo non sint, ut prius ad magistratus, qui eos dederunt, uel ad fideiussores ueniatur. Nam ista regula, qua dicitur, 13 quòd quàm diu unus ex tutoribus idoneus sit, non posse ad magistratus, qui dederunt tutores, perueniri, ita accipienda est, quòd perpetuò id obseruetur, nisi contutor ob hoc conueniatur, quòd suspectum contutorem non remouit, aut ab eo satisdationem non exegit. l. i. §. usque adeò. ff. de tut. & ratio. distrahen. Vbi uerò omnes tutores fuerint soluendo, potest pupillus eligere, quem inter illos conuenire uelit, cessione tamen earum actionum, quas aduersus reliquos habet, prius illi facta. l. penultim. C. de diuidend. tut. Si uerò pupillus ei, qui perperam administrauit tutelam, aliquid remisit, Tutor qui probè administrauit tutelam, conueniri eius nomine à pupillo non potest. leg. si pupillus. ff. de admin. & pericul. tut. Cæterùm quòd Actio tu- 14 telæ sit perpetua, inde satis liquet, quòd in hæredes datur. Nec minus manifestum est, eam esse generalem, quia generali appellatione bonorum pupilli comprehenduntur omnes res, quæ ex obligatione ueniunt in ea petendæ.

Præter hanc autem actionem datur pupillo aduersus tutorem alia actio, quæ 15 uocatur actio de rationibus distrahendis, datur enim propter distractas rationes pupilli, nempe si pecunia uel res pupillaris intercepta sit à tutore. Quamuis enim interceptæ res per actionem tutelæ recuperari possint à pupillo, tamen cùm surreptio rerum pupillarium etiam pœna digna uideatur, placuit ex 16 eadem obligatione constitui actionem de rationibus distrahendis, qua nõ solùm res surrepta, sed tantundem in pœnam à pupillo peteretur. Itaq; in arbitrio pupilli est, utra magis uelit experiri aduersus Tutorem surreptorem, & una electa, altera tollitur. Ac siquidem surreptio animo furandi facta est, dat pupillo etiam furti aduersus Tutorem actio, quæ per actionem distrahendarum non tollitur, quia ex eadem obligatione tutela, & furtum non oriuntur. Datur autem hæc actio de distrahendis rationibus aduersus omnes eos, qui aliquo iure tutores facti sunt, sed non datur in tutorum hęredes, quia pœnalis est, pupilli aũt hæredib. datur, itaq; perpetua quoq; habetur. l. i. §. ratio. distrahendis. & l. ij. ff. de tut. & rat. dist. Postq; autem his actionibus Iura ciuilia succurrissent pupillo, uidit prætor nonnunq; euenire, ut quidam uel necessitatis cogitatione, uel lucelli alicuius spe inducti, pupillorum negotia gererent, tanq; tutores, cùm non essent, inuenit aliam quandã actionem, quã Protute- 17 lę dixit, qua conueniunt illi, qui munere tutoris functi sunt, cũ se putarẽt esse tutores, aut cùm scirent se nõ esse, tñ finxerũt, & uidẽt necessariò traditã esse

hanc

hanc actionem, ne si illis, qui se temerè immiscerent pupilli negotijs, aliquid amplius, quàm tutoribus liceret, illorum temeritas, fraudi pupillo, & ipsis commodo esset. Proinde uoluit prætor eandem diligentiam & fidem requiri ab eo, qui pro tutore se gessisset, quam uerus tutor præstare cogitur. Itaque eadem quoque per hanc actionem ab eo petuntur. Non enim differt hæc actio ab actione tutelæ. Quamuis non eadem sit eius, qui pro tutore se gessit, cum tutore potestas. Nam res pupilli ab eo alienatæ, nisi usucaptæ fuerint, pupillus repetere potest. sed de hac actione satis distinctè agitur in tit. ff. & C. de eo, qui pro tutore negotia gessit. Itaque in huius tractatione non immorabimur. Habetis quæ actiones dentur pupillo aduersus tutorem ad exigendam
18 ab eo rationem administratę tutelę: iam dicemus, quę actio è diuerso detur tutori contra pupillum ad repetendum ea, quæ in res pupilli utili consilio impendit. Neque mirum quidem uideri debet, quo iure aliqua actio pro impensis dari tutori possit aduersus pupillũ, cũm certum sit, ꝙ tutor in rem suam obligare pupillum non possit. l. i. ff. de auct. & con. tut. Etenim ut non dubitarent tutores aliquid de suo impendere pupillis, cũm utilitas illorum id exigeret, Prætor censuit edicto cauendum, ut ex ipsa administratione tutelæ pupilli tutoribus obligarentur ad reddendum illis, quòd utiliter in res illorum impendissent. leg. prim. ff. de contra. tutelæ act. Vnde satis manifestum est, quòd ex re, & non ex consensu pupillus ad reddenda impensa obligetur tutori. Vbicunque autem obligatio ex re uenit, etiam sine tutoris autoritate obligatur pupillus. l. furiosus. ff. de actio. & obligation. Neque obstat, quò
1 minus hæc actio ex re oriri dicatur, quòd ea, sicut omnes contrariæ, personalis est. Nam idem etiam in alijs actionibus accidit, ut in pignoratitia. l. ulti. C. de distra. pignor. Obligatur autem pupillus non solũm ad reddenda impensa, sed pro omnibus, quæ tutori propter gestam tutelam absunt. Itaque & ã pupillo exigere potest, ut eum liberet ab obligatione, cui se propter negotia illius obstrinxit. l. ultim. ff. de contra. tutel. Consequitur quoque tutor
5 id, quòd de suo in res pupilli impendit, cum usuris trientibus, ex quibus quaterni in annum creditoribus redeunt, uel his, quæ in regionibus obseruantur, uel his, quibus mutuatus est (si necesse habuit mutuare, ut pupillo ex iusta causa prorogaret) uel his, quibus pupillum liberauit, uel quibus cauit tutor, l. iij. ℈ contrari. ff. de contra. tutel. act. Sicut fit & in actione tutelæ, nam & in ea tutor condemnatur ad præstandas usuras centesimas, si pecuniam pu-
19 pillarem in suos usus clam conuertit. In alijs uerò casibus præstat usuras tutor pupillo iuxta regionis consuetudinem, iuxta titulum C. de usur. pupill. Datur autem hæc actio finita demum tutela. l. à tutel. ff. de contra. act. tutelæ. & non solũm uero tutori, sed & illi datur, qui pro tutore se gessit. leg. pri. ℈ hæc actio. ff. de contra. actio. tutel. Hæredibus quoque tutoris & in hæredes, cæterosqũe pupilli successores datur, atque perpetua est. l. iij. ℈ ultim. ff. de contra. act. tutel. Atque hactenus quidem explicauimus, quibus actionibus se inuicem conuenire possint tutor & pupillus. Sed quæritur num pu-
20 pilli ex tutoris facto alios conuenire, uel ipsi ab alijs conueniri possint. Explorati enim iuris est, ꝙ ex alterius facto, alteri non quęratur obligatio. l. quo tu. ℈ final. ff. de reg. iuris. Sed receptum est, ut ex quolibet contractu in rebus pupillaribus nomine pupilli, & ad utilitatem eius initio competat pupillo aduersus eum, quocum contractum est, utilis actio, quam habiturus erat tutor directam, si cum eo egisset, ut pro re empta ã tutore pecunia pupilli datur utilis rei uendicatio pupillo. l. i. ff. quando ex facto tut. mi. conue. pos. Item si tutor pecuniam pupilli alicui credat, & stipuletur eam sibi reddi, datur pupillo utilis certi condictio, iux. l. ij. & ibi glossa. C. quando ex fact. tut. mi. age. pos. Sic quoꝙ pupillus potest conueniri ex eo, quod per tutorem eius nomine tutelę gestum est. Nam finita tutela ipso iure in pupillũ transeunt actiones, quę

nomine

nomine gestæ tutelæ in tutorem competebant.l.i. C.quan. ex fac.tut.mi. a-
ge.poss.Nisi fortè tutor ea,quæ pupilli nomine promisit,finita tutela per no 21
uationem in se transtulit,uel ex dolo,aut culpa sua obligatus est. Nam dolus
tutorum neque nocere, neque prodesse pupillo debet. leg. post mortem.& 22
leg. dolus.ff.quando ex fact.mi. tut. con. pos. Conuenitur autem propter do
lum suum etiam falsus tutor. Neque enim prætor alicui uoluit esse fraudi, si
cum pupillo cõtraheret falso tutore autore,sed proposito edicto concesserit illũ
conueniri actione in factum, ut quanti ea res sit,qua quis eius autoritate de-
ceptus est,in tantam pecuniam condemnetur non sõlũm falsus tutor, sed &
is,cuius dolo factum est, ut falsus tutor autoritatem suam nomine pupilli in-
terponeret,& iubet prætor pupillum in integrum restitui, iuxta totum titu-
lum ff. quod falso tutore gestum esse dicitur. Datur autem actio in falsum tu
torem hæredibus eius,qui cum eo in nomen pupilli contraxit, & in hære-
des falsi tutoris,sed annuo tantũm spacio ea durat: l. huius. §. i. ff. in iam alle-
gato titulo.

QVIBVS ACTIONIBVS INTER puberes & curatores agitur.

Caput X.

SVMMARIVM.

1. Actiones inter puberes & curatores quæ sint.
2. Actio negotiorum gestorum utilis, quando & quibus detur.
3. Si plures sint curatores,quomodo conueniantur.

SIVE quis datus sit curator,ut prospiciat rebus personæ, quæ pro 1
pter ætatem,aut sexum, aut ualetudinem, aut mentis uel sensu-
um defectum præesse suis rebus non potest, siue opinione ne-
cessitatis inductus, quis credat se esse curatorem, cũm non sit,
siquid dolo, aut culpa in curandis rebus eius, cuius curam sus-
cepit, neglexisse, aut interuertisse deprehenditur, utili negotiorum gesto- 2
rum actione conueniri potest,ut gestæ curæ reddat rationem.l. ait præt. §. &
si furiosi.& §. curatori.ff.negot.gest. & C. eod.l.Curatoris .& gloss.circa E-
pigraphen.tit.ff. de tute.& rationibus distrahendis, & uti. cura.acti. Nasci-
tur autem hæc actio ex quasi contractu, quia sine mandato eius,cui datur ex
gestis negotijs,acquiritur. Datur autem eadem actio etiam curatori contra e-
um,cuius negotia gessit, ad recuperandum id, quod necessariò,uel utiliter
de suo illius negotijs impendit: tamen ut discernerentur appellatione,quæ iu
re obligationis discerni non possent,usu & autoritate utentium inualuit,ut ea
actio,quæ datur aduersus curatorem,dicatur negotiorum gestorum utilis di
recta. Ea uerò,quæ datur curatori aduersus eum, cuius res administrauit, ne
gotiorum gestorum utilis utiliter appelletur,iuxta glo.l.curatoris. C.de neg.
gest. Transeunt autem hæ actiones in hæredes,& contra hæredes,sicut actio
tutelæ,& contraria tutelæ,atq; etiam aduersus fideiussores curatorum. Eadẽ
quoque ueniunt in his actionibus petenda, quæ suprà in tutelæ & eius con-
traria actione annotauimus. Propemodum uerò per omnia obstringuntur
curatores,sicut tutores.l. scire.ff. de excusationib.tut. & curat. Itaque & hæ
actiones bonæ fidei sunt,& perpetuæ,quamuis à prætore sunt proditæ. Dif-
fert tamen negotiorum gestorum utilis directò actio,ab actione tutelæ,quòd
hæc demũm finita tutela datur pupillo,Illa uerò,quandocũq; curatoris depre
henditur dolus, uel culpa, siue finita sit administratio curatoris, siue non. l.
iiij. §. hanc stipulation. ff. rem pupilli saluam fore. Cæterũm quomodo con- 3
ueniantur curatores, si ipsorum plures sint, & alij soluendo, alij non sint,
aut alij administrauerint, alij non, & quomodo alter alterius dolo uel culpa
teneatur, ex illis, quæ diuisione tutelæ suprà annotauimus, quisque per se
colliget. Par enim & in ea obligatione tutorum & curatorum habetur ratio.

Itaque

Itaque placuit etiam nobis enumeratis utriusque poteſtatis actionibus ſubiícere titulos, quibus continentur ea, quæ communiter in tractandis illis obſeruantur, & in quæſtionem earum actionum ueniunt.

ff.

De tutelis & rationibus diſtrahendis, & utili curationis cauſa actione.
De contraria tutelæ & utili actione.
De eo, qui pro tutore, prõue curatore negotia geſsit.
Quod falſo tutore autore geſtum eſſe dicetur.
De fideiuſſoribus & nominatoribus & hæredibus tutorum & curatorũ.
De magiſtratibus conueniendis, & eorum hæredibus.

Cod.

Arbitrium tutelæ. De contrario iudicio tutelæ.
De diuidenda tutela, & pro qua parte quiſque tutorum conueniatur.
De hæredibus tutorum.
Si tutor uel curator non geſſerit.
De fideiuſſoribus tutorum ſeu curatorum.
De uſuris pupillaribus.
De magiſtratibus conueniendis.
Quando ex facto tutorum uel curatorum minores agere, uel conueniri poſsint.
Si ex pluribus tutoribus, uel curatoribus omnes uel unus agere pro minore, uel conueniri poſsint.
De eo, qui pro tutore negotia geſsit.

QVIBVS ACTIONIBVS DE LIBERtate, & ſeruitute, inter dominum & ſeruum agatur.

Caput XI.

SVMMARIVM.

1. Rei uendicatio pro ſeruo noſtro directa datur.
2. Interdicto Vtrobi, agi poſſeſſorio.
3. Cauſa proprietatis & poſſeſsionis concurrens.
4. Qualis actio detur contra ſeruum gerentem ſe pro libero.
5. Nemo membrorum ſuorum dominus eſt.
6. Rei uendicatio quando competat directa.
7. Præiudicialis de libertate actio.
8. Cauſa liberalis quæ dicatur.
9. Cum ſeruo nullum iudicium.
10. Fauor libertatis attenditur.
11. Aſſertor libertatis quis olim fuerit.
12. Vendicatio libertatis per ſe, uel procuratorem fieri poteſt.
13. Libertas æſtimationem non recipit.
14. Ratio adminiſtrationum reddenda ante libertatem.
15. Actio præiudicialis contraria quibus detur.
16. Actiones perpetuæ quæ ſint.
17. Serui glebæ qui. 18. De libero homine exhibendo.

1 SI quiſpiã ſeruum noſtrum detineat, datur directa contra eum nobis rei uendicatio, perinde ac ſi bouem noſtrum repeteremus, uidelicet adiecta cauſa de iure Quiritum. l. i. ff. de rei uend. Nã & ſerui rerum appellatione continentur. l. omnia. §. final. ff. de le. ij. Et quod in rei uendicatione directa requiritur, alius eſt in iſto caſu qui petit, alius, qui poſsidet rem petitam, aliud eſt ipſa res, quæ petí-
2 tur. Itaq; ſi is, qui detinet ſeruũ noſtrum, contendat, eum ad ſe pertinere, príus per interdictũ Vtrobi, agitur poſſeſſorio, q̃ petitorio iudicio, & decernitur

apud

apud quem sit serui possessio. l. ordinarij. C. de rei uend. Sicut regulariter fit in omnibus iudicijs, in quibus causa siue actio proprietatis & possessionis concurrunt, ut infrà de rei uendicatione copiosè explicabimus. At si seruus noster à nemine detineatur, sed ipse se gerat pro libero, & debitas operas nobis præstare neget, non potest directa rei uendicatione in nostram potestatem redigi, quia ab alio non possidetur, nec in sui possessione esse potest, cùm nemo sit membrorum suorũ dominus. l. lib. homo. §. i. ff. ad l. Aquiliam. Nam ut competat alicui directa rei uendicatio, non satis est actorem ex causa dominij uel quasi, aliquid petere posse, sed requiritur etiam, ut apud eum, à quo petit aliquid sibi restitui, sit rei, quam petit, possessio, uel quasi. C. de alienat. mutan. iu. cau. fact. un. & ibi gloss. Proinde contra seruum pro libero se gerentem datur domino actio præiudicialis de libertate. Dicitur autem hæc actio præiudicialis, quia donec per eã disceptatã de serui libertate & serui tute, reliquę actiones, quę inter tales personas existere possent, cessãt, nec possunt intendi, donec cõstet de libertate aut seruitute eius, cum quo agitur, iu. l. i. & ij. C. de ord. cogni. Sicut autem domino datur aduersus seruum, se liberum asserentem, actio præiudicialis ad subijciendum dominio suo, si iuxta modos, quibus aliquis in seruitutem conijcitur, eum suum esse seruum ostendere possit: ita ẽ diuerso datur seruo ad libertatem proclamanti contra dominum præiudicialis in rem actio pro adipiscenda libertate, ut inquietare eius statum desinat, qui seruilis conditionis eum esse contendit: Et talis agitatio status, dicitur causa liberalis, hoc est, iudicium, quo de libertate certatur inter eum, qui se profitetur liberum, & eum, qui dicit eum esse seruum. si uerò is qui petitur in seruitutem restitui, fatetur se seruum esse, sed negat se eius dominio esse obnoxium, qui eum petit, non libertatis, sed dominij quæstio agitatur. Sed quærat aliquis, qui fieri possit, ut dominus cum seruo suo de libertate eius in iudicio contendat, cùm explorati iuris sit, quòd cum seruo nullum possit esse iudicium, iuxta ea, quæ suprà annotauimus in declaratione dominicæ potestatis. Respondeo, quòd fauore libertatis seruus in liberali causa pro libero habetur, ita ut in iudicio uersari, & procuratorem pro se constituere possit. l. ordinata. ff. de liberali causa, & C. eodem. l. lite. Olim quidem obseruatum apparet, ut non ipsi serui, sed per assertorem, se in libertatem uindicarent, sed ista obseruatio iuris sublata est per titulum Cod. de assertione tollenda, & permissum est illi, qui ex seruitute proclamat ad libertatem, ut uel per se, uel per procuratorem sibi eam uendicet. Quibus uerò ex cauſis alicui contingat libertas, ex modis, quibus quis aut nascitur, uel fit liber, colligi facilè potest suprã in capite de iure personarum. Habentur autem liberalis causæ actiones pro ciuilibus, quia ratione dominij res, uidelicet domino ipse seruus, & seruilia in eum iura, seruo autem libertas, per ea restituuntur, unde in Institution. titul. de action. §. præiudiciales. dicitur, quòd præiudicialis actio, per quam quæritur, an aliquis sit liber, legitimam ferè habeat causam, quia leges ciuiles ratione dominij dant Actionem. Neque obstat quidem, quò minus ea Actio, qua uendicatur libertas, dicatur in rem, quòd libertas non uideatur esse in bonis nostris, cùm æstimationem non recipiat. Nam & res sacræ uendicantur, quamuis sint inæstimabiles, nec in patrimonio nostro esse possint. l. Sancimus. C. de sacrosan. Eccles. Vendicatur igitur libertas, sicut res incorporales, nam & ea pro re habetur. leg. quæ statu li. ff. de donation. Non autem antè cuiquam conceditur, ut in libertatem proclamet, nisi reddiderit administrationem rationum, quas in seruitute agens gesserit. l. Imperator. ff. de liberali causa. Id uerò requiritur, ut constare iudici possit, quas res ad quemque referre, pronunciare, aut sequestrare debeat, donec causa liberalis finiatur, iuxta l. si quis. C. quibus ad libert. proclam. non licet. Nam si quæ actiones gestorum negotiorum inter

3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14

disceptа-

disceptatores liberalis causæ sint, istæ in finem litis de libertate differuntur, quia si is, qui ad libertatem proclamat, iudicio succumbat, tales actiones competere illi cessant, nimirum cùm non dentur inter dominum & seruum .l. ult. C. de ord. cogni. Non igitur amplius quicquam his actionibus peti potest nomine pœnæ aut usus, quia rei, hoc est, libertatis & seruitutis persecutoriæ, & stricti iuris sunt. Nam si quid dolo aut culpa inter dominum & proclamantem ad libertatem commissum est, id aliis actionibus inter se prosequi poterunt. Nam pro illis iniuriis aliæ actiones propter alias causas competunt. Sicut datur potestas apprehendendi serui fugitiui ex obligatione delicti. Datur autem actio præiudicialis in rem de libertate domino, eiusq; hæredibus, contra eos, qui aut ex seruitute in libertatem proclamant, uel iam in possessione libertatis sunt, cùm in seruitutem repetuntur. l. iubemus. C. de liber. causa. Item datur usufructuario, l. cognitio. & sequenti. ff. de liberali causa, sed actio præiudicialis contraria non solùm datur prouocanti in libertatem, sed omnibus, quibus ignominiosa est eius seruitus, ut sunt parentes legitimi, & naturales, liberi, fratres, sorores, coniuges, & omnes qui illum aliqua cognatione contingunt. Item libertis & patronis. Nam & ad horum dolorem meritò porrigitur seruitus eorum, quorum beneficio aut ipsi liberi facti sunt, aut ipsi ipsorum obsequijs permoti illos manumiserunt. Nec; his hoc solùm permittitur, cùm id ab illis expetunt, qui seruituti addicti sunt, uerùmetiam inuitos uendicare in libertatem possunt, sicut copiosè ostenditur in septem prioribus legibus. ff. de liberali causa. Inter perpetuas actiones collocantur, licet mortuo seruo de statu eius agi non possit. l. principaliter. C. de li. cau. Cæterùm quemadmodum diximus seruos in seruitutem repeti, & eos ad libertatẽ prouocare posse, ita uolunt quidam etiam cum illis agi, qui uocantur serui glebæ. licet gloss. cir. l. fi Coloni. C. de Agri. & cen. li. xi. contendat condictionem ex lege, aut officium iudicis, aut actionem in factum isto casu dari.

ff.

De liberali causa.

Cod.

De liberali causa. De assertione tollenda. De ordine cognitionum.

Videri potest & huc pertinere Titulus, De libero homine exhibendo, uerùm quia non nostri iuris tuendi gratia, sicut fit in actionibus liberalis causæ, hoc interdicto agimus, sed causa officij, quod homo homini debet, eum qui dolo malo detinetur, à quopiam exhibere cupimus, ut agnitus pro libero illi recedere ab eo liceat. l. ij. §. Iuris sui. ff. de interdictis. Quare hæc Actio pertinet ad tractatum popularium actionum, quæ non familiaris rei tuendæ causa, sed ex æquo & bono ad uindictam proponuntur.

Finis i. cap. de Iur. pers.

DE REI VENDICATIONE. Caput XII.

SVMMARIVM.

1. Rei uendicatio qualis sit actio, quibus, & contra quos detur.
2. Possessionis quæstio rei uendicationem impedit.
3. Dominium est rei uendicationis fundamentum.
4. Possessio suas habet commoditates.
5. Quæ res possint uendicari.
6. Rei uendicatio non datur pro hæreditate.
7. Quare hæreditas uendicari non possit.
8. Dominium sit apud actorem.
9. Rei uendicationem competere omnibus habentibus ius in re.
10. Emphyteuta quasi dominium in re habet.

e

11. Fructus rei uendicatione peti posse.
12. Possessor bonæ fidei lucratur fructus ante litiscontestationem perceptos, malæ autem fidei possessor tenetur de fructib. perceptis uel ante uel post litiscontestationem, etiamsi habet titulum.
13. Titulus à solis percipiendis fructibus possidentem liberat.
14. Lite contestata omnes possessores haberi pares.
15. Fructus in hac actione petendos esse.
16. Interesse & usuræ ex mora petuntur. 17. Incerta res rei uendicatione peti
18. In rei uendicatione specialis rerum circumscriptio requiritur. (potest.
19. Quando res uendicandæ separatim nõ extant, sed confusæ & commixtæ sunt.
20. Rei uendicatio est stricti iuris & arbitraria.
21. Rei uendicatio est actio temporalis.
22. Actio Publiciana unde uocata. 23. Rescissoria actio cui detur.

HAEC actio datur omnibus illis, qui aliquo modo Iuris gentium uel ciuili res acquisiuerunt, contra earum possessores, ut eas ipsis restituant. Neq; est alia actio in rem magis generalis quàm hæc. Nam reliquæ hanc tanquam ducem sequuntur, eiusq; uestigijs incumbunt. Proinde cùm iam aggrediamur explicare actiones, quibus res, quæ aliquo iure factæ sunt nostræ, ab alijs petamus, aut retineamus, si alij eas à nobis petant, aut recuperemus, dolo, uel ui aliorum nobis ereptas: Visum est utile, ut à generalissima actione pro rebus competente exordiremur. Neq; uerò quicquam est, quod nobis hanc actionem det impeditam, si cum ea non simul incideret possessionis quæstio, per se enim expeditissima est actio. Nam qui tenet modos acquirendarum rerum, is facilè apud se constituere potest, an hæc ipsi competat, una nanq; est eius generalis causa, scilicet dominium. Quare si quis habet causam, cur dominium sibi competere in re, quam petit, ostendere possit, instituendæ huius actionis potissimum fundamentum habet. Quia uerò is, à quo petimus rem nostram nobis concedi aut restitui, propter nostrum dominium nobis non est obligatus ut id faciat, sed propter solam possessionem, qua detinet rem nostram, eum cõuenimus, non rarò in deliberationẽ uenit, utrũ prius de restitutione possessionis, quàm rei cum eo agamus. Non enim caret suis commoditatibus possessio, ad agendum cum eo, cum quo de rei proprietate contendere instituimus, iuxta l. is qui destinauit. ff. eod. Quemadmodum enim dominium & possessio sibi inuicem præbent causam acquirendi, ita & agendi mutuũ sibi præstant subsidium, id quod statim in initio huius actionis annotandum duxi, ut admonerem discentes, non ideo à nobis inuicem separari rei uendicationem, siue iudicium petitorium à possessorio, quòd existimarem temerè & indiscriminatim alterum sine alterius consideratione institui. Nam docendi causa separatim de singulis agemus, postea dicturi, quando præstet alterum iudicium præ altero instituí. Iam igitur ut ad rei uendicationem redeamus, obseruandum est, quòd hac actione ratione dominij nostri singulæ res corporales, mobiles, & immobiles, & quæ in commercio hominũ esse possunt, uendicantur ab eo, qui restituendi eas habet facultatem. Nam res uniuersales, ut est hæreditas, hac actionẽ non petuntur, sed suas quasdam habent actiones. Incorporalis enim res est, & ideo cùm non possideri possit, nec uendicari potest. Vt enim competat hæc actio, utrunq; pariter requiritur, uidelicet, ut agens sit dominus, & is, contra quem agitur, sit possessor. Cùm igitur hæreditas sine ullo corpore accipiatur, nec apprehensione corporali teneatur, pro ea non datur rei uendicatio, sicut nec cætera iura uendicantur directa actione, quia non possidentur. Vniuersitas tamen facti, hoc est, quę re ipsa multas res corporales comprehendit, ut est grex, equitium, rectè uendicatur. l. 1. & l. uendicatio. ff. eod. Nam hęreditas non ideo uendicari non potest, quia uniuersali

eius

eius appellatione uariæ res continentur, sed quia res etiam incorporales, quę
8 non possidentur, hæreditatis nomine ueniunt & accipiuntur. Quòd au-
tem dominium apud actorem necessariò in hac actione diximus requiri,
9 de directa actione accipiendũ est. Nam utilis rei uendicatio datur quasi do-
10 minium in re habenti, ut est Emphyteuta, qui hac lege agrum conduxit co-
lendum, ut quàmdiu pendat promissam pensionem, neq; ipsi, neque eius suc
cessoribus auferri possit. Quamuis enim colonus non sit dominus agri con-
ducti, tamen illi datur Ius uendicandi agrum Emphyteuticarium à quolibet
possessore, etiam eo, à quo illum conduxit. l. i. ff. si ager uectiga. uel emphy
teut. pet. Idem concedítur etiam alijs conductoribus, qui Ius in re conducta
habent, & eam non ex sola obligatione locationis tenent, iuxta Bart. circa l.
i. §. quod autem ait. ff. de superficiebus. Datur igitur directa rei uendicatio
ex causa directi dominij, utilis uerò ex causa quasi, uel utilis dominij. Apud
eum autem, qui conuenitur hac actione, non tam seuerè requiritur posses-
sio, neq; enim ad rem pertinet, ex qua causa quis possideat rem, quæ petitur,
siue enim ei commodata, siue apud eum depositа, siue ab eo conducta sit, adeò
que siue habeat titulum possessionis suę, siue non, hoc est, siue sit possessor,
siue eam tantùm habeat in sua custodia, si actor probare possit, eam esse suam
ex aliqua causa acquirendi dominij, necesse habet eam restituere. l. officium.
ff. eod. Immò si dolo malo fecit, quò minus in eius potestate esset res quę pe
titur, potest ab eo tanquam à possessore ea peti. l. si autẽ. §. sed is &. ff. eod. & l.
parem. ff. de reg. Iur. Nam qui in rem cõueniuntur, illi & doli & culpę nomi-
11 ne condemnantur. l. qui petitorio. ff. eodem. Habetis ex quibus causis, & cui,
& contra quos, & pro quibus rebus hæc actio detur. Sectatur autem rerum
petitionem controuersia de fructibus petendis, si qui ex illis nati sunt. Nam
in realibus actionibus loco accessionis fructus ubiq; peti posse uidentur. Est
12 autem in hac actione perpetua iuris regula, quòd possessor bonæ fidei lucre-
tur fructus ante litis contestationem perceptos: malæ uerò fidei possessor te-
neatur de fructibus perceptis uel ante uel post litis contestationem, etiamsi
13 habet titulum. Nam titulus à solis percipiendis fructibus eum liberat. l. si fun
dum, & l. certum. C. eod. Neq; bonæ fidei possessor à restitutione fructuum
post litem contestatam perceptorum liberatur. l. sed & loci. §. post litem. ff. fin.
14 regund. Nã lite contestata omnes possessores habentur pares. l. sed & si lege.
§. si ante litem. ff. de pet. hęred. Quamuis autem statim in initio agenti consta
re non possit, qua fide, aut titulo rem teneat is, quem quis uult hac actione
15 conuenire, tamẽ utile iudicat Rofredus, ut in libello huius actionis petantur
fructus, quia iudicij processus iudicat, an debeantur, nec ob eorum petitio-
nem reijci libellum tanquam ineptum posse. Non autem eodem iure cum re
fructus petuntur, nisi in re adhuc extent, nam isti tanquam pars rei cum ea
petuntur ex l. fructus. §. eod. ubi uerò fructus separati iam sunt à re, petũtur
quidem rei uendicatione, sed alia à principali, ac si fuerint consumpti à malę
fide possessore, petuntur condictione ex l. siue causa. iuxta l. mala fide. C. de
16 condict. ex l. An autem ex mora in hac actione petatur interesse, uel usurę,
ex ijs quæ suprà de accessionibus & imminutionibus actionum quisq; colli-
get, quibus adiungere poterit l. non solũm. ff. eod. Porrò quæ de tota re uen
dicanda dicta sunt, eadem & de parte intelligenda erunt, officioq; iudicis con
tinetur, pro modo partis ea quoq; restitui iubere, quę simul cum ipsa parte re-
17 stitui debent. l. quę de tota. ff. eo. Nonnunq; & incertã partem uendicamus, li
18 cet regulariter in hac actione specialis rerum circumscriptio requiratur, a-
deò ut & infectæ materię pondus, signatę numerum, factę speciem, liquido-
rum & aridorum mensuram in hac actione assignare oporteat. l. si in rem. ff.
eod. Non igitur incerta pars rei uendicari potest, nisi iusta subsit causa, pro-
pter quam quis certam rei summam exprimere non posse uideatur: ut si quis

propter incertam detractionem ex legatis nesciat, quantum per legem Falcidiam ex alicuius hereditate petere possit, generali appellatione petit partem ipsi, ut heredi instituto, uel ab intestato debitam sibi ex hereditate restitui. C. quæ de tota. §. incertæ. ff. eod. Sed quid si res uendicandæ separatim non 19
extant, sed ita confusæ aut commixtę sunt, ut deduci & separari inuicem non possint: ad hanc quæstionem copiosè respondetur l. iij. & duabus sequentibus, & l. in rem actio. §. item quæcunq;. ff. eod. Itaq; discentes ad eas leges remitto, ne in re satis explicatè tradita, ociosè diligens alicui uidear. Cęterùm 20
hęc actio & stricti iuris, & arbitraria est, quia aliud quicquã peti, quàm quod ex dominij causa debetur, non potest, & arbitratu iudicis per eam debita restituuntur. l. qui restituere. ff. eod. Datur autem heredi & contra heredem, sed ut contra possessorem & dominum, non ut heredibus. Nam in realibus actionibus hæres nec agit, nec ll. conuenitur, ut hæres, sed ut dominus, aut possessor. l. de eo. §. fin. ff. ad exhiben. Potest autem hæc actio propriè dici tem- 21
poralis, quia non generali actionum cessatione, sed uarijs temporum spacijs pro rerum conditione, pro quibus competit, finitur, sicut res præscribuntur, iuxta gloss. in epigraphe. ff. eod. Atq; hæc de rerum singularium & corporalium uendicatione, quæ iure ciuili prodita est. Prætor ei qui à non domi- 22
no bona fide comparauit, idq; usu cepit, peculiarem dat actionem contra eius possessorem, quæ ab autore, à quo primùm tradita est, Publiciana uocatur. Quamuis autem & ea res à possessoribus uendicetur, tamen de ea hic nõ agimus, quia ea ibi solùm competit, ubi res à non domino accepta per usucapionem, quę dominij acquirendi causa est specialis, nostra facta est. At rei uendicatio, de qua hic agimus, propter quamlibet acquirendi dominij causam datur. Itaque de Publiciana infrà de actionibus, quæ ratione usucapionis specialiter nobis conceduntur, dicemus. Item succurrit Prætor actione rescissoria illi, cuius res, cùm reipub. causa abesset, actione quòd metus causa, ei, cui per incussionem metus res sua extorta est, ut eam alicui concederet uel traderet, & iubet eam per rei uendicationem illi restitui, sed quia talia subsidia sunt extraordinaria, & extra ius cõmune loco beneficij conceduntur, ad ultimum caput doctrinæ Iuris pertinet. 23

ff. & Cod.

De rei uendicatione.

DE ACTIONIBVS ADIPIscendæ, retinendæ, & recuperandæ possessionis. Caput XIII.

SVMMARIVM.

1. De possessione ferè per interdicta agi. 2. Condictio triticaria quæ.
3. Subsidium anomalum. (data prætoris
4. Interdicta nõ esse perpetui iuris obseruationes, sed specialia quasi quædã man
5. Oratio de interdictis demonstratiuè, non enũciatiuè concepta est.
6. Interdictum quid sit, ex Theophilo.
7. Theophilus quando uixerit. 8. Interdicta unde orta.
9. Actiones in factum, quæ loco interdictorum proponuntur, quare extraordinariæ dicantur.
10. Interdicta coërciones esse ex æquo & bono cauendarum turbationum causa.
11. Interdictis uis arcetur à reb. litigiosis.
12. Actiones in factum ex interdictis oriri.
13. Interdictum, quorum bonorum, adipiscendæ possessionis, cui detur.
14. Factum negantis probatio nulla.
15. Interdicta duplicia quæ.
16. Animo solùm possidens quando possit ui deijci de possessione.
17. Prædo interitu rei non liberatur.
18. Infamia facti quando incurratur interdicto Vnde ui.

NOTVM

NOTVM est ex principio Instit. de Interdictis, quòd de possessi
1 one ferè per Interdicta agatur. Cùm igitur constet, quòd omnia interdicta sint à prætore proposita, quæri solet, an ne iure ciuili
2 quoque aliqua sit tradita actio, per quam de possessione cum alijs agamus. Et certum est nos condictione triticaria posse eius rei possessionem petere, quam quis nobis ex aliqua obligatione conuentionis, uel facti debet. Nam & ea est actio prodita à iure ciuili ad petendas quaslibet res, excepta numerata pecunia nobis debita. l. i. & ij. ff. de condict. tritica
3 ria, sed istud subsidium petendæ possessionis est anomalum. Nec ex una alia qua certa causa adipiscendæ, uel retinendæ, uel recuperandæ possessionis competit, sed ad aliud confugimus ordinarijs auxilijs destituti, quo casu & legis condictione, & officio iudicis pro possessione agimus, iux. gloss. epigraphes ff. de Interd. Quare cùm nos decreuerimus primũ iuxta seriem causarũ, propter quas uel iure ciuili, uel prętorio nobis detur ordinariũ auxiliũ, procedere, nõ fert institutũ nostrũ, ut hic extraordinaria quoq; auxilia explicemus, cùm de illis infrà, postquã explicauerimus ordinaria, dicendi locus erit. Quia uerò non extat specialis actio iure ciuili de possessione tradita, uerisimile est, Romanos cognitioni prætorum semper reliquisse eas quęstiones, quæ fortè de possessione orirentur, ut interpellati à cõcertantibus de possessione suam autoritatem interponerent, & eos suis interdictis à ui coërcerent, donec utrinq; proposita causa cõstaret, utri magis possessio deberetur. Indicant enim
4 & ipsæ ll. quòd interdicta non sint unquam à prætoribus proposita, ut loco perpetui iuris obseruarẽtur, sed ut illi, qui fortè disceptarent aliqua de re, cuius componendæ forma non esset à ll. tradita, ipsorum prouidentia in officio continerentur. Neq; enim interdictis, quę extant, quicquam pręcipitur generaliter faciendum aut intermittendum, sed continent specialia quasi quædam mandata à prætore coram eo disceptantibus uiua uoce data, l. i. ff. de tab. exhibi. nominatim. l. Titij. tabulę per interdictum iubentur exhiberi, &
5 ubiq; ferè in interdictis oratio demonstratiuè, tanquam in rem præsentem, & non enunciatiuè, ut generale præceptum solet, in omnem casum concepta
6 est. Ad hæc Theophilus in suis Instit. interdictum dicit esse ἐμιλίαν, hoc est, sermonẽ corã cœtu inter duos quosdam de possessione, uel quasi possessione litigantes factum, non ut per eum decidatur quęstio proposita, sed ut componere suas cogitationes Iudex possit, quomodo de ea re iudicare debeat. Cùm
7 igitur hic uir ijs temporibus uixerit, quibus in recenti adhuc haud dubiè usu, uel saltem memoria erat, quomodo Romani interdictis usi essent, non frustra sentimus Iustinianum interdicta tanquam exempla componendarum litium, & non ut formas agendi inter actiones retulisse. Nam & ideo in Epigraphe de interdictis in ff. adiectum uidetur: Seu extraordinarijs actionib. quæ pro his competunt. Etenim si interdictorum exempla non essent recepta, pro ijsdem causis, quibus competunt interdicta, ageremus actione in factũ. Nam
8 obligatione facti, omnia interdicta orta sunt. Ac proinde ui sua personalia habentur, etiamsi in rem concepta sint. l. i. ℌ penultim. ff. de interdictis, atq; oblato etiam casu, quo interdum aliquod competit, licet loco cuiuslibet
9 interdicti agere actione in factum. Dicuntur autem actiones in factum, quæ loco interdictorũ proponuntur extraordinariè duas ob causas. Vna est, quòd absq; obseruatione solennium uerborũ, quibus olim ueteres tum interdicta, tum actiones proponere soliti sunt, in iudicium deducantur. Altera, quòd nõ ex ordinaria aliqua conuentione, uel delictorum obligatione, sed ex facto, quòd mereatur iudicis cognitionem aut animaduersionem, sua quadam æqui-
10 tate, oriuntur. Interdicta igitur non sunt formæ agendi pro diremptione litiũ, quę ex ordinarijs causis oriuntur, sed sunt coërciones quædam ex æquo & bono cauendarum turbationum causa olim à prætore per denunciationem pu-

blicam factæ, ut prętor prohibet illi uim fieri, qui proximo anno nec ui, nec clam, nec precario à uicino suo usus sit itinere, actuq; priuato. ff. de itin. actu que priua. At isto interdicto non decernitur illi competere seruitutem eundi & agendi per uicinum fundum, qui per annum ita sit usus ea, sed cauetur tantùm, ut impedire illum in utenda ea non liceat, relicta disceptatione de iure seruitutis, quod legitimis modis constituimus: aut ne alius in re nostra constituat, impedimus. Tales igitur coërciones prohibendorum tumultuũ inter actiones relatæ sunt, sicut stipulationes prætoriæ, quibus satisdationes de ratihabitione, & iudicati solutione, & similibus rebus in iudicio expetuntur. Quemadmodum enim illis non obtinentur res, de quibus est contentio, sed doli tantũm, qui committi circa eas possunt, cauentur, ita & interdictis arcetur uis à rebus, de quibus nobis cum quopiam aut lis est, aut imminet: & quia tales coërciones prohibendorum tumultuum utiles sunt uisę maioribus ad commoditatem expediendarum litium, tanquam ex illo albo prætoris descriptę, in ius Romanum translatę sunt: An autem ex illis agamus, tanquam ex formis à iure ciuili proditis, an uerò ex sola facti specie illis congruenti petere id liceat, quod illis fieri aut non fieri pro ratione facti à prętore iubetur, quæri potest: Sed receptũ est, actiones in factum ex interdictis oriri: atq; id etiam innuere & probare uidetur textus Instit. de interdict. §. ult. Vbi dicit perinde de interdictis citra ueterem solennitatem uerborum propositis iudicare, ac si utilis actio ex causa interdicti à prętore illius loco concessa esset. Agimus igitur ex facto, ad quod aliquod interdictum utili interpretatione extendi potest, tanquam utili actione nobis ex eo competente. Sed hæc de interdictorum natura, autoritate, & usu dicta hoc loco sint, ut ratio eorũ interdictorum, quæ pro possessione peculiariter cõpetunt, commodius percipi possit. Porrò interdictum quod pro possessione adipiscenda à prætore propositum est, à prima facie uerborum, quibus æditũ est, Quorum bonorũ appellatur, & datur bonorum possessori, hoc est, filio emancipato, qui iure prętorio ad successionem hæreditatis paternæ uocatus est, contra eum, qui bona eius hæreditatis detinet. Sed de hoc interdicto rursum & commodior erit dicendi locus infrà, ubi agemus de actionibus, quibus petuntur hęreditates. Pro retinenda autẽ possessione duo competunt interdicta. Alterum pro rerũ immobiliũ possessione, & uocatur interdictum Vti possidetis, alterum pro mobilium rerũ possessione, & appellatur interdictum Vtrubi, etiam à prima facie uerborum, quibus ædita sunt hæc interdicta. Et hęc interdicta interponuntur inter eos, qui inuicem de possess. ita contendunt, ut cùm alter in sua possessione habeat rem, alter non, desinat illi esse molestus, & subinde in re possessa eum impediat. Is igitur, cuius possessio ita inquietatur, proposito uno ex his interdictis, pro conditione rerum petere potest, ut quoniam nec ui, nec clam, nec precario rem possideat, iubeat iudex eum cessare ab inquietatione possessionis suæ. Dantur autem hæc interdicta, non illis solùm, qui naturaliter & ciuiliter, sed & illis, qui naturaliter tantùm rem possident, sicut usuarij & usufructuarij. Et Interdictum Vti possidetis, datur etiam quasi possidenti, uidelicet res incorporales. lege ultima, §. uti possidetis. Non autem hæc interdicta illis dantur, qui seruandæ rei causa in possessionem missi sunt. lege, si duo. §. Cæteros. ff. uti possidetis. Tuetur autem hoc interdicto is solùm, qui nec clam, nec ui, nec precario rem ab aduersario possidet. Nam is qui per uim aduersario possessionem extorsit, aut clam eam occupauit, uel precibus ab eo impetrauit, non iuuatur his interdictis, sed cogitur in ea occupanda cedere illi, cum quo de possessione litigat. lege 1. §. ult. ff. uti possidetis. Probamus autem nec clam, nec ui, nec precario nos possidere, cùm ostendimus nos domino sciente, uidente, & consentiente possessionem occupasse. Cùm enim factum negantis, regula

riter

riter probatio nulla sit, l. actor. C. de probatio. & tamen illi, qui retinere possessionem cupit, incumbat, ut probet se sine istis uitijs possessionem habere, necesse est, eum ostendere, quòd iure eam consecutus sit, ex qua probatione sua pte natura contraria sequitur illatio, non ui, non clam, non precario ab aduersario illum possessionem habere. Requiritur autẽ ita ab aduersario nos habere possessionem in his interdictis, non autem oportet, ut itidem eam habeamus ab alijs, quam ab eo cum quo de ea litigamus, illam ui, aut clam, aut precario consecuti sumus, l. i. ℈ ultim. ff. uti possidet. Non autem datur agendi his interdictis facultas, si annus utilis sit elapsus post factam inquietationem. l. i. in princip. ff. uti possid. Si uerò denuò quis inquietetur, competit idem iudicium. Itaq; hęc interdicta pro retinenda possessione semper dantur, licet propter unam inquietationem tantũm in annũ utilem tribuantur. Hinc Rofredus dicit ea esse annalia, pro petendo interesse cuiuslibet inquietationis, sed perpetua, pro retinenda possessione. Sunt & hęc interdicta duplicia, quia uterq; de possessione retinenda contendens actor & reus esse uidetur propter mutuam conuentionem. Ideo autem ea quę de his interdictis annotauimus, pariter de utroq; accipienda sunt, quia ius interdicti utrubi exequatum est interdicto, uti possidetis. ff. utrub. Sicut autem pro retinenda possessione rei immobilis aliud competit interdictum, quàm pro possessione rei mobilis, ita & in recuperanda possessione aliud iudicium datur pro possessione rei immobilis, aliud pro repetenda re in aliqua nobis erepta. Nam si res mobilis nobis ui eripiatur, licet eam aut actione furti, aut actione ui bonorum raptorum prosequi. l. i. ℈ illud uti q;. ff. de ui & ui ar. deiectis uerò per uim de possessione rei immobilis, datur interdictum unde ui, quo petimus, eius possessionẽ nobis restitui, cum omni causã damni dati. Vt autem quis ui deiectus uideri possit, necesse est, non animo tuendæ suę possessionis aliquẽ à quopiã esse à possessione deturbatum. Nam ubi id factum est, hoc interdicto agi nõ potest, quia uim ui depelli iura permittunt. l. i. ℈ uim ui. ff. de ui & ui arm. Deinde nõ datur hoc interdictum propter quamlibet uim alicui illatam. Nam hoc interdictum ad eos tantũm pertinet, qui de possessione rei immobilis per uim deiecti sunt. Alia uis, siue publica, siue priuata ea fuerit, in alijs ll. coércetur, nempe lege Iulia. Sed actio ex lege Iulia competens criminalis est. Itaque de ea suo loco dicendum erit. Præterea sunt plærę; que constitutiones Imperatorum, quibus uariæ in uiolentos constituuntur pœnæ. Sed eas condictione ex lege, non interdicto unde ui prosequimur. Est igitur hoc interdictum à reliquis actionibus prosequendæ uiolentiæ diligenter separandum, ne inter se misceantur. Nam interdictum unde ui, ibi solũm competit, cũm quis ui de possessione earum rerum, quæ solo cohærent, deiectus est. Neque illud competit, cũm uim illatam aliqua pœna prosequi cupimus, sed cũm solam possessionem restitui, & damnum, quod propter ereptam possessionem passi sumus, nobis sarciri expetimus. Datur igitur hoc interdictum de possessione rei immobilis, quam suo nomine tenebat ui deiectus. Nam si quis alieno nomine rem aliquam in possessione habeat, ei non datur, etiamsi deiectus sit ab ea, sed illi, cuius nomine eam tenuit. l. i. ℈ quod seruis. & l. ult. ff. de ui & ui ar. Ad hoc enim, ut quis hoc interdicto agere possit, requiritur, ut possederit rem suo nomine tum, cũm ab ea deijceretur. l. i. ℈ interdictum. ff. de ui & ui armata. Non autem refert, iure an iniuria eam possessionem nactus sit. Nam & illi hoc interdictum competit, qui possessionem alienam inuasit, contra eum, qui eum ui rursum deiecit, non autem contra illum, cui ille eam extorsit. l. i. ℈ qui etiam à me. ff. de ui & ui arm. Itẽ siue quis sola naturali, siue sola ciuili possessione, suo tamen nomine fundũ teneat, hoc est, siue corpore, siue animo tantũm possideat, ab eo deiectus recuperare possessionem eius per hoc interdictum potest. l. i. ℈ deijcitur. & ℈ siue autem. ff. de ui & ui armata. Ita-

que & fructuario, similibusq; qui naturaliter tantùm possident, datur hoc interdictum, si ad percipiendos ex agro fructuario fructus non admittantur. l. iij. §. unde ui. ff. de ui & ui arm. Sed miretur aliquis, qui fieri possit, ut is, qui 16
solo animo possideat agrum, ab eo ui deijciatur, cùm satis constet quòd sine ui corporali uis non fiat. l. 1. §. idem Labeo. ff. de ui & ui arm. Pomponius in eod. §. ostendit id ita fieri posse, si quis metu eorum, qui per uim occuparint eius agrum, non audeat eum ingredi. Nam & isto casu corporalis uis intercenit, occupata uidelicet possessione eius. Non autem is tantùm alterum de sua possessione deiecisse iudicatur, qui ipse talem uim alicui intulit, uerumetiam si illud fieri per familiam suam uel alios curauit, uel factum ratum habuit. l. i. §. deiecisse. & §. familiæ. ff. de ui & ui ar. Quapropter & illi, quorum mandato & conniuentia tale quid factum est, interdicto Vnde ui conueniuntur. l. i. §. familiæ. & l. in Interdicto, & l. si ui me deiecerit. ff. de ui & ui ar. Cæterùm hoc Interdicto recuperatur possessio, cum omnibus rebus, etiam mobilibus, quas in fundo, aut domo, ex quacunque causa; tunc cùm deijceretur, 17
aliquis habuit, uel postea ex occasione deiectionis ibi illi perierunt. Prædo enim rei interitu non liberatur, etiamsi sine eius dolo perierit, sed statim post uim admissam in mora esse censetur. Itaque omnes quoq; fructus, quos deiectus percipere potuisset, si deiectus non esset, cùm omni interesse restituere illi cogitur. l. i. §. quod autem. & sequent. & l. si ui me deieceris. & l. meritò. ff. de ui & ui ar. & C. unde ui. l. si de possessione. Restituitur & fructuarius in eam causam per hoc interdictum, in qua futurus fuisset, si deiectus non esset. C. si plures. §. deiectum. ff. de ui & ui ar. Condemnatus hoc Interdicto non 18
notatur infamia Iuris, licet infamiam facti apud bonos & graues uiros non effugiat. l. neque unde ui. ff. de ui, & ui ar.

Annale uerò hoc est interdictum ad recuperandum id, quod quis in fundo, à quo ui deiectus est, habuit, etiamsi illud ad deiectorem non peruenerit, ad recuperandum autem id, quod ad eum peruenit, qui aliquem ui de sua possessione deiecit, perpetuum est. l. i. in princ. & §. annus. ff. de ui & ui arm. Itaque in hæredes quoque datur tantùm in id, quod ad eos peruenit, aut quod dolo malo factum est, quò minus ad eos peruenire. Datur quoque hæredibus iuxta l. i. §. hoc interdicto. & §. ult. & l. ij. & iij. ff. de ui & ui arm.

ff.

De ui & ui ar. Vti possidetis. Vtrubi. Quorum bonorum.

C.

Vnde ui. Quorum bonorum. Vti possidetis.

Instit.

De Interdictis.

DE CONCVRSV PETITORIJ & POSSESSORIJ IUDICIJ.

Caput XIIII.

SVMMARIVM.

1. De Dominio & possessione. 2. Dominium & possessio se consequuntur.
3. Possessio habet per se magnas commoditates.
4. Causa possessionis prius terminetur, quàm de dominio agatur.
5. Contraria allegans non auditur.
6. Secum pugnat, qui utrunq; contrariorum defendere conatur.
7. Eadem pars potest agere petitorio & possessorio simul, dum modò intendens sibi ipsi non sit contrarius.
8. Non denegatur ei interdictum, uti possidetis, qui cœperit rem uendicare.
9. Rei petitio non pugnat cum possessionis, quàm non habemus, adeptione, aut recuperatione.
10. Domino turbare possessorem in sua possessione propria non licet, etiamsi eius iniuria eam teneat. 11. Exceptio

11. Exceptio dominij non obstat agenti interdicto retinendæ possessionis.
12. Dolo quis petit, quod redditurus est.
13. Agens possessorio excluditur probato incontinenti dominio propter euidentiam probationis.
14. Vitium testamenti inuisibile non prohibet aliquem ad hæreditatem peruenire.
15. Spoliatus ante omnia restituendus. 16. Qui prior appellat, prior agat.
17. Is prius auditur, qui prius cœpit agere.

1 IVRA quibus res tenemus, duo sunt, Dominium uidelicet, atq; Possessio, & quæ Actiones ex utroque oriantur, quæq; pro conseruatione cuiuis illorum competant, proximis duobus capitib. exposuimus. Ita uerò Dominium & Possessio sẽ consequuntur, ut haud ferè usquam de aliquo illorum agatur, ubi non simul incidat alterius quæstio. Et tamen tam procul inter se distant, ut Vlpianus non dubitet dicere: Nihil hæc Iura inter sẽ habere commune. l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acqui. pos. Quapropter cũm diuersis actionibus ea Iura prosequamur, sæpe tamen simul pro utroq; Iure illis experimur, sæpe pro altero agentes ad alterum peruenire non possumus. Neque enim ulla deliberatione proponendarum actionum magis refert, utra quis prius experiatur, quàm in casu, quo datur nobis optio, an rem uendicare, uel eius possessionem petere prius uelimus, habet enim possessio per se magnas commoditates, & minus difficilis est eius probatio, quàm dominium. Itaq; lex quoq; suadet, ut quoties quis destinarit rem petere, diligenter animaduertat, an aliquo interdicto possit nancisci possessionem, quia longẽ commodius ipsum possidere, & aduersarium ad onera petitoris compellere, quàm alio possidente petere. l. is qui destinauit. ff. de rei uendi. Cũm igitur non uno modo pro possessione agamus, uidendum est, an pariter omnibus modis cum quocunq; rei petitio concurrat, prius pro possessione agendum sit. Deinde an ne simul pro possessione rei & dominio rei agere, uel altero iudicio inconsultẽ suscepto ad alterum regredi nobis liceat. Nam his quæstionibus consistit deliberatio proponendi possessorij & petitorij. Ac primùm omnium expediti Iuris est, quòd si de possessione retinenda cum quopiam nobis lis sit, cum eo nos rei uendicatione agere non posse. Nam qui de retinenda possessione inter se contendunt, inter illos necesse est prius constitui, uter possideat. Donec enim istud inter illos non constat, neuter alterũ tanquam possessorem (id quod in rei uend. requiritur) conuenire potest. Non igitur Interdictum uti possidetis, & utrubi, cum rei uendicatione concurrunt, sed præcedere debent. l. i. §. inter litigatores. ff. uti pos. & §. retinendæ. Institut. de Interdi. Et ita accipiendæ sunt leges, quæ uolunt, ut causa possessionis prius terminetur, quàm de dominio agatur. l. exitus. ff. de acquir. pos. & l. ordinarij. C. de rei uendica. & interdict. l. incerti. Respiciunt enim istæ leges ad retinendæ possessionis iudicia. Nam quamuis non minus consultum sit, ut quoties de adipiscenda possessione, quam antè non habuimus, uel recuperanda ea, quam per uim aliorũ amisimus, simul cum rei uendicatione incidat quæstio, prius pro possessione, quàm pro dominio contendamus, tamen minus est periculi his interdictis anteponi petitorium iudicium, quãm si Interdictis retinendæ possessionis petitorium antelatum sit. Qui enim per imprudentiam fortẽ cœpit agere rei uendicatione, cũm satius fuisset prius de adipiscenda, aut recuperanda possessione agi, ille quasi de instituto itinere declinans concedere ad ea interdicta, & illis experiri pro possessione potest, si nondum in petitorio iudicio conclusum, aut renunciatum est. c. pastoralis. §. i. extrã de causa proprietatis & possessionis. At Interdicta retinendæ possessionis non possunt proponi suscepto iam petitorio iudicio propter absurditatem pugnantiæ, quæ inde sequeretur. Nam qui agit rei uendicatione, palãm fatetur aduersarium suum possidere. c. examinata. extr. de Iudicijs.

Qui

Qui uerò agere uult possessorio retinendæ possessionis, illū necesse est contendere, quòd ipse possideat, & non aduersarius. Non autem auditur in iudicio, qui contraria allegat .c. solicitudinem. extr. de appellat. Itaque propter pugnantes allegationes, quas facere illum necesse est, si ad possessorium retinendæ possessionis post institutam rei uendicationem admitteretur, negatur illi facultas per ista interdicta agendi. Sed hoc tamen diserte accipiendum est, nimirum quòd pendente adhuc iudicio petitorio, non possit intendi possessorium retinendæ possessionis. Secus si finitum iam sit petitorium, ita ut agens petitorio succubuerit, aut palàm, uel tacitè illi iudicio renũciauerit, nam isto casu licet nobis à petitorio ad possessorium descendere, quia postquam alterũ istorum iudiciorum sententia iudicis, uel nostra renunciatione sublatum est, non possumus uideri nobiscum pugnare, si altero tantũm experiamur. Is etenim secum pugnat, qui utrunque contrariorum defendere conatur, non qui pro altero tantum contendit. Est autẽ generalis regula, iuxta Hostiensem in summa sua, tit. de causa proprietatis, quòd eadẽm pars possit agere petitorio & possessorio simul, dum modò intendens sibi ipsi nõn sit contrarius. Itaque permittitur etiam, ut quis respectu diuersæ possessionis simul rei uendicatione & possessorio retinendæ possessionis aliquem conueniat, ut qui rem aliquam naturali tantũm possessione tenet, rei uendicatione cum eo agere, qui ciuilem tantũ habet in eadem re possessionem, sicut habet is, qui aliquem fundum alteri in Feudum dedit, iuxta glos. Epigraphes. ff. de rei uendicat. Et tamen idem cum eodem quoque agere potest, Interdicto uti possidetis, atque petere, ut Iudex prohibeat, ne molestus sit, in turbanda eius possessione, quã habet naturalem. Et isto casu pendente adhuc iudicio petitorio possessorium retinendæ possessionis intendi potest. iuxta glos. fin. l. naturaliter. ℣. nihil commune. ff. de acquir. possess. idem concedi uolunt, si quis probabiliter ignorasse uideatur se possidere rem, cũ instituerit eius uendicationem, id quod fieri potest, si quis nesciens eum, cui succedit, rem quam ipse petit, per aliũ possedisse. Nam eo comperto, potest à rei uendicatione desistere, & de retinenda possessione, quam ille, cui successit, habuit, cum aduersario agere. iuxta glo. & Doctores circa c. pastoralis, extr. de causa proprie. & possess. & de iudicijs. c. exanimata. Atque in eos casus quoque referre uolunt, quod in l. naturaliter. ℣. nihil commune. ff. de acquir. pos. dicitur, non degenerare ei interdictum uti possidetis, qui cœperit rem uendicare.

Cæterũm in reliquis Interdictis possessorijs, non est tam impedita obseruatio, sed potest eadem pars de petitorio ad possessorium adipiscendæ, uel recuperandæ possessionis semper recurrere Iure ciuili, quia rei petitio nõ pugnat cum possessionis, quam non habemus, adeptione aut recuperatione. l. cũm fundum. ℣. fina. ff. de ui & ui ar. & ibi glossa. Iure uerò Canonico restituta est hęc libertas, sicut paulò antè ex c. pastoralis. ext. de caus. proprie. & possess. annotauimus. Porrò quando petitorium & possessorium iudicium nõ ab eodem cõtra eundem simul, uel alterum post alterũ, sed uicissim inter partes inuicem intenduntur, alia datur illis agendi potestas, quãm ea est, de qua hactenus diximus. Nam si quis proponat Interdictum retinendę possessionis, & aduersarius opponat exceptionem dominij, aut directè petat se declarari dominum, uel è diuerso, nulla obstat contrarietas, quò minus pariter audiantur, quia alter possessorem, alter dominum se esse contendit, quæ simul euenire possunt, iuxta l. 1. ℣. huius. ff. uti possid. Quia tamen ille, qui se dominum esse dicit, fatetur concertatorẽ suum possidere in definitione litis, meritò præcedit quęstio possessionis, ita ut Iudex prohibeat illum sua possessione turbari ab eo, quo conuentus est petitorio, donec probauit suum dominium. Non enim licet domino turbare possessorem in sua possessione propria autoritate, etiamsi eius iniuria eam teneat. Itaque exceptio dominij non obstat agenti Interdicto retinendæ

nendæ poſſeſſionis, iuxta Bart. in iij. oppoſ. circa iam ſæpe allegatum §. nihil commune, & Paulum de Caſtro .l. ſi de ui. ff. de iudicijs in fine, & hoc ſtatuunt DD. ſecuti autoritatem gloſſæ l. ſi de eo. §. fina. contra gloſſ. l. ſi de ui. ff. de iudicijs. Vbi uerò quis agit Interdicto adipiſcendæ poſſeſsionis, ibi refert, an is qui opponat exceptionem dominij, in promptu habeat probationem dominij uel non. Nam ſi offert ſe ſtatim probaturum dominium, locū
12 habet regula, qua dicitur, quòd dolo faciat, qui petat quod redditurus ſit .l.
13 dolo. ff. de dol. mal. & me. except. & excluditur agens poſſeſſorio, probato in continenti dominio, propter euidentiam probationis. l. iij. ibidem. ff. ad exhibendum. Si uerò agens poſſeſſorio adipiſcendæ poſſeſsionis petat dilationem probationis, oppoſita exceptio dominij non parit præiudicium poſſeſſo
14 rio, ſed probans poſſeſſionem ſibi deberi, ad eam admittitur. Sicut is, qui propter uitium teſtamenti inuiſibile, ad hæreditatem peruenire non prohibetur. l. ij. C. de edict. D. Adrian. toll. & petitorium oppoſitum tanquam exceptio, quæ accuratiorem inueſtigationem requirit, alij iudicio reſeruatur. l. illi à quo. §. i. ff. ad Trebell. Poſſeſſorium autem recuperandæ poſſeſsionis ſiue proponatur, ſiue opponatur, nihil contra illud promouetur petitorium,
15 etiamſi quis in promptu habeat probationes dominij. Nam regula eſt, quòd ſpoliatus ante omnia ſit reſtituendus. l. ſi quis à ſe fundum. C. ad l. Iuliam, & l. ſi maritus. ff. de donat. inter uir. & uxo. Et cūm nihil tam repugnet tranquillitati publicę, quàm alterius poſſeſsiones inuadere, odio uiolentię Canones uolunt, ſpoliatum cogi ad reſpondendum ſpoliatoribus ſuis, ſi eum petitorio iudicio, aut alia Actione conueniant, antequam ipſe reſtitutus ſit. c. ult. ext. de ord. cognitionum. Præterea permittunt Canones, ut non modò cum eo agamus de reſtituenda poſſeſsione, qui eam nobis ui eripuit, uerumetiam cum illo, qui ſciens rem ſpoliatam quoquo modo ā ſpoliatore conſecutus ſit. c. ſępe contingit. extra. de reſtit. ſpoliatorū. Vnde Panor. circa allegatum cadicit, in optione eius eſſe, qui uiolentiam paſſus eſt, utrum malit ſpoliatorē uel uitioſum rei poſſeſſorem conuenire, nec uno cōuento alterum liberari. l. quoties. ff. de act. & oblig. non tamen contra eum, qui rem ā ſpoliatore accepit, agitur interdicto unde ui, nam illud etiam iure canonico ſolūm aduerſus eum competit, qui aliquem ui de ſua poſſeſsione deięcit, aut illud fieri mandauit, uel factum à ſuis ratum habuit. c. cum ad ſedem. extr. de ord. cogni. Itaque per officium iudicis, uel condictionem ex Canone, petenda eſt reſtitutio noſtrę rei, quam tenet is, qui eam à ſpoliatore accepit, iuxta gloſ. c. ſępe. ext. de reſtitut. ſpolia. Refert autem plurimūm in concurſu poſſeſſorij recuperandæ poſſeſsionis competitorio, an circa unam eandemq; rem, uel diuerſas concurrant, nam ſi circa eandem rem proponuntur, ut mutuæ petitiones, tum ſpoliatus ſemper reſtituitur, antequam de dominio diſcepatur. c. ex conqueſtione. extra. de reſtitut. ſpoliat. Agens uerò poſſeſſorio recuperandæ poſſeſsionis, non reſtituitur, ſed repellitur ab agendo, ſi in modum exceptionis illi obijcia tur ſpoliatio, & ſimul de utraq; ſpoliatione cognoſcitur. c. ſupra. §. fin. extra. de ord. cog. Si uerò circa diuerſas res à litigantibus inuicem proponūtur poſ
16 ſeſſorium & petitorium, uel duo poſſeſſoria ſimul, ut actiones, tum locum
17 habet regula l. qui prior appellat, prior agat. ff. de iudicijs, ſicut fit iuxta eandem regulam, in reliquis ferè omnib. iudicijs, ut is prius audiatur, qui prius cœpit agere. At ſi agenti rei uendicatione aliquid obijciat loco exceptionis, ſe eſſe ab eo ſpoliatum, tum de quęſtione ſpoliationis antè, quàm de dominio cognoſcitur. iuxt. c. dilectus, extra de ord. cognit. Hęc de concurſu harum actionum annotaſſe in compendio ſufficiat. Quæ præterea hic de actionib. quę cum his cōcurrunt, dicenda eſſent, annotabimus infrā de iudicijs, ubi agemus de electione actionum concurrentium de mutuis competitoribus & reconuentionibus in agendo. Pertinent autem huc præcipuē duo tantūm titu

In Decretalibus.

De causa proprietatis & Possessionis.

In Decretalib. & Sexto.

De restitutione spoliatorum.

QVA ACTIONE VENDICANTVR res à non domino nobis traditæ, & nondum usucaptæ.

Caput XV.

SVMMARIVM.

1. Variis impostoris res inter homines distrahuntur.
2. Actio Publiciana unde dicta, & quid sit.
3. Ad quid, & cur detur.
4. Perfidiam in hominibus nemo satis cauere potest.
5. Rei uendicatio directa, & Publiciana quandoq; simul intentari possunt.
6. Ad Publicianam quæ requirantur.
7. Bona fides exigitur. 8. Iustam causam sequatur traditio.
9. Absq; traditione non transfertur rerum dominium.
10. Res à malæ fidei possessore tradita non potest præscribi.
11. Qui non potest usucapere, Publiciana experiri non potest.
12. Nemo plus iuris in alterum transferre potest, quàm ipse habuit.
13. Ex causa dominij uel quasi agere non possumus, nisi causa, ex qua accepimus rem, iusta traditione ad effectum deducta sit.
14. Sine traditione, præscriptione, aut usucapione nullum dominium transferri.
15. Publiciana absq; præscriptione non competit.

De actione Publiciana.

VLGO apud Germanos iactatur, quòd si omnium hominum esset eadem uoluntas, posse eos in una quoq; habitare domo, idem dicere possum de rei uendicatione. Nam si nemo alienas res pro suis alteri traderet, sufficeret nobis communis illa rei uendicatio, qua res nostras nobis restitui petimus, iam uerò cùm uariis impo 1
sturis res inter homines distrahantur, coactus est prætor Romanus directæ rei uendicationi, aliam quandam illi adiungere, qua succurreretur illis, qui bona fide, & iusto titulo rem à non domino ipsis traditam usucapere cœpissent, & ea actio ab eo, à quo primùm prodita est, dicitur Publiciana. Est autem hæc 2
actio in rem prodita, sicut rei uendicatio, sed hæc ex quasi, illa uerò ex directo dominio oritur. Nam hæc datur illi, qui rem à possessore uendicare cupit, 3
quia legitimo aliquo acquirendarum rerum modo eam nesciens à non domino accepit, nec tam diu eam in sua possessione habuit, ut plenè eam usu cepisse uideri possit. Itaque propter titulum, & bonam fidem, qua rem consecutus est, iure quasi dominij petit sibi eam restitui. Ille uerò qui directa rei uendicatione agit, Iure directi dominij petit sibi rem restitui, quia ea illi à domino tradita est, aut eam planè usucepit. Magna igitur inter has actiones est cognatio. Idem nanque est utriusq; effectus, nempe rei restitutio.

Proinde cùm metu perfidiæ, quæ tanta in hominibus est, ut nemo satis ca- 4
uere eam possit, incerti sumus, utra harum actionum experiri debeamus, Li- 5
cet nõnunquam ambas in eodem libello coniungere, altera cum protestatione alteri adiecta, hoc uidelicet modo, ut si dominium probare fortè non possumus, Publiciana actione nos petere rem nobis restitui dicamus. Quòd autẽ licet ita duas actiones in uno eodemq; libello coniungere, manifestum est ex regula l. i. §. ij. ff. quor. lega. ubi dicitur, quòd quoties incertum sit, quæ actio nos teneat, solere nos duas dictare, protestati ex altera uelle nos consequi, quod nobis contingat.

Porrò, ut alicui restituatur res per Publicianam uendicationem, necesse 6
est, eum bonam habuisse fidem, cùm de ea contraheret, & cùm ea illi trade- 7
retur, l. eum qui. ff. de Publicia. in rem acti.

Deinde

Deinde requiritur quoq;,ut res, de qua agitur, talis sit,quę usucapi possit. l. traditionem. ff.de Public. Fallit tamen hæc regula in quibusdam casib. ut in seruitutibus, quæ non habent continuam causam, nam illæ non usucapiuntur.l. sequitur. §. penult.ff. de usucap. & tamen pro illis datur Publiciana in uectigal. & superficiarijs prędijs.Nã cũ illa nõ possint usucapi.l. malè. C. de prescript. xxx.an.tamen pro illis datur Publiciana.l.cũm sponsus. §. in uectigalibus.ff.de Public.Nihil autem refert,qua quis causa rem à non domino acceperit, siue enim onerosa, siue lucrosa ea fuerit, modò iusta sit, datur nobis prosequendarum rerũ actio, quarum possessionem casu amisimus.l.quæcunq;.ff. de Public.Non tamen sufficit iusta causa, nisi sequatur traditio, sicut enim absq; traditione non transfertur rerum dominium.l. traditionibus. C. de pact. ita nec quasi dominium.l. i. in fin. ff.de Publicia. Iure quoq; nouissimo requiritur,ut is,ã quo tradita est res, habuerit bonã fidem,cũm eam traderet. Non enim sicut olim Iure digestorum sufficit accipientem habuisse bonam fidem ad prescribendum. Iuxta l.eum qui. §. Prætor ait. ff.de Public. Et oritur hæc diuersitas Iuris nouissimi à ueteri Iure,ex Auth.malæ fidei.C. de præscrip.long. temp. Nam postquam autoritate eius Auth.constitutũ est, quòd res à malæ fidei possessore tradita non possit præscribi, nisi dominus sciens rem suam esse ita alienatam, cesset mouere litem aduersus eius possessorem,palàm est non competere illi Publicianam,qui mala fide tradentis rem accepit, qui enim non potest usucapere, aut præscribere, is nec Publiciana experiri potest.l.traditionem.ff.de pub.Requiritur enim omnino,ut qui hac actione experiri uelit, antequam ageret,cœperit usucapere, & præscribere. Sola nanq; traditio rei ad agendum hac actione non sufficit, quia in casum, in quem prodita est hæc actio, traditio fit à non domino, ac proinde non potest uideri aliquid dominij esse translatũ. Regula enim Iuris est,quòd nemo possit plus iuris in alterum transferre,quàm ipse habuerit. Quapropter necesse est istam imbecillitatẽ traditionis sultam & consolidatã aliqua continuatione possessionis, adeoq; præscriptione,ut aliqua saltem specie dominij rem amissam nobis restitui hac actione petere possimus. Atq; debet quidem loco perpetuæ regulæ obseruari, quòd ex causa dominij uel quasi agere non possumus, nisi causa, ex qua accepimus rem, iusta traditione ad effectũ deducta sit,aut nõ satis iusta traditio diuturna possessione fuerit firmata,& aliqua prescriptione temporis pro nostra sit habita. Vt enim quis dicere possit rẽ suam esse, & petere eã sibi tanquam suam restitui,non est satis, eam esse donatam, aut testamento,uel alia aliqua ultima uoluntate relictã, uel ex iure successionis ab intestato nobis debitam,uel emptam.Nam his modis res fiunt nobis debitæ,sed non nostræ, & illis solis non possumus petere rem à quolibet eius possessore nobis propter dominium nostrum restitui, sed suo quodam iure, quod in qualibet forma istarum causarum, aut ll. constitutũ est, aut moribus obseruatur, petimus debita nobis præstari. Quamuis igitur rei uendicatio, & Publiciana,ex omnibus modis, quibus res acquirimus, oriantur,tamen ex illis solis nunq; competunt. Sunt enim isti modi remotæ quædam causæ acquirẽdi dominij uel quasi,traditio uerò,uel præscriptio,siue usucapio propin quæ,quippe sine quibus nullum dominium trãsfertur,Iuxta.l.traditiones.C. de pactis.Cũm aũt in casu Publicianę Actionis traditio sit infirmior,quàm ut per eam uideri possit dominium translatũ,absq; præscriptione rei ea nõ competit. Vbi uerò saltem præscribi res cœpit,non impedit eã aliqua differentia, siue enim res mobilis,siue immobilis,siue corporalis,siue incorporalis cœperit præscribi,datur Publiciana.l. si ego. §. secũdo.& idem Iulianus.& §. idem scribit.ff.de Publi.Porrò datur contra possidentes,uel qui dolo desierũt possidere. §. aliæ.Instit.de Actio.Contra dominũ rei tamen non datur,nisi in certisquibusdam casibus,Iuxta l.penult.& fin.ff.de Publ.& ibi glosa.Neq; datur

contra titulo posidentem, nisi in fraudem alterius cõparatus sit titulus. l. sive autem. §. si duobus, & ibi Bart. ff. de Public. In reliquis similis est hæc Actio rei uendicationi. Quæcunq; enim in ea ueniũt, eadem & in hac peti possunt. l. eũ qui. §. publica. ff. de Pub. Præter titulum aũt digestorum de hac quęstione etiam agitur in glos. c. abbate. extr. de sententia & re iudicata, in Sexto. ff.

De Publiciana in rem Actione.

CVR REI VENDICATIONI RE-liquas Actiones in rem non proximè subiungat. Caput XVI.

SVMMARIVM.

1. Autor consilij sui rationem reddit, cur ordinem causarum ex modis acquirendarum rerum sequatur.
2. Petitio est inepta, quam uis causæ, quæ ex quo casu exiſtit, non urget.
3. Actiones sortiri diuersas appellationes.
4. A possessore rei dominium & possessio quomodo acquiratur.

NE quis temerè me recedere à consueta Actionum recensione existimet, operæprecium duxi, rationem mei consilij indicare, antequam ad reliquas agendi causas progrederer. Est aũt uulgatus hic mos explicandarum actionum, ut iuxta accidentales illarum differentias ordinem inter eas constituant, easq; iuxta illas recen seant atq; restituant. Itaq; peruenientes ad unam aliquam differentiam, enumerant omnes actiones, quæ in eam cadunt, atq; est quidem utilis ea ratio ad declarationem differentiarũ, ita ut sub illis loco exemplorum ponantur. Sed actionũ uarietas non uidetur satis isto modò explicari. Seruit enim accidentalium differentiarũ consideratio potius ad expendendam uim singularum actionum, quæ actiones in diuersos rerum casus nobis competant. Cũm igitur in instituendis actionibus summè necessarium sit, uidere quid in quemlibet casum pro cõseruatione nostri iuris petere in iudicio possimus, & inepta sit petitio, quam uis causæ, quæ ex quoquo casu exiſtit, non urget, consultius esse mihi uidetur, ut iuxta diuersitatem causarum actiones explicentur. Isto nanq; modo actiones cum rebus, in quas incidunt, conferentur, ex qua collatione apparebit non solũm uarietas actionum, sed & earum in diuersis casibus usus. Deinde habet hoc quoq; commodi hęc collatio, quòd ostendet eandem actionem cõpetere, hoc est, idem peti diuersis ex causis posse, nec in petendo, sed in causis petendi maximè uariare actiones. Nam si quis generaliter consideret petitiones actionum ordinariarum, hoc in omnibus penè agi inueniet, ut petamus, aut nostrũ nobis restitui, aut debitum præstari, aut illatum damnũ nobis, uel reipub. rependi, aut de damno imminenti caueri. Sed hæc non petimus uno eodemq; modo, quia diuersis ex causis. Itaque diuersas quoq; appellationes sortiuntur actiones, ex causis magis, quàm ex diuersitate petendi. Quamuis igitur propter petitionis similitudinem reliquas actiones in rem rectè subiungere rei uẽdicationi possim, tamen quia alijs atq; alijs ex causis in rem agimus, cõsultum uidetur, ut ordinem causarum, quem inter modos acquirendarum rerum fecimus, in explicandis actionibus sequamur, circa singulos dicturi, quibus Actionibus conseruemus ius, quod aliquo istorum modorum nobis in rem competit. Quare ut discentes intelligant quo ordine progrediamur, obseruent petitorijs & possessorijs iudicijs, de quibus hactenus diximus, agi pro dominio & possessione rerum singularium, & corporalium ex qualibet causa, qua ista Iura in rebus acquiri possunt, uidelicet, in rebus, quæ antea nullius fuerunt, per modos Iuris gentium absq; traditione. In illis uerò rebus, quæ, antequãm eas acquireremus, in alterius fuerunt possessione,

1

2

3

4 ſeſsione, per quoſcunque modos cum traditione, aut per præſcriptionem. A poſſeſſore enim rei dominium & poſſeſsionem non acquirimus, niſi legitima ex cauſa ea nobis tradita, aut per continuationem poſſeſsionis in præſcriptionem uenerit. Itaq; petitorium & poſſeſſorium iudicium debēt ad omnes acquirendi modos ita referri, ut ſciamus nobis ex ſingulis illis has actiones competere, cūm illos aut traditione, aut præſcriptione coniunctos in aliqua recorporali habemus. Aporrò non dicemus, quomodo ex illis modis tanquam ex cauſis dominij & poſſeſsionis accedente traditione, aut uſucapione ex illis agamus, ſed quatenus ſua ui cauſam agendi præbent.

EX MODIS ACQVIRENdi Iure gentium. Caput XVII.

SVMMARIVM.

1. Modorum acquirendi uis duplex.
2. Habita pro derelictis fiunt occupantium.
3. Inuenta à domino loci, conceduntur eidem, ſi ignoretur, cuius fuerint.
4. Quilibet modus Iuriſgentiū per ſe præbet cauſam agēdi rei uendicatione.
5. Traditione non acquiruntur dominia rerū, niſi præcedente legitima cauſa.
6. Separatæ res quomodo uendicentur.
7. Actio in factum quando datur.
8. Res noſtræ alienis admixtæ quomodo repetantur.
9. Actio ad exhibendum.
10. In confuſione rerum ſpectatur uoluntas dominorum.
11. Condictione ex lege agitur ad nouas conſtitutiones, conſuetudinem uel ſtatutum.

DVPLEX uis eſt modorum acquirendi Iuregentium, aut enim ſimpliciter efficiunt, ut res fiant noſtræ, aut cum diſtinctione 2 Iuris in diuerſos caſus, ut habita pro derelictis fiāt occupantium. 3 l. 1. ff. pro derelict. Inuenta à domino loci, conceduntur eidem, ſi ignoretur, cuius fuerint. Item capta iuſto bello, & nata ex noſtris animantib. aut fundo noſtro per alluuionem aggeſta, & pro rebus ita acquiſitis quilibet modus Iuriſgentium per ſe præbet cauſam agendi rei uendicatione. Neq; enim ullus eſt iſtorum modorum, qui non ſua ui rem noſtro do- 5 minio ſubijcere poſsit, excepta traditione. Etenim ea non acquiruntur dominia rerum, niſi præcedente legitima cauſa. l. nunquam. ff. de acquir. rer. dom. Verūm cūm res noſtras faciunt diſtinctione caſuum, uidendum quibus caſi- 6 bus ſeparatim, uel cōiunctim cū noſtris res alienas nobis adijciant. Eas enim, quas ſeparatim nobis Iura cuiuſq; modi attribuunt, Iure noſtro uendicamus: quæ uerò ſpecificatione, acceſsione, cōmixtione, confuſione, ędificatione, ſatione, noſtris rebus bona fide commiſcentur, ea, ſi ſeparari per ſe poſſunt, uendicari eas utrinq; à dominis poſſe, non eſt dubiū, non quidem ratione iuris eiuſmodi, quo cōiunctæ ſunt, ſed ex cauſa, qua eas antē acquiſiuerūt. Si uerò per ſe ſeparata non ſunt, ſed tamen ſeparari cōmodè poſſunt, agitur pro cuiuſque Intereſſe ad exhibendum, ut ſeparētur, & hinc uendicētur. At ubi omninò non poſſunt, aut propter ciuilem aliquā cauſam prohibentur ſeparari, agitur in factum ad præſtandum id, quod in quōquo modo leges in talem caſum 7 præſtari & fieri iubent. Nam in omnibus caſibus, in quibus neq; ad exhibendum, neq; in rem locum habet, in his modis in factum Actio neceſſaria eſt. l. in rem. ff. eodq; ff. de rei uend. Quoties enim Iura ſuadent Actionē dari, nec ſpecialem appellationem illi tribuūt, aut eius petitionē ad generalem Actionem referunt, in factum agere dicimur, ſi id, quod ll. in caſum preſentem ſine 8 certa appellatione Actionis conſtituerunt, nobis præſtari petimus. Et ut regulæ agendi pro rebus caſu, & præter dolum noſtris admixtæ, manifeſtiores

fiãt, ponemus earũ exẽpla, Oues alienę alicuius casu aggregatæ, possunt uen dicari, quia separari per se facilè possunt, l. rer. mixt. ℣ quid ergo. ff. de usuca. Purpura aũt uestimento intexta non potest tã facilè & cõmodè separari, itaq; 9
agitur ad exhibendũ anteq; uendicetur. l. tigni. ff. ad exhib. Si uerò ex melle meo, & uino tuo factũ sit mulsum, per Actionẽ in factũ, petitur illud cedi, iuxta l. idem Pomp. ff. de rei uẽdicat. Nempe ei, qui bona fide ex illis facit mulsum, quoniã reduci uinũ, aut mel ad pristinã formã non potest. In omnibus aũt istis casibus, quibus aliena res nostra fit propter inseparabilem cõiunctio nem, cogimur precium eius, quod nostris rebus de alieno accessit, dare illius domino. l. in rem. ℣ in omnibus. ff. de rei uendicat. Vbi uerò quis mala fide res alienas suis adiunxisse deprehenditur, rerum suarum proprietatem amittit. l. adeo. ℣ ex diuerso. ff. de acqui. rerum domi. Solet quoq; in confusione 10
rerum spectari, an uoluntate dominorum, uel casu ea facta sit, nam sicubi id accidit, res confusę iudicantur communes, & si separari possunt actione com muni diuidundo, quisq; petit, quod suum esse probare possit. l. idem Pomp. in princ. ff. de rei uend. & de acquir. rer. domi. l. adeo. ℣ uoluntas. Quæ uerò in singulis modis Iurisgentium peculiariter obseruãtur, ea annotauimus suprà in ipsis modis. Si uerò quid præter ea, quæ ciuilibus legibus tradita sunt in sin 11
gulis modis, propter nouas constitutiones, aut propter consuetudinem, uel statutum etiam in singulis regionibus obseruatur, ad ea agimus condictione ex lege. iuxta glos. l. quoties. ff. de præscript. uerb.

De singulis autem Actionibus, quas diximus pro Iure horum modorum dari plenius dicemus infrà in suis locis.

EX MODIS ACQVIrendi Iure Ciuili. Cap. XVIII.

SVMMARIVM.

1. Iuris ciuilis actiones & modi recensentur.

NASCITVR autem Actio specialis aut uniuersalis, quia illis nunc 1
singulæ, nunc plures simul res uno compendio Iuris acquiruntur. Singulæ ex donatione, legato, & fideicommisso singulari, itaq; expressa quoq; species, uel quantitas Actionibus ex illis natis petitur. Ex successione autem à testato, & intestato simul res nomine hæreditatis consequimur. Itaq; petitione hæreditatis, & familiæ herciscundæ, & Actione ex Testamento, quæ datur pro uniuersitate per Trebellianum, sub uniuersali appellatione hæreditatis petuntur. Ac possunt harum omnium Actionum, quæ ex ui Iuris in his modis nascuntur, tradi generales quædam regulæ, ut eas uno tractatu pariter omnes comprehenderemus, sicut in modis Iurisgentium fecimus. Verũm est in his, sicut in ciuilibus omnibus, tanta uarietas obseruationum, ut metuam illud Horatij: Breuis esse laboro, obscurus fio, si captem angustiam compendij. Quapropter de Actionibus, quæ ex Iure singulorum modorum Iuris ciuilis oriuntur, seorsim agere consilium est.

In arte poëtica.

EX VSVCAPIONE, & præscriptione. Cap. XIX.

SVMMARIVM.

1. Ex sola præscriptione nullam oriri actionem.
2. Possessor malæ fidei nullo tempore præscribit.
3. Titulus acceptæ possessionis proferendus.
4. Causam sui iuris in re possessa allegandam.
5. Prescriptio sine titulo non prebet causam agendi sed excipiendi.

6. Præ-

6. Præscriptiones inter exceptiones referri.
7. De ui priuata.
8. Actiones pœnales esse temporales.

NVLLA ex solo præscriptionum Iure oritur Actio, Est enim hic modus acquirendi aliorum quasi assecla. Neq; unquam per se transfert rei dominium, unde est regula, quòd possessor malæ fidei nullo tempore præscribat. c. possessor. extra de reg. Iur. lib. 6. Nam qui nullum titulum acceptæ possessionis suæ proferre potest, ille etiamsi longissimæ præscriptionis tempore rem tenuerit, tamen quia allegare causam sui iuris in re possessa non potest, excluditur ab agendo, nec potest rem casu amissam ab alio repetere. Si uerò alius rem absq; titulo præscriptam ab eo petat, illum Iure præscriptionis etiam sine titulo depellere à se potest. l. emptionis. C. de præscript. 30. uel 40. anno. Per se igitur sine titulo præscriptio, qualiscunq; ea fuerit, non præbet causam agendi, sed excipiendi. Itaq; in ff. & C. de except. præscriptiones inter exceptiones referuntur, cum titulo uerò longissimi temporis præscriptio tantam habet uim, ut subsecuta litis contestatione temporalem actionem reddat perpetuã, ut in spacium 40. anno, extendat. ut si quis aliquem conueniat de ui priuata, & post litis contestationem forte aliqua humana impediatur, quò minus ipse susceptam litem, aut eius hæredes prosequi intra 30. annos possint, nõ potest se aduersarius, aut eius hæres præscriptione longissimi temporis tueri, ut denuo agentibus de ui non cogatur respondere, quia lex ultima C. de præscript. 30. uel 40. annor. in istum casum iubet dari actionem in annos 40. Quamuis alioqui regulare sit, actiones pœnales esse temporales. ℔ non aũt. Instit. de perpe. & temp. act. Summa igitur Iuris in hoc modo est: Quòd ex præscriptione, legitima cum causa agamus utili rei uendicatione, sine causa uerò nulla ex ea nobis competit Actio, sed Exceptio. *Sũma huius modi.*

EX DONATIONE.

Caput. XX.

SVMMARIVM.

1. Necessitas tradendæ rei promissæ donantibus imposita est.
2. Rem promissam animo donandi quibus actionib. consequamur.
3. Actione ex stipulatu donatum peti.
4. Donator in quantum facere potest tenetur.
5. Actione in factum donata repetuntur.
6. Inofficiosæ donationis querela odiosa.
7. Donatio ipso iure nulla, titulo traditionis non tuetur.
8. Refert uidere cui facta sit donatio.
9. Quando uni liberorum facta sit donatio.
10. Quando extraneo facta sit donatio.
11. Querela inofficiosæ donationis quib. detur.
12. Querela inofficiosæ donationis similis est querelæ inofficiosi testamenti.

TRADITA re, quæ donandi animo promissa est, petitur donatum rei uendicatione. Nudo pacto promissa res, non posset peti iure donationis, nisi Imperator l. si quis argentum. ℔ penult. C. de donat. necessitatem tradendæ rei promissæ donantibus imposuisset. Condictione igitur ex l. petitur res nuda pollicitatione donata, si donator cesset eam tradere, at si interueniente stipulatione facta est donatio, petimus donatum actione ex stipulatu, iuxta eandem l. si quis argentum. Condictione autem certi generalissima agimus, cùm certa res adhibitis solennitatibus, quibus pollicitatio donationis regulariter firmatur & uestitur, donata est. Nam ista Actio ex qualibet obligatione, ex qua certum quiddam

debetur, competit.l.certi condictio.ff.si cert.petat.Quamuis aũt cogi possit donator, ut soluat promissum, tamen in solidum condemnari non potest, sed quatenus eius facultates ferunt. Benignius enim cum eo agere debemus, qui ex liberalitate conuenitur, ne ex liberalitate sua inops fieri periclitetur. l.& hæred.cum seq.ff.de re iudi. Proinde & in soluendo non potest cogi, ut eandem rem det, quã promisit, sed sufficit prẽstari eius ẽstimationem. l.si quis argent.C.de dona. Porrò sicut donatarij iuuantur aduersus donatores tergiuersantes, ut consequantur ipsis promissa, ita uicissim datur donatoribus potestas reuocandi donata ab ingratis donatarijs, ne ipsorum liberalitas ludibrio ab ipsis impunè habeatur. Quæ uerò sint causæ, propter quas donata reuocentur, indicat l.ult.C.de reuocand.donat.& c.fin.extr.de donat. Atq; sit qui dem donatorum repetitio, uel actione in factum, si ueteri lege ea permittitur fieri: uel condictione ex lege, si noua lex, aut statutum eam concedit: uel condictione sine causa, si causa, propter quam facta est donatio, non præstetur: aut utili rei uendicatione, si non existat conditio, in quam concepta est donatio, iuxta leg.1.C.donat.sub modo. & l.his solis. ℣ actio.& ibi glos. C.de reuo.donat. Ex causis autem, quæ in locis allegatis annotantur, soli donatori,& non eius hæred.datur actio.l.ult. ℣ hoc tamen.C.de reuocan.dona. Neq; dantur hæ actiones in hæredes donatarij, aut extraneum possessorem. l.his solis. ℣ ult.C.de reuo.dona. Verùm reuocãtur donationes nõ solùm propter ingratitudinem donatariorum, sed & si excedunt legitimum donandi modum, ut si quis uni ex liberis, aut extraneo tantum donet, ut cæteri suam legitimam ex eius bonis, ab eo post mortem relictis, non possint consequi, datur illis querela inofficiosæ donationis, qua petitur immodica donatio rescindi,& pronunciari, quòd sit immodica. Quia uerò talis querela est odiosa, non datur ea, donec aliud quoddam auxilium ordinarium illis, qui donatione defuncti læsi uidentur, competit, ut si donatio ipso iure nulla sit, quia possunt donata utili rei uendicatione ex causa successionis repeti, non permittitur defunctum querela inofficiosæ donationis traduci. Neq; enim donatarius titulo traditionis à donatore factæ se tueri potest, quò minus reddat acceptum, si donatio ipso iure nulla sit, iux.l.1.& ibi.Bart.C.de Iure fisci.lib.x. Si uerò donatio non ipso Iure nulla sit, sed inofficiosa, aut immodica tantùm est, tum refert, cui ea facta sit. Nam uni ex liberis facta, quia possunt cæteri cum donatario agere familiæ herciscendæ,& petere, ut cum ipso ita diuidat hæreditatem, ut ipsi propter factam donationem non priuentur sua legitima, non possunt queri de iniquitate donationis.arg.l. si socer.in princ.ff. de dote prælleg. Extraneo autem facta, quia non est cohæres,& tradita illi sunt donata legitima ex causa donationis, non possunt donata ab eo per hæredes defuncti repeti, nisi rescissa donatione per querelam inofficiosæ donationis. Nõ enim potest cum eo rei uendicatione agi, nisi rescissa donatione: quia dominium rei donatæ in eum translatum est per traditionem ex donato. Datur autem querela inofficiosæ donationis omnib.ascendentibus & descendentibus contra donatarium, nisi conuinci ingratitudinis erga defunctum possint. Auth. de immensis donat. ℣ fin. Et nisi quinquennium à morte donantis effluxerit. Nam sicut in reliquis penè omnibus obseruationibus hæc querela similis est querelæ inofficiosi testamenti, ita & in donatione.l.ult. C.de inofficios.donat. Postquàm uerò donatio rescissa est, querela ex reprehensione donationis elanguescit,& repetuntur donata utili rei uendicatione, uel etiam condictione ex l.quia ueteri iure hæc reuocandæ donationis facultas non est prodita. Inofficiosa tamen donata non penitus repetuntur, sed quatenus quis defraudatum se per eum sua legitima ostendere potest.l.liqueat.& l.si totas.C. de inoffic.donat.& l. Titia. ℣ & ibi glos.ff.de leg.ij. Hæc de Actionibus, quæ ex Iure donationis oriuntur in genere, nũc ueniemus ad species donationis.

DE

DE DONATIONIBVS Sponſalitijs. Caput XXI.

SVMMARIVM.

1. Arræ datæ à ſponſis non ſecutis nuptijs repeti poſſunt.
2. Condictio cauſa data, cauſa non ſecuta.
3. Quæ perſona arras amittat.
4. Quando res donatæ repetantur.
5. Oſculum ſi interuenerit, ſponſus non repetit omnia donata.
6. Dos quemadmodum petatur & repetatur.
7. Lex fauore matrimonij in petitione dotis fingit ſtipulationem interueniſſe, quoquo modo ea promiſſa ſit.
8. Vxor dotem repetit cum omnibus fructibus.
9. Aduentitia dos quando & à quibus repetatur.
10. Extranei qui dicantur.
11. Profectitiam dotem quis repetat.
12. Dos proprium mulieris patrimonium eſt.
13. Actio ex ſtipulatu, qua hodie dos repetitur, tranſit in hæredes.
14. Aeſtimatio rerum & precium.
15. Actio ex ſtipulatu pro dote eſt bonæ fidei.
16. Impenſæ dotalium rerum neceſſariæ, utiles, uoluptariæ.
17. Matrimonio propter adulterium ſoluto dos non poteſt repeti.
18. Donata propter nuptias nonnunquam reuertuntur ad donatorem.
19. Dos interdum repetitur conſtante matrimonio.
20. Maritus in quantum facere poteſt, tenetur uxori nomine dotis.
21. Variatur ius per pacta.
22. Pacta dotalia quatenus admittantur.
23. Dotes immodicas reſcindi.
24. Mater ſecundo nubens quantum det marito in dotem.
25. Parapherna inter donationes ſponſalitias numerari.
26. Actione duplici Parapherna repeti, aut depoſiti, aut mandati.
27. Ingratitudo mariti.
28. Nouella Conſtitutio de exactione dotis.
29. Si duæ fœminæ ſimul petant dotem.

1 ARRAE utrinq; à ſponſis datæ & acceptæ, non ſecutis nuptijs, repeti poſſunt, ſed refert, an perſonæ, à quibus datæ ſunt arræ, ſua quadam offenſione detrectent nuptias, an uerò caſus aliquis, uel legitima cauſa interuenerit, quò minus nuptię exiſtere inter eas poſsint. Nam perſona, ſine legitima cauſa detrectans nuptias, ſi exceſsit 25. annum, tenetur ad reddendum arras in duplum, minoris uerò ætatis ſolas arras quas accepit, reddit. Parentes quoq; & Tutores coguntur acceptas nomine pupillorum & liberorum arras reddere in duplo, ſi per eos ſtet,
2 quò minus nuptiæ promiſſæ fiant. Atq; iſtis quidem caſibus repetuntur quidem arræ per perſonam non detrectantem nuptias à detrectante, aut prohibentibus eas condictione cauſa data cauſa non ſecuta, quia non præſtatur id, cuius gratia datæ ſunt arræ, cũ poſsit præſtari. At ſi alter ex ſponſis moriatur, aut emergat cauſa, propter quã aut nõ exiſtere matrimoniũ inter illas perſonas poſsit, aut cõtractũ dirimi neceſſe ſit, ſola arra tanq; ſine cauſa data utrinq;
3 repetit cõdictione ſine cauſa: ea tamẽ perſona, quã nõ latuit tales ſubeſſe cauſas, aut quæ præbuit cauſam, ut nõ exiſteret matrimoniũ, amittit arras. l. arris. & l. mulier. C. de ſponſa. & arris. & ibi gl. circa uerbũ tantũmodo. Donata ex ſponſalitia largitate nõ ſecutis nuptijs, utili rei uendicatione, quia in talibus donationibus ſemper hoc tacitè pactũ eſſe uidetur, ut ſi accipiẽs perſona recuſet nuptias, reſtituat illa, quæ propter nuptias illi donata ſunt. l. ſtipul.

C.de iur.dot. Sed & in hac donatione distinguendum est, an personæ ultrò renuant nuptias, an uerò casu aliquo impediantur. Nam si renuat nuptias, qui dedit, nulla urgente legitima causa, amittit donata.l.cum ueterum.C.de donat.ante nupt.secus si ea persona, quæ donata accepit ex sponsalitia largitate. Nã ab ea repetuntur uel condictione ex l. uel utili rei uendicatione. l. cum ueterum. §.fin.C.de donat.ante nupt. Si uerò casu aliquo utrinq; prohi- 4
beantur, quò minus inter eas nuptiæ existere possint, repetuntur res donatę condictione sine causa, quia in eam causam uenerunt nuptię, ut propter illas promitti nihil potuerit.l.fin.ff.de condict.sine causa. Additur tamen huic regulæ hæc limitatio per l.si ã sponso.C.de donat.ante nupt. ut si osculum inter 5
uenerit, sponsus non repetat omnia donata, sed dimidiam tantùm eorum partem. Cæterùm ea quæ diximus de repetendis donatis propter nuptias, per condictionem causa data causa non secuta, si nuptiæ non sequantur, eadem accipienda sunt de donationibus conditionalibus, siue sub modo, siue sub conditione, aut in tempus conceptæ fuerint. l.1. C.de donat.quæ sub modo &c. Nam non existente conditione, in quam conceptæ sunt, licet res donatas repetere, aut per conditionem ex obligatione pacti, uel utili rei uendicatione, ex causa prioris dominij.

Porrò dotem promissam, & uenditam consistente iam matrimonio petit 6
maritus ab illis, qui eam ipsi promiserunt. Vxor uerò repetit dotem à marito soluto iam matrimonio ex legitima aliqua diuortij faciendi causa, uel uiro mortuo ab eius hæredibus. Concessa est autem talis petitio atq; repetitio do- 7
tis non Iure donationis, sed fauore matrimonij: ut enim maritus perferre matrimonij onera commodius possit, & uxores sua facilitate sibi ipsis egestatem non accersant, magna benignitate Iuris permissum est primùm, ut maritus petat dotem, etiamsi ea promissa sit nuda pollicitatione. Ac petit quidem maritus dotem sibi tradi Actione ex stipulatu. Lex enim fingit stipulationem interuenisse, quoquo modo ea promissa est.l.unica. §.rei uxoriæ, & sequentib. duab. C.de rei uxor.act. Imò si res in dotem promissa euincitur, potest maritus cum eo, qui constituit se daturum dotem, agere, ut satisfaciat illi.l.1.& ibi Gloss.& DD. C.de Iur.dot. Deinde si culpa mariti matrimonium dissoluatur utrisque coniugibus uiuentibus, uxor repetit à marito dotem, illi ab ipsa, uel eius parentibus, uel extraneis datã cum omnibus fructibus, quos ex illis percepit post factum diuortium.l.unica. §.fructibus. C.de rei uxor.act. Mortua uerò uxore uidendum est, an dos sit aduentitia, uel profectitia, & an maritus ex ea susceperit liberos superstites, an non. Nam aduentitiam dotem repe 9
tit ab extraneis, qui eam dedit, siue extent liberi, siue nõ, si pactus est sibi eam reddi soluto matrimonio. Si uerò nihil tale pactus est, repetunt eam liberi, uel illis non existentibus, mortuæ fœminæ hæredes. Donasse enim censetur extraneus, cũ de restitutione dotis nihil est pactus. l.unica. §. accedit. C.de rei uxor.actio. Dicuntur aũt extranei omnes illi, in quorum potestate defuncta 10
non fuit.l.auia.C.de Iur.dot. Profectitiam uerò dotem repetit is, in cuius po- 11
testate defuncta fuit, non relictis ab ea liberis. Neq; uerò opus est, ut talis persona de restitutione dotis paciscatur, quia ipso Iure talibus personis repetitio dotis competit. l.ij. ff. soluto matri. Si tamen in continenti, antequam traderetur dos, stipulatus est pater eam sibi reddi, potest eam mortua filia etiam ex tantibus ex ea liberis repetere à superstite eius coniuge. l. quoties. ff. soluto matri. Vbi uerò id à patre factum non est, dos profectitia debetur liberis ex defuncta superstitibus, tanquam legitimis eius hæredib. Est enim dos pro- 12
prium mulieris patrimoniũ.l.denique.ff.de minorib. Itaq; liberi, matri in dotẽ succedentes, possunt eã à patre suo repetere, nam actio ex stipulatu, quaho- 13
die repetũtur dotes, trãsitoria est in hęred.l.unica. §.maneat. C.de rei ux.act. Si uerò id ipsis uideatur consultũ, potest dos etiam relinqui apud ipsorũ pa-

rentem

14 rentẽ tanꝯ legitimũ administratorẽ. l. 1. C. de bonis maternis. Refert quoꝯ in repetitione dotis, an res cũ æstimatione earũ sint datæ in dotẽ uel non. Solum enim precium rerũ, quo æstimatæ sunt, repetitur, si ex æstimatione datæ sunt. l. quoties. C. de Iur. dot. Absꝯ æstimatione uerò datæ repetuntur cum fructibus, atꝯ etiam usura à tempore moræ: quia hæc Actio, legis autoritate, inter
15 bonæ fidei Actiones numeratur. Quamuis alioqui Actiones ex stipulatione sint stricti Iuris. l. unica. §. exactio. & §. fructibus. §. cũm autem. C. de rei uxo.
16 act. Impensæ tamen in dotem à marito factæ, non possunt ab eo detrahi rebus dotalibus, nisi necessariæ fuerint. l. quod dicitur. ff. de impens. in reb. dotal. fact. Vtiles uerò repetuntur Actione negotiorum gestorum, cũm uxore non iubente à marito factæ sunt, nam si iussu eius factæ sunt, repetũtur Actione mandati. l. uoluptariæ, & ibi glossa. ff. eod. titulo. Voluptariæ uerò exiguntur, quatenus mulier nõ uult pati, ut per maritum tollantur, cũm separari sine incommodo dotis ab ea possint. l. pro uoluptuarijs. ff. de impens. in rebus dotalib. fact. Atꝯ ita quidem repetuntur res dotales, si morte, uel culpa uiri ma-
17 trimonium dissoluitur. Secus fit, cũm propter fornicationem mulieris matrimonium dirimitur. Nam isto casu mulier dotem amittit. c. plerunꝯ. extr. de donatione inter uirum & uxorem, & in Authenticis Vt liceat matri & auiæ. §. si de adult. Eodem casu & uir amittit donata propter nuptias, secundum
18 Panor. circa c. iam allegatum. Extra istum autem casum donata propter nuptias, reuertuntur ad donatorem soluto matrimonio, sicut dos ad dotantem. l. 2. & ibi Baldus. C. de bonis quæ liberis. Nisi fortẽ res in dotem datæ à marito fuerint dissipatæ, aut eius culpa ita attenuatæ, ut in minore sint precio, quàm fuerunt, cũm darentur. Nam tum ipso Iure dominium talium rerum mulieri cedit, donec dos illi soluatur, quia donata propter nuptias immediatè sunt obligata uxoribus in subsidium dotis, si eam aliunde recuperare soluto matrimonio non queant. Authent. siue à me. C. ad Velleia. Fit autem repetitio do-
19 tis non solũm soluto matrimonio, sed nonnunquam etiam constante adhuc matrimonio, ut si maritus uergat ad inopiam, ita ut metuendum sit, ne si dos in tempore non repetatur, postea maritus non sit soluendo. l. si constante. ff. sol. matri. & l. ubi. C. de Iur. dotium. Sed sunt casus, in quibus sola pietas ab eo requirit, ut eam reddat uxori durante matrimonio, uidelicet, si patrem relegatum ea alere cupiat, & in similibus casibus, qui notantur in l. mutus. §. monente. ff. de Iur. doti. solut. matri. l. quamuis. & sequent. In talibus uerò casibus in arbitrio mariti est, uelit nec ne dotem uxori constante matrimonio restituere, licet ualeat restitutio dotis in tales casus facta. Præter istos autem casus, qui annotantur in allegatis legibus, adeò non ualet restitutio dotis consistente matrimonio facta, ut etiam repetere restituta maritus possit. iuxta tot. tit. C. Si dos consta. matri. solu. fu. Et ratio in promptu est, quia restitutio dotis sine legitima causa facta, censetur esse donatio, quæ inter uirum & uxo-
20 rem non ualet. Quamuis autem hæc omnia, quæ hactenus de restitutione dotis dicta sunt, fauore nubentium accuratè obseruentur, tamen & maritus in reddenda dote iuuatur, ut si absꝯ dolo suo, uel culpa minus sit soluendo, non in solidum, sed in id, quod sine suo magno incommodo facere possit, condemnetur, præstita cautione, ut si aspiret benignior illi fortuna, reliquum redditurus sit. l. un. §. in hac parte. C. de rei uxor. act. Neque pactum contra hanc benignitatem Iuris factum ualet, quia contra receptam reuerentiam esse uidetur, maritum propter seueram exactionem dotis egere. l. alia, §. ele-
21 ganter. ff. solu. matri. Variatur autem alioqui Ius restituendæ dotis per pacta, antè uel post contractum matrimonium, uel etiam soluto eo multis mo-
22 dis per pacta inter promittentes dotem & maritum inita, sed eatenus pacta dotalia admittuntur, ut ex illis agamus, quatenus conditio mulieris in repetenda dote per ea non facta est deterior, & quatenus non resipiant donationem,

qualis

qualis inter coniuges fieri prohibetur. Iuxta tot.tit.ff.&.C.de pact.dotali.

Postremò obseruatur in dotibus,quod generaliter in omnibus donationibus,ut si sint immodicæ, per querelam inofficiosæ dotis rescindantur, iuxta tot.tit.C. de inoffi. dotib. Licet quidam contendant hanc querelam hodie non habere locum,quia per l.hac edictali.C.de secund.nupt.prospectum sit liberis, ne fraudentur inofficiosis dotibus matrum. Sed Bart. circa tit. C.de inofficios.doti.dicit diuersa esse auxilia, quæ dentur in l.hac edictali.& in C. de inoffic.dot. Nam l.hac edictali prospicitur liberis primi matrimonij,ut mater secundo nubens,non plus det marito in dotem, quàm uni ex liberis relinquat. Querela uerò inofficiosæ dotis agitur pro legitima; qua defraudati uidentur uel descendentes uel ascendentes per dotationem mulieris primo uel secundo nubentis. Itaq; ista auxilia inuicem se non impediunt, sed casu rerum exigente utrunq; locũ habet. Restat ut de παραφερνοις quoq; dicamus. Nam & illa inter donationes sponsalitias numerantur. Est autem indubitati iuris, quòd hac actione uel priuilegio iuris nec peti, nec repeti possunt. Neq; enim παράφερνα maritus sibi usurpare potest uxore inuita, sicut utitur rebus dotalibus. Quamuis igitur ea marito tradita uideantur, cùm in domum eius inferuntur,tamen nisi cõstet,licita inter coniuges donatione dominium eorum esse in maritum translatum, soluto matrimonio per mortem uxoris ab hæredibus eius condicuntur, sicut illa repetitura fuisset, si superstes mansisset,uidelicet actione depositi,si mariti custodiæ tradita sunt:aut mãdati,si eius curæ commendatæ ab eius uxore fuerunt. l. si ego Seiæ. §. Cæterum. ff.de Iur.dot. Si uerò matrimonium dissoluatur superstite utroq; coniuge, tacitè uidetur reuocari donatio paraphernorum per factum diuortium.l. cum hic status. §. si diuortium.ff.de dona.inter uir.& uxor.aut reuocat eam expressè, ubi interuenit ingratitudo mariti, sicut suprà donatiões reuocari ostẽdimus.

23 24 25 26 27

SEQVVNTVR TIT. HVC PECVliariter pertinentes.

ff.

Soluto matrimonio quemad.dos petatur.
De impensis in rebus dotalibus factis.

Cod. libro. 5.

De rei uxoriæ actione in ex stipulatu actionem transfusa,& de natura dotibus præstita.
Soluto matrimonio quemad.dos petatur.
Si dos constante matrimonio soluta fuerit.

Et est in nouellis cõstitutio quædam, quæ huc meritò refertur,& extat sub titulo, Vt exactione instante dotis primę & secũdæ uiro ad secunda uota &c. Sed in ea non tractatur de actionib.de quib.in hoc capite egimus. Nam hoc potissimùm in ea constituitur, ut si duæ fœminæ simul petant dotem,altera ratione prioris, altera posterioris matrimonij,tum si res in dotem ab utraque extent, utranq; esse simul audiendam: sin minus,prioris matrimonij uxorem præferendam esse alteri.

28 29

EX DONATIONE INTER CONiuges, inter parentes,& liberos,& causa mortis facta. Cap. XXII.

SVMMARIVM.

1. Donationes promissę quib.modis petantur,ac reuocentur.
2. Donatio mortis causa censetur conditionalis.

NON uariant hæ donationes iure agendi à generali omnium donationum Iure,nam in ijs casibus,in quibus concessum est fieri donationem inter coniuges, inter parentes & liberos,si non præstentur promissa, possunt eodem peti modo, quo petuntur alioqui 1

alioqui animo donandi promissa, iuxta l. si quis argentum. C. de donat. Reuocantur quoq; eodem modo. l. cum hic status. §. pœnitentiam. ff. de donat. inter uir. & ux. nisi quòd reuocatur etiam donatio inter coniuges, si donator res alienet. l. si marítus. C. de donat. inter uir. & uxo. Ea quoq; donatio, quæ mortis causa facta est, nihil habet in agendo peculiaris, nisi quòd regulariter censetur conditionalis, itaq; si ante mortẽ donatoris res promissa in possessionem donatarij uenerit, potest ea etiam rei uendicatione repeti. l. si mortis causa. ff. de mor. causa donat.

EX IVRE SVCCESSIONIS à Testato, & intestato.

Caput XXIII.

SVMMARIVM.

1. De petitione hæreditatis.
2. Hæreditatis petitio cui & quando detur.
3. Deliberatio eius, qui petere hæreditatem uelit.
4. Ex altero successionis iure agens ad alterum non admittitur succumbens.
5. Directa & utilis petitio hæreditatis.
6. Quæ res ueniant in petitionem hæreditatis.
7. Actio uniuersalis est petitio hæreditatis.
8. Item mixta & bonæ fidei.
9. Per officium iudicis fit restitutio accessionum in realibus.
10. Prærogatiua possessoris bonæ fidei.
11. Petitio hæreditatis intra xxx. annos non præscribitur.
12. Hæreditate non adita, non competit hæc actio.
13. Tempus deliberandi de adeunda hæreditate liberis & parentibus tantùm annuum datur spacium, & reliquis centum dierum.
14. Per aditionem hæres fit dominus omnium rerum.
15. Maiores quid uoluerint speciali petitione hæreditatis nos consequi.
16. Hæreditas uniuersitatem iuris significat.
17. Contra testamentum hæreditatem petere non permittitur, nisi antè per quæ-
18. Querela inofficiosi est subsidiarium auxilium. (relam sit rescissum.
19. Quibus detur querela inofficiosi testamenti.
20. Querela inofficiosi extinguitur quinquennio.
21. Plures petentes mitti in possessionem rerum hæreditariarũ, uter præferatur.
22. In continenti probationibus declarare ius rumpendi testamenti.
23. Res hæreditarias præscribi à possessorib. earum, sicut cæteræ, quas bono cum
24. Interdictum quorum bonorum. (titulo tenemus.
25. Actio familiæ herciscundæ, quando competat.
26. Quæ res diuidantur inter Cohæredes.
27. Commoda pariter, & incommoda rerum hæreditariarum, item, Sumptus in rem hæreditariam facti diuiduntur.
28. Vni liberorum plus quàm alteri legare licet.
29. Quæ res non possint diuidi in hæreditate.
30. Nomina & actiones non diuiduntur.
31. Officium iudicis in hac actione nihil indiuisum relinquat.
32. Cautio de damno præstando rei euictæ.
33. Aestimatio uniuersarum rerum fieri debet.
34. Diuisio hæreditatis semel facta non potest reuocari.
35. De collatione rerum.

VOCATVS ad successionẽ per legitimam institutionem, aut iure agnationis, uel cognationis, petit res hæreditarias directa hæreditatis petitione, iure ciuili prodita. Competit hæc actio tam illi, qui est hæres institutus, quàm illi, cui ab intestato ratione pro-

propinquitatis hæreditas defertur.l.1.2.& 3.ff.de petit.hæred.Itaq; deliberandum quoq; est illi, qui hac actione experiri uelit,an iure institutionis,uel legitimæ successionis, existimet sibi defuncti hereditatem deberi.Nam hoc illi omnino,antequàm agat, constituendum est, quia ex altero successionis iure agens,ad alterum non admittitur succumbens,nisi ex liberis,uel agnatis,uel cognatis in 4.grad.sit.l.ult.C.de codicill.Conuenitur autem hac actione is, qui res defuncti,cuius nos heredes esse contẽdimus,tenet absq; titulo,ut possessor,aut hæres,cùm non sit.l.regulariter.cum duab. seq.& l.nec ullam.ff.de petit.hæred. Nam cũ eo,qui ex titulo possidet rem hæreditariam,non potest directè agi, sed utiliter saltem in certis casib.l.etiam. §.si quis sciens.ff.de pet. hæred.Et est huius iuris ratio,quia ille, qui petitione hæreditatis agit,non dicit rem esse suam,sed contendit,eam esse hereditariam.Itaq; cùm non agat ex causa dominij,non potest contendere cũ eo, qui rem aliquo titulo tenet,neq; enim dicere potest,rem esse suam,ac proinde non potuisse prætextu alicuius tituli, eam sine eius autoritate alienari. Petuntur autem uniuersali appellatione hæreditatis non solùm res,quas defunctus habuit ut proprias, uerumetiam quarum periculum ad illum spectauit, ut sunt res depositæ apud eum, uel pignori,uel cõmodato illi datæ,quia talium periculum etiam ad heredem spectat. Itẽ petuntur res nõ solùm, quas in sua possessione habuit defunctus, sed & pro quibus illi competebat actio.Nam & Ius agendi,res hæreditaria habetur.Ac tales quidem res,pro quibus competebat defuncto actio,si restitui possunt, petuntur actione hæreditatis: sin minus,petuntur illa ipsa actione, quam defunctus ad eas habuit.l. & non tantum. ff. de petit.hæred.Quamuis aũt hæc actio sit uniuersalis,tamen ea intẽditur etiam illi,qui minimã aliquam partem rerum hæreditariarum possidet.Imò restituuntur hæreditatis nomine petita,etiamsi quis demũ ea possidere cœperit,postquam mota est controuersia. l.i iij.ff.de petit.hæred.Ius em̃ huius actionis nõ ex eo metimur, quòd possessor occupauit,sed ex uniuersitate hæreditatis.Itaq; hæreditatis nomine agentes totam,aut partem eius,& quæcunq; ad eã pertinent,petimus,& consequimur,l.1.in prin.ff.si pars hæred.peta.Itaq; in hac actione petũtur etiam ea,quæ possessor, cum quo agimus,ã debitorib. hæreditarijs exegit nomine suo.Habet enim hæc actio quasdam præstationes personales,etsi in rem scripta sit.l.sed etsi. §.petitio.ff.de pet.hæred. Hinc est, quòd & damnũ in rebus hæreditarijs ã possessore datũ,in hac actione sarciri petatur.l.si à domino. §.si possessor.ff.de petit.hered.Item cogitur aduersarius etiam ad precia deperditorum & diminutorum ex hæreditate.l. si possessor,& l.deperdit. ff. de petit. hæred.Est igitur hec actio mixta, quia & in rem & in personam agimus.l.hereditatis.C.de petit.hered.Est quoq; bonę fidei,quare etiam fructus rerũ hæreditariarum cum omnibus accessionibus in eam ueniunt,& petuntur in illa ipsa actione, quia est uniuersalis,cùm alioqui in realibus actionibus restitutio accessionũ fiat per officium iudicis.l.item ueniunt. §.fructus.& l. sed etsi. §. ult.In hac tamen restitutione possessor bonæ fidei, hoc est,ille,qui probabilem habet erroris sui causam,propter quam existimauit hereditatẽ ad se pertinere,hãc habet prærogatiuã,ut quatenus locupletior ex ea factus esse ante litis contestationem uideatur, eatenus accepta restituat. l. sed & si. §. scire.& §.consul.ff.de petit.hæred.Quia uerò statim aliquis fit malæ fidei possessor, cũ scit rem ã se peti:post litem contestatam,pariter omnes possessores ad restitutionem rerũ,& accessionem obligantur.l. sed & si. §.sed ante.ff.de petit.hered.Integrum quoq; nobis est,hac actione experiri intra spacium 30.annor.l. hæreditatis. C.de petit.hæred.Neq; enim breuiore tempore præscribere aduersus hanc actionem quis potest,quia per eam agitur cum eo, qui absq; titulo res hereditarias tenet.Sed hoc spacio temporis durat post aditam heredita tem,nisi enim agnita sit hereditas,hec actio non cõpetit,nam hereditate non

adita

ædita incertum est, an quis hæres esse uelit. Proinde potest quis sua cessatione in agnoscenda hæreditate hac actione excidere, ita ut ad eam peruenire non
13 possit multò breuiori tempore, quàm 30. annis. Nam deliberandi de adeunda hæreditate liberis & parentibus tantùm annuum datur spacium, & reliquis centum dierum, quibus temporibus elapsis ius succedendi ad eos, qui in proximo sunt gradu successionis, deuoluitur hæreditas, iuxta ea quæ annotauimus suprà de delationibus accessionum, & Iure accrescendi. Non igitur dubium est, durationem huius actionis referendam esse in tempus iam aditæ hæreditatis, quia tum demum ea incipit competere. Mirari uerò quis possit, quòd cùm hæc actio ante aditam hæreditatem non existat, & ex l. cùm hæ-
14 redes. ff. de acquirend. poss. constat, quòd per aditionem hæres fiat dominus omnium rerum, quas defunctus in dominio suo habuit, cur non contenti rei
15 uendicatione, speciali petitione res hæreditarias maiores nos consequi uoluerint. Si responderi potest, sapientissimos homines non ideo separasse has actiones, quòd res hæreditariæ uendicari ex causa dominij, ex successione per aditionem hæreditatis acquisiti, non possit. Certum est enim, res singulares & corporales per successionem acquisitas posse uendicari. l. licet. ff. de
16 petit. hæred. uerùm quia hæreditas quandam uniuersitatem Iuris significat, & in se non solùm corporales, sed & incorporales res complectitur, rectè ac sapienter proditam esse hanc actionem, qua pro uniuerso iure, quod defunctus habuit, simul consequendo, experiremur cum omnibus & singulis debitoribus defuncti, non ut ex iure nostro, sed eius, cui successimus. l. quod si in diem. §. non solum. ff. de petit. hæred. Porrò sicut petitio hæreditatis non competit, nisi ei, qui legitimè institutus, aut per successionem ab intestato
17 uocatus hæreditatem adiuit, ita contra testamentum hæreditatem debitam petiturus, iure ciuili non admittitur, nisi querela inofficiosi testamenti antea rescissum sit testamentum, neq; enim cum instituto hærede luctari de legitima successione, ad quam ab intestato uocamur, possimus, nisi ostendamus institutionem esse in præiudicium nostri iuris factam: sed quia odiosum est, defunctorum uoluntates reprehendere, nemo ad hanc querelam admittitur, donec illi alia competit actio. §. tam autem. Instit. de inoffi. testa. Itaq; si testamentum ipso iure fit nullum, aut reuocatione testatoris, uel casu rumpatur, aut recusatione adeundæ hæreditatis fiat irritum, quia legitimus hæres, ac si nullum conditum esset testamentum, hæreditatem petere actionibus, quæ dantur illis, qui ab intestato alicui succedere cupiunt, potest, non permittitur illi, ut queratur testamentum inofficiosè factum esse. Est igitur querela
18 inofficiosi testamenti, subsidiarium quoddam auxilium, quo præparamus nobis aditum ad petendam hæreditatem, cùm testamento ritè condito iniquè excluſi successione ab intestato uidemur. Neq; uerò ad hanc querelam pariter omnes admittuntur, qui ab intestato legitima successione ad hæreditatem
19 aspirare possunt, sed descendentibus & ascendentibus utriusq; sexus tantùm ea datur. l. 1. ff. de inofti. test. Atq; his quidem, cùm ex nulla legitima causa sunt exhæredati, aut à matre præteriti. Nam matris præteritio pro exhæredatione habetur. Instit. de exhæred. §. ult. Existentibus autem in transuersali linea, nulli datur hæc querela, præterquam fratri & consanguineo tantùm, aut consanguineo, & uterino simul, si infamis persona est instituta. l. fratres. C. de inofti. testa. Proponitur autem hæc querela contra hæredes institutos post quàm adierunt hæreditatem, & fidei commissarios uniuersitatis, postquàm illis restituta est hæreditas, & conueniuntur tanquam possessores, uel etiam ut hæredes. l. 1. & l. si hæred. & l. si marítus. C. de inoff. testa. Neq; enim hac querela testamentum penitus rescinditur, sed pro ea tantùm parte infirmatur, quæ exhæredato debetur iure successionis ab intestato. l. mater. ff. de inoffic. testa. Rescisso igitur testamento querela inofficiosi testamenti, exhæredatus

Suprà ca. 62. partis 2.

petit legitimam sibi dari petitione hæreditatis, unde est, quòd in eodem libello querelæ subijci petitio hæreditatis possit. leg. qui de inofficioso, & ibi gloss. ff. de inoffici. testa. Refert tamen in petenda legitima portione, an iniquè exhæredato aliquid in testamento iure institutionis relictum sit nec ne. Nam si quid illi iure institutionis relictum est, agit ad supplementum con dictione ex l. iuxta l. omni modo. atq; ibi gloss. C. de inoffic. testa. Transmittitur autem querendi de exhæredatione aduersus testamentum ius, ad hæredes iure nouissimo, etiamsi non sit præparata per comminationem uel denunciationem, uel libelli oblationem. l. scimus. §. ult. C. de inofficios. testam. Non tamen instituendę eius facultas diutius manet integra, quàm quinquen 20
nio ab adita hæreditate. l. penult. §. ult. C. de inoffici. testa. Cæterũ actionib. de quibus hactenus diximus, certatur de proprietate rerum hæreditariarũ, ut constare possit cui præcipuè debeantur. Nam cũm diuersis iuribus hæreditates nobis deferantur, fieri facilè potest, ut & is, à quo rem hæreditariam petimus nobis restitui, eam aliquo iure successionis sibi deberi contendat. Ac incidere quidem hæc contentio etiam antequam res hęreditariæ in cuiusquam possessionem uenerunt, potest: non abs re igitur quæritur, uter inter conten 21
dentes de proprietate hæreditatis prius in possessionem rerum hæreditariarum mitti debeat, si uterq; ex illis id fieri petat. In hunc igitur casum, quo de consequenda possessione rerũ hæreditariarũ certatur, prodítæ sunt constitutiones Imperatorum C. de Edict. diui Adrian. tollendo, quæ iubent, hæredem scriptum præferri reliquis, qui testamentum impugnant, & iure successionis ab intestato se mitti in possessionem rerum hæreditariarum postulant, nisi in continenti manifestis probationibus declaretur Ius rumpendi testamenti 22
posse. Vbi enim quis euidentes habet probationes, quòd testamentum sit irritum, aut inofficiosum, ibi sicut in alijs summarijs cognitionibus eius exceptio statim admittitur, & scriptus hæres repellitur. argu. l. 3. §. ibidem. ff. ad exhibend. & de Carbo. Edict. l. iij. §. causæ cognitio. Vbi uerò exceptio contra testamentum producta non est euidens, & nullum in instrumento testamenti cernitur uitium, hęres scriptus in possessionem rerum hæreditariarum mittitur, & exceptiones oppositæ in processu principalis causæ excutiuntur, iuxta iam allegatas ll. Petit autem scriptus hæres se mitti in possessionem l. ultim. C. de Edict. diui Adrian. toll. Atq; potest quidem hanc proponere statim, post quàm agnouit hæreditatem, siue sit, siue non sit, qui contra testamentum pugnat, finita tamen quæstione proprietatis ad hanc non admittitur, si res præscriptæ fuerint. Nam postquàm constat ad quem pertineat hæreditas, res hæ 23
reditariæ præscribuntur à possessoribus earum, sicut cæteræ, quas bono cum titulo tenemus. Antequam uerò de proprietate non constat, potest missio in possessionem à scripto hærede peti intra spacium 30. annorum, quia sine iusto titulo possessores occupasse res hæreditarias censentur, nisi ostendant eas non fuisse testatoris, cũm moreretur, sed illas eum ipsis uendicasse aut donasse, aut alia aliqua iusta ex causa ad eos peruenisse. l. ult. C. de Edict. diui Adri. tollend. Atq; hæc quidem omnia, quæ de petenda possessione iam diximus, de solo scripto hærede accipienda sunt. Nam si quis ab intestato ad hæreditatem uocatus, uel nuncupatiuè testamento sit institutus, ille iuxta constitutiones iuris ciuilis in possessionem rerum hæreditariarum non potest petere se mitti, antequàm declaratus sit sententia iudicis hæres, quia in istum casum nullum est proditum auxilium à iure ciuili. Itaq; tanquam de alieno lumine candelam accendentes, coguntur à iure prætorio subsidium petere, & inter 24
dicto, quorum bonorum, ad adipiscendam hæreditariarum rerum possessionem agere, iuxta gloss. epigraphes. C. quorum bonorum. Sed de hoc interdicto paulò pòst, ubi indicabimus, quæ actiones nobis dentur ex successione iuxta Ius prætorium hæreditatem petentes.

Restat

25 Restat autem propetenda hæreditate ex iure ciuili alia etiam actio, quæ à diuisione hæreditariarum rerum, quam inter cohæredes petit fieri, ueteri consuetudine loquendi uocatur familiæ herciscundæ, sed hæc tum demum competit, cũm de proprietate rerum hæreditariarum non ambigitur. Nam hac actione cum possessore agimus, non ut possessore, sed ut cohærede. Itaq; necesse est constare, cui debeatur hæreditas, antequam hanc actionem alicui intendamus. Vnde est quoque, quòd si neget is se esse cohæredem, contra quem experiri hac actione cupimus, ut non admittamur, sed necesse sit petitione hæreditatis prius cum eo agere ad ostendendum, quòd iure hæreditatis res, quas petimus, sint nobis debitæ. Immo licet nobis hanc actionem intendere cohæredibus, etiam cũm ipsi res hæreditarias, aut aliquam partem earum possidemus. Neq; hoc casu repellimur ab agendo, etiamsi illi, quos conuenimus, negent nos ipsorum esse cohæredes. l. 1. ff. famil. herciſc. Deinde ut competat hæc actio directa, necesse est, nos esse hæredes à testato, uel intestato ex aliqua lege ciuili. l. ij. ff. familiæ herciscundæ. Nam qui ex iure prætorio ad successionem uocati sunt, illis datur tantũm utilis familiæ
26 herciscundæ actio, sicut infrà dicemus. Porrò diuiduntur inter cohæredes non solũm res, quæ in defuncti patrimonio fuerunt, sed & alienæ, quas bona fide possedit defunctus, aut in aliqua obligatione habuit. l. item prædia. ff. familiæ herciscundæ. Nam & hoc iudicium uniuersale est, sicut petitio hæreditatis. l. sed etsi. §. ulti. ff. de petit. hæredit. Itaque quamuis & hæc actio in rem sit, tamen & præstationes personales in eam ueniunt. l. item Labeo. §. ult. ff. famil. herciscund. Quapropter & hæc actio inter mixtas numeratur. §.
27 quædam. Instit. de actionib. Nam hac actione postulantur diuidi etiam sumptus, quos quisque ex cohæredibus bona fide in rem hæreditariam fecit, & fructus, quos ex ea aliquis hæredum percepit, quia commoda pariter & incommoda rerum hæreditariarum hac actione inter cohæredes communicantur & diuiduntur. l. his consequenter. §. sumptuum. & l. item ex diuerso. ff. famil. herciscundę. Hæc tamen regulariter ita obseruantur, si defuncti testamento, aut aliqua alia ultima uoluntate inter cohæredes res hęreditarię non fuerint diuisę. Nam tum non admittitur alia rerum hęreditariarum diuisio, quia ea, quę à defuncto facta est, supremi iudicij esse censetur. l. si filia. §. si pater. ff. famil. herciscundę. Proinde etiamsi defunctus aliquem ex hęredibus suis onerauit, aut minus quàm alteri in diuisione assignauit, non potest
28 alia diuisio hac actione peti. Nam licitum est, & inter liberos uni plus legare quàm alteri, quatenus nemo priuatur sua legitima, iuxta ea quę suprà de te-
29 stamentis & legatis diximus. Præterea ut res inter cohęredes diuidantur, necesse est, eas posse diuidi. Nam indiuidua, ut sunt seruitutes prædiales, per se non possunt peti ut diuidantur, adeò, ut si promissa sit seruitus à defuncto, omnes hæredes insolidum teneantur, nec possit uni in præiudicium eius, cui promissa est seruitus, præstatio seruitutis promissę in diuisione hęreditatis in-
30 iungi. l. hęredes. §. an ea. ff. famil. herciscund. Nomina quoq;, siue actiones hęreditarię prohibentur diuidi inter hæredes. l. ea quę. & ibi glos. C. famil. herciscund. Quia tamen necesse est, res hęreditarias alicui ex hęredibus adiudicari, cũm cupiunt eas diuidi, ut sit aliquis, qui pro illis respondeat, & conueniatur, ac si ad eum solum pertineat, quamuis id reliquorum periculo fiat, iu-
31 dicis in hac actione officium est, ut nihil indiuisum relinquat, sed id quod aut omnino non, aut non commodè potest diuidi, alicui ex hęredibus adiudicet, quem reliquis cohęredibus in id condemnet, quod illis pro hęreditaria por-
32 tione ex hęreditate debetur, accepta prius ab illis cautione, quòd ipsi præstituri sint damnum, si res illi adiudicata euincatur. l. hęredes. §. Iudex. & l. ante
33 penult. ff. famil. herciscun. & §. si familię. Instit. de off. iud. In ipsa quoq; diuisione rerum hęreditariarum iudex non singulas partes, sed uniuersas æstima-

re simul debet. l. Meuius. §. ult. ff. famil. herciscund. Nam hęc actio natura & effectu uniuersalis est, ita ut pro una re diuidenda proponi non possit. Etenim hereditatem, non singulas res, quę nobis ex hereditate obuenerunt, hac actione diuidi petimus, quare hoc etiam in hac actione speciale est, ut diuisio 34
hereditatis semel à Iudice inter heredes facta non possit reuocari, neq; hęc actio denuo possit intentari. l. ultim. ff. famil. herciscund. Est autem hęc actio ciuilis duplex, bonę fidei, & perpetua. Ceterũm quia in diuisione hereditatis agi quoq; solet de collatione rerum, quas quisq; ex bonis defuncti accepit, 35
antequam moreretur, locus hic erat dicendi, quas res & cum quibus conferre cogamur. Verũm quia Ius conferendi accepta, primũm à prętore proditum est, & hodie tam illis, qui ex iure ciuili, quàm illis, qui ex iure prætorio ad successionem admissi sunt, commune est, prius exponemus actiones, quibus illi, qui ad successionem iure prætorio uocati sunt, Ius suum prosequi possunt. Atq; nunc quidem subijciemus titulos, quib. traduntur actiones pro hereditatibus competentes iure ciuili, statim subiunctũri actiones, quas in eundem usum prodidit prętor.

ff.

De petitione hereditatis. De inofficioso testamento.
Familię herciscundę.

Cod.

De petitione hæreditatis. De inofficioso testamento.
De edicto diui Adriani toll. & quemadmodum scriptus hæres in possef-
Familiæ herciscundæ. (sionem mittatur.

EX IVRE SVCCESSIONIS A testato uel intestato, iuxta ius prætorium. Cap. XXIIII.

SVMMARIVM.

1. De prætorio iure in petitione hæreditatis.
2. Differentia iuris Ciuilis & Prætorij.
3. Bonorum possessio quid. 4. Interpellationum iudicis duo genera.
5. Carboniana bonorum possessio quid sit.
6. Mulier grauida ex defuncto petit hæred. possessionem.
7. Fœminæ pariter cum masculis in pari gradu succedunt.
8. Ambages iuris prætorij cautè cauendas.
9. Bonorum possessiones ordine recensentur & explicantur.
10. Bonorum possessio secundum tabulas quæ.
11. Decem casus eiusdem. 12. Bono. poss. contra tabulas quibus detur.
13. Bonorum poss. unde liberi, ad quid prodita.
14. Differentia succedendi inter agnatos, & cognatos hodie est sublata.
15. Vxor cum liberis quomodo ad successionem ueniat.
16. Bonorum poss. ordinaria & extraordinaria.
17. Bonorum possessiones quomodo hodie impetrentur.
18. Bonorum possessor quis dicatur.
19. Tempus impetrandæ bon. possess. constitutum.
20. Impubes & Venter in poss. mittuntur.

SICVT nemo petere potest hæreditatem Iure ciuili, nisi adiuerit, & agnouerit hæreditatem sibi delatam iure institutionis, aut iure successionis ab intestato: ita nemo iure prætorio possessoria hæreditatis petitione agere, & res hæreditarias uendicare potest, nisi iudicis cognitione declaratus sit bonorum possessor. Et agnitus pro eo, qui ad petendam hæreditatem aut institutus, aut immeritò 1
præteritus

prætéritus, uel ut unus ex líberis agnatis, uel cognatis defuncti iure prætorio admittatur. Nam qui iure prætorio res hæreditarias uendicare cupit, illi non sufficit solo animo, aut suo tantũm facto agnoscere hæreditatem, sed necesse est, eum adire iudicem, & petere, ut se aliquo gradu successionis, iure prætorio constituere admittendum pronunciet: neq; enim prætor quenquam unquam constituit hæredem, sed facultatem petendæ hęreditatis se daturum promisit, si qui contra æquitatem neglecti, aut successione prorsus excluſi ā iure ciuili uiderentur.

Proinde proposuit quædam edicta, quibus iuxta gradus successionum tam à testato quàm intestato pollicetur suam operam. Ac placuit quidem maioríbus, ut puto, propter differentiam iuris ciuilis & prætorij, ut is, qui iure prætorio agnitus esset, non hæres, sed bonorum possessor uocaretur. Quare interpellationes iudicis, quibus petimus decerni nos successores defunctorum iure prætorio, dictæ quoq; sunt bonorum possessiones. Neq; uerò bonorum possessiones habendæ sunt pro actionibus, quibus res hæreditarias petamus nobis concedi & tradi à quopiam, potius enim sunt impetrationes petendæ
3 hæreditatis, quàm ipsa petitio. Vnde est quod Vlpianus l.iij.ff.de bonorum possess. ita definit bonorum possessionem, quòd sit ius persequendi retinendiq; patrimonij, siue rei, quę cuiusquam, cũm moreretur, fuit. Is enim qui à Iudice declaratur bonorũ possessor, non hæreditatem, sed facultatem petendæ
4 hæreditatis accipit. Porrò talium interpellationum iudicis, quę bonorũ possessiones uocantur, duo sunt genera. Aliæ nanq; cõpetunt illis, qui succedere cupiunt testatis, aliæ qui intestatis, & rursum quæ competunt uolentibus succedere testatis, aliæ sunt ordinariæ, aliæ extraordinariæ. Ordinariæ sunt, bonorum possessio secundum tabulas, & contra tabulas. Extraordinaria est, quæ datur litis agnoscendæ gratia. Earum quoq; quæ competunt uolentibus succedere intestatis, aliæ sunt ordinariæ, ut est, unde liberi, unde agnati, unde cognati, unde uir & uxor. Extraordinaria est, quæ aliàs dicitur septima, & datur cũm quis noua aliqua lege ad successionẽ testati uel intestati admittitur, atq; his bonorum possessionibus impetramus ius petendæ proprietatis & possessionis in rebus hæreditarijs. Verùm sunt & aliæ bonorum possessiones, quí-
5 bus solam possessionem rerũ hæreditariarum impetramus, ut est Carboniana bonorum possessio, qua impubes petit decerni sibi possessionem rerum hæreditariarũ deberi, donec ad pubertatis annos ueniat, mota illi controuersia,
6 quòd eius non sit filius, cui succedere cupit. Item bonorum possessio, quæ datur mulieri, quę se grauidam ex defuncto esse cõtendit, & petit decerni rerum hæreditariarum possessionem sibi deberi, donec enixa sit, aut certũ fiat, eam non esse grauidam. Porrò frustra uidentur inquiri ea, quæ de bonorũ possessionibus in legibus ueteribus tradita sunt, cũm satis constet, quòd nouissimo iure ciuili omnes ferè illi admittantur, quos olim prætor tanquam immeritò excluſos successione ā iure ciuili suo præsidio adiuuit. Nam hodie emancipatus, ac si mansisset in patria potestate, cum liberis reliquis pariter ad successionem paternæ hæreditatis admittitur, nec opus est, eum uocari ad successionem per edictum prætoris, unde liberi, Auth. in succes. C. de suis & legit. hęred. Deinde succedunt hodie fœminę pariter cum masculis in pari gradu, ut
7 non necesse sit per edictum prętoris, unde cognati, successionem impetrare, l. maximum uitium. C. de liberis pręter. uel exhęred. Quare non abs re contendere quis posset, quòd cũm iure ciuili nouissimo istę ferẽ omnes personę inter hęredes collocentur, propter quas prętor olim proposuerit bonorum possessiones, ita ut tanquam hęredes directa petitione hęreditatem petere possint, non solùm superuacuam esse eorum curam, sed eam augeri etiam molestiam, qui iuxta eas uenire ad petitionem hęreditatis cupiat. Etenim quem

ius ciuile constituit hæredem, statim cùm hæreditatem animo, uel facto suo agnouit, petere eam potest. At qui iuxta ius prætorium res hæreditarias uendicare cupit, illum necesse est coram iudice agnoscere hæreditatem. l. ulti. C. qui admitti ad bono. possessio. possint. Amnem igitur, quod est apud Plaut. sequitur, qui cùm itinere compendiario peruenire ad hæreditatem iure ciuili possit, ambages iuris prætorij magis amet. Sed cauendum, ne dum ambages 8
istas fugere nimium cupimus, in lacunam quandam incidamus, unde emergere sine prætoris ope non possimus. Nam sunt quidam casus, in quibus tam hodie, quàm olim eius opera ad consequendam hæreditatem iuuamur. Verùm illos omnes annotare, nimis longum est. Quare singulas bonorum pos- 9
sessiones ordine paucis explicabimus, & quasi in transcursu de necessitate cuiusq; dicemus, & indicabimus loca, quibus casus illi copiosius annotantur. Bonorum igitur possessione secundum tabulas is se petit admitti ad hæredi- 10
tatem petendam, qui legitimo testamento scriptus est hæres, & quia idem posset petere hæreditatem, ut institutus hæres iure ciuili, in arbitrio instituti hæredis semper fuit & est, an quis malit directa petitione hæreditatis, uel iure prætorio hæreditatem petere. glos. tamen circa l. ult. C. unde legit. anno 11
tat tres casus, in quibus contendit hanc esse necessariam. DD. addunt septem alios, quos recensет Salicetus circa eandem legem. Bonorum possessio con- 12
tra tabulas datur liberis in testamento paterno præteritis, hoc est, illis, qui neque sunt instituti, nec exhæredati. Nam institutis datur petitio hæreditatis directa: Exhæredatis uerò sine causa, inofficiosi testamenti querela. Itaque tum demum liberi hac bonorum possessione petunt testamentum rescindi, & contra illud hæredes declarari, cùm sunt præteriti. Atq; necessariò quidem emancipati liberi sine causa præteriti hac bonorum possessione utuntur, quia nullum aliud illis competit remedium: sed liberi, qui in potestate defuncti manserunt, siue ex causa, siue absq; causa fuerint præteriti, habent ius dicendi testamentum ipso iure nullum, aut rescindendi testamenti per bonorum possessionem contra tabulas. iuxta glos. Aut. ex causa. C. de liber. præter. uel exhæredat. Quamuis igitur nouissimo iure succedendi ab intestato emancipati, sint exæquati liberis in potestate manentibus, tamen in succedendo à testato hac gaudent prærogatiua liberi qui in potestate defuncti manserunt, ut illis præteritis liberum sit bonorum possessione contra tabulas uti uel non, sed emancipati præteriti sine causa, necessariò ea utuntur, quia in successione à testato non sunt exequati iure ciuili reliquis liberis. iuxta DD. circa iam allegatam Aut. Ac proinde bonorum possessio contra tabulas nouiss. iure æquè necessaria est, atq; olim fuit, ijsdemq; personis competit, quibus olim competere solita est. Bonorum autem possessio, unde liberi, à prætore prodita est ad iuuandos emancipatos liberos, qui tanquam ignoti ad successionem defuncti patris ab intestato cum reliquis liberis iure ciuili non uocabantur. Ea igitur olim fuit emancipatis necessaria, hodie uerò liberum est cuiq; liberorum ea uti, aut non, quia in successione ab intestato emancipati cum reliquis, qui in potestate patris manserunt, pari iure gaudent. Aut. de hæ red. ab intestat. uenientibus. § 1. Bonorum autem possessio, unde legitimi, olim non fuit necessaria, quia eędem personæ, quas prætor uocauit ad successionem intestati ut legitimos, antea S.C. & alijs legibus uocati erant, l. generaliter. ff. unde legit. Neq; hodie est necessaria, quia nouissimo iure tales personæ, quas prætor suo edicto admisit, pleniſsimo iure ad successionem hodie ueniunt, sicut cernere est in historia emendati iuris succedendi ab intestato, quam in capite de modis acquirendi res, conteximus.

Vnde legitimi.

Vnde cognati. Edictum uerò, unde cognati, olim fuit necessarium, quia fœminæ cum masculis pari gradu existentes non admittebantur. Cùm autem hodie sublata 14

sit

sit differentia iuris succedendi inter agnatos & cognatos, l. maximũ uitium. C. de liber. præter. palàm est eorum bonorum possessionem hodie non esse necessariam. Pariter uerò hodie, ut olim, necessaria bonorum possessio, unde uir & uxor. Licet enim uxor iuxta Auten. præterea. C. unde uir & uxor, hodie etiã cũ liberis ad successionẽ ueniat pro deputata portione à lege, tamen marito defuncto in uniuersum non succedit, nisi in eũ casum, quo proditum est edictum, unde uir & uxor, uidelicet non extantibus liberis, parentibus, agnatis, aut cognatis mariti. l. 1. C. unde uir & uxor. In eum igitur casum coniuges & hodie iure prætorio sibi inuicem in solidum succedunt, & per edictum unde uir & uxor constituti se bonorum possessores petunt. Sed quid de extraordinaria bonorum possessione, quæ dicitur septima, & propter iura, quibus traditur, dici potest bonorum possessio ex legibus, exemplo epigraphes, eius tituli, quo de ea agitur. ff. ut ex ll. & S. C. bonorũ possessio detur. Zinus circa l. certum. C. Vnde legitimi, contendit hanc & olim & hodie necessariam habendam esse. Sed ut quis huius necessitatem rectè percipiat, diligenter huius discrimen, quod habet ab ea, quæ dicitur, unde legitimi, intuendum est. Nam & ea sicut hæc competit illis, qui post l. duodecim tabularum Senatusconsultis & legibus ad successionem uocati sunt. Hoc autem differunt inter se, quòd illa datur ex Senatusconsultis, & legibus, quas prætor edicto, unde legitimi, approbauit, & sub generali appellatione legitimorum bonorum possessionem se daturum pollicitus est. Hæc uerò datur illis, quos lex ciuilis sine approbatione prætoris certa facti specie inter bonorum possessores collocauit, & cognitione iudicis constitui iussit. Sed difficile est dare exemplum, quod per omnia quadret ad hanc bonorum possessionem, ut non etiam sub eam, quæ datur legitimis, referri possit. Præsertim si quis iuxta glos. ℣ septimo. Instit. de bonorum possessionibus requirat in eo, cui competere debeat, quod iure ciuili sit prorsus incognitus. Nam ea ipsa exempla quæ ibi ponuntur, & ea, quæ passim à DD. traduntur, non sunt idonea, si quis ea seuerè inquirat. In omnibus enim istis est causa, cur etiam ad bonor. possessio. unde legitimi referri queant. Quare Zinus testatur Iacobum de Arena sensisse, quòd nullum satis idoneum exemplum bonorũ possessionis septimæ in ll. Romanis extet. Ego uerò non possum adduci ut credam Pandectarum contextores tam incircumspectos fuisse, ut peculiari titulo formam agendi pro impetranda bonorum possessio. traderent, cuius nullum ll. Romanæ haberent exemplum. Ac proinde magis uidetur mihi sentiendum, quòd hanc bonorum possessio. uoluerint dari his, quibus nouæ ll. aut constitutiones post eas, quas prætor edicto, unde legitimi, approbauit, inter bono. possessores admitti iusserint, nihil obstante, quòd ijdem ratione generalis appellationis, & eò quòd agnoscantur iure ciuili, petere bonorum possessionem, ut legitimi, possint. Nam nisi ualde fallor, hanc bonorum possessionem dixerunt extraordinariam, non solũm, quia ad eam nulla certa successione, sed nunc à testato, nunc ab intestato uocamur, uerũmetiam quia extra illos casus, quibus olim ante edictum prætoris, unde legitimi, quidam nouis ll. & constitutionibus in nouos casus & diuersos ab illis inter bonorum possessores ponuntur. Et talium quidem legum & constitutionum plurimas Angel. circa tit. Instit. de exhæredat. liberorum. uers. ex his, in catalogo casuum, quibus hodie necessaria est bonorum possessio, enumerat. Hæc de necessitate bonorum possessionum, quibus ius petendæ proprietatis & possessionis in rebus hæreditarijs impetramus.

Vnde uir & uxor.

Postquàm uerò quis à iudice constitutus bonorum possessor, ex aliquo edicto prætoris, aut petere potest se mitti in possessionem uniuersorum bonorum corporalium defuncti, ab eo, qui ea possidet pro hærede uel possessore, uel dolo fecit, quò minus ea possideat, iuxta interdictũ, Quorũ bonorum, aut

possessoriæ hæreditatis petitione, petere potest hæreditatem sibi restitui ab eo, qui iniustè eam detinet. Et hac actione tantundem consequitur bonorum possessor, quantum hæres per petitionem hæreditatis directam. l. ul. ff. de pos. hæreditat. petit. Itaque hæc ad illam conferenda est, nam per omnia ei similis est. Cæterùm bonorum possessiones hodie non impetrantur ea solennitate, qua olim, sed sufficit aliquem esse agnitũ à iudice pro bonorum possessore, hoc est, pro eo qui iure prætorio ad successionem hæreditatis admittendus sit. Illos tamen, qui ut liberi impetrare bonorum possessionem cupiunt, necesse est intra annum utilem eam petere, reliquis dantur tantùm centum dies utiles. l. ij. & ult. & per totum T. C. qui admit. Si uerò gradu alios præcedentes non petãt bonorum possessionem, alij illis proximi eam petere possunt, iuxta edictum successorium, & tit. quis ordo in bono. possess. seruetur. Quòd autem hodie illæ quoq; bonorum possessiones sint necessariæ, quibus impubes & Venter in possessionẽ mittuntur, satis perspicuum est, & cùm illarum tractatio per se sit plana, ex titulis, in quibus de illis agitur, superuacuum uidetur multam operam in illis explicandis uelle consumere. 17 18 19 20

Edictum successorium.

ff.

De bonorum possessionibus.
Si pars hæreditatis petatur.
Si tabulæ testamenti extabunt.
De bonorum possessionibus contra tabulas.
De bonorum possessionibus secundum tabulas.
Si tabulæ testamenti nullæ extabunt.
Vnde liberi. Vnde legitimi. Vnde cognati.
Vnde uir & uxor.
Vt ex legib. & S. C. bonorum possessio detur.
De Ventre in possessionem mittendo.
De Carbonario Edicto.
Quibus non competit bonorum possessio.
Quis ordo in bonorum possessione seruetur.

Præterea est & alius quidam titulus in Pandectis, de bonorum possessio. furioso, infanti, muto, surdo, cæco competente. Illis uerò non traditur diuersa à superioribus bonorũ possessio, sed ad dubitationem, quæ circa eas personas oriri possit, respondetur, uidelicet quòd furioso & infanti non præcidatur facultas petenti bonor. possessio. tempore alijs constituto, & licere eorum curatoribus ac parentibus pro illis petere bonorum possessionem. Cæcum uerò, mutum, & surdum pro se petere posse bonorum possessionem, si intelligant, quid agatur.

Cod.

De bonor. possess. quam prætor liberis pollicetur.
De bonor. possess. secundum tabulas.
Vnde liberi, unde legitimi, & unde cognati. Vnde uir & uxor.
Qui admitti ad bonorum possessionem possint, & intra quod tempus.

Instit.

De bonorum possessionibus.

EX FIDEICOMMISSO uniuersali. Caput XXV.

SVMMARIVM.

1. De restitutione hæreditatis.
2. Hæreditas restituitur à fideicommissario tripliciter.
3. Quando res per fideicommiss. relictæ in fideicõmissarij bonis esse censeantur.
4. S. C. Trebellianum. 5. Quartæ retinendæ potestas cui detur.

HAEREDITAS

1 HAEREDITAS per fideicõmíſſum alicui relicta non poteſt peti, niſi ea ſit ab hęrede inſtituto, uel eo, qui ab inteſtato in Codicillis rogatus eſt, reſtituta. Quod enim aditio hęreditatis ad directam, & bonorũ poſſeſsio ad poſſeſſoriam hęreditatis petitionem pręſtat, idem efficit reſtitutio hęreditatis in fideicommiſſaria petitione hęreditatis. Iuxta gloſſ. l. 1. ff. de fideicomiſ. hęred. petitione. Reſtituitur uerò hęreditas, uel re ipſa, uel uerbo, uel patientia. Re ipſa, ſi rogatus res hęreditarias fideicommiſſario tradat, earumq; poſſeſsionem illi cedat. Verbo, ſi coram, uel per epiſtolam, aut nuncium ſignificet, ſe illi, ut rogatus ſit à defuncto, hęreditarias rẽs uniuerſas, aut aliquam illarum partem reſtituere, & eius poſſeſsioni committere. Patientia, ſi quis rogatus patiatur, ut alius nomine illius fideicommiſſariò reſtituat hęreditatem, id ipſe poſtea ratum habeat. l. reſtit. ff. ad Trebelli. Statim autem poſtquàm facta eſt reſtitutio aliquo horum modorum, quos indicauimus, res per fideicommiſſum relictę in fideicommiſſarij bonis eſſe cenſentur, etiamſi poſſeſsionem earum nondum ſit conſecutus. l. facta. in princ. ff. ad Trebell. Itaq; rectè quis agit fideicommiſſarię hęreditatis petitione ſtatim pro reſtitutione. Verũm quia plerique ſe prębent difficiles in reſtituendo, & ne reſtituant, ſępe recuſant adire hęreditatem, conſtitutum eſt S.C. Trebell. ut ſi ceſſent hęredes rogati adire hęreditatem, aliis reſtituendam, aut aditam reſtituere detrectent, officio iudicis facere id compellantur. iuxta conſtitut. S.C. Trebell. Neq; poteſt quis ſe tueri, quò minus adeat, & reſtituat hęreditatem, etiamſi illam repudiauerit. l. nam quod. ff. ad Trebel. Ac ſiquidem uolens reſtituit hęreditatem rogatus, datur illi poteſtas retinendæ quartæ, iuxta ea, quæ annotauimus ſuprà in capit. de modis acquirendi res, ſub T. de fideicommiſsis. Si uerò coactus reſtituit hæreditatem, amittit poteſtatem retinendæ quartæ. l. nam quod. §. qui compulſus. ff. ad Trebell. Habet autem hoc quoq; commodi, qui ultro reſtituit hæreditatem, ut periculum ſatisfaciendi creditoribus defuncti effugiat. Nam ultra quartam, quam retinuit, conueniri non poteſt. l. 1. §. quanquam. ff. ad Trebel. Actiones enim quæ contra defunctum, aut defuncto contra illos competuerunt, in fideicommiſſarium, & non in hęredem reſtituentem, niſi pro portione quartæ, quam retinet, tranſeunt. l. 1. §. fin. ff. ad Trebell. Vt autem quis facta reſtitutione hæreditatis, uel certæ partis rerũ hæreditariarũ, agere poſſit fideicommiſſaria hæreditatis petitione cum eo, qui res hæreditarias pro poſſeſſore aut hærede poſsidet, neceſſe eſt uerbo factam eſſe reſtitutionem, nam ſi re ipſa facta reſtitutio, & poſtea quis rem hæreditariam amittit, non hæreditatis fideicommiſſariæ petitione, ſed rei uendicatione eam recuperet. iuxta gloſſ. l. 1. ff. de fideicommiſſ. hæred. petit. Cæterũm acturus petitione hæreditatis fideicommiſſaria, iiſdem iuribus utitur, quibus ille, qui directam hæreditatis petitionem habet, gaudet. l. ij. ff. de fideicommiſ. hæred. petit. Neq; eſt quicquam in iure agendi pro fideicommiſſo uniuerſali ualde ſcrupuloſum. ll. enim per ſe ſunt perſpicuæ & copioſæ. Itaq; titulos tantũm, in quibus de hoc iure agitur, annotabimus.

Quarta Trebellianica.

ff.

Ad S.C. Trebellianum.
De fideicommiſſaria hæreditatis petitione.

Cod.

Ad Senatuſconſultum Trebellianum.

EX NECESSITVDINE Ciuili. Caput XXVI.

SVMMARIVM.

1. Arrogati ex neceſsitudine Ciuili ſuccedunt.
2. Pari iure gaudent inter ſe arrogatus, & arrogator.

INTER

NTER eos, qui ex neceſsitudine ciuili ad mutuam ſucceſsionem uocantur, primum locum obtinent arrogati. Nam illi qui 1
1 tranſierunt in poteſtatem, ſicut naturales & legitimi liberi, hæreditatem arrogatoris petunt, eorumq; teſtamenta, ſi in illis præter iuſtam cauſam exhæredati, aut præteriti ſunt, querela inofficioſi, aut bonorum poſſeſsione contra tabulas reſcindunt & oppugnant. Quare non eſt, cur quis quærat, quibus actionibus arrogati petant hæreditatem arrogatoris ſui, & è diuerſo. Pari nanq; iure gaudent inter ſe, ſicut li- 2
beri naturales & legitimi cum parentibus ſuis in petenda hæreditate. Eodem iure petendæ hæreditatis gaudet is quoq;, qui adoptatus ab aliquo eorum, qui eum contingunt cognatione parentum in aſcendente linea. Sed adoptatus ab extraneo non poteſt uenire contra teſtamentum adoptantis. Nam illi ab inteſtato tantùm ſuccedit eo gradu, quo adoptatus eſt. l. cum in adoptiuis. C. de adoptionib. Quibus autem actionibus patronus ex liberti hæreditate debitã portionem cõſequatur, oſtendimus ſuprà in explicatione actionum, quæ dantur pro iure patronatus.

DE COLLATIONE BONORVM inter hæredes. Caput XXVII.

SVMMARIVM.

Hiſtoriam texit emendati iuris, bona acquiſita conferendi inter hæredes.

Vom einſchieſſen der gütter auff der teylung.

1. Conferre bona quis dicatur.
2. Ius conferendi æqualitatis ſeruandæ cauſa proditum eſſe.
3. Emancipati ſine collatione non admittuntur ad hæreditatem paternam.
4. Filiusfamilias patri acquirit.
5. Dotem filia à patre acceptam conferebat olim.
6. Conferendi neceſsitatem inter liberos Iuſtinianus ad ſucceſsionẽ tranſtulit.
7. Profectitia bona tantùm conferenda.
8. Diuerſitas iuris in uarietate Conſtitutionum ſæpe fallit.
9. Collatio bonorum quando & inter quos hodie locum habeat.
10. In collateralib. non habet locum ius collationis.
11. Profectitia bona tantùm conferri.
12. Collationi quoties ſit locus, aut non.
13. Collatio inter liberos hodie poſtulari poteſt.
14. Collatio nulla actione petitur, niſi officio iudicis.
15. Collatio fit duobus modis, re & Cautione.
16. Actio ex ſtipulatu contra promittentem conferre datur.
17. De collatione dotis leges perſpicuè loqui.

Collatio bonorum.

BONA ab eo, cui ſuccedunt hæredes, uel bonorum poſſeſſores, accepta, alia habent communia, & ea diuidunt inter ſe ſecundum actionem familiæ herciſcundæ. Alia habent ut propria, & ea nonnunquam conferre hęredibus, cum quibus ſuccedere cupiunt, coguntur. Conferre igitur bona is dicitur, qui accepta à 1
defuncto cum alijs hæredibus eiuſdem defuncti communicat, iuxta gloſ. epigraphes ff. de collat. bonor. Eſt autem ius conferendi primùm à prætore pro 2
ditum æqualitatis inter eos, qui ſimul ad hæreditatem admitterentur, ſeruandæ cauſa, l. 1. in prin. ff. de collat. bonor. Et Bald. circa l. illud. C. de collationi. Iniquum nanq; uiſum eſt per bonorũ poſſeſsionem contra tabulas, aut unde 3
liberi, emãcipatos ad hæreditatẽ paternã admiſſos pariter cũ illis, qui in poteſtate parentis manſerunt, ad eã admitti ſine collatione eorũ, quę ipſi ideo ſibi acquiſiuiſſent, quia extra poteſtatem patris fuiſſent. Etenim olim filius in po 4
teſtate

testate patris existens quicquid acquirebat, id patri, non sibi, præter castrensia, acquirebat: filius uerò emancipatus sibi acquirebat, quicquid usquam ad eum redibat. Ne igitur peior esset conditio eius, qui in potestate patris mansisset, edicto prætoris cautum est, ut emancipatus per bonorũ possessionem successioni paternæ restitutus, acquisita in medium conferret, & cũ eo, qui in potestate patris mansisset, cõmunicaret. l. ij. §. si duo. ff. de bo. pos. Postea Antoninus Pius eadẽ æquitate motus, uidelicet, ut inter hæredes æqualitas seruaretur, constituit, ut filia cum fratrib. ad parentis hæreditatem uenire cupiens, dotem à patre acceptam conferret. l. i. ff. de col. dotis. Erat aũt tam dotis quàm aliorum acceptorum bonorum collatio tantũm illis ueteri iure iuncta, qui ad paternam hæreditatem admitti cupiebant. Sed Leo Imperator qui l. ut liberis. C. de collationib. iussit idem ius in materna hæreditate & pariter inter liberos utriusq; sexus obseruari. Et hanc ipsam necessitatem conferendi acceptam inter liberos, deinceps transtulit Iustinianus etiam ad successionem liberorum, cum materteris, amitis, patruis, auunculis. l. illam. C. de coll. Conferebantur etiam iure ueteri aduentitia bona, quia & ea olim per liberos acquirebantur patri. l. placet. ff. de acquir. hæred. At cũm nouissimo iure id non fiat, constitutum est l. ult. C. de colla. ut tantũm profectitia conferantur. Præterea olim ius conferendi inter eos solũm habebat locum hæredes, qui ab intestato succedebant. Sed Iustinianus in Aut. i. c. ex testamento. C. de collatio. permisit collationem fieri inter hæredes à testato, sicut ab intestato. Hæc historia emendati iuris acquisita conferendi inter hæredes, diligenter est obseruanda, ne quem fallat diuersitas iuris in tanta uarietate constitutionum. Extant autem hæc copiosius explicata per Bart. circa l. pater filium. ff. de collat. dot. & Paulum Castrensem, circa l. si emancipati. C. de collatio. Traditur autem per glos. eiusdem leg. si emancipati. in fin. communis hæc regula de Iure cõferendi nouissimo, quòd nulli obligentur ad collationem acquisitorũ (intelligas profectitiorum bonorũ) præter descendentes, & quòd non habeat locum, nisi inter eos, quibus debetur legitima, cũm agitur de hereditate ascendentium, adeo ut si alterutrum horum deficiat, uidelicet, quòd successuris non debeatur legitima, aut inter descendentes numerari non queãt, frustra de collatione queratur. Proinde iuxta Paul. de Castro, in successione collateralium non habet locum Ius petendæ collationis ab hærede, quia nec ex descendentibus sunt collaterales, nec illis cõstituta est aliqua legitima in bonis agnatorum, uel cognatorum. Et quamuis ascendentibus debeatur legitima in bonis descendentium, tamen descendentibus succedentes collationem à cohæredibus postulare non possunt. Quia inter descendentes in tali successione non existunt. Porrò liberi in pari gradu, uel nepotes cum patruis, amitis, auunculis, materteris, loco suorũ parentum succedentes patri, aut matri, auo, aut auiæ, à cohæredibus solũm eorum collationem petere possunt, quæ ex profectitijs bonis eius, cui à testato, uel intestato succedere uolunt, consecuti sunt. l. ult. C. de collationib. Ea tamen quæ à parentibus data sunt liberis pro consequenda aliqua dignitate, non coguntur conferre. l. i. §. nec Castrense. ff. de collat. bonorum. Item nec ea coguntur conferre, quę in Testamento illis à parentibus relicta sunt, si ex eo, quod reliquum est, legitimam suam quisq; consequatur. l. à patre. & ibidem Bart. C. de collationi. Toties enim collationi locus est, quoties aliquo incommodo suæ legitimæ afficitur is, qui pari Iure ad successionem parentum admittendus uidetur. Itaque etiamsi amplius quiddam pater in unum ex liberis contulerit, quàm in alium, non statim collatio expeti potest. l. i. §. pater. ff. de collati. bonorum. Non solũm autem illi petere possunt, ut fiat collatio bonorũ, qui Iure ciuili ad successionem ueniunt, sed & qui Iure prætorio ad eam prouehuntur.

Nam

Nam hodie inter liberos quocunq; iure ſuccedentes collatio poſtulari po- 13
teſt, iuxta Bart. circa l. pater filium. quæſt. pen. C. de colla. dotis. Poſtulatur 14
autem collatio fieri non iure actionis, ſed officio iudicis. l. ſi ſoror. C. de colla tionibus. Non enim tradita eſt peculiaris actio ad petendam collationem, ſecundum quam nobis Ius dicere cogeretur Iudex, ſed eſt eius cognitioni relictum, ut auditis allegationibus petentium, eam ipſe ſtatuat, quatenus ea fieri debeat. Fit autem collatio duobus modis, uidelicet re, & cautione. Re, cùm 15
ultro citroq; ea præſtantur, quæ pro portione bonorum conſequendorum cuiq; debentur. l. 1. §. quamuis. ff. de collat. bono. Cautione, cùm non ſatis conſtat, quid ſit in commune conferendum. Nam tum exigitur ab eo, qui conferre debet, ut caueat de incerto conferendo, donec manifeſtum fiat, quid conferre debeat. l. 1. §. iubet. ff. de collat. bonor. Qui uerò promiſit conferre, ſed 16
poſtea recuſat, aut dolo malo fecit, quò minus poſsit conferre, is ex ſtipulatione conuentus in tantam pecuniam condemnatur, quanti res conferenda æſtimatur. l. ſi quis. §. ult. ff. de collat. bonor. Si uerò quis omnino neget facere collationem, aut dare cautionem, illi denegantur Actiones hæreditariæ, ita, ut neminem conuenire pro rebus defuncti, cui ſuccedere uult, poſsit. l. 1. §. ſi frater. ff. de coll. bonor.

Cæterùm quæ hic de collatione dotis peculiariter eſſent annotanda, ſatis 17
perſpicuè in ipſis legibus comprehenſa ſunt, itaq; diſcentes ad earum lectionem remittimus.

ff.	Cod.
De collatione bonorum. De dotis collatione.	De Collationib.

EX TESTAMENTO PRO legatis. Caput XXVIII.

1. Hæres ceſſans præſtare legata, quia nolit adire hæreditatem.
2. Legatarius quomodo conſequatur rem legatariam actione hypothecaria.
3. Bona defuncti tacitè obligantur pro legatis & fideicommiſsis loco pignoris.
4. Relicta in teſtamentis peti non poſſunt, ſi non adeatur hæreditas.
5. Actio in factum ex edicto quando dicitur.
6. Teſtamentum ſi non eſt ritè conditum, hæres non poteſt cogi ad præſtanda
7. Legata caduca facta non petuntur. (legata.
8. Hæres quomodo caueat legatario de præſtando legato.
9. Actio ex teſtamento locum habet, cùm agnita eſt hæreditas.
10. Beneficium S. C. Trebelliani.
11. Commiſſarius legatorũ diſtribuendorum an loco hæredis conueniri poſsit.
12. Summus fauor debetur ultimis uoluntatibus.
13. Actio ex teſtamento eſt bonæ fidei.
14. Beneficium hæredis in quarta retinenda.
15. Lex Falcidia pro quarta retinenda.
16. Satisdatio legatariorum.
17. Hæredis præſidium aduerſus legatarium.
18. Hæredis ſatisdatio.
19. De Interdicto, quorum bonorum.

HACTENVS expoſuimus quibus Actionibus agatur pro uniuerſa hæreditate conſequenda, aut diuidenda: nunc dicemus, quomodo ſingulæ res nomine legati, aut fideicommiſsi ſingularis, à defuncto in Teſtamento, uel codicillis relictæ petantur, ſi hæredes ceſſent eas dare illis, quibus relictæ ſunt. Ac primùm uiden- 1
dum eſt, an hæres ideo ceſſet præſtare legata, quia nolit adire hæreditatem. Nam iſto caſu antequam ad præſtandum legatum hac Actione quis conueniatur, ſi inſtitutus hęres in Teſtamento prorſus negligat hæreditatem, ita ut

bona

bona defuncti à nemine possideantur, tum potest petere se mitti in bonorum possessionem autoritate iudicis. l. i. ff. quibus ex caus. in possess. eatur, aut petere, ut detur bonis curator, quem loco hæredis conueniat. l. ij. ff. de curat. bo-
2 nor. dan. Si uerò institutus hæres cesset quidem adire hæreditatem, & tamen interim bona defuncti à quopiam possideantur, legatarius potest rem sibi relictam petere à possessore Actione hypothecaria. Nam bona defuncti tacitè obligantur pro legatis & fideicommissis loco pignoris. l. unica. C. commu. de leg. Si uerò ut effugiat onus præstandorum legatorum, omissa hæreditate, ad quam per testamentum uocatus est, in fraudem legatariorum, tanquam ab intestato succedere contendit, tum legatarius iuxta edictum, si omissa sit causa Testamenti, hæredem conuenire potest. Sed quæri potest, quo iure quis petere potest legata, si institutus hæres non adeat hæreditatem. Constat enim ex l. eam quam. §. tunc. C. de fideicom. quòd relicta in Testamentis non
4 possunt peti, si non adeatur hæreditas ex testamento. Ac uerum quidem hoc est regulariter, sed patitur hæc regula uarias exceptiones iuxta gloss. eiusdem l. circa uerbum traditur, inter quas & hæc est, quòd si in fraudem legatariorum non adeat hæreditatem institutus in Testamento, iuxta edictum Prętoris (si quis omissa causa Testamenti) legata ab eo, ac si adiuisset petat, siue ipse res hæreditarias possideat, siue ideò non adiuerit à testato, ut alius legitimus successor defuncti eas ab intestato consequeretur. l. i. §. ult. ff. Si quis
5 omis. caus. testament. Actio autem quæ hoc edicto aduersus hæredem institutum datur legatario pro petendis legatis, non adita ab eo hæreditate à Testamento, uel à testato, dici potest utilis ex Testamento, aut simpliciter dici potest Actio in factum. Vbicunque enim Prætor aliquo edicto dat Actionem, non adiecto nomine Actionis, in factum agere ex edicto dicimur. l. sancimus, & ibi gloss. C. de sacrosanct. Eccles. Cæterùm competunt omnes hæ Actiones, de quibus iam diximus, legatario contra hæredem institutum no-
6 lentem adire hæreditatem, cùm Testamentum ritè est conditum. Nam ubi testamentum non est ritè conditum, hæres cogi ad præstanda legata, & fidei-
7 commissa non potest. l. si ueritas. C. de fideicom. Sicut nec petuntur legata, cùm facta sunt caduca, iuxta ea, quæ suprà de legatis annotauimus. Cùm igitur legitimè institutus adiuit hæreditatem, datur legatario Actio ex Testamento directa, qua petit cogi hæredem ad soluenda in Testamento ipsi legata. Si uerò institutus hæres post aditam hæreditatem, aut post bonorum possessionem, ad quam admissus est per Prætorem, recusat soluere legata, quia ea sunt, aut sub conditione, aut in diem, quæ nondum extiterit, relicta, potest legatarius petere, ut hæres, uel eius successores datis fideiussoribus satisdent de præstando legato aduenìente die, uel existente conditione, atque etiam de dolo, quòd nihil facturus sit, quò minus existat conditio legati, aut non integrè præstari legata possint. Si uerò hæres aut eius successores recusant etiam satisdare, potest legatarius petere, se mitti in possessionem rerum hæreditariarũ custodiæ causa. Iuxta totum titulum digestorum, Vt legatorum, seu fideicommissorum nomine caueatur, & titul. Vt in possessione legatorum, seu fideicommissorum seruandorum causa esse liceat, & C. eodem titulo. Ac ea quidem, quæ in petendo, ac satisdatione, uel missione obseruantur, tam copiosè & dilucidè in illis titulis tradita sunt, ut inutilis labor uideri pos-
9 sit, si ea hic uellemus recitare. Iam igitur redeo ad actionem ex Testamento, quæ, sicut dixi, locum habet tum demum, cùm agnita est hæreditas, nec hæres habet subterfugium non præstandi legata, quia sub conditione, aut in diem relicta sunt.

Actio hypothecaria.

Actio ex Testamento.

Est autem hæc Actio personalis. Nam hæres defuncti institutus in Testamento, ex quasi contractu legatarijs obligatur. §. hæres. Instit. de obligatio. quæ ex quasi contr. nasc. Itaque solus hæres hac Actione conuenitur. Sed

quíd,ínquís,ſi hęres non eſt inſtitutus in Teſtamẽto,& per fideícommíſſum
ín codicíllís relícta eſt hæreditas alícui reſtituenda, ã quo tum petat legata-
rius ſibi in Codicillis legata? Reſpondeo, quòd petat ab eo,cui reſtituta eſt
hæreditas,utili actione ex Teſtamento. Iuxta legem ultímam C.de Codicil.
ſícut illí etiam conſulitur utili beneficio Senatuſconſulti Trebelliani, ſi is, 10
cui per fideícommiſſum relícta eſt hæreditas, nolit eam adire. Rurſum quæ-
ret aliquis,quòd ſi nullus ſit rogatus in Codicillis de reſtituenda hæredíta-
te,ſed tantũm legata in Codicillis ſint relícta, quís ſit conueniendus? Hoc
caſu uidendum eſt, an quís habeat ín poſſeſsione bona teſtatoris,nec ne.Nã
ſi nemo ea poſsídet,tum poteſt legatarius petere, ut ín poſſeſsionem eorum
mittatur, aut ín bonís detur curator, quem loco hæredís conueniat. Si uerò
poſsídentur ã quopiam,agit cum eo Actione hypothecaría, ſícut in princí-
pío huius capitis de ceſſatione hæredís índicauímus. Reſtat ut in annotatio-
ne perſonarum, quæ conueníri pro legatís poſſunt, etíam dicamus de caſu,
quo nec hæres inſtitutus, nec per fideícommiſſum rogatus eſt quiſpiam,ut
alícui reſtituat hæreditatẽ,ſed nulla facta mentione hæreditatís,legata ín Co
dicíllís demandata alícui ſunt diſtríbuenda. Nam quæri poteſt,an talis com- 11
míſſarius, loco hæredis conueníri poteſt. Et poſſunt utrínque argumenta ad
duci,q̃ hoc liceat,& non liceat.Rophredus tamen in o͂pere formando͂ líbel
lorum ſentit hunc, ut hæredem,poſſe conueníri à legatarijs,argu. Authen.
de eccleſiaſtícis títulis. §. Si autem facere iuſsi ſunt. Et exemplo Curatoris,
qui datur bonis,& loco hęredis habeẽ,ſícut paulò antẽde eo díximus. Venio
nunc ad res nomine legati præſtandas,& uarían̄t quidem iura agendi pro le-
gatís hic quoque. Nam ſi res legata fuit teſtatoris propria,ſtatim ab adita hæ-
reditate eius dominium tranſit ad legatarium. l. à Títio,ín fin.ff.de furt.& de
legat. ſecundo. l. legatum. Itaque pro talí legato agí etíam poteſt rei uendí
catione.l.un.C. communi.de legat. Et olím quídem nemo poterat uendíca-
re legatum,niſi antea in eius poſſeſsionem eſſet miſſus,ſed iſta neceſsitas ho-
die ſublata eſt. Iuxta titulum C. commun.de legat. Nec uerò uídetur quís
tale legatum Actione ex Teſtamento petere poſſe, quía res noſtras non A-
ctione perſonalí,ſed realí petimus. Sed licet dominium talis legatí poſt aditío
nem hæreditatis iam acquiſiuerít legatarius, tamen quía poſſeſsio eius non
acquíritur,niſi ſpecialiter tradatur,hoc caſu pro legato ex Teſtamento agen-
tes,eius poſſeſsionẽ petimus naturalem, cũm ípſum nobís legatũ præſtarí ro
gamus.Sícut fit etíam,cũm hęreditas ab aditíone eius petitur.l.cũm hęredes.
ff. de acquirend. poſſeſsion. In reliquís uerõ omnibus caſibus,in quibus ua
let legatum,non eſt dubium,illud Actione ex Teſtamento peti poſſe, pro-
pter obligationem,quæ inter hæredem & legatarium ex deſtinatione teſtato
ris oritur. Quamuís autem hæc ipſa Actio ſit ſtrícti iuris,tamen propter ſum 12
mum fauorem, qui debetur ultímis uoluntatibus, l. í. C. de ſacroſanctís Ec-
cleſijs,leges patiuntur hanc imitarí naturam Actionum bonæ fidei,ita ut in 13
ea ueníant,non ſolũm acceſsiones príncipales (quæ pars rei legatæ eſſe cen-
ſentur, C. ſi quis ex toto,ín príncipío,& l. quòd ín rerum. §. ſí quis. ff. de le-
gatis í.)ſed & fructus,& uſuræ à tempore morę, iuxta totum títulum de uſu-
ris & fructibus legatorum. Verũm hoc beneficij rurſum in legatorum prę̃ſta 14
tione habet hæres,ut ſi intelligat hæreditatem ita eſſe exhauſtam legatis, ut
ſi omnia ea præſtare debeat, illi non relinquatur quarta, Iure legis Falcidiæ, 15
eam ſibi retinere poteſt,iuxta ea,quę ſuprà de legatis annotauímus. Item ſi in
dubío metuat hæres,ne amplius quíddam de hæreditate expendat legatarí-
us, q̃ per eũ iure Falcidiæ oportuerit,ſatisdarí ſibí à legatarijs petere poteſt, 16
quòd reddituri ſint illi, ſi quid amplius ab eo acceperint, quàm per Falcidi-
am illís licuerit,iuxta titul. Digeſtorum: Si cui plus, quàm per legem Falci-
díam.

In

In cęteris autem differentijs Actionum, non recedit hęc Actio ab illis, quę ex quasi contractu nascuntur, nam & ea perpetua, & ad hæredes transitoria est, atque etiam in simplum datur, nisi religiosis usibus aliquid legatum sit, nam isto casu in duplum datur contra negantem. §. item mixta. Instit. de Actionibus.

ff.

Si quis omissa causa Testamenti, ab intestato, uel alio modo possideat hæreditatem.

Vt legatorum siue fideicommissorum seruandorum causa caueatur.

Vt in possessione legatorum, siue fideicommissorum seruandorum causa esse liceat.

Cod.

1. Communia de legatis & fideicommissis, & de in rem missione tollenda.

Hic titulus in explicatione Actionum, quibus petuntur legata, præcipuus est.

2. Si omissa sit causa Testamenti.
3. Vt in possessionē legatorum uel fideicommissorum seruandorum causa mittatur, & quando satisdari debeat.
4. De usuris legatorum & fideicommissorum.

27 Habet hæres aduersus legatarium sua autoritate occupantem legata, antequām adita sit hæreditas, etiam ā Prætore quoddam præsidium, uidelicet, Interdictum, quorum legatorum, quo petit legatorum possessionem sibi tradi,
28 ut antequām præstet legata, Falcidiam inde sibi detrahere liceat. Sed ut fiat tamen talis traditio possessionis in re legata, cogitur hæres satisdare legatario, q deducta Falcidia, illud, quod reliquum sit de legato, reddere uelit. Nisi enim hæres paratus sit satisdare, hoc interdictum non habet locum. Datur autem hoc interdictum illis, qui iure Prætorio succedunt directo iure: utili ue
29 rò illis, qui ciuili successione. Sicut suprā quoque de Interdicto, quorum bonorum, in expositione, quibus hæreditates petuntur, diximus.

ff. & C.

Quorum legatorum.

QVIBVS ACTIONIBVS SERuitus uendicetur, aut constitui prohibeatur.

Caput XXIX.

SVMMARIVM.

1. De seruitutibus uendicandis.
2. Actio confessoria pro quo, & contra quem detur.
3. Confessoria, unde dicta sit.
4. Actio negatoria quæ uocetur.
5. Pro quibus rebus detur, quibus personis, & contra quos.
6. Res incorporales non possunt possideri.
7. De interdictis, de itinere actuq priuato.
8. Item, quod ui aut clam.
9. Confessoria ut detur, quæ requirantur.
10. Actio confesoria & negatoria ab interdictis differunt.
11. Seruitutes quanto tempore tollantur.

1 PRO seruitute in alterius prædio urbano aut rustico nobis aut re
2 bus nostris constituta, dat Actio confessoria, cōtra eum, qui nos
3 in utenda seruitute acquisita impedire conatur. Videtur autem huic Actioni hoc nominis inditum, non quōd ea ex nostra confessione oriatur. Neq enim Actori propter suam confessionem

datur aduersus alium actio, ut maximè detur aduersus confitentem alioqui actio confessoria, l. inde Neratius. §. fin. ff. ad l. Aquil. Quamuis igitur alij atque alij diuersas quærant huius appellationis causas, ego existimo simpliciter eam à forma agendi esse appellatam confessoriam, quia per eam asserimus seruitutem nobis competere. Id quod innuere & appellatio actionis oppositæ, qua negamus alicui in prædijs nostris competere seruitutem, satis apparet. Negatoria nanque ea dicitur, qua negamus id, quod in altera asserimus. Vtraque autem est à iure ciuili prodita. Sed confessoria oritur ex iure, quo acquisita est seruitus, quam uendicare contendimus. l. si quis diutur. ff. si seruitut. uendicet. Et quemadmodum seruitut. amitt. leg. ultim. Negatoria uerò oritur ex iure dominij, quod ut in re nostra integrum retineamus, defendere nos illud aduersus eum, qui seruitutem imponere libertati nostræ rei uelit, æquum est, iuxta l. suprà iter. ff. de aqua plu. arce. In rem quoque utra que est, quia licet illis non petamus res corporales nobis restitui, tamen pro rebus incorporalibus, adeoq; pro iure nostro conseruando nobis competunt, quod qui præstat, & ipse uendicare rem suam uidetur. Sicut pater ius suum uendicare in filio detrectante eius potestatem dicitur, nimirum utili rei uendicatione, quia directa pro rebus corporalibus tantùm datur. l. i. ff. de rei uendicat. Itaque in institutionibus inter actiones Reales hæ quoque numerantur. Datur autem Confessoria tam pro reali, quàm personali seruitute, à re personæ debita, non autem pro ea, quæ personæ à persona debetur. §. æquè. Instit. de actionibus. Econtra per actionem negatoriam pariter contra Reales & Personales seruitutes pugnamus, ne nostris rebus in præiudicium nostri dominij imponantur. §. econtra. Instit. de actionibus. Qui uerò his actionibus aduersus impedientem nos in seruitute acquisita, aut inquietãtem nos in nostro dominio experiri uelit, illum necesse est dominum esse rei, cui seruare, aut à qua prohibere seruitutem conetur. l. xi. in princip. ff. si seruit. uendic. Non tamen refert, an is, quem conuenire Confessoria uelimus, prędij, in quo competere nobis seruitutem dicamus, dominus sit, uel nõ. nam datur contra quemuis impedientem. l. si quis diuturno. §. agi. ff. si serui. uend. Neque in negatoria refert, quo iure ille teneat uicinum prædium, qui in nostro acquirere seruitutem contendit, quia hac actione depellimus quenque libertatem nostrarum rerum opprimere conantem iure dominij nostri. Porrõ quæri potest, an impediens nos uti seruitute nobis constituta, uel quæ rens prædia nostra subijcere seruituti suæ, actione confessoria & negatoria, conueniantur ut possessores. Nam quum hæ actiones in rem sint, & actiones reales non dentur nisi contra possessores. l. i. C. de alienat. iud. mutan. causa facta. & l. non alias. §. etsi. ff. de iudic. Videri possunt & hi ut possessores his actionibus conueniri: uerùm quõ minus ita sentiamus, obstat nobis l. seruus. §. incorporalis. ff. de acquiren. rerum dominio. Et de usucapio. l. sequitur. §. si fiant, ubi dicitur quòd res incorporales, ut sunt seruitutes & iura, non 6
possint possideri. Quapropter dici non potest, quòd his actionibus illi, contra quos dari eas diximus, ut possessores conueniantur, & tamen negari non potest, quòd propter similitudinem agendi, hæ actiones illis intendantur, qua si possessoribus, non ut interceptam possessionem, sicut in alijs uendicationibus rerum petimus, restituant, sed ut in utendo nostro iure nobis non sint molesti. Vnde est, quòd cum his actionibus contendere de tranquillitate possessionis cum aduersarijs uideamur, idem alijs remedijs, nempe interdictis commodius obtineri quis existimet. Nam & interdicto, de itinere actũque priuato impetrare possumus, ne quis in utenda seruitute rustica nos impediat, & 8
interdicto, quod ui aut clam, efficere possumus, ne quis in prædio rustico aut urbano, contra libertatem nostri prædij nobis inuitis aliquid moliatur, aut faciat. Item, quamuis interdicto, uti possidetis, immobilium possessionum solum

lum retineamus directò agentes, utiliter tamen, & quasi possessionem rerum incorporalium, eo tueri possumus. Iuxta leg. quoties secunda. & ibi gloss. ff. de seruitut. Ergo propter necessitatem factum uidetur, quòd aliæ Actiones pro retinenda seruitute proditæ sunt, sed si quis rem accuratè perpenderit, intelliget has actiones suum quendam habere usum, non planè quidem alie
9 num ab interdictis, sed diuersum tamen. Primùm enim non possumus agere Confessoria, nisi per patientiam seruitus quasi tradita sit. l. i. §. final. ff. de ser-
10 uitut. præd. Nam si per stipulationem tantùm promissa, aut in Testamento legata alicui est seruitus, is non potest Actione Confessoria seruitutem uendicare, sed actione ex stipulatu, uel, ex Testamento peti sibi permitti, ut seruitute promissa uel legata utatur, necesse est. Negatoria quoque nemo experiri potest directò, nisi dominus sit eius prædij, à quo arcere uiolentam seruitutem cupit. Vtilis tamen negatoria datur illi, qui emit seruitutem à non domino prædij, in quo constituta est seruitus. leg. si ego. §. si de usufructu. ff. de public. in rem Actio. Item datur utilis superficiario, emphyteutæ, Vasallo, & omnibus, qui habent ius in re, sicut illis datur utilis rei uendicatio, leg. superficiario. ff. de rei uendication. & leg. i. ij. & iij. ff. si ag. uectigal. petat. nam hi quasi dominium habere censentur. At ut quis agere possit Interdicto, de itinere, actūque priuato, sufficit sola possessio, etiamsi quis solùm triginta diebus eam habuerit. leg. i. ff. de itine. act. priua. Idem ferè fit & in reliquis Interdictis. Itaque interdictis possessorijs ex alia causa pro & contra seruitutes agimus, quàm Actione Confessoria & Negatoria. Deinde per Actionem confessoriam non solùm possessionem, sed etiam ipsum ius omnium seruitutum uendicamus, cùm per interdictum de itinere actūque priuato solam possessionem, & eam in solis prædijs rusticis tueamur. Et interdicto, quod ui aut clam, tum demum agimus, cùm aliquod opus in prædio nobis seruiente positum est, per quod prohibemur seruitute nostra uti, ac proinde petimus illud tolli. Nec Interdicto, uti possidetis, pro retinenda possessione seruitutis agimus, nisi cùm in ea solùm turbamur. Verùm Actione Confessoria agere pro retinenda seruitute licet, quocunque modo in ea utenda impedimur, contra impedientem, & Actione Negatoria depellimus seruitutem, quacunque ui aut arte ea quæratur in nostris prædijs. Quamuis igitur sæpe accidit, ut uel interdicto aliquo possessorio, uel his Actionibus retinere aut depellere seruitutem possimus, tamen harum actionum magis & magis uarius est usus, sicut ex his, quæ diximus, facilè colligetur.

Præterea habent & hoc commodi hæ actiones, ut illis etiam id petamus, quod nostra interesse uidetur, non impeditos nos esse in nostra seruitute, aut aduersarium nihil esse molitum contra prædij nostri libertatem. l. iiij. §. in Confessoria. ff. Si seruí. uindic. Item hæ actiones perpetuæ, & transitoriæ
11 sunt ad hæredes, Interdicta tantùm annalia sunt. Quidam tamen non frustra contendunt, Negatoriam tolli istis temporibus, quibus seruitus pro diuersitate causarum acquiratur. Nimirum si quis bona fide habeat seruitutem, ut inter præsentes decem, inter absentes uiginti, cùm mala fide, triginta annis tollatur. iuxta l. ult. in fin. C. de præscript. decem uel uiginti annorum. Si uerò talis sit seruitus, quæ non constituatur, nisi ultra hominum memoriam in prædio aliquo sit habita: neque Actionem Negatoriam minore tempore extingui uolunt, & ratio in promptu est, quia donec is, qui contra libertatē alterius uult constituere seruitutem, eam legitimis modis non acquisiuit, semper à domino fundi prohiberi potest actione Negatoria. l. i. §. ul. ff. de aqua pluuia arcenda.

ff.

Si seruitus uendicetur, uel ad alium pertinere negetur.

DE COMMVNI DIVIDVNdo, & finium regundorum Actionibus. Caput XXX.

SVMMARIVM.

1. Actio communi diuidundo mixta est, realis & personalis.
2. Actio finium regundorum cur realis sit & personalis.
3. Actio familiæ herciscundæ differt ab actione communi diuidundo.
4. Quæ commodè diuidi non possunt, uni alicui adiudicentur.
5. De actione finium regundorum.
6. Termini casu submoti reponuntur.
7. Prædia rustica terminis, urbana parietibus distinguuntur.

PRIVS QVAM à realibus Actionibus ad tractandas personales Actiones accederem, placuit in medio utrarumque de actionibus, quibus res communes diuidi, & agros confines distingui petimus, agere, ut uel ipsa collatione earum admonerem discentes, quòd utriusque generis Actionum naturam imitarentur, & ob id mixtæ dicerentur. ℣ quædam. Instit. de Action. Nam communis 1
rei diuidendæ Actio Realis est, quia iure dominij, quod in re communi habemus, nostram portionem ea uendicamus. l. per hoc. in princ. ff. communi diuidundo.

Personalis uerò est, quia per eam præstationes personales, ut sunt damni dati in re communi, & fructuum ex ea perceptorum, et expensarum factarum recompensationes, quas petimus ab eo, cum quo cõmunem habuimus rem, ac si inter nos de illis inuicem præstandis conuenisset, consequimur. l. in hoc. ff. commu. diuid. Actio uerò finium regundorum ideò Realis est, quia 2
& ea uendicamus id, quod ille, qui habet agrum confinem nostro, occupauit, aut obstat, quò minus id iuxta positionem terminorum nobis retineamus. Et personalis est, quia damnum culpa, aut dolo datum, & fructus ex parte agri interuersa perceptos præstare per eam is cogitur, qui agros confines terminis distinctis esse non siuit, aut noluit. l. sed & loci. ff. fini. regund. Sed hæc tamen in hac actione non præstantur ex obligatione quasi contractus, sed iudicis cognitione, pro diuersitate casuum, nobis tribuuntur. Itaque Actio finium regundorum Datiua, & non Natiua esse dicitur à gloss. circa l. i. ff. fini. regundor. Nam quod ad præstationes personales attinet, hæc Actio non certa definitione petitionis ex una aliqua causa datur, sed iuxta diuersitatem casuum iudici permittitur, ut pro modo causæ præstationem fructuum & impensarum fieri iubeat. arg. l. ult. ff. fini. regundor. Sunt igitur hæ duæ Actiones mixtæ, quia illis res nostras uendicamus, & præstationes personales ab aduersarijs, sicut in petitione hæreditatis & familiæ herciscundæ petimus. Differt autem Actio communis rei diuidendæ à familiæ herci- 3
scundæ actione, quia hac, hæreditas uniuersa, illa uerò singulæ res communes diuidi petuntur. Item in actione familiæ herciscundæ ex sola causa successionis res nobis cum alijs factas communes petimus diuidi. Communi uerò diuidundo agimus ex quacunque causa, siue ex Successione, siue Legato, siue ex donatione, siue ex emptione, siue ex locato, aut Pignore res nobis cum quopiam facta est communis. l. i. ff. commun. diuidun. Hinc est, quòd hac Actione non solùm illi petere possint res communes diuidi, quorum res communes sunt proprię, uerumetiam illi, qui quasi dominium tantùm (ut Emphyteutæ, & usufructuarij) in re communi habent. l. communi. ff. commun. diuidun. Nam utilis hæc actio competit omnibus, qui legitima ex causa ius in re communi habent, & non precario, aut clam, uel per uim, rem communem naturaliter, aut ciuiliter sibi & non alijs possident. Itaque Coloni & Depositarij petere non possunt res, quas ut Coloni, aut Depositarij habent communes,

munes, quia eas non sibi, sed dominis illorum possident. l. communi. ℌ neque. ff. commu. diuid. Non autem possunt res ad diuisionem peti hac actione, nisi sint corporales. l. per hoc iudicium. in princ. ff. commu. diui. Itaque in hac quoque Actione obseruatur regula, quam suprà in explicatione Actio-
4 nis familiæ herciſc. posuimus, uidelicet, ut ea, quæ commodè diuidi non possint, uni alicui ex illis, qui res habent communes, adiudicentur, & suis consortibus accepta satisdatione in id condemnetur, quod illis pro æstimatione adiudicatæ rei deberi uideatur. l. arbor. ℌ Iudex. & l. item quamuis. ℌ fin. ff. commu. diuid.

Cæterùm est hæc actio bonæ fidei, quia in Instit. de actionibus. ℌ Actionum. inter eius notæ Actiones numeratur, & datur hæredibus contra hæredes, ac proinde perpetua est. argum. legis, item quamuis. in princip. ff. commun. diuidun. Duplex quoque est, quia conueniens & conuentus, Actoris
5 atq; rei partes sustinere in ea uidetur. Porrò datur & finium regundorum Actio tam illis, qui directum, quàm qui utile dominium, aut ius in re habent. Nam & ea pro disterminandis agris, uectigalibus, & inter eos, qui usumfructum habent, uel fructuarium, & proprietarium uicini fundi, uel qui iure pignoris prædium possidet, competit. l. iiij. ℌ finium. ff. finium regundorum.
6 Neque uerò tum solùm hac actione cum illis, qui confines nobis habent agros, experimur, cùm termini positi ui fluminis, aut aliquo alio casu submoti sunt: sed & cùm positos custodire cupimus, aut noui fines inter fundos ex falsa demonstratione uenditoris ab emptore quæruntur. l. si irruptione. & l. in finalibus. & l. eos. ff. finium regundor. Quamuis autem hac actione non petamus id, quod nobis cum alijs commune est, diuidi, tamen distingui propria, ne ex propinquitate confundantur, rogamus. Ac siquidem constiterit, quòd termini sint dolo malo moti à uicino, possumus cum eo aut criminaliter agere iuxta l. agrar. ff. de termino moto: aut ciuiliter, Actione finium regundorum. Ita uidelicet, ut petamus non eam modò partem agri nobis restitui, quam inuertere conatus est, sed & ea, quæ inde percepit, & sumptus, quos in constituendis finibus fecimus. l. iiij. ℌ si dicantur. ff. finium regundorum. Petuntur aliquando fructus & interesse, cùm termini fraude non sunt moti, sed casu. l. sed & loci. à princ. usque ad ℌ sed etsi. ff. finium regun. Rursum autem ab eo, qui agit finium regun. petere potest is, qui conuenitur, quòd nihil ante sententiam latam sibi usurpare in uicini fundo uelit. Ac si quid contrà fecit, non solùm reddere cogitur quod abstulit, sed tantundem etiam. l. si con-
7 stiterit. C. finium regundorum. Vt uerò petantur prædia terminis distingui, necesse est ea esse rustica, quia urbana non terminorum positione, sed parietibus distinguuntur. Deinde necesse est, ut prædia rustica adeò sint confinia, ut medio aliquo flumine, aut itinere publico non separentur. l. iiij. ℌ final. ff. finium regundorum. Reliquas huius Actionis differentias annotat gloss. circa l. i. ff. fini. regundor. Et magna ex parte similis est diuisorijs Actionibus famil. herciſc. & communi diuidundo. Nam & hoc cum illis commune habet, ut si prædia positione terminorum dirimi commodè non possunt, adiudicatione & condemnatione controuersia dirimatur. l. ij. & iij. ff. fini. reg. Sequuntur tituli.

ff.

Communi diuidundo. Finium regundorum.

Cod.

Commun. diuid.

Communia utriusque iudicij tam fam. herciſc. quàm communi diuidun. Finium regundorum.

AD EXHIBENDVM.

Caput XXXI.

SVMMARIVM.

1. Exhibere quid sit.
2. Ius petendæ exhibitionis uariè competit, & quibus ex causis.
3. Numularius cogitur edere rationes.
4. Actio ad exhibendum quare dicatur Præparatoria.
5. Optio diuersarum uestium legata.
6. Noxalis actio.
7. Exhibitio serui.
8. Annuli exhibitio.
9. Exhibentur res mobiles, immobiles non est opus exhiberi.
10. Actio ad exhibendum an sit realis aut personalis.
11. Quare Anomala dicatur.

PRODITA est hæc actio explorandi causa, an ea de re nobis cum quopiam agere expediat, de qua statuere non possumus, an eadem, uel non sit, quam petere cupimus, nisi uidendæ & attrectandæ eius nobis copia fiat. Itaque dicta est Actio ad exhibendum, quia exhibere, est rei spectandæ copiam alicui præbere. 1
l. ij. ff. eodem. Potest autem petendæ exhibitionis ius alicui ex uarijs causis 2
aliarum actionum etiam competere. Nam ex obligatione promissi, aut ex ui pacti in uenditione appositi, nõnunq; debet exhibitio, item ratione societatis, mandati, tutelæ, negotiorum gestorum, nam horum & aliorum similium contractuum natura, exhibitio in obligationem uenit. Sed cũm ex ui alicuius pacti aut contractus debita est exhibitio, non hac actione, sed illis ipsis actionibus, quæ ex talibus causis nascuntur, exhibitionem fieri petimus, iuxta l. Titius hæres. ff. de action. empti & uendit. & C. de fideicommissis. l. Instrumenta. & l. quædam. ff. de edend. Itaque quando ex ordinaria aliqua causa actionum exhibitio nobis competit, non ad exhibendum, sed ex ea causa, quæ ex sese gignit certam quandam actionem (ut ex stipulato, ex empto) exhibere rem petimus. Sicut interdicta de liberis & de tabulis exhibendis, ex certis, & suis quibusdam causis competunt, iuxta titulum eorũdem interdictorum. Alia quoque ratione numularius per actionem in factum co 3
gitur edere rationes suas, quam ut hac actione experiri quis contra eum possit. l. quædam. §. penultim. ff. de edend. Nam quibusdam inter has actiones petimus res, ut debitas nobis, aut causa probationis exhiberi. At actionem ad exhibendum proponimus, ut paremus nobis aditum ad agendum pro re nostra, uel nobis ex aliqua obligatione debita. Quare hæc actio dicitur esse 4
præparatoria, quales olim fuerunt actiones interrogatoriæ, quibus acturi ante litis contestationem ab aduersarijs explorabant, quantum pro iure suo ab ipsis petere possent, ne plus petendo aliquid damni sentirent. l. i. ff. de interrogat. actio. Vt igitur propter similitudinem agendi hæc actio cum reliquis actionibus, & interdictis, quibus exhibitionem fieri ex suis quibusdam causis petimus, non confundatur, necesse est, has diligenter inuicem iuxta causas earum efficientes & finales separare. Est autem huius actionis natiua & genuina causa, interesse peculiare, quod causamur ex eo iure, quo rem, quam exhiberi cupimus, nostram, aut aliqua obligatione obnoxiam nobis esse ex iusta & probabili causa contendimus. Causa uerò finalis est, ut exhibita re, quam nostram esse contendimus, possimus eam uendicare, ex ea uerò, quæ nobis obnoxia est, debitum nostrum consequi. Itaq; hac actione non petimus res nostras nobis restitui, aut ea, quæ ex obligatione earum nobis debent, præstari, sed quia nostra interest, res nostras, aut debitas ex illis nos habere, petimus eas exhiberi, ut agnitis illis eas uendicare, & usui nostro adijcere possimus: ut si cui legata sit optio diuersarũ uestium, ita ut nisi ei prius ista exhibe 5
antur, apud se non possit statuere, utrã magis petere ab hærede uelit, interest

certè

certè eius, ut uestes, quarum optio illi legata est, ipsi exhibeantur, ut petitu-
6 rus postea, certa descriptione designare possit, quam sibi præstari uelit. Item si quis noxali actione à domino propter damnum ã seruo eius acceptum ex-
7 periri uelit, nec possit demonstrare noxium seruum, præstat profectò expete re prius sibi exhiberi seruos à domino, ut agnoscat, quem ex illis noxæ dedi
8 petere debeat. l. iij. ff. eodem. Item si gemma mea alterius annulo sit inclusa, quia propter ius accessionis, quo eius, cuius est annulus, facta est gemma, uendicare eam non possum, nisi sit exempta, prodest prius eum exhiberi, quàm rei uendicatione petatur. l. gemma. ff. eodem. unde satis est cernere, ut puto, quòd hæc actio proponatur, quando non est tutum alia actione experiri cum quopiam, nisi antea remouerimus, quæ nos in agendo impedire possint. Monebit autem quemque casus præsentis ratio, quando necesse sit parare sibi ad agendum aditum per hanc actionem. Quamuis enim hæc actio personalis esse dicatur; l. iij. §. est autem. ff. eod. tamen ea ita incumbit rerum persecutioni, ut ea possessorem rei, & non debitorem eius comitetur, nec frequentius nobis usuueniat, ut eam proponere cogamur, quàm cùm rerum uendicatione experiri uolumus. l. i. ff. eo. Proinde libuit quoque hanc Realibus actionibus subiungere, ne quid in illarum exercitio desideraretur, quod necessitas alicuius requirere posset. Vt maximè uerò nobis hæc actio patefaciat iter obstructum ad agendum rei uendicatione, tamen non ha-
9 bet ea locum, nisi cùm res mobiles uendicare uolumus, nam immobiles nõ est opus exhiberi, cùm latere facilè non possint. l. meminimus. §. sed ubi. C.
10 quando, & ã quibus quarta pars debeatur, libro decimo. Neque uerò hæc actio pro Reali habenda est, quia per eam ut plurimùm quærimus commoditatem rei uendicandæ. Nam per eam & personalium actionum impedimenta nonnunquam remouemus, sicut suprà in exemplo noxalis actionis ostendimus, & tamen ob id, q̃ nobis seruiat ad agendum personali actione, non dicitur personalis, sed quia propter utilitatem agere uolentium ã legibus possessores iubentur res, quas tenent, illis exhibere, ac proinde ad exhibendum, quasi id inter eos conuenerit, obligantur. Non enim personalis Actio dicitur, qua conuenimus personam, sed ad quam Actionem persona propter præcedentem contractum, uel quasi, obligatur. Neque Realis dicitur, qua rem præstari nobis petimus, sed qua rem ab eo, qui nobis nulla obligatione ad præstandum eam obstrictus est, tradi postulamus, propter ius nostrum, quo res aut ad nos pertinet, aut nobis obligata est. Etenim si Realis esset, qua rem peteremus, & personalis, qua personam conueniremus, tum nulla esset Actio, quæ non simul Actio Realis & Personalis dici posset. Manifestum nanque est, quòd omnibus Actionibus personæ propter rem conueniantur.

Quoties igitur de ista differentia Actionum iudicare uolumus, spectanda est causa, propter quam personam conuenimus. Nam cùm conuenimus aliquem tanquam obligatum, ad id, uel illud præstandum, Actio personalis est. Cùm uerò petimus rem propter ius nostrum, quod in ea habere contendimus, ã possessore nobis concedi & tradi, Realis est actio. Dubium itaque uideri posset, an hæc Actio magis personalis, quàm Realis dici debeat. Res ipsa enim ostendit, quòd hac conuenimus personam eius, cui eam intendimus, non quia obligatus est nobis ad exhibendum, sed quia rem possidet, quã ad nos pertinere, aut aliquo iure obligatam nobis esse contendimus. Datur enim hæc Actio aduersus quemcunque possessorem. l. iij. §. ultim. ff. eodem. Nihilominus uerò ea personalis esse dicitur, quia ea conuenimus etiam illum, qui rem non tenet ut possessor, sed ut commodatarius, aut custos, adeoq; qui non sibi, sed alijs possidet. leg. nam & cùm. leg. Celsus. ff. eodem. Nam hi conueniuntur hac Actione, tanquam illi, qui sine conuentione

præ

præcedente ad exhibendum ex quasi contractu obligantur. Iuxta glos. ℣ est autem. C. iij. ff. eo. Hæc pluribus, quàm fortasse oportuit, inculcamus, non 11
q̃ de hac differentia non antè à principio in compendio reliquarum differentiarum dixerimus, sed ut indicarem hanc Actionem reliquis mixtis meritò adiungi, quia tam Realibus quàm personalibus ea seruiat, itaq; à quibusdam ea etiam dicitur Anomala. Datur autem hæc actio utilis, etiam aduersus eum, qui dolo desijt possidere. l. Iulianus. ff. eod. Neq; tamen possessor, neq; alius quisquam tenetur ad exhibendum, nisi habeat restituendi facultatem. Nam illum, cui hoc negatur, sufficit cauere de exhibendo. l. Celsus. ℣ final. ff. eo. Is uerò, qui habet facultatem restituendæ rei, cogitur eam in eadem causa exhibere, qua fuit, cùm cœpta est deberi Actori pro illius interesse. l. Iulianus. ℣ sed etsi. ff. eodem. Nam qui dolo aut culpa rem exhibendam deteriorem fieri passus est, conuenitur Actione in factum, quia etiamsi eam exhibeat in deteriore causa, tamen exhibuisse eam non uidetur, quia integram eam non exhibuerit. l. exhibitionis. C. eodem. Est igitur & hæc actio arbitraria, quia non ex obligatione, sed ex arbitratu Interesse præstatur Actori. ℣ præterea, & ibi gloss. Institut. de Actionibus. Perpetua quoque est, & hæredi, atque contra hæredes datur. l. de eo. ℣ hæred. ff. eodem.

ff. & C.

Ad exhibendum.

DE GENERALIBVS ACTIONIBVS, ex diuersis obligationibus competentibus.

Caput XXXII.

SVMMARIVM.

1. Condictiones, actiones personales esse.
2. Condictiones unde dicantur.
3. Obligationem esse matrem actionum.
4. Duæ condictiones generales, condictio certi, & Triticiaria.
5. Verbum rei generale, corporalia & incorporalia complectitur.
6. Rem suam, nisi à iure, nemo condicere potest.
7. Res donata causa mortis manet nostra.
8. Res nobis debitas condicimus, & alienas nobis dari.
9. Indebitum solutum repetere.
10. Pecunia numerata cur condictione Triticiaria non petatur.
11. Certi condictio cur plurimùm prodita sit.
12. Triticius condictionem ad incertarum rerum petitionem extendit.
13. Accessiones naturales & interesse petuntur condict. Tritic.
14. Iniuriarum actio annalis.
15. Condictiones non infamant.

SEQVVNTVR Actiones personales, quæ appellatione magis propria dicuntur Condictiones, quia per has cum illis agimus, qui nobis aliquid dare, uel facere condixerunt. Verùm conuenimus Actione personali etiam eos, qui aliquo delicto suo, quo nos, aut res nostras uiolauerunt, non ut debitores ex promisso, sed ut obnoxios ad sarciẽdum damnum, quod nobis ipsorum dolo aut culpa, aut uiolentia illatum est. Itaq; condictionis uerbo etiam cõprehenduntur Actiones, quas illis intendimus, qui propter suum delictum in nos admissum, ad aliquid dandum, uel faciendum nobis obligantur. Et tales Actiones dicuntur personales, quia semper locum habent aduersus eundem, uidelicet, eum, qui nobiscum contraxit, aut in nos aliquid deliquit. leg. Actionum. ℣ in personam. ff. de Actionibus & obligationib. Neque enim 1 2

personales

personales actiones competunt aduersus quemuis possessorem, sicut Reales. Quia his non conuenimus aliquem propter rem, quam tenet, sed propter ob
3 ligationem, qua ad dandum, uel faciẽdum aliquid tenetur. Illud igitur, quod uulgò dicitur, obligationem esse matrem Actionum, ad personales Actiones, quæ omnes ex obligationibus nascuntur, referendum est. Sicut autem natura in omni diuersitate rerum plures uno genere coniungit, ut cognatio & uariatio inter eas melius perspici possit: Ita & Iurisprudentes, à quibus proditæ sunt actiones, uoluerunt earum quasdam esse generales, quasdam uerò speciales, non modò, ut similitudinem, quam inter se habent, commodè complecterẽtur, uerumetiam, ut cũm casuum infinita sit uarietas, deficientibus specialibus Actionibus, ad generales, tanquam capaciores, & pluribus conuenientes recurrerent. Proinde quamuis in singulas propemodum species contractuum, & delictorum traditæ sunt condictiones speciales (ut est condictio ex mutuo, ex stipulatione, ob causam, indebiti, furtiua, si ne causa) tamen placuit generales quasdam proponere, quæ & his & aliis casibus, qui in harum obligationem præcise non caderent, communes essent.

4 Sunt autem generalium condictionum duæ, nempe condictio certi generalissima, & condictio Triticiaria. Ambæ enim competunt ex qualibet obligatione contractus, & delicti, uel quasi. l. certi condictio. ff. si cert. petat. & de condict. tritic. l. i. Neque tamen aliqua ex his uideri potest superuacanea, etsi ex ijsdẽ causis pariter oriantur, nam res, pro quibus competunt, ea se parant. Certi enim condictio generalissima solũm competit, cũm aliquid certi in obligatione est. Vocatur autem certum, cuius species uel quantitas, quę in obligatione uersatur, aut nomine proprio, aut ea demonstratione, quæ proprij nominis uice fungitur, in obligatione comprehenditur. l. certum. ff. si cert. petat. Triticiaria uerò Actione non solũm res certæ, sed incertæ, ut sunt seruitutes, l. i. ff. de condictione Triticiar. Et quò minus quis offen-
5 datur, quòd seruitutes ponantur inter res, quæ condici his Actionibus possunt, cùm dari non queant, sciat uerbum rei, in his actionibus generale esse, ita ut corporalia & incorporalia complectatur. leg. i. in fin. ff. si cert. petat. Quantumuis generaliter autem accipiatur uocabulum rei in his Actionibus, tamen hoc adijciendum est, quòd res directò nostræ non possint con-
6 dici, hoc est, Actione personali repeti, nisi furto, aut ui nobis ablatæ sint. l. i. in fin. & secund. ff. de condiction. Triticiar. Nemo enim rem suam con-
7 dicere potest, nisi ã iure. l. ultim. in fin. & ibi gloss. ff. usufructuarius quemadmodum caueat. Res uerò, quæ utiliter sunt nostræ, condici possunt, ut res donata causa mortis, ita manet nostra, ut si nos ante obitum nostrum pœniteat factæ donationis, eam possimus utili rei uendicatione, uel condictione à donatario repetere. leg. quæ mortis. ff. de donatione causa mortis. Itaque hæ & aliæ condictiones cum utili, & non directa rei uendicatione concurrunt, cuius rei exempla sunt in l. cùm ueterum. C. de donationibus ant. nupt.
8 & de donation. quæ sub mod. l. i. Regulariter itaque condicimus res, quæ nobis sunt debitæ, non quòd iure directi dominij sunt nostræ. Nam quod nostrum est, id ut porrò fiat nostrum, petere non possumus, At condictionibus petimus rem alienam nobis dari, adeòque accipientis fieri. Quare rem nostram nobis dari tanquam debitam nulla condictione petimus, nisi furti-
9 ua. Nam etiam cùm indebitum solutum repetimus, non rem nostram, sed possessionem eius condicimus. leg. indebiti. §. sed etsi. ff. de condiction. indebi. Atque hæc quoque est ratio, quòd quamuis hæ Actiones ex omni contractu competunt, tamen Commodatum, Depositum, Locatum, & pignus, peti his non possunt. Quia rei Commodatæ, Depositæ, Locatæ, proprietatem & possessionem retinemus. leg. rei. ff. Commodati & Depositi. leg.

licet,

licet. §. rei,& loca.l.non ſolet. In re pignori data quoque proprietatem retinemus.l. pignus. C. de pignora. actio. Itaque res quæ ex iſtis contractibus in obligatione ſunt,non condicuntur,ſed tanquam noſtras eas ſuis Actionibus perſequimnr. Præterea uariat condictio Triticiaria à certi condictione generaliſsima, quòd illa non ſicut hac numeratam pecuniam condicimus.l. i.ff. de condicti. tritic. Sed non uideo huius diuerſitatis cauſam. Nam cùm Triticiaria condictione alioqui petamus omnes res, quæ menſura,aut ponde re conſtant, quæ poſsit eſſe ratio, cur numerata pecunia non condicatur ea. Me ſanè cogit euidens huius diuerſitatis neceſsitas,ut ſentiam, hanc nō naturam harum condictionum peperiſſe, ſed eam ex caſu, quo proditæ ſunt hæ duæ condictiones,natam eſſe. Satis nanque apparet ex titulo Digeſtorum, ſi certum petatur, quòd certi condictio plurimùm prodita ſit, ad petendam certam quantitatem,maximè ex mutuo debitam. Nam in legibus eius tituli frequentior fit mentio debiti ex mutuo,quàm cuiuſquam alterius obligationis, neque uſquam de condictione generaliſsima ſeparatim agitur, quàm in lege Certi condictio,ut planè mihi uideatur hanc generaliſsimam ex ſpeciali,quę datur ex mutuo,productam eſſe,ut ſicut certum in obligatione mutui ſpeciali certi condictio ne peteretur,ita quæuis alia certa ſpecies & quantitas ex quauis obligatione debita generali condictione peteretur. Et quia huius condictionis uſus,oſtendit magnam eſſe commoditatem,una actione ex uarijs contractibus debita petere poſſe,conſultum uidetur uiſum Triticio, ut eam ad rerum incertarum petitionem extenderet. Vnde poſtea uſu inualuiſſe arbitror,quòd diuerſæ ſint habitæ hæ condictiones, propterea quòd diuerſis autoribus & temporibus ſint proditæ. Nam quod ad naturam ipſarum attinet, nihil eſt,quod prohibeat numeratā pecuniam Triticiaria peti. Sic igitur ſtatuo,quòd hanc differentiam earum induxerit uſus,propter quem & hodie ea obſeruanda ſit,licet natura ipſarum non id requirat. Petimus autem utraque Actione non ſolùm id, quod eſt in obligatione nobis præſtandi, ſed & eius acceſsiones naturales,& noſtrum intereſſe propter moram à tempore contestatæ litis.l. ſi fundum.ff.de uerborum obligation. Vſuras autem non petimus,quia ſtricti iuris ſunt Actiones,in quibus non ueniunt uſuræ, niſi ſtipulatione promiſſæ ſunt.l. i. C. de condiction.indeb. Proinde etiamſi hæ condictiones loco alicuius ſpecialis Actionis proponantur, tamen illis non petitur,niſi id,quod in obligatione illorum fuit. Nam quando Actio in alterius locum deuoluitur,ſolùm id petimus, quod natura cuiuſque Actionis in eam uenit,non incrementum,quod caſu illi accedit.l. item ueniunt. §. cùm prædiximus.ff.de petition.hæred. Si quis igitur condictione generali petere malit,quod illi propter damnum culpa datum debetur, quàm actione legis Aquiliæ,non creſcit condictio, ſicut Aquilia contra inficiantem.l. eum qui in principi.ff. de iureiurand. In illis autem differentijs, quas natura ſua habent Actiones,imitantur condictiones eas, quarum loco proponuntur,ut ſi quis id,quod illi propter illatam iniuriam debetur, condicat, & ceſſet in urgendo aduerſario,ita ut annus elabatur eius ceſſatione, tum illi porro negatur agendi facultas. Nam & iniuriarum actio annalis eſt.l. ſi quis eum. §. qui iniuriā. ff.Si quis cautionibus &c. Item tranſit ad hæredes,cùm actio,cuius uicem ſuſtinet,tranſitoria fuit.l.cùm poſt mortem.ff.quan.de pecul.act.anna.eſt.Idem fit in alijs differentijs actionum. Eſt autem magnum ſæpe commodum, poſſe his actionibus loco aliarum experiri, maximè cùm ea actio,pro qua condictionem ſuſcipimus,famoſa eſt,ut eſt actio furti & doli. Condictiones enim non infamant. Itaq; ſummæ humanitatis eſt, condictione aliquem conuenire,ut parcamus eius infamiæ.

Debitum ex mutuo.

Actiones hæ ſunt ſtricti iuris.

ff.
De condictione Triticiaria.

Cod.
Si certum petatur.

Ex

EX PACTO.

Caput XXXIII.

SVMMARIVM.

1. Actiones personalissimæ condictiones uocantur.
2. Contractus pactis constitui.
3. Quæ actiones oriantur ex pacto.
4. Pactum quando sit uestitum, ex stipulatione, uel consensu partium, uel incontinenti legitimo contractui adiunctum.
5. Ad præstanda promissa quibus actionibus cogamur.

POST condictionum generalium expositionem locus erat proximè dicendi de condictionibus specialibus, ut actiones personalissimas (sic enim uocantur condictiones) coniungeremus, uerùm, quia iam sæpe monuimus, nos non iuxta differentiarum, quibus inter se differunt actiones, nomenclaturam, sed secundum seriem causarum, è quibus nascuntur actiones, declaraturos, prætermittere non potui, quin & actionum, quæ ex pactis nascuntur, mentionem hic facerem. Nam in tractatu obligationum, omnibus contractibus pactorum cõ
2 pendium præposui, quia contractus pactis constituuntur. Annotauimus au-
3 tem in eo loco, quòd ex pacto non oritur actio, nisi sit uestitum. Itaq; hic tan-
4 tùm quæritur, quæ actiones ex pactis uestitis nascantur. Et hanc quidem quę stionem distinguit diuersitas modorum, quibus uestiuntur pacta. Nam si pactum est uestitum ex interuentione stipulationis, nascitur ex eo actio ex stipulatu, de qua infrà de actionibus, quæ ex uerborũ obligationibus oriuntur. Si uerò uestitum est mutuo paciscentium cõsensu, tum uidendum est, cuius contractus, inter illos, qui consensu partium cõstituuntur, naturam proximè referat. Eius enim contractus actionem ex se gignit pactum, cuius naturam maximè imitatur. Id quod & de literarũ obligatione accipiẽdum est, cùm earũ adhibitione pacta uestita inueniuntur. Nec aliter fit, cùm rebus interuenientibus uestiuntur, nisi quòd aduertendum est, an pactum rei interuentu uestitum, referat contractum nominatum uel innominatum, nam si induit naturam mutui, commodati, depositi, aut alterius cuiuspiam contractus nominati, planum est ijs actionibus pro tali pacto nos experiri posse, quæ ex ui talium contractuum competunt.

Si uerò pactum habet naturam contractus nominati, tum is, qui tradidit rem promissam, aut cupit rem ipsam sibi reddi, & agit condictione causa data causa non secuta. l. si ut proponis. C. de condictio. ex cauſ. Aut mauult eum, cum quo pactus est, cogi ad præstandum, de quo conuentum est, & agit actione præscriptis uerbis. l. quoniam. C. de rerum permutat. Eadem actione utimur, cùm pactum censetur uestitum, propterea quòd alicui legitimo contractui incontinenti antè uel pòst adiunctum est. l. lecta. ff. si cert. petat. & gloss. circa l. ex pacto. C. de rerum permutat. Sed licet isto casu etiam experiri ea actione, qua pro contractu, cui adiunctum est pactum, alias utimur, ut si quis uendito fundo cum emptore paciscatur, quòd debeat illi restituere
5 fundum uenditum, si quando ipse, aut hæredes eius illi offerant precium, quo illum uendiderit: tum si oblato precio recuset istud facere, potest uel actione ex uendito, uel præscriptis uerbis eum conuenire, & ad præstanda promissa cogere. leg. ij. C. de pactis inter empt. & uend. Ideò uerò has actiones, quæ ex pacto cõpetunt, pluribus hic non explicabimus, quia pactorum causæ principaliter non sunt proditæ, sed pro illis competunt, cùm pacta aut legitimorum contractuum naturam induunt, aut deficientibus ordinarijs auxilijs in subsidium adsciscuntur. Itaque de singulis suis locis agemus.

EX MVTVO.

Cap. XXXIIII.

SVMMARIVM.

1. Condictio certi specialis quæ.
2. In quo uarient certum & mutuum.
3. Frumentum mutuo datum quomodo petatur.
4. Vsuras ex mutuo peti non posse, nisi de ijs dandis conuentum sit.
5. Pro usu rei ultra sortem aliquid petere, iniquum esse.
6. Fructus & interesse post moram deberi in hac condictione.

AGIMVS certi condictione speciali ad repetendum id, quod mutuo alicui dedimus, postquàm dies uenit, in quem constituta est solutio. Et uariat quidem hæc condictiõ à generali, tanquãm species à genere. Nam illa condicimus certum, quod in obligatione præstandum est in quocunque contractu. Hac uerõ id tantũm, quod ex mutuo nobis debetur. A reliquis uerõ actionibus, quæ oriuntur ex obligationibus rerum, interuentione contractis, ut est commodi, depositi, differt, quia illis petuntur res eædem cum illis, quæ datæ sunt, specie, hac uerò eædem genere. Nam frumento mutuo dato, non illud ipsum, quod dedimus, sed eiusdem generis & precij, & pari mensura ex obligatiõe mutui petimus. Itaq; mirari quis possit, quare ex mutuo agamus certi condictione speciali, cũm ea non eandem speciem, sed idem genus, cuius solutio in incerta specie esse uidetur. Nam qui debet equum, illum quolibet equo dato, liberari posse apparet. Verũm quia mutuum in illis tantũm rebus contrahitur, quarum certa æstimatio, pondere, mensura, aut numero fieri potest. l. ij. ff. si certum petat. Propter certitudinem æstimationis in re mutuo data, certum condicere ex mutuo dicimur, quippe res similitudine & æstimatione illis, quas dedimus, pares petimus. Præter eas autem res, quas dedimus mutuo, nihil nomine usurarum peti potest, etiamsi de illis ultra sortem præstandis fuerimus pacti. Re enim non potest contrahi obligatio, nisi quatenus datum est. Et quamuis in alijs contractibus re interuenientes existentibus ualeat stipulatio usurarum, tamen in mutuo non ualet. Quia res mutuo data transit in eius, cui data est, dominium, ut iniquum sit, ab eo petere aliquid ultra sortem pro usu rei, quæ facta est illius. iuxta ea, quæ suprã in tractat. de usuris annotauimus. Et l. si tibi decem. in principio. ff. de pactis. Et l. quamuis. C. de usuris. Reliquæ uerõ accessiones, ut sunt fructus & interesse, etiam nudo pacto promissæ, post moram debentur, iuxta ea, quæ suprà de accessionibus diximus. Cæterũm ciuilis est hæc condictio, sicut cæteræ omnes condictiones, & datur hæredibus mutuum dantis, contra hæredes mutuantis, ne illi re sua careant, & hi aliena re inuitis dominis utantur. Est quoque perpetua, & stricti iuris, sicut aliæ condictiones. Sed generalis est, quia generali appellatione res mutuo data repetitur. Directò uerò competit illi, qui suo nomine rem suam mutuo dedit, atque etiam illi, cuius mandato mutuum eius nomine alicui datum est, item illi, qui ratum habuit, quod eo ignorante ab alio eius nomine mutuo datum est. Vtilis uerõ datur illi, qui sine mandato alterius nomine dedit mutuum, nec potest impetrare ab eo, ut id ratum habeat. l. si absentis. & ibi DD. C. si certum petatur. Ab eo autem directò condicitur mutuum, qui suo nomine id accepit. Non enim in conuentione mutui spectatur, in cuius commodum id sit uersum, nisi tum, cũm daretur mutuum, constiterit de eius, cui datum est, functione: Vt manifestum esset, in cuius commodum id acciperetur. Nam isto casu si accipiens fuit in functione publica, conueniuntur illi, quorum nomine functionem sustinuit. l. ciuitas. ff. si certum petatur. Si uerò contraxerit mutuum priuati alicuius nomine, refert, an ex mandato eius, in cuius usum uersum est, mutuum id fecerit, nec ne. Nam si ex mandato eius factum est, conuenitur is, qui mandauit, quia

1 2 3 4 5 6

quia principaliter cum eo contractum est. l. ult. ff. quod iussu. Si uerò non exhibito mandato mutuum datum est, conuenitur is, cui datum est, aut si ille non sit soluendo, & tamen constat, in cuius rem id conuersum sit, potest illud peti actione de in rem uerso. arg. l. quod si seruus. §. i. & §. unde. ff. de in rem uerso.

ff. & C.

Si certum petatur.

EX COMMODATO & precario. Cap. XXXV.

SVMMARIVM.

1. Actio commodati ad quid detur.
2. Si commodata res deterior facta sit.
3. Commodatarius ad dolum & culpam tenetur.
4. Actio commodati est bonæ fidei.
5. In litem iurat, quanti rem æstimet, qui eam commodauit.
6. Adiuuari nos, non beneficio decipi oportet.
7. Actio commodati contraria.
8. Impensas commodatarius repetere potest.
9. Compensationem admitti.
10. Autor communem & summariam iuris notitiam tantùm se tradere dicit.
11. Interdicto de precario quando agatur.
12. Actio præscriptis uerbis in re precario data cum pacto reddendi. (pertinere.
13. Saluianum interdictum ad actiones, quæ locato tibus contra colonos dantur,

1 QVI rem suam, aut alienam alicui dedit commodato, is finito tempore, quo eius usum illi concesit, repetere eam potest actione commodati, si commodatarius cesset eam restituere. Ac siquidem rei commodato datæ ea est conditio, qualis fuit cùm daretur, ita ut integra reddi possit, nihil amplius ea petimus à commo-
2 datario, quia ea sola in obligationem ratione commodati uenit: At li facta est
3 deterior, quàm fuit, tum simul cum re interesse nostrum petimus. Tenetur enim commodatarius ad dolum & culpam. l. si ut certo. §. commodatum. ff. cõmoda. Nec res deterior facta, reddita uidetur, nisi, quod interest nostra, inte-
4 gram eam restitui, præstetur. l. iij. §. i. ff. commod. Et quia hæc actio bonæ fidei est, iure ipsius actionis interesse petimus, sicut etiam fit, cùm res commoda ta per se non est facta deterior, sed aliquid de ea deest. Non enim liberatur obligatione rei præstandæ, donec aliquid in ea uel iuris, uel rei desideratur. l. etiam. ff. de solutionibus. Si uerò res omnino non potest restitui, tum uiden-
5 dum est, an dolo commodatarij factum sit, quõ minus possit restitui. Nam isto casu damnatur commodatarius sine ulla taxatione rei in id, quanti æstimauerit rem is, qui commodato eam dedit, & in litem iurauerit. Secus fit cùm absq; dolo commodatarij factum est, ut non possit restitui, nam tum condemnatur in id solũm, quod interesse aduersarij cernitur, rem restitui. l. qui restituere. ff. de rei uendicatio. E diuerso & commodatarius aduersus commodatorem iuuatur, si quid damni commodantis dolo aut culpa ex re commodata sensit,
6 quippe adiuuari nos, non beneficio decipi oportet. l. in commodato. §. sicut.
7 ff. commo. Quare, qui sciens seruum furem ignoranti commodauit, is contraria commodati actione conueniri à commodatario potest, ut sarciat damnum per talem seruum illi datum. l. pen. ff. com. Idem obseruandum est in reliquis commodatis, ex quorum uitio damnum accipimus dolo aut culpa commodan-
8 tis. Necessarias quoq; in rem commodatã factas impensas, repetere cõmodata-
9 rius potest. l. in reb. §. possunt. ff. commod. Sed possunt hæc ipsa, quæ uel impendit commodatarius, uel ex dolo commodãtis tulit, iure compensationis deduci, antequàm reddat rem commodatam. l. in reb. §. fin. ff. comm. Hæc de a-

ctione commodati,& illi contraria annotare tantùm uolui,quamuis pleraque alia adijci his possunt, nam iure huius actionis planissimis legibus declarantur. Et nos hoc tantùm spectamus,ut communem & summariam quãdam rerum iuris notitiam,quam adferre studiosos ad singularium casuum tractationem ducimus necessariam, discentibus præbeamus: in annotandis ijs, quæ sunt obuia in ipsis legibus,non sumus curiosi, sed ea discentium inuestigationi relinquimus. 10

Proinde neq; in his actionibus,neq; in ijs,quæ ex precario competunt,nimis sedulos nobis esse libet. Nam in his explicandis,leges titulorum,huc peculiariter pertinentium satis multæ & perspicuæ sunt. Itaq; hoc tantùm de iure agendi ex obligatione precarij annotamus, quòd si cui petenti sine pacto reddendi,data est aliqua res utenda,& ipse nolit,aut dolo fecit,quò minus possit eam restituere, tum posse aduersus eum agi interdicto de precario, & peti, ut restituat precario illi concessum: aut si fortẽ id omnino non possit præstare,ut condemnetur ad interesse,sicut de commodato diximus. Si uerò res precario data cum pacto reddendi, tum actione præscriptis uerbis etiam conueniri potest.l.ij.& l. interdictum,atque ibidem glossf.ff. de precario. 11 12

ff.

Commodati,uel contra. De precario.

Cod.

De commodato. De precario.

In hoc Tit. etiam de Saluiano interdicto. Sed illud ad actiones,quæ dantur locatoribus aduersus colonos, pertinet. 13

EX DEPOSITO, ET SEQUESTRATIONE. Caput XXXVI.

SVMMARIVM.

1. Actio depositi ad quid detur. 2. Depositarius ad quid teneatur.
2. Actionem depositi esse bonæ fidei.
4. In litem iurat deponens pro suo interesse.
5. Actio depositi quando in duplum detur.
6. Est hæreditaria & perpetua. 7. Contraria actio depositi.
8. De Sequestratione. 9. Sequestratio inter cautiones numeratur.

REM alicuius custodiæ & fidei commissam, repetimus actione depositi, quandocunq; eam restituere depositarius recusat, aut in ea restituenda tergiuersatur. l. i. §. si sit res. ff. depositi. Neq; enim depositarius ad aliud maius obligatur, quàm ut rem depositam restituat deponenti,cum omni causa & accessione, qua eam accepit & habuit. Est enim actio bonæ fidei.l.i. §. hanc actionem. ff. depositi. Itaq; dolo etiam agere uidetur depositarius, quum aut reddere depositum nolit,aut reddat cum deteriori conditione, q̃ fuit. l.i. §. si res. & §. est autẽ.ff. depositi. Quapropter si dolo depositarij factum est, quò minus ita reddi depositum, ut oportuit, possit, deponenti conceditur, ut in litem iuret,ac quanti pro singulari interesse rem depositam æstimauerit,in id condemnari depositarium petere potest. l.i. §. si rem depositam. ff. depos. Ac nisi quod fructuum nomine,& propter moram post litem contestatam ea petitur,in simplum hac actione depositi, directa & ciuili agemus. Sed est alia depositi à prætore prodita actio, qua cum illis in duplum agimus,qui negant se accepisse, quod metu tumultus,aut incendij,aut ruinæ, aut naufragij causa apud eos deposui mus. l.i. §. prætor ait. ff. eo. Quamuis autem tum ciuilis tum prætoria depositi actio sit hæreditaria,tamen in hæredes depositarij non datur prætoria, nisi in simplum. In ipsum uerò depositarium datur in solidum, & in duplum,& in perpetuum, cũm in hæredes detur per annum tantùm. l. quod tumultus. ff. depos. Est & ciuilis depositi actio perpetua,& utraq; infamat depositarium, quia 1 2 3 4 5 6

7 quia de perfidia eius agitur. Quia uerò in contraria actione depositi, qua depositarius experitur contra deponentem, ad repetendum ea, quæ utiliter in rem depositam expendit, non de perfidia, sed indemnitate eius, qui depositum suscepit, agitur, ea non infamat. l. furti. §. mandati. & seq. ff. de his, qui notantur infam. & depos. l. ei apud quem. §. i. Quemadmodum autem agitur pro deposito actione ciuili directa & contraria, ita & pro rebus apud sequestrum depositis. l. licet. & ibi gloss. ff. depos. Cæterùm quatenus obligationes depositi, & sequestrationes contrahantur, & quomodo inter se differant, indicauimus suprà in obligationibus, ut non sit necesse ea hic repetere. Quando 9 autem possit peti, aut fieri sequestratio, dicemus infrà de iudicijs. Nam & sequestratio meritò inter cautiones numeratur, quibus autoritate iudicis litigantibus prospicitur, ne quid eorum, de quibus litigant, intercipiatur. Pertinent huc ijdem TT. quos suprà in capite harũ obligationum annotauimus.

PRO PIGNORE, ET HYpotheca. Caput XXXVII.

SVMMARIVM.

1. De tribus actionibus pro pignore & hypotheca.
2. Pignoratitia repetitur res pignoris loco data, post solutionem debiti.
3. Contraria creditori datur.
4. Hypothecaria, & quasi Seruiana datur ad consequendum promissum pignus.
5. Pignoratitia ab hypothecaria quid differat.
6. Vtriusque obligationem ex consensu nasci.
7. Sunt perpetuæ, & bonæ fidei.
8. Pignore pluribus ab eodem promisso, uter præferatur.
9. Is cum quo primùm de pignore contractum est, præfertur reliquis omnibus, cum quibus post eum contractum est.
10. De priuilegijs creditorum.
11. An is prioris creditoris iure gaudeat, qui debitori eius mutuo dederit pecuniam, ut pignus ab eo redimeret.
12. Quando posterior creditor ijsdem prærogatiuis fruatur, quibus prior.
13. Num posteriores creditores uendicare actione hypothecaria pignus possint ab emptore, si istud à priore creditore distractum sit.
14. Accepta pignora alijs pignori obligari licere.
15. In actione pignoratitia fructus in sortem computari.
16. Pignora prætoria quando repetantur.
17. Differentia quæ sit inter pignus iudiciale & conuentionale.
18. Condemnatis tempus quadrimestre concedi à lata sententia.
19. Prætoria pignora cautionis causa capta.

1 RES sunt positæ actiones, quibus pro pignore & hypotheca a-
2 gimus. Duæ ã iure ciuili, quarum priore, quæ dicitur pignoratitia, post solutionem debiti repetimus rem, quam pignoris loco creditori nostro tradidimus. Altera est illi contraria, quia nõ
3 debitori, sicut illa, sed creditori datur aduersus debitorem, cũm aut dedit pignus non sufficiens pro debito, aut aliquid impensarum necessariarum in rem pignori datam fecit. Duabus his ciuilibus prætor adiecit tertiam, quæ dicitur hypothecaria, & quasi Seruiana, ut creditor haberet actionem, qua cum debitore, aut quocunque alio, qui rem ab eo in pignus promissam teneret, agere posset, ad consequendum promissum pignus. Competunt
5 autem hæ actiones tam pignoris, quãm Hypothecæ nomine. Sed interest tamen inter pignoratitiam & hypothecariam actionem, quòd pignoratitia in personam est, neque datur, nisi res pignori data, sit tradita, & postea solutum sit debitum, uel quocunq; alio modo creditori, qui habet pignus, satisfactum. l. si rem. §. omnes. ff. de pignor. actio. Itaq; magis in pignore, quãm in

hypotheca, cùm propria significatione accipiuntur, locum habent. At hypo 6
thecaria in rem est, & nascitur ex solo consensu. l. pignoris. C. de pignoribus & hyp. Itaq; non solùm datur aduersus debitorem, sed & contra quemuis possessorem rei in pignus uel hypothecam promissæ. l. si fundus. §. in uendicatione. ff. de pignor. & hypoth. Vnde quoq; est, quòd inter pignus & hypothecam, quantum ad hypothecariam actionem attinet, nihil interesse dicatur. §. inter pignus. Instit. de action. Nam tum pignoris tum hypothecæ præstandi obligatio ex consensu nascitur, cùm securitatis causa creditori promittuntur. Licet autem tam directa, quàm contraria pignoratitia personalis sit, tamen utraq; datur hæredibus, & in hæredes. Et perpetua est, omnesq; accessiones in 7
eas ueniunt, quæ regulariter in alijs actionibus bonæ fidei nascuntur, quę omnia abundè & perspicuè declarantur in titu. ff. & C. de pignoratitia actione uel contra. Nam in hoc tit. peculiariter de his actionibus duabus agit. In titulo uerò de pignoribus & hypothecis agitur promiscuè de obligatione pignoris & hypothecæ. Itaq; & de hypothecaria, siue quasi Seruiana accipienda quoq; sunt, quæ in eo de iure agendi traduntur. Ac potest quidem ille ipse titulus loco compendij in hac actione esse. Quia diligẽter in eo annotata sunt, quæ huius actionis naturam declarant, & ab alijs separant.

Cæterùm sunt alijs quibusdam titulis singulares quædam quæstiones, quę in has actiones incidere possunt, explicatæ. Quare quamuis non sit nostri instituti, tractare singulares quæstiones iuris, tamen quia peculiaribus TT. extant annotata, non pigebit nos quoq; eas attingere, ne quod maioribus usum est cognitu tam necessarium, ut peculiares titulos de illis tradiderint, temerè negligere uideamur. Est autem inter quæstiones, quæ de iure agendi 8
pro pignore uel hypotheca nobis occurrere possunt, uel præcipua: quòd si quis diuersis temporibus, alijs atque alijs eandem rem in pignus aut hypothecam promittat, uter ex illis plus iuris præ altero habeat, agendi actione hypothecaria cum debitore, uel quouis alio possessore ad uendicandam rem in pignus ipsi promissam. Et est quidem generalis regula, quòd is, cum quo pri- 9
mùm de pignore contractum est, præferatur reliquis omnibus, cum quibus post eum contractum est. l. si fundum. C. qui potio. in pigno. hab. Sed patitur 10
hæc regula plurimas exceptiones cùm propter priuilegia, de quib. in glossa circa l. priuilegio. ff. de priuileg. creditor. tum propter alias causas, quarum remissiones extant in gloss. circa l. diuersis. C. qui potio. in pigno. habea. Proxima huic quæstioni est ea, qua quæritur, an is creditoris prioris iure (de 11
quo in præcedẽte regu. diximus) gaudeat, qui debitori eius mutuo dederit pecuniã, ut pignus ab eo redimeret, & ipsi pro mutuo oppignoraret. Ac statuit 12
quidem in tit. codicis de his, qui in priorum creditorum locum succedunt, quòd si aut posterior creditor ipse soluat debitum, pro quo obligatum est pignus, aut mutuo det pecuniam debitori, ut ea liberet suum pignus, atq; cum eo paciscatur de succedẽdo priori in iure pignoris, & pecunia eo nomine illi mutuo data debitori, perueniat ad priorem creditorem, tum posteriorem frui ijsdem prærogatiuis quibus prior.

Præterea quæritur, num posteriores creditores uendicare actione hypothe 13
caria pignus possint ab emptore, si istud à priore creditore distractum sit. Licitum nanque sit creditoribus uendere pignora, si intra tempus præfinitum liberationi pignoris non soluatur debitum, propter quod traditum est pignus. Atq; id quidem adeò licitum est creditoribus, ut debitores uendicationem pignoris nullo modo impedire possint, nisi per oblationem, uel depositionem debiti, si fortè creditor solutionem admittere nolit. C. debitor. uendi tio. pig. imped. non posse. Quare posteriores creditores ab emptoribus uendicare distractum pignus nõ possunt, actione hypothecaria, nisi hoc in uendi tione pactum fuerit, ut liceret illis aut debitoribus ipsorum istud recuperare,

aut

aut fortè uenditum sit fideiussori debitoris. Nam quia fideiussor necessitate iuris, quo obstrictus fuit creditori, nomine debiti alieni, coactus uidetur, ut emptione pignus ad se transferret, ne absque eo solus periclitaretur de soluendo debito, leges iubent, eum reddere emptum pignus debitori, aut eius posterioribus creditoribus, si ipsi eam pecuniam, quam in emptionem pignoris expendant, restituat. l. ij. ff. de distract. pign. & toto titu. C. Si ant. cred. pig. uen. Habent autem hæc iura recuperandi uenditi pignoris locum, cùm licuit uel ex pacto contracti pignoris, uel autoritate legis istud uendere. At si contra ius uenditum fuerit pignus, tum illud uendicatur, iuxta tit. C. Si uendito pignore agatur.

14 Porrò, licet etiam creditoribus accepta pignora, alijs pignori dare. Itaque quęri quoq; solet, quatenus ab eo, cui pignus datũ est pignori, repeti possit, & statutum est ff. de pign. l. grege. §. Cum pignori, quòd eatenus teneatur ad restituendum illud, quatenus uerũq; debitum solutum sit. Tractatur autem hæc quæstio in tit. C. si pignus pignori dat. sit. Cæterùm quoties creditoribus datur ius uendicandi pignoris, actione hypothecaria, non solùm res in pignus promissa, sed ea cum omni accessione uendicatur. C. de partu pignoris & o-
15 mni cauſ. Cùm uerò debitor, aut eius hæredes actione pignoratitia repetunt pignus à suo creditore, fructus in sortem computantur. c. cum cont. Ex. de pignoribus. Postremò quæri potest, quæ actiones locum habeant pro pignore prætorio, uel iudiciali. Non enim dubium est pro his quoq; dari actiones. Nam quod in reliquis pignoribus conuentio, idem in his autoritas iudicis, iubentis ea præstari, operatur. l. i. C. si in causa iudicati.

16 Proinde obseruandum est, quòd sicut conuentionalia pignora soluto debito repetuntur actione pignoratitia, ita & prætoria, siue cautionis, siue executionis causa fuerint à iudice constituta. Imò si quid amplius ex pignore prætorio, quàm debitum fuerit, acceptum est, potest id quoq; peti. l. is cui. §. quæri. ff. ut in possessione legatorũ seruandorũ causa esse liceat. Hypothecaria uerò experimur pro talibus pignoribus tum demum, cùm culpa nostra, aut sine, possessionem nostram euasit res in pignus à prætore nobis concessa. l. ult. C. de prætoris pignore. Nam ut res debitoris, quarũ possessionem nõ habuimus, dentur in pignus à iudice, non actione hypothecaria, sed imploratione
17 eius officij petimus. In hoc igitur differt ius agendi pro pignore prætorio à conuentionalis pignoris iure, quòd illud non petimus hypothecaria, nisi excidimus eius possessione.

Deinde uariat ius distrahendi pignoris in iudiciali pignore à reliquis pi-
18 gnoribus. Nam quia illud datur executionis causa, meritò indulgetur condemnato idem spacium occurrendi incommodis talis executionis, quod in alijs omnibus executionibus condemnatis regulariter conceditur, nempe tempus quadrimestre à lata sententia. l. ult. C. de usuris rei iudic. Elapsis igitur quatuor mensibus, postquàm nomine iudicati addictum est alicui pignus, licet illi distrahere illud autoritate iudicis interueniente. l. ij. C. si causa iudic. pig. capt. sit. Si uerò non potest inuenire emptorem pignoris, tum ut pignus sibi retineat, necesse est, eum impetrare à iudice ius dominij in eum. l. ulti. C. de iure
19 domi. impetran. Ea uerò prætoria pignora, quæ cautionis causa capiuntur, non licet uendere, nisi arbitrio iudicis. Iuxta Dinum cir. l. finita. §. Iulia. ff. de damno infecto. Quomodo autem impetremus à iudice, ut nobis decernat pignora, audiemus infrà in capite de iudicijs, ubi agemus de satisdationibus, & executione sententiæ. Tituli huc pertinentes sunt:

ff.

De pignoratitia actione, uel contrà. De pignoribus & hypothecis.
Qui potiores in pignore habeantur, & de his, qui in priorum creditorum locum succedunt.

Cod.

De pignoratitia actione. De pignoribus & hypothecis.
Qui potiores in pignore habeantur.
De his, qui in priorum creditorum locum succedunt.
Si antiquior creditor pignus uendiderit. Si uendito pignore agatur.
Si pignus pignori datum sit. De partu pignoris & omni causa.
De prætorio pignore, & ut in actionibus etiam debitorum missio prætorij pignoris procedat.
Si in causa iudicati pignus captum sit. De iure dominij impetrando.

PRO INDEBITO SOLVto. Caput XXXVIII.

SVMMARIVM.

1. De condictione indebiti. 2. Indebiti soluti condictio quando locum habeat.
3. Actione incerti quando res soluta repetatur.
4. Seruitus indebita tradita, condictione incerti restituitur.
5. Actio hæc quibus detur, & contra quos.
6. Posthumus rumpit testamentum. 7. Condictiones non infamant.

CERTI sunt modi, quibus cùm solutum est debitum, nascitur inde 1
obligatio restituendi illud, iuxta ea, quæ de obligatione indebiti
suprà annotauimus. Si quid igit̃ solutum est aliquo istorũ modo
rum, unde existit restituendi indebiti soluti obligatio, licet id re-
petere condictione indebiti.

Voluntautem Azo & Rophredus, quòd hæc actio tum demum locum ha 2
beat, cũm res indebita soluta, eius est conditionis, ut possit integra eius solu-
tio percipi ac restitui. Si uerò res soluta est incerta, ita ut amplitudo obligatio 3
nis non sit posita ob oculos, sed sola mente percipi queat, contendunt eam
repeti debere actione incerti. Sed Bartolus circa legem, sed & si. ℣ cùm in-
ter. ff. de condiction. indebiti, exquisitissimè refellit horum opinionem, ac
sentiendum concludit, quòd incertitudo rei non impediat, quò minus quis
indebitum solutum hac condictione restitui sibi petat, modò res talis sit, cu-
ius substantia in conspicuo sit. Iuxta l. ff. de condiction. sine caus. Si uerò 4
res talis sit alicui per errorem concessa, cuius substantia apud eum esse non
uideatur, ut est seruitus in fundo tradito absq; mentione seruitutis in eo tradẽ
ti competentis, tum agi condictione incerti. Quia talis seruitus non possit cõ
dictione indebiti repeti, propterea, quòd non sit soluta, sed per incogitanti-
am in traditione fundi non sit conseruata. Nec dici posse eam traditam sine
causa, quia nulla eius traditio appareat, & fundus ex causa tanquãm liber sit
traditus. Hæc annotanda erant, ut esset cernere, cum quibus actionibus hæc 5
condictio concurreret. Nascitur autem hæc actio ex quasi contractu, quia ex
mera æquitate citra obligationem conuentionis indebiti obligatio existit. ℣
item is cui. Instit. de obligation. quę ex quas. contract. oriun. Est quoq; hęc
actio iure ciuili tradita, ac non solũm illi, qui ipse indebitum soluit, uerumeti-
am illi, cuius nomine ab alio solutum est, competit, si id mandauit, aut ratum
habuit. l. si procurator. ff. de condictione indebiti. Immò datur nonnunq; il-
li, qui nec ipse soluit, nec eius nomine solutum id est, sed casus declarauit ad eũ
id pertinuisse, antequàm cuiquam solueretur, ut si legata soluta sint ex testa- 6
mento, quod postea natiuitate posthumi rumpatur, repetit ea posthumus tan
quàm indebita. l. ij. iij. iiij. v. ff. de condictio. indeb. Eodem modo non solũm
agitur hac actione cum eo, qui indebitum accepit, sed & cum eo, qui manda-
uit alicui suo nomine id solui. l. ijs solis. & ibi gloss. & DD. ff. eodem. Non au
tem aliud præter id, quod indebito solutum est, & quod ei natura uel casu ac-
cessit, hac actione repetimus. l. indebiti soluti. ff. de cond. inde. Ciuiles uerò
accessiones usurę in hanc actionem non ueniunt. l. i. C. eo. Datur autem hęc 7

actio

actio hæredibus,& in hæredes,estqũe perpetua, nec infamat,sicut nec aliæ condictiones.

ff. & C.

De condictione indebiti.

DE VERBORVM OBLIgatione. Cap. XXXIX.

SVMMARIVM.

1. Ex stipulatione frequentius condici certum.
2. Actio ex stipulatu quando competat.
3. Actio hæc quare pro singulari habita sit.
4. Quando hæ actiones arbitrariæ fiant. 5. Pactum loci deputati.
6. Cautiones xiij. diuersorum casuum à Rophredo numerari.
7. Idem de stipulatione ex diuturnitate temporis præsumpta.

IN principio personalium actionum diximus, certi condictione generalissima agi,cũm certum quiddam in obligatione sit, quacunque ex causa, ex qua oritur obligatio. Deinde subiecimus,ex mutuo agi certi condictione speciali,cũm ex causa mutui certum quiddam debetur. Ad eundem modum dicimus fieri,cũm quid certi in obligationem uenit ex stipulatione. Quamuis enim utroque casu sufficere posset condictio certi generalissima, tamen cũm ex nulla causa frequentius condicamus certum, quàm ex stipulatione, propter eminentiam causæ, receptum esse puto, ut quoties ex stipulatione certum debeatur,non generali,sed speciali certi condictione agere dicamur. Instit. de uerb. obligat. in principio. Nam quod ad naturam actionis attinet, nihil hæc ab illa uariat,nisi quòd hac condictione ex sola stipulatione,illa uerò ex qualibet obligatione certi agitur.

Est igitur hæc condictio ad illam tanquam species ad genus suum referen
2 da. Verũm nascitur ex stipulatione etiam alia actio,quæ ad differentiam condictionis,de qua iam diximus,autoritate textus Instit. de uerb. oblig. dicitur actio ex stipulatu,& competit,cũm incertum in obligationem ex stipula
3 tu uenit. Sicut est,cũm quis ad faciendum uel non faciendum obligatur. l. ubi autem. §. qui id quod. ff. de uerborum obligatione. Ac uidetur quidem hæc actio ideõ quoque pro singulari actione petendi incerti ex stipulatione habita,quia propter eminentiam causæ tam pro incerto,quàm pro certo peculiares actiones ex stipulatione competere dignum iudicauerunt. Alioqui enim iuxta gloss. uerb. ex stipulatu, Instit. de uerborum obligationibus,incertum ex stipulatione debitum peti potuisset condictione incerti, sicut fit,cũm ex alijs contractibus incertum debetur. Porrò cũm hæ duæ actiones ex stipulatione eiusdem sint notæ cum illis condictionibus, quas paulõ antè pro
4 certo & incerto competere indicauimus, nihil præterea uidetur de differentijs earum annotandum. Sed ut nihil intermittamus, quod ad compendiosam diuersitatem actionum attinet, obseruandum monemus, quòd licet hæ duæ actiones sint stricti iuris, tamen eas fieri arbitrarias, si in stipulationem, unde proueniunt, pacto conuento adiectum sit, ut certo loco debitum præ-
5 staretur, nec præstitum id est loco deputato, aut reus in alio loco, quàm de quo pactum est, conuentus ab actore fuit. Nam illis casibus ultra rem promissam etiam interesse suum quis sibi adijci officio iudicis petere potest. Iuxta totum Titulum, de eo, quod certo loco dari solet. Ac proinde cũm ratione pacti ex stipulatione istis casibus interesse nostrum petimus, non simpliciter ex stipulatione, sed pro re certa ex stipulatione inducta, agentes, certi condictione ex stipulatione arbitraria agere dicimur. Quod autem propter pactum loci in his Actionibus fieri diximus, idem fit & in alijs actionibus stricti iuris,diuersa tamen ratione. Iuxta l. ij. & l. non utique. §. nunc de officio. ff. de eo quod certo loco.

Rophre-

Rophredus in opere formandorum libellorum inter actiones, quib. ex sti 6
pulatu agitur, colligit tredecim cautiones, quę in diuersis casibus exiguntur. Sed ut concedamus inde nasci actionem ex stipulatu, tamen peculiares potius sunt causæ, & formæ actionis ex stipulatu. Itaq; satis sit discentes tenere, q̃ ex illis cautionib. nascatur actio ex stipulatu, ubi per stipulationem præstitæ sunt, quę uerò & quales sint istæ tales cautiones, indicabimus infrà in tractatu iudiciorum de stipulationib. Idem Doctor in eodem opere annotauit, q̃ non 7
nunq; agatur actione ex stipulatu, non quia manifestè de stipulatione facta constet, sed quia ea ex diuturnitate temporis, quo aliquid tantùm ex obligatione stipulationis prę̃stitum est, eam interuenisse præsumitur, iuxta l. cum de in rem uers. ff. de usuris, & ibidem gloss. indicat, quantum temporis spacium requiratur ad præsumendam stipulationem. Sed ne tunc quidem, cùm ex tempore prę̃sumpta stipulatione agimus, forma agendi ex stipulatu, sed probationis necessitas mutatur. Nam in hac forma agendi necesse est probare, tanto temporis spacio prę̃stitum esse aliquid, quantum requiritur ad præsumptionem factæ stipulationis, cùm aliàs ipsa stipulatio probetur. Præter eos igitur Tit. quos in tractatu stipulationum annotauimus, nulli sunt de iure agendi peculiares ex stipulatione, quàm ille, cuius paulò antè mentionem fecimus. ff.

De eo quod certo loco dari oportet.

EX FIDEIVSSORIA OBLIgatione. Caput XL.

SVMMARIVM.

1. Fideiussores quomodo conueniantur, & quibus actionibus.
2. Vtrum reus principalis, an fideiussor prius conueniendus.
3. Præsens uel absens quando quis dicatur.

VIA fideiussores recipiuntur interueniente stipulatione, conue 1
niri illos aut certi condictione ex stipulatione, aut actione ex stipulatione, non est dubium. Itaq; hoc magis de iure agendi cum il 2
lis quęri solet, uter inter reum principalem, & fideiussorem eius prius cõueniri debeat. Et est communis obseruatio iuris, q̃ si amb̃o sunt prę̃sentes, iubent iura spectari, uter ex illis in propinquiore sit loco. Nam cum illo primùm experiri creditorem posse, qui sit illi propinquior. Sed si uterq; eadem distantia agat à domicilio creditoris, tum reum principalem primò conueniendum esse: Si uerò fideiussor uersetur in eo loco, quo creditor, et reus principalis alibi agat, tum in arbitrio creditoris esse, utrum ex illis magis in iudicium uocare uelit: hoc tamen casu fideiussor, ante principalem reum conuentus habet dilationem prosequendi reum, ut eam exhibeat creditori. Si uerò principalis reus sit præsens, & fideiussor absens, principalem conueniri prius oportere. Quando uerò dicatur quis præsens uel absens, 3
ostendunt DD. circa Aut. præsente. C. de fideiuss. Et harum rerum omnium ordinarius est allegandi locus in Auth. de fideiussoribus.

EX CONSTITVTO. Caput XLI.

SVMMARIVM.

1. Actio de constituta pecunia quę dicatur. 2. Quando locũ habeat hæc actio.
3. Cõsolidatio cõtractus. 4. Cur in hac obligatione ex nudo pacto detur actio.

ADcogendum eum, ut soluat debitum, qui pro alio soluturum cer 1
tum aliquod debitum creditori eius promisit, prodita est à prætore actio, quæ dicitur dari pro constituta pecunia. Habet autem hæc actio locum, cùm quis nudo pacto se pro alio constituit debitorem. Nam ubi id interposita stipulatione factum est, 2
agitur ex causa stipulationis ijs actionibus, quas ex ea competere suprà indicauimus.

cauimus. Neque refert quidem, quo contractu is, pro quo quis constituit se soluturum, debitor creditoris factus sit. Nam etiamsi ex sola naturali obligatione illud extiterit debitum, modò talis fuerit, ut ex ea potuerit agi, tamen ex constituto contra constituentem agitur. l.i. §. fin. ff. de constitut. pecun. Cuius iuris ego hanc arbitror esse rationem, quòd cùm constituens se pro alio debitorem accedat tanquam fideiussor, contractus præcedens eius interuentione quasi consolidetur. Ac proinde ipse meritò ex nudo pacto comprobatorio conuenitur, quia successisse in obligationem, quam comprobauit, uideatur. Est itaque in hac actione speciale, quòd ea competit ex nudo pacto, suffragantibus in id legibus. Sunt autem huius actionis iura planiss. in legibus Titulorum.

ff. & C.

De constituta pecunia.

EX INTERCESSIONE & Expromissione. Cap. XLII.

SVMMARIVM.

1. Intercessio quid sit, & quando fiat.
2. Promissor eadem forma conuenitur, qua intercessor.

INTERCEDENDI ratio facilè quenque monebit, quæ actiones ex eius ob
1 ligatione oriantur. Talis nanque est actus intercedendi, ut facilè cuiuis appareat, eum sine præcedente interrogatione creditoris alieni, & intercedentis pro alio responsione, uix commodè fieri posse uideri. Quare cogitare etiam nos ipsa facies intercessionis urget, quòd cùm intercessio facta sit per stipulationem, ex ea tãquam ex stipulatione nos intercedentem conuenire. Si uerò re interueniente, uel aliqua alia forma obligationis contractus nominati aut innominati facta est intercessio, tum ex ea agitur pro diuersitate obligationis & pactionis, diuersis actionibus, sicut suprã de actionibus, quæ ex pactis oriantur, diximus. Nam specialis actio contra intercedentem prodi-
2 ta non est. Eadem obseruantur & cùm promissor conueniendus est. Nam & in eo conueniendo forma pacti, quo se pro non obligato obstrinxit, spectatur, propterea quòd nulla extat in eum specialis actio.

EX POLLICITATIONE, & Voto. Caput XLIII.

SVMMARIVM.

1. Quid in pollicitatione spectandum.
2. Ex pollicitatione quando nascatur actio.
3. Ingratitudinis erga benemeritum nulla actio.
4. Vestis pollicita propter nauatam operam.
5. Actio præscriptis uerbis.
6. Iudicis cognitio requiritur.
7. In continenti uel interuallo facta pollicitatio.
8. Equus pollicitus.
9. Cynus reluctatur Speculatori.
10. Voti exequendi petitio est penes Episcopos.

AN quis propter pollicitationem, aut uotum conueniatur in iudi-
1 cio, non sine causa quæritur. Nam cùm tales promissiones fiant sola efferentis enunciatione. l. pactum. ff. de pollicitationibus, nudo suo pacto actionem parere posse non uidentur. Sed est in pollicitatione spectandum, cuius rei causa ea sit facta. Nisi enim ea subiuncta sit alteri cuipiam contractui, ex ea non nascitur obligatio efficax ad agendum, iuxta Bart. cir. l. si unus. §. si pactus. ff. de pactis.

Proinde

Proinde in ſuſcipienda actione ex pollicitatione hæc traditur doctrina, q̃ ante omnia in ea ſpectandum ſit, quibus uerbis facta ſit. Nam ſi re & genere incerta eſt eius promiſsio (qualis eſt quum bene merito quis promittit, ſe non futurum ingratum, ſed liberaliter illi compenſaturum) tum nulla inde competat actio. l. ſalarium. C. mandati. Si uerò re tantùm ſit incerta, & non ſimul genere quoque, ut ſi quis polliceatur ueſtem propter nauatam illi operam, & nõ explicet cuius precij ueſtem daturus ſit, tum agi ex ea actione præſcriptis uerbis, quia propter exhibitam operam promiſſa ſit ueſtis contractu quaſi innominato. Itaq̃ ex tali contractu tanquàm innominato agi præſcriptis uerbis. Qualem autem ueſtem dare pollicitatorem oporteat, in cognitione iudicis eſſe, argumen. l. i. fin. C. mandat. & l. ſi tibi polienda. ff. præſcrip. uerb. Si uerò & re & genere certum ſit, quod pollicitando promiſſum eſt, tum uidendum eſſe, an interuenerit ſtipulatio, nec ne. Nam ſi pollicitatio facta ſit per ſtipulationem, agi ex ea pro certo & incerto, ſicut ex ſtipulationis obligatione. Si uerò nudo pacto aliquid certum promiſſum ſit per pollicitationem, tum referre, an in continenti, uel interuallo ante uel poſt contractum aliquem facta ſit pollicitatio. Nam ſi in continenti ſit facta, ita, ut ea ex cohærentia contractus ueſtita habeatur, tum ex ea, aut ordinaria actione eius contractus, circa quem facta eſt, aut extraordinario iure per officium iudicis, id quod in ea promiſſum ſit, peti, ut ſi quis poſtquam mandaſſet alicui ſua negotia curanda, polliceatur illi ſe daturum equum, poteſt ille procurator aut actione mandati contraria informata, aut per implorationem officij iudicis petere, ut ipſi equus à mandatore ſuo detur, propter pollicitationem illi factam, iuxta Speculatorem de ſalarijs. §. iij. in princip. Quamuis autem gloſſ. circa legem primam C. mandati. ſuffragetur Speculatori, tamen Cynus reluctari illi circa eandem l. uidetur. In hanc enim ſententiam magis inclinat, quòd promiſſum per pollicitationem ueſtitum cohærentia contractus, petatur implorationem officij iudicis, & ita quoque petitur, cùm ex interuallo pollicitatio facta eſt, & eius pactum aliquo modo ueſtiendorum pactorum firmatum eſt, iuxta l. ſalarium. & ibi gloſſ. ff. mandati.

Voti autem exequendi petitio datur Epiſcopis, & licet illis ea in re aut condictione ex lege, quæ approbat uotum, & iubet iſtud ſolui, aut per implorationem extraordinariæ cognitionis apud iudicem experiri, iuxta l. ij. & ibi glo. ff. de pollicitationibus.

EX OBLIGATIONE LITERARUM. Caput XLIIII.

SVMMARIVM.

1. Obligatio literarum idem operatur quod pactum.
2. Cynus uir iuris peritiſsimus.
3. Ex obligatione literarum alia atque actione experiri.
4. Deficiente ſpeciali actione, recurri ad generalem.

CYNVS cir. l. ſi ex prec. C. ſi cer. pet. dicit obligationem literaræ idem operari, quod pactum. Vnde ſatis intelligi poteſt, uirum iuriſperitiſsimum ſenſiſſe, q̃ ſicut uariæ actiones nobis competãt pro diuerſitate pactorum (ſicut ſuprà oſtendimus) ita & ex obligatione literarũ alia atq̃ alia actione nos experiri, ſecũdum eius contractus naturam, quem proximè referre conuentio in literis deſcripta uideatur. Ex ſolis autem literis in ijs rebus, quæ per literas experiri poſsint, non nunquãm oriri obligationem efficacem ad agendum, teſtatur Bartol. circa l. Titius Seio. ff. de conſtitut. pec. Quò magis autem Cyno adſentiar, id me mouet, quòd nulla ſpecialis actio prodita eſt iure Romano, qua experiri ex hac obligatione poſſemus. Regulare nanque eſt, quòd deficiente ſpeciali actione in aliquo caſu, aut recurramus ad eam, quæ eſt in eo iure, cuius

cauſam

causam habere uidetur casus generalis: Aut si omnino extra causas ordinarias agendi uersetur, ad extraordinaria & subsidiaria auxilia confugiamus. Id quod infrā copiosè explicabimus, ubi ad extraordinarij iuris actiones peruenerimus.

EX EMPTO ET VENDITO. Caput XLV.

SVMMARIVM.

1. In contractib. emptr & uenditi quid præstandum ueniat.
2. Interesse quale peti possit.
3. Cautio de euictione.
4. Emptor sciens rem alienam, nisi conuentum sit, petere cautionem euictionis non potest.
5. Scienti aut uolenti non infertur dolus.
6. Edictum ad redhibendum propositum esse, ne decipiatur emptor.
7. Actio quanto minoris.
8. Differentia inter actionem redhibitoriam, & quanto minoris.
9. De certi condictione ex stipulatu.
10. Vterq; & uenditor & emptor in uarios casus iuuatur à legib.
11. Quando emptor cessat precium soluere uenditori.
12. Actio in factum Aedilitia quando datur.

1 SI uenditor uelit emptori tradere rem uenditam, accepto aut oblato precio, de quo inter eos conuentum est, potest actione ex empto cogi uenditor per emptorem, ut aut tradat illi rem uenditam, aut præstet, quod sua interesse ostendere possit, rem traditam illi esse. Nam licet non ita conuentū sit in uenditione, ut aut rem, aut interesse uenditor daret emptori, tamen hæc est natura huius obligationis, quòd tacitè hanc alternatiuam solutionem in se contineant. l. 1. ff. 2 de action. empt. & uend. An autem tale interesse possit in libello huius actionis copulatiuè cūm re uendita peti, uel successiuè, uidelicet si res non tradatur (id quod magis probatur): item an interesse commune, uel singulare peti possit, latissimè declarant glossæ, & DD. circa l. 1. ff. de actio. emp. & uend. C. eod. l. si traditio. Extra autem hunc casum, quòd res uendita non tradatur, aut non possit tradi, interesse ex mora, & quicquid est aliarum accessionum, petitur in hac actione, sicut in alijs bonæfidei actionibus. In primis uerò requirere emptor à uenditore potest ex ui obligationis, ut uacuam sibi tradat rei em- 3 ptæ possessionem, ita ut nemo extorquere eam iure illi possit. Tenetur enim uenditor ratione istius contractus, ad euictionem rei uenditæ, adeò ut nec effugere possit, quin cogatur præstare, ut emptor saluo iure possideat rem uenditam, etiamsi pactus sit uenditor, ne de euictione teneretur, cūm sciret subesse causam, propter quam res ab alio extorqueri emptori possit. l. tene- 4 tur. §. si uenditor. & l. ex empto. in princip. ff. de actione empti & uenditi. Proinde siue inter se pacti fuerint emptor & uenditor de euictione, siue non, ex ui huius obligationis conueniri emptor de euincendo uenditorem suum potest. l. non dubitatur. C. de euictionibus: Nisi tamen constet emptorem scientem emisse rem alienam. Nam isto casu non gaudet hoc iure, nisi inter eos cautum sit de euictione. l. si fundū. C. de euictionib. Sicut nec iuuatur emptor edicto Aedilitū ad redhibendā rē uitiosam, uel morbosam, si sciens, aut uidens talem esse, nihilominus emat. Propositum enim est illud edictū de rēdhibendo, ne impune esset uenditoribus emptores suos ipsa re circumuenire, & non precio. l. 1. §. si intelligatur. ff. de Aedil. edi. At scienti uel uolenti non infertur 5 dolus. l. de donationibus. C. de transactio. Quamuis igitur uenditor propter morbum rerum uenditarum actione redhibitoria cogi possit, ut eas accipiat,

siue id promiserit emptori, siue non, aut uenditor cognitum habuerit rei mor bum, uel ignorauerit. l. 1. §. causa. ff. de ædil. edi. tamen si in cõspicuo fuit mor bus, aut uitium rei, exhiberi ea uenditori inuito non potest. Nam edictum de redhibendo propositum est, ne decipiatur emptor. l. 1. §. si intelligatur. ff. 6
de ædil. edi. Itaq; qui sciens rem uitiosam emit, ad redhibendum non cogitur.
In casu aũt quo locum habet redhibitio, potest quis aut reddere uẽditori rem
emptam, quam cõperit uitiosam, aut si malit rem emptã retinere, actione quã- 7
to minoris petere, ut sibi à uenditore reddatur tanta pecuniæ summa, in quan
to minore precio, propter compertum morbum, aut uitium res empta esse ui-
deatur, aut quãto minore precio ipse empturus eam fuisset, si de uitio aut mor
bo rei emptæ constitisset. Hæ etenim actiones in ijsdem casibus simul compe
tunt. l. quod si nolit. §. si quis regerit. ff. de Aedil. edi. Sunt quoq; hæ actiones
prætoriæ. Nam quòd dd. dicũt eam actionẽ, qua petimus nobis reddi id, quan-
to minoris empturi fuissemus, rem, si de morbo eius constitisset, esse ciuilem,
lege non cauetur. Iuxta Rophred. de formatione libellorum. Differunt ta- 8
men actio redhibitoria, & quanto minoris, quòd hæc anno utili demum tolla
tur, illa uerò sex mensibus utilibus. l. sciendum. §. ult. ff. de Aedi. edicto. Datur 9
autem & pro euictione & pro redhibitione actio ciuilis, quę dicitur, certi con
dictio ex stipulatu, si de uitio aut morbo rei, inter emptorem & uenditorem
cautum est. l. sciendum. §. dictum â promisso. ff. de Aedil. edi. Nam propter sti
pulationis pactum etiam in duplum conueniri uenditor de uitio & morbo
rei uenditę potest. Iuxta tit. ff. de eui. Porrõ sicut emptor in uarios casus iuua 10
tur, ne deceptus à uenditore damnum sentiat in re empta, ita uicissim & uen-
ditori subueniunt leges, ut si re tradita cessat emptor precium soluere, conue- 11
nire eum ex ui obligationis non modò de precio restituendo, sed & de soluen
do interesse potest. l. Iulia. §. ex uendito. ff. de action. empt. & uend. Præte-
rea prodita est ab Aedilibus actio, qua pariter emptori & uenditori succurri-
tur, ne quod incommodum sentiant inuicem alter propter alterius cessatio-
nem, & talis actio communi appellatione dicitur, actio in factum Aedilitia.
Intenditur autem ea ab emptore uenditori, cùm res empta propter morbum 12
aut uitium redhibita est, & uenditor cessat restituere precium cum accessio-
nibus: uenditor uerò eandem intendit emptori, si postquam redhibita sit res
uendita, ipse cessat uenditori restituere ea, quæ occasione eius acquisiuit. Et
notantur quidem huius actionis exempla in l. quod si nolit. §. in factum. ff. de
Aedilitio edicto, & ibidem in remissionib. glos.

ff.

De actionibus empti & uenditi.
De euictione & duplæ stipulatione.
De Aedilitio edicto, & redhibitione, & quanto minoris.

C.

De actionibus empti & uenditi.
De euictionibus.
De Aedilitijs actionibus.

EX CONDVCTO ET Locato. Caput XLVI.

SVMMARIVM.

1. De actione ex conducto & locato.
2. Ex cessatione & culpa incommodum rependi.
3. Exoneratio mercedis seupensionis quando peti potest.
4. Actiones locati & conducti ad quid dentur.
5. Locator ad quid teneatur.

6. Con-

6. Conductor non soluens mercedem seu pensionem.
7. In litem iurare locatori licet pro suo Interesse.
8. Interdictum Saluianum pro locatore.
9. Actio Seruiana pro locatore.
10. Illata in prædium conductum, pignori sunt obligata locatori pro mercede.
11. Obligatio pignoris quando consistat, uel non.
12. Interdictum Saluianum cur proditum.
13. Actio Seruiana ab interdicto Saluiano differt.
14. Interdictum de migrando cui detur.
15. Actio oneris auersi ad cõseruandum ius locationis quæsita olim, nunc minus in usu est.
16. Subleuatio oneris, ferendi incommodi ex fortuito casu.
17. Pactis conformari & quasi colorari actiones, non tolli.

1 2  ICVT emptor actione ex empto rem uenditam sibi tradi, aut quanti sua interest eam traditam esse, petere potest, ita & conductor à locatore potest petere, ut rem locatam sibi concedat, aut incommodum, quod ex eius cessatione, aut culpa sentire uidetur, rependat. Nam magna harũ est obligationum & actionum cognatio. l. ij. ff. locati & conducti. Potest autem conductor locatorem conuenire non solũm, quia non permittit illi re conducta frui, uerumetiam si non præstet ea, de quibus inter eos conuentum est, aut quæ præstare eum ratione istius contractus conuenit. Quæ uerò illa sint, partim indicat l. ex conducto, partim l. sed addes. ff. loca. & conduct. Cęterũ cætera autem hoc quoq; in 3 actione ex conducto singulare est, quòd conductor possit etiam petere exonerationem mercedis siue pensionis, si absq; culpa locatoris tale quid accidat, ut re conducta frui non possit. l. si fundus. & l. perinde. & l. & hæc distinctio. ff. 4 eod. Si tamen non domini, sed alterius cuiuspiam uiolentia prohibeatur re cõducta frui, nõ potest alieno interdicto possessorio, sed aduersus uiolatorem tueri, nã cõductores nõ possident res cõductas. l. non solũ. §. quod uulgo. ff. de 5 usucap. Itaq; si inquietetur fortè cõductor, quõminus re cõducta frui possit, hac ipsa actione ex cõducto locatorẽ suũ conuenire potest, ac cogere, ut uim sibi fieri prohibeat in re conducta. l. cum in plures. §. messem. ff. locati & con- 6 ducti. & ad l. Rhodiam de iactu. l. ij. Ediuerso si conductor non soluat mercedem siue pensionem, aut re conducta non utatur, sicut conuentum est, uel ut oportuit, aut elapso tempore conductionis cedere de re conducta nolit, potest eum locator conuenire actione ex locato, ac petere ut ista sibi præstentur. l. dominus. §. ultim. & l. uideamus. §. qui uinum. ff. locat. Sunt autem ambæ hę actiones ciuiles & bonæ fidei, itaq; per illas ex mora quoq; petuntur accessio- 7 nes, & interesse. l. præsens. C. de loc. & cond. Ac siquidẽ cõductor cõtumaciter recusat rem cõductã cedere locatori, tũ licet illi pro singulari suo interesse in litem iurare. l. si cui. §. 1. ff. locat. aut potest conductione ex l. conduct. C. de locat. & cond. simul rem locatam, & eius æstimationem petere. Dantur quoq; ambæ actiones hæredibus, & in hæredes, & sunt perpetuæ. l. uiam ueritatis. 8 C. de loca. & cõdu. Iuuatur autem locator aduersus conductorem etiam aliis actionibus, uidelicet interdicto Saluiano, & actione Seruiana. Nam si metuat locator prędij rustici, ne conductor pensionem promissam soluat, potest per interdictum Saluianum petere earum rerum promissionem sibi concedi, quas in prędium conductum tulit conductor. Atq; datur hoc quoq; interdum aduersus conductorem, & eius heredem directè, sed aduersus extraneum pos- 9 sessorem utiliter. l. C. de precar. & Saluia. interdict. Actione uerò Seruiana 10 quemuis possessorem rerum conductoris, quæ nobis tacitè nomine pignoris obligatæ esse cœperunt, postquam ea prædia rustico aut urbano à conducto re illata sunt, conuenire possumus. Est enim hæc actio rei persecutoria. l.

pignus. C. de pignorib. & Instit. de actionibus. §. sequens. Itaq; competit aduersus quemuis possessorem rerum, quę ita nobis obligatæ esse cœperunt. Nam cũm in rem sit hæc actio, possessio eius facit, ut quemuis possessorem de ea conuenire possimus. l. un. C. de alienat. iud. mutand. caus. fact. Est aũt præcipuè circa hanc actionem obseruandum, quòd ea non habet locum, nisi conductor fuerit dominus rei, aut saltem Ius agendi pro ea retinenda habuerit, quæ prædio illata est. Nam obligatio pignoris non potest consistere, nisi 11
in ijs rebus, quæ in bonis eius fuerunt, cuius nomine eas obligatas nos habere contendimus. l. qui filius. C. quæ pig. loc. oblig. poss.

Proinde neq; debet quis mirari, cur post actionem Seruianam proditum 12
sit interdictum Saluianum, cùm unum illorum auxiliorum poterat sufficere, quippe quibus pariter hoc agitur, ut locator res prædio locato importatas tanquam pignora tacitè illi obligata consequatur. Etsi enim utrisque his actionibus idem agi uideatur, tamen ratione subsidij, quod nobis præbent, ea est inter has diuersitas, ut rectè perpendenti consilium prætorum, ā quibus
sunt proditæ, nulla earum uideri possit superuacanea: Nam Seruiana in eum 13
tantũm casum est prodita, ut si quid illatum sit prædio conducto, ex prædio conductoris, istud tanquam pignus nostrum, uel ab ipso conductore, uel quo uis alio possessore petamus. Iux. §. item Seruiana. Instit. de action. & ibi. glos. At si quid aliud, quod in bonis conductoris, cũm inferretur prædio, non fuit, sed illud tantũm in possessione sua habuit, in prædium conductum inuectum est, illud interdicto Saluiano petimus nobis tanquam pignus nostrum concedi. ff. de Saluiano interdict. Itaque non potest uideri temerè esse factum ā prætoribus, quòd post actionem Seruianam suam operam obtulerunt locatoribus Saluiano interdicto in persequenda re, in prædium inducta, cuius dominus conductor non fuit. Sicut nec dici potest interdictum de migrando 14
(quod datur inquilino ad transferendas suas res, quas in domum conductam tulit) superuacaneum esse. Quamuis enim alijs actionibus cõductor res suas in domum conductam illatas abducere ex ea, soluta pensione possit, tamen ne qua uis illi fieret à locatore in retinenda re aliena apud conductorem depositа, aut illi accommodata, quæ fortè sit eius, qui debeat locatori, ita ut conetur loco pignoris eam retinere, antequam conductor eam restituat illi, à quo ipse eam commodato accepit, consultum uisum est prætori, generali interdicto talem uim, tam in re conductoris quām aliena prohiberi. iuxt. tot. tit. ff. de migrando. Cæterùm est & iure ciuili prodita actio, oneris auersi, quæ gloss. 15
circa l. in naui. ff. eod. & quibusdam DD. uidetur præter necessitatem esse ad conseruandum Ius locationis quæsita, atq; ob id minus in usu habetur.

Reddunt autem DD. suæ sententiæ in reijciẽda hac actione hanc ferè rationem, quòd cũm huic actioni ibi demum detur locus, ubi conductor per pa- 16
ctum interpositum promisit locatori, se uelle eum subleuare onere ferendi incommodi, quod ex fortuito aliquo casu in re cõducta eueniat, propter talem conuentionem non mutari actionem ex cõtractu locationis, sed potius istud pactum adiunctũ contractui informare eam actionẽ, ut nihilominus ex locato agamus, ac petamus nos periculo liberari, quod conductor in conuentione locationis peculiari pacto se præstiturum promiserit. Absurdum nanq; esset, propter quodlibet pactum in contractu adiectum, gigni nouam actionem, ac non magis eam retineri, quæ contractus cuiusque propria est, etenim 17
pactis conformari, & quasi colorari actiones ex quibusq; contractibus competentes, non autem in uniuersum tolli, argum. l. iurisgentium. ff. de pact. & C. de pact. inter empt. & uend.

Atq; est quidem hæc ratio illorum satis tolerabilis & firma. Quid enim futurũ esset, si propter quodlibet pactũ interpositũ contractibus, nouã fingeremus actionẽ? Certè uel singula uocabula isto modo parere actiones possunt?

sed

sed tamen non desunt, qui diuersum de hac actione sentiunt. Ego ut in re, quam contendentium certamen magis fecit dubiam, quàm simplex eius ratio, sentio generaliter hoc esse obseruandum discentibus, quòd pacta informent actiones cõtractuum, quibus iniecta sunt, non autem mutent prorsus, & tamen quia pactum oneris auertendi longius aliquantò recedit à natura locationis, maiores specialem uoluisse ex eo actionem dari, quam liceat nobis uel implicare actioni ex locato, uel ab ea separare absq; magno delicto. De hac autem actione potissimũm agitur in l. in naui. & l. opus. ff. eod. Reliquarum uerò actionum tractatio extat in Titulis, quos suprà de conductione & locatione annotauimus, & in Titulo fftorum,

De Saluiano interdicto. De migrando.

Cod.

De precario & Saluiano interdicto.

EX EMPHYTEVTICO contractu. Caput XLVII.

SVMMARIVM.

1. Emphyteusin esse specialem contractum.
2. Emphyteuta non soluens Canonem toto triennio, expelli potest.
3. An emphyteuta possit sine autoritate iudicis expelli.
4. Superior sit in certamine de possessione, cui meliori ex causa possessio debe-
5. Beneficium iuris Emphyteutæ. (tur.
6. Interdictum Vti possidetis, cui competat.
7. Emphyteuta ius in re habet.
8. Duos in solidum eandem rem possidere non posse quomodo intelligendum.
9. Emphyteuta de possessione non potest à domino deturbari, donec pensionem soluit.
10. Pacta contra substantiam contractus inita, esse nulla.

1 QVOD emphyteusis non sit uel uenditio uel locatio, sed specialis quidam contractus, suprà de obligationibus ostendimus. Itaq; uidendum quoq; est, an specialis aliqua actio ex eo competat,
2 nec ne. Ac certi quidem iuris est, quòd si emphyteuta non soluat pensionem, ad quam se obstrinxit, toto triennio, tum liceat domino, qui illi agrum in emphyteusin dedit, eum expellere fundo. l. in em-
3 phyteuticarijs. C. de iure emphyt. An autem dominus sua autoritate deijcere emphyteutam non soluentem pensionem possit, an uerò requiratur, ut id fiat per iudicem, quæritur. Et iuri magis consentanea uidetur eorum sententia, qui censent id fieri oportere per iudicẽ. Nõ enim est singulis concedendũ, quòd per magistratum publicè possit fieri, ne sit occasio maioris tumultus faciendi. l. non est. ff. de regulis iuris. An uerò in expetendo iudicis officio in tali casu necesse sit offerre libellum, aut non, ostendit Bart. circa l. creditores. C. de pign. Vt maximè uerò commodius sit emphyteutam non cuiusuis, sed publica autoritate expelli fundo, tamen hoc permissum uidetur Bart. circa l. ij. C. de iure emphyt. ut dominus interturbet possessionem emphyteutæ, non soluentis pensionem, quia cùm emphyteuta non stet pacto conuento, contra ius fundum locatum teneat. Sed & illud licere hoc modo arbitror, ut occupata possessione fundi emphyteutici, iudicio possessorio, eam tanquam potior
4 iure obtineat, si emphyteuta ultro cedere nolit, & de turbatione suæ possessionis queratur apud iudicem. Est enim hoc regulare inter certantes de possessione, quòd superior fiat, cui meliori ex causa possessio debeatur. l. iij. ff. uti possidetis. Neq; uerò queri emphyteuta de sua conditione potest, quòd non
5 soluens pensionem intra triennium, cedere solo conducto cogitur. Nam uicissim hoc beneficij habet à iure, ut donec eam soluat, à nemine deijci fundo

posit. Atq; datur illi etiam ius uendicandi eum, à quocunq; possessore, ipso quoq; domino, si quo casu occupatus fortè sit fundus. iuxt. tot. tit. ff. si ag. uectigal. uel emphyteut. pet. Præterea emphyteuta pendens constitutum uecti- 6
gal, per interdictũ, Vti possidetis, potest tueri possessionem fundi conducti, qui interturbare eum ipsi conantur. Competit enim illis omnibus hoc interdictum, qui nec ui, nec clam, nec precario rem immobilem possident, pro retinenda possessione, in qua inquietantur. Itaq; etiam illi, qui naturaliter tan- 7
tùm possident, aut ius in re habent, ut est emphytęuta, interposito isto interdicto suam possessionem retinent. argum. l. ultim. C. uti possid. Non enim ob 8
stat emphyteutæ, quò minus hoc interdicto agere possit, quòd dicitur duos in solidum eandem rem possidere non posse. l. duo. ff. de precario. Nam uerum quidem illud est, cùm duo contendunt se eodem iure possidere eandem rem, at non diuerso iure. Rectè enim fieri potest, ut alius ciuiliter, sicut dominus fundi emphyteutici, alius naturaliter tantùm possideat, quemadmodum emphyteuta, itaq; utriq; competit interdictum, uti possidetis, propter suam possessionem. Neq; deturbari de ea emphyteuta uel à domino potest, donec 9
promissam pensionem soluit. Nam l. ij. C. de iure emphyteutico, uult pactiones utrinq; inter dominum & emphyteutam æquè custodiri, nisi prorsus pugnent cum natura emphyteusis. Nam pacta contra substantiam cõtractus ini- 10
ta, sunt ipso iure nulla. l. cùm precario. ff. de precario. Pertinent autem huc tit. peculiariter,

ff.

Si ager uectigalis uel emphyteuticarius petatur.

Cod.

De iure emphyteutico.

EX IVRE SOCIETATIS.

Caput XLVIII.

SVMMARIVM.

1. De communione omnium rerum in societate.
2. Simplex conuentio societatis quousq; extendatur.
3. Vnius negotij societas.
4. Actio pro socio ab actione communi diuidundo in quo differat.
5. Sumptus, & damna quæ petantur.
6. Actio societatis est bonæ fidei. (damni.
7. Finita societate datur actio de præstationibus personalibus sumptuum, &
8. Est personalis. 9. Perpetua.
10. Datur hæredib. in hæredes socij. 11. Est directa utrinq;.
12. Vtilis pro ferendis damnis. 13. Infamat.

SCHOLION.

Cicero in oratione pro Sex. Roscio Amerino, de hac Actione societatis ita scribit: In rebus minoribus socium fallere turpissimum est, neq; iniuria, propterea quòd auxilium sibi se putat adiunxisse, qui cum altero rem communicauit. Ad cuius igitur fidem confugiet, cùm per eius fidem læditur, cui se commiserit? Atqui ea sunt animaduertenda peccata maximè, quæ difficillimè præcauentur, tecti esse ad alienos possumus, intimi multa apertiora uideant necesse est, socium uerò cauere qui possumus? quem etiam si metuimus, ius officij lædimus. Rectè igitur maiores, eum qui socium fefellisset, in uirorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. &c. Idem in oratione pro Q. Roscio Comœdo, inquit: Si qua sunt priuata iudicia summæ existimationis, & penè dicam capitis, tria hæc sunt, fiduciæ, tutelæ, societatis. Aequè enim perfidiosum & nefarium est, fidem frangere, quæ continet uitam, & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit, & socium fallere, qui se in negotio coniunxit. Quæ cũ ita sint, qui sit, qui socium fraudarit & fefellerit, consideremus, &c.

INTER

INTER socium & socium non una eademq; ex causa nonnunquam oritur
1 contentio. Aut enim inter se conuenerunt de communione omnium suarum fortunarum, & eo casu licet socijs constante societate à se inuicem expetere, ut illa communicentur, quæ ipsis ex quacunque causa obuenerunt. l. si quis uniuersarum. ff. pro socio. Si uerò ex uerbis contractæ societatis manifestè non constat, quòd de communione omnium rerum inter se conuenerint, sed simpliciter cõstituerint, res habere cõmunes, tũm illæ solũm peti possunt
2 res, ut communicentur, quæ quisq; sua opera parasse uidetur. Nam simplex conuentio societatis de rebus cõmuniter habendis, amplius nihil, quàm quæ sua industria quisq; acquirat, continere iudicatur. l. coire. adiũctis sex seq. ll.
3 ff. eo. Quando uerò non in genere omnium rerum, sed unius alicuius negotij inita est societas, tum quæsitum à socio extra istud negotium, non potest
4 peti, ut cõmunicetur. l. cum duob. ℌ fin. ff. pro soc. Iam igitur actio pro socio ita separata est ab actione cõmuni diuidundo, quòd hac petuntur diuidi quæ communia facta sunt, illa uerò res non communes, petuntur iure societatis communicari. cessat enim cõmuni diuidundo iudicium, ubi res non est com-
5 munis. l. 1. in fine. ff. commun. diuid. Sed præter hoc ius expetendi à socio, ut res communicandas in commune conferat, sæpius usu uenit, ut iure societatis expetamus à socio, ut sumptus, quos in gerendis communibus negotijs fecimus, aut damnum, quod ex gestione negotiorũ fatali aliquo casu sensimus, nobiscum pro portione contractæ societatis, ferat. l. socio. ℌ ulti. ff. pro socio. Si uerò culpa uel dolo socij quis sentiat damnum, tum cum eo agere potest,
6 non ut commune damnum pariter ferat, sed ut illud emendet. Nam est hæc actio bonæ fidei. l. cum duobus. ℌ uenit. ff. pro socio. Itaq; in hanc etiam ueniunt, non solũm de quibus est actum, uerumetiam quæ bonum uirum præstare conuenit. Quatenus autem socij sibi inuicem teneantur de dolo & culpa, indicat ℌ damna. l. cum duobus. ff. pro socio, & nos suprà de obligatione
7 societatis abundè ostendimus. Est autem hoc quoq; obseruandum, quòd socio cum socio de præstationibus personalibus sumptuum, & damni ferendi non datur actio, nisi finita sit societas aliquo istorum modorum, quibus finiri eam indicauimus. l. tam diu. & ibi gloss. in fin. ff. eo.

8 Cæterũm est hæc actio personalis, quippe ex obligatione competens, per-
9 petua, & datur hæredibus, & in hæredes sociorum, directa utrinq;, quia nul-
10 lus magis est socius, quàm alter, illis tamen, inter quos est quasi incidens so-
11 cietas, ut est inter obligantes, datur utilis actio pro socio pro ferendis damnis.
12 l. 1. ℌ ult. & l. ij. & iij. ff. de his qui deiec.

13 Infamat quoq; hæc actio eum, qui conuictus est dolo in societate uersatum esse. ℌ ex quibusdam. Instit. de pœna temerè litigantium.

PRO MATRIMONIO CONciliando, aut dissoluendo.

Caput XLIX.

SVMMARIVM.

1. Quare Matrimoniales causæ absq; solennitate iudiciorum expediantur.
2. In causis matrimonialib. Canones sequimur.
3. Casus & modi de matrimonio agendi qui sint.
4. Denunciare matrimonium qui dicantur.
5. Reipublicæ interest. matrimonia legitimè & sanctè confici & conseruari.
6. Qui ius accusandi matrimonij habeant.
7. Nuptiæ ut celebrentur, agi iudicio petitorio contra eam partem quæ recusat.
8. Dissolutio matrimonij per repudiationem inter puberes.
9. Consanguinitas matrimonium impedit.
10. Petitiones dici denunciationes. (consumatum.
11. Matrimonium per uerba prȩsentis temporis contractum, aut etiam concubitu

12. Iuramentum calumniæ quando expetendum.
13. Accusatio matrimonij quæ dicatur.
14. Ad dissolutionem matrimonij requiri ea omnia, quæ in iudicijs contradictorijs in usu habentur.
15. Matrimonialis causa quando ex foro ecclesiastico ad seculare transferatur.
16. Contumacibus citatis coniugibus accusatio publicetur.
17. Impedimenta matrimonij in iure enumerantur.
18. Ius Canonicum in matrimonialibus causis sequendum esse.

DE forma agendi pro conciliatione aut dissolutione matrimonij, non est quòd ualde laboremus. Nam causas matrimoniales absque solenni obseruatione iudiciorũ expedire licet, quia talium prorogatio haud unquam fit sine magno dispendio & periculo. iuxta Clem. dispendiosam. & ibi gloss. de iudic. Neq; potest hic obijci, quòd illud iure Canonico uerum sit, non autem iure Ciuili. Notum enim est, quòd in causis matrimonialibus, tanquam illis, quæ non spectant ad res prophanas, sed animi tranquillitatem & cõscientiam, Canones sequamur. Iuxta glos. Insti. de gradibus cognat. circa ℣. hactenus. Ideo non est dubium, sufficere in proponendis his casibus rem ita narrari, ut intelligi possit, certam & iustam ob causam aliquid peti, sicut suprà de iure patronatus ecclesiastico ostendimus regulariter aliàs quoq; iure Canonico fieri. Quia tamen refert discentes moneri, quibus casibus contingat, ut disceptetur de matrimonio, non pigebit paucis attingere quosdam agẽdi de matrimonio casus & modos. Atq; agitur quidem aut de matrimonio cõtrahendo, uel conciliando, aut dissoluendo. Itaq; distingui quoq; hæc diuersitas agendi ita solet, ut de matrimonio contrahendo agentes dicantur denunciare, illi uerò, qui contendunt de matrimonio dissoluendo, dicantur matrimonium accusare. Et quia reipub. etiam interest, matrimonia legitimè & sanctè confici & conseruari, permissum est, ut accusatio matrimonij sit publica, ita ut non illi solũm, inter quos cõtractum est matrimonium, aut ipsorũ consanguinei, sed & prorsus ab illorum cognatione remoti, ius accusandi matrimonij habeant. Sed tamen hæc ipsa facultas accusandi matrimonij non indiscriminatim pariter omnibus concessa est. Nam extat peculiaris quidam titulus extra. Qui matrimonium accusare possit, in quo continentur institutiones ecclesiasticæ, quibus alia alijs in hoc iure agendi certis casibus præferuntur.

Porrõ de matrimonio contrahendo duobus ferè modis agitur. Aut enim personæ, quæ in matrimonium inter se consenserunt, si altera recuset cum ea celebrare nuptias, iudicio petitorio petũt differentẽ nuptias cogi, ut celebret eas, cap. ex parte. ext. de sponsali. Aut iudicio possessorio, altera ex personis, inter quas iã celebratæ & perfectæ sunt nuptiæ, petit discedentẽ cogi, ut consuetudini cõiugali se nõ subducat. c. causa matrimonij. extr. de officio deleg. & de restit. spoliat. c. ex transmissa. Atq; hę quidẽ petitiones expediuntur iure extraordinario per officium iudicis. c. cum in tua. extr. qui matri. accus. pos. Sed præter hos duos casus nonnunquam disceptare de matrimonio contrahendo dicimur, etiamsi de eius dissolutione, quæ fit per repudiationem, contendamus, ut si sponsalia facta sint inter impuberes, antequam attigissent septimum suæ ætatis annum, tum licitum est illis petere, ut postquam consentire in eas nuptias, quas ante legitimam ætatem promiserint, non possint, obligatione sponsalium liberentur. c. ad dissoluendum. extr. de spons.

Eodem modo agitur ad impediendum matrimoniũ, si consanguinitas, aut aliqua alia causa illud desponsatos prohibere uideatur. Quæ uerò sint causæ, propter quas renunciare quis possit matrimonio in futurum promisso, annotauimus suprà de nuptijs. Omnes autem hæ petitiones, quas matrimonij contrahendi causa fieri hactenus diximus, dicuntur denunciationes, & possunt

fieri

fieri non oblato libello, licet commodius iudicetur, ut libellis concipiantur,
11 iuxta c. literas. & c. à nobis. ext. de desponſ. impu. At ſi matrimonium per uer
ba præſentis temporis eſt contractum, aut etiam per ſubſecutum cõcubitum
conſumatum, & non quæritur reconciliatio animorum inter coniugatos, ſed
aut ipſum matrimonium reprehenditur, tanquam illicitè contractum, aut
propter fornicationem, uel impotentiam alterius ex coniugibus quæritur di-
uortium, tum requiritur, ut oblato libello coniuges citentur, & illis legitimę
12 dilationes concedantur, & expetatur iuramentum calumniæ, & obſeruentur
ea omnia, quæ alijs in iudicijs regulariter obſeruari ſolent. c. literas. extr. de
14 reſtitut. ſpol. Talis autem matrimonij reſcindendi contentio, dicitur accuſa-
13 tio matrimonij, non quòd criminaliter ſectemur coniugum delicta, quorum
cauſa matrimonium tanquãm cõtra ius contractum diſſolui, aut coniuges in
15 uicem ſeparari thoro & menſa contendimus. Nam ſi criminaliter accuſare-
mus coniuges de inceſtis, aut nefarijs nuptijs, aut de adulterio, tum cauſa ex
foro eccleſiaſtico transferretur ad ſeculare, & neceſſe eſſet, actorem ſe ob-
ſtringere ad ea pericula, quæ aliàs imminent ſecundum iura Romana crimi-
naliter agentibus. c. tuæ. extr. de procurato. & ibi gloſſ. Quare obſeruandum
eſt, quòd matrimonia κατηχρησικῶς dicuntur accuſare. Quia talibus accuſatio-
nibus non petimus infligi meritas pœnas illis, qui deliquerunt, ſed initum
fœdus matrimonij propter admiſſa contra ius publicum in contrahendo ma-
trimonio à coniugib. aut poſtquam iam cõtractum eſſet, contra illud turpiter
perpetrata ſunt, cupimus pronunciari nullum, aut ita uiolatum, ut coniugi
extra culpam exiſtenti auerſari delinquentis conſortium iure liceat, donec
16 uicturus ſit, aut in certum tempus. Solet autem quoq; in his actionibus matri
monij obſeruari, ut, ſi citati coniuges fiant contumaces, ita, ut nec ipſi uel alij
ipſorũ nomine in iudicium ueniant, qui cauſam ipſorum tueantur, accuſatio
publicetur. Ac ſi ne tunc quidem ueniant, qui defendere cauſam conentur,
iudex ſententiam diuortij proferre poſſet. Idem permittitur & cũ notorium
eſt impedimentum matrimonij. c. porrò. in fin. ext. de diuor. & de accuſation.
17 ca. qualiter. §. debet. Cæterũm quia plura alia matrimonij impedimenta enu-
merantur, cũm iure ciuili, tum canonico, quibus interuenientibus matrimo-
nia prohibentur, aut contracta reſcinduntur, eo quo diximus modo, genera-
liter obſeruandum eſt, id ſolùm propter ea impedimenta fieri, quæ iure cano-
nico approbata ſunt.

18 Proinde non ſatis eſt cauſam repudij, aut diuortij in legibus ciuilibus ex-
tare, niſi eadẽ & à iure canonico recepta ſit. Quia & in his cauſis, ſicut à prin-
cipio diximus, ius canonicum ſequimur. Poſt illos autem Titulos, quos ſuprà
de nuptijs annotauimus, nullus magis huc referendus uenit, quàm ille in de-
cretalibus, cuius paulò poſt principium huius capitis meminimus.

EX OBLIGATIONE mandati. Caput L.

SVMMARIVM.

1. Actione mandati quis conueniatur?
2. Mãdatarius ob ſuam negligentiam conueniri non poteſt, niſi interſit mãdantis.
3. Bonæ fidei conuenit, ne de alieno lucrum quis ſentiat.
4. Mandatario non fit fraudi ſua facilitas.
5. Actio mandati contraria, eſt bonæ fidei, hæreditaria, directa.
6. Perfidia mandantis eſt in non liberando fideiubentem.
7. Actio utraq; hæc infamat.

SCHOLION.

Cic. in orat. pro Sex. Roſcio Amerino de Actione Mandati ſic ſcribit: In priuatis rebus ſi qui rem mandatam non modò malitioſius geſsiſſet ſui quæſtus aut cõmodi cauſa,

causa, uerumetiam negligentius, eum maiores summum admisse dedecus existimabant. Itaq; mandati constitutũ est iudicium non minus turpe quàm furti, credo propterea, quòd quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ uicaria fides amicorum supponitur, quam qui lædit, oppugnat omnium commune præsidium, & quantũ in ipso est, disturbat uitæ societatem. Non enim possumus omnia per nos agere, alius in alia est remagis utilis. Idcirco amicitiæ cõparãtur, ut cõmune cõmodũ mutuis officijs gubernetur. Quid recipis mandatũ, si aut neglecturus, aut ad tuũ cõmodũ cõuersurus es? cur mihi te offers, ac meis cõmodis officio simulato officis & obstas? recede de medio, per alium transigam. Suscipis onus officij, quod te putas sustinere posse, quod minimè uidetur graue ijs, qui minimè ipsi leues sunt. Ergo idcirco turpis hæc culpa est, quòd duas res sanctissimas uiolat, amicitiam & fidem, nam neq; mandat quisquam ferè nisi amico, neq; credit, nisi ei quem fidelem putat. Perditissimi est igitur hominis simul & amicitiam dissoluere, & fallere eum, qui læsus non esset, nisi credidisset, &c.

ACTIONE mandati directa conuenitur is, qui nulla necessitate obedientiæ coactus aliena negotia ob nullam præmij conuentionem suscepit bona fide curanda, nec curauit, ut mandatoris interesse sensit, aut cum eo conuenit. Nam hac actione quis conuenitur, non quia possit aliena negotia (sicut fit in actione negotiorum gestorum) sed quia mandatum gerendorũ alienorum negotiorum suscepit. l. si remunerandi. §. i. ff. mandati. Deinde non ideo tantùm conuenitur mandatarius, quia neglexit mãdata negotia curare, uerũm idcirco etiam, quia interest mandantis, commissa negotia esse rectè curata. Vbi enim desijt interesse mandatoris, ut commissa negotia curentur, ibi etiamsi mandatarius ea negligat, tamen conueniri ob suam negligentiam non potest. l. si procuratorem. §. mãdati. ff. mand. Quare siue culpa siue dolo intermissa fuit cura mandatorum, non amplius quoq; quicquam mandator petere â mandatario potest, quàm quod sua interest expedita negotia esse mandata. l. ad comparandas. C. mand. Verũm si negotia mandata non sunt culpa aut dolo neglecta, sed rectè curata, non autem exhibet procurator domino, quod ex curatis negotijs adeptus est, tum mandator potest petere, ut sibi ea, quæ ex confectione negotiorũ ad mandatarium peruenerunt, reddantur, ac si diutius cessauerit istud facere, potest propter moram etiam emolumenta, quæ percipit ex re, quam iuxta mandatũ domino comparauit, petere. Bonæ fidei enim congruit, ne de alieno lucrum quis sentiat. l. si procuratorem. ff. Proinde. & l. idemq; ff. mandati. Ediuerso autem bona fides requiritur, ut mandatario quoq; non sit fraudi sua facilitas apud mandatorem, si aliquid de suo impenderit eius negotijs, ut fideliter & utiliter ea omnia conficeret, quæ illi mandato iniuncta erat. Itaq; si mandatarius iubente mandatore fundum emat, & precium pro eo soluendum promittat, aut soluat, potest actione mandati contraria petere, ut mandator cogatur eum ab obligatione promissi precij liberare, aut solutum reddere. l. si uerò non renumerandi. §. contrario. & sequen. ff. manda. Item si rogatus sit mandatarius, ut apud creditorem mandatoris pro certo debito fide iubeat, & postea cessante mãdatore, debitum ipse soluere cogatur, actione mandati contraria solutum debitum cum omni dispendio suarum rerum, quod ex mora eius tulit, recuperare potest. l. si mandato meo. & l. si uerò non renumerandi. §. si mihi. ff. manda. Nam & contraria mandati actio bonæ fidei, & hæreditaria est, sicut directa, & reliquas quoq; actionũ differentias cum ea habet communes, præterquàm quòd directa conuictus propter deprehensam perfidiam infametur, sed contraria condemnatur in hoc solũm casu, quo cernitur non redemisse mandatarium, quem rogauit, ut pro eo fideiuberet. Nam in tali casu uidetur agi de perfidia mandantis, per contrariam actionem, quippe qui accusetur, quòd non liberarit fideiubentem sicut promiserit, cũm alioqui in omnib. cõtrarijs agatur de calculo, & ob id infamat, sicut suprà de actionũ differen

differentijs abunde explicauimus. De eo autem casu, quo infamat contraria mandati actio, agitur in l. furti. §. mandati. ff. de his qui nota. infa.

ff. & Cod.

Mandati uel contra.

QVIBVS CASIBVS CONVENIATVR, aut nobis in alios detur actio ex alieno contractu, seu pacto. Caput LI.

1. Quatenus aliena conuentione obligamur.
2. De æquitate agendi ex alieno contractu.
3. Actionum differentia ex alieno contractu, & enumeratio.
4. Qui conueniantur actione tributoria.
5. Actiones Prætorias, adiectiones esse aliarum actionum moderatrices.
6. Electio contrahentium, utrum præpositos, an qui eos præfecerunt, conuenire uelint.
7. Omnes actiones, quæ ex contractibus oriuntur, esse perpetuas.
8. Actio de peculio, perpetua est, & Annalis.
9. Merx peculiaris quæ sit.
10. Dispiciendum, utra actione magis expediat pro re præsenti experiri.
11. Actio ex lege Rhodia de iactu è naui facto quæ sit.
12. Quando nobis ex aliorum contractu detur actio.
13. Actio ædilitia de redhibendo.
14. De equo uendito.
15. Successio hæreditaria facit, ut ex alieno contractu & pacto agamus.
16. De pactis personalibus & realibus.
17. An filius familias teneatur de contractib. sub patria potestate factis.
18. De S.C. Macedoniano.

VTILIS & necessarius est hic tractatus. Nam fieri non potest, ut non in quibusdam negotijs aliena opera utamur. Deinde propter necessitudinem naturalem, aut ciuilem potestatem, quædam personæ ita nobis redduntur obnoxiæ, ut non frustra illorum conuentiones ad nos pertinere uideantur, & tamen non ca
1 ret iniqui specie, quòd aliquis aliena conuentione obligari debet. Proinde prætor Romanus operæ precium duxit, talium obligationum modum constituí, ut quis scire posset, quatenus ipse conueniri ab alijs, aut alios conuenire propter alienum contractum iure concederetur. Mihi uerò hunc tracta-
2 tum ideo mandatorum actionibus subiungere proximè placuit, quòd æquitas agendi cum quoq; iam ex alieno contractu uideatur ex mandato maximè
3 prouenire. Est autem earum actionum, quibus ex alieno contractu conuenimur, præcipua differentia, quòd quibusdam agimus in solidum, quibusdam uerò in id tantùm, quod ex contractu alieno ad aliquem peruenit, aut ex contrahentis rebus apud eum extat, ut actione Exercitoria, Institoria, & actione, Quod iussu, cum illis, quorum nomine magister nauis, aut institor, aut filiusfamilias, aut seruus gesserunt negotia, agimus perinde ac si ipsi nobiscum contraxissent. Actione autem de peculio, & in rem uerso, agitur cum dominis ac parentibus seruorum ac liberorũ, cum quibus liberis, aut seruis contractum est de eo tantùm, quod in illorum peculio est, aut quod in dominorum uel parentum commodum ex contractu seruorum uel liberorum uersum est.
4 Mediam quãdam uiam agendi inter has actiones tenet tributoria actio. Nam hac conueniuntur parentes ac domini, propter contractum liberorum ac seruorum, quos in potestate habent, tanquam extranei creditores. Etenim competit ea in casum, quo parentes uel domini scientes passi sunt liberos aut seruos suos, uel qui bona fide ipsis seruiunt, negotiari. Quare cùm in minori sint culpa quàm illi, qui iusserunt eos contrahere, aut præfecerunt curandis negotijs,

Actio exercitoria. *Institoria.* *Quod iussu.* *De peculio.* *De in rem uerso.* *Tributoria.*

gotijs, non conueniuntur in solidum, sicut fit in tribus prioribus actionibus. Rursum uerò quia sciuerunt seruos aut liberos suos negotiari, nec prohibuerunt, in grauiori culpa esse uisi sunt Prætori, quàm illi, quibus nescientibus contraxerunt, aut ad quos ignorantes aliquid ex illorum negotiationibus peruenit. Itaq; illis negauit hanc prærogatiuam iuris, ut cõuentis propter contractus suorum seruorum aut liberorum, quos sciuerunt negotiari, non liceat sibi retinere ex peculio illorum, quod ipsis debent, antequam reliquos creditores ad peculia ipsorum admittant (id quod aliàs ignorantibus parentibus ac dominis negotiationem suorum seruorũ aut liberorum in peculio negotiantium permissum est): sed coguntur tanquam extranei creditores, quicquid est rerum, quas ex peculio liberorum aut seruorũ suorũ apud se habent, reliquis eorum creditoribus contribuere, & cum ipsis pro modo debitorum partiri.

Porrò quamuis hæ actiones à prætore sint proditæ, & in singulos titulos earum iura & obseruationes digestę, ut constaret, quatenus in diuersos casus propter alienos contractus conueniri possemus: Tamen accuratè rem perpendenti per se non sunt separatæ actiones à reliquis actionibus, quæ ex contractibus oriuntur. Sed sunt quædam adiectiones illarum actionum, quibus tanquam additamentis in certos casus ex æquitate prætoris actiones ex contractibus moderatę sunt. Neq; enim is, qui exercitorem nauis conuenire uult, propterea quòd magister, quem ille prępositus naui, aliquid illi uendidit, quod nondum tradidit, alia actione cum eo agit, quàm ea, quæ aliàs datur emptori contra uenditorem non tradentem rem uenditam. Sed ea tamen tum demum & in istum casum experiri potest cum exercitore, ubi constat, quòd in eam causam, in quam præfectus est naui, & non aliam, contraxit. l. 1. & ij. l. ult. §. non autem. ff. de exercito. acti. Idem obseruandum statuit prætor in institoria actione. l. quicunq;. §. non tamen. ff. de instit. act. Prępositio enim certam legem dat contrahentibus cum magistro nauis aut institore, quatenus conuenire eos, qui illos expresse uel tacitè prępositerunt negotiationibus, possint, aut non. l. 1. §. igitur. ff. de exer. actio. Neq; in alium casum dominus & pater conueniuntur ob filiorum & seruorum suorum conuentiones actione quod iussu, quàm si illorum iussu cum illis contractum appareat. l. 1. §. quod iussit. ff. quòd iuss. Vbi igitur pro modo, quem prætor egredi contrahentes cum prępositis negotiorum alienorum prohibet, initus est aliquis contractus, actione quæ ex eo regulariter competit, illi qui eos prępecerunt negotijs conueniri possunt, neq; propter conditionem personæ, quæ conuenitur, actio ex illo contractu competens prorsus nouam induit naturam, sed propter occasionem, qua emersit, tanquam ex accidenti uariari eius causa uidetur. Vnde rectè quidam uolunt, quòd si aliquid mutuo datum sit magistro nauis, aut institori, aut seruo, ex iussu domini, dominus talium ex mutuo per illos iuxta formam crediti negotij contracto, dicatur conueniri certi condictione exercitoria, aut institoria, aut quod iussu, pro diuersitate personarum, à quibus est acceptum mutuum. Id quod & de reliquis contractibus, qui cum talibus personis ritè sunt initi, accipiendum est: Nam ratio agendi ex contractibus, quos cum talibus personis iniuimus, in hoc solùm uariat, quòd ex contractu, qui initus est cum domino directo, ex eo uerò qui per accommodationem uoluntatis dominicæ per nos est factus ex consequenti quasi agimus, uidelicet ut quia is, cum quo contraximus, non præstet pacta conuenta, eum conueniamus, cuius uoluntatem in contrahendo spectauimus.

Actiones ex accidenti uariari.

Proinde quoq; ex talibus cõtractibus datur contrahentibus electio, utrum ipsos prępositos, an illos, qui eos præfecerunt, prius conuenire uelint. l. 1. §. est autem. ff. de exercit. action. Atq; illud etiam, quòd ex contractibus prępositorum negotijs non dantur speciales actiones contra illorum dominos, sed eędem, quę aliàs ex quibuslibet cõtractibus oriuntur, uideri potest esse causa, cur

cur perpetuæ esse tales actiones uideãtur. Nam speciali lege id non constat. Quamuis in l. 1. §. penult. ff. de institor. actio. dicatur eam in hæredes dari. Cæteræ quoq; actiones, quibus conuenire dominos, & parentes ex eorum contractibus, quos in potestate sua habent, diximus esse perpetuas, & hæreditarias, facilẽ quisque intelliget, si perpenderit & illas ex contractibus oriri.

7 Nam regulare hoc est, in omnibus actionibus, quæ ex contractibus oriun-
8 tur, quòd sint perpetuæ. l. ex contractibus. ff. de actionib. & obligat. Actio tamen de peculio solũm est perpetua, donec illi quorum peculium habemus, in nostra fuerint potestate. Nam postquam id accidit, actio de peculio fit annalis, iuxta tot. tit. ff. quando de pecul. act. anno. est. Datur & tributoria actio *Acti. tributoria.*
9 perpetuo in hæredem & successorem domini, sed non nisi ad distributionem mercis peculiaris, hoc est, earum rerum, quibus negotiari seruum, non ut dominicis, sed peculiaribus rebus permisit. l. sed si pupillus. §. penult. ff. de insti. actio. Ac neq; ad solidam quidem earum etiam rerum distributionem, sed in id tantùm, quod ex merce peculiari ad dominum, uel hæredes eius peruenit, nisi eorum, quos in potestate habuerunt, dolo id, quod contribuendum erat creditoribus serui negotiantis, interuersum sit. l. illud quoq;. §. ult. & duab. se. ll. de tribut. act. Est actioni Tributorię cum Exercitoria, & Institoria, & ea, Quod iussu, commune, ut quibus aliqua illarum detur, eidem competat quo-
10 que actio de peculio, & de in rem uerso. Sed refert plurimùm dispicere posse, utra magis expediat pro re præsenti experiri, iuxta §. cæterum. Instit. quod
11 cũ eo, qui in alie. potest. est. Cęterũm est & alia quędam actio, quæ datur ex l. Rhodia, quæ non ualde dissimilis est tributoriæ, quod ad finem attinet. Nam & ea de tributo sine collatione facienda agitur. Sed differt à tributoria, quòd ea non datur ex alieno contractu, propterea quòd contrahens alienam fidem uel autoritatẽ in cõtrahendo spectauit, & secutus est. Sed quod æquitas suadet cõmune fieri eorũ detrimento, quando propter amissas res aliorum consecuti sunt, ut merces suas saluas haberent. l. ij. §. æquissimum. ff. ad l. Rhodi. Itaq; rectẽ diceretur ex l. per eam agi, nisi lex diceret ex locato & conducto inter eos agi oportere, qui damnum suarũ rerum, quod propter aliorum commodum passi, sarciri contributione illorũ cuperent. l. ij. in princi. ff. ad l. Rho- *Iactus è naui factus.*
diam. Quando igitur iactus factus est è naui, qua multorum merces simul uehebantur, ut quædam ex illis seruarentur, tum propter legis Rhodiæ autoritatem domini iactarum mercium à magistro nauis actione ex locato petere possunt, ut merces, quas ipsi locarint uehendas, restituat saluas, sed ipse uicissim ab illis, quorum merces ex iactu seruatæ sunt, ex conducto petere potest, ut postquam fecerit iactum ipsorum mercium conseruandarum causa, ipsi pariter cum illis, quorum merces eiectæ sint, detrimentum sufferant, ac eum onere restituendi ea, quæ communis salutis gratia abiecerit, liberent. Atque ita uidere est, quòd hæc actio in hoc quoq; uariat à superioribus, quòd utrinque datur propter alienũ cõtractũ, quia magister nauis, tam cũ illis, quorum merces iactę sunt, quã cũ illis, quorũ merces seruatæ sunt, pactus uideretur, ut eas saluas restitueret. Proinde conuenitur, & ipse uicissim cũ illis, quorum merces uehendas accepit, agit, ut propter consortium nauigationis conuentæ damnum sine cuiusquam culpa aut dolo datum ferat. Sed hoc non fit in superioribus actionibus, nam etsi contrahenti cum præposito detur aduersus præponentem actio, tamen præponenti non datur aduersus eos, qui cum prę posito eius contraxerunt. Nisi cum eo egerit per actionem mandati aut locati, ut actiones per eum quæsitas aduersus illos, illi cedat. l. 1. §. est autem. ff. de exer. act. Neq; tamen hæc regula sine exceptione est, nõ enim unius, &
12 eiusdem conditionis, quorum opera in curandis negotijs utimur. Itaque ut certò posit constare, quando nobis ex aliorum contractibus detur actio, ita distinguendum est: Quòd si persona, quæ præfuit negotijs nostris, sit liberæ con-

ditionis, aut seruus alienus, tum regulariter prius conuenirí præpositum, aut eius dominum, ut cedant actiones, antequam cum illis, cum quibus contraxerunt præpositi, agunt præponentes. Donec enim præponens à præposito, uel eius domino cõsequí potest, quod pro iure suo desiderat, non datur illi aduersus eos, cum quibus præpositus eius contraxit, actio, iuxt. l. 1. §. est aũt. ff. de exercí. actio. Vt si institor uendiderit alicui equum, quí propter compertum morbum redhibitus est domino institoris ab emptore, tum donec institor est soluendo, non potest emptorem conuenire actione Aedilitia, ut ipsi reddat, quæ occasione empti equi acquisiuerit. Nam si quid tale apud emptorem est, potest conuenire institorem actione mandati, & pro interesse petere, ut efficiat, ut illud quod cum uendito equo acceperit emptor, restituatur, aut ipsi cedat aduersus emptorem equi, quęsitam per uenditionem equi actionem. Si uerò institoris res in eo sint statu, ut nullo modo dominus suum inter esse ab eo consequí possit, tum iura indulgent, ut dominus absq; ambage eos, quí cum ipsius præposito contraxerunt, conueniat in eam causam, in quam inter eos contractum est. l. 1. & ij. ff. de instit. act. Idem permittitur domino, cũm aut filium, quem habuit in potestate, aut seruum suum præposuit negotio. Nam ius patriæ & dominicæ potestatis facit, ut per tales personas nobis acquiratur actio. iuxta notata in cap. de iur. perso. Sicut & pupillis atq; minoribus ex contractu suorum tutorum & curatorum conuenire eos, quí cum illis contraxerunt, licet. Iuxta tit. C. quando ex fact. tuto. uel curato. mino. age. poss. Facit & successio hæreditaria, ut ex alieno contractu, & pacto agamus. 15 Sed in pactis diligenter considerandum est, an sint merè personalia, & 16 ita in unam atq; alteram personam concepta, ut expressè omnes aliæ personę, quæcunq; necessitudine illas contingant, excludantur. Nam talia pacta non egrediũtur personas, in quas concepta sunt. l. nisi. ff. de pactis. Si uerò pactum est reale, in quo cũm de re præstanda conuentum sit, persona, cuí, aut à qua debeat præstarí conuentum, ideo solũm adiecta est, ut constaret, cum quibus ex eo agí, aut non, superstitibus contrahentibus, possit. Illud certo quodam modo egreditur personas, & per personam alienam in ea non comprehensam, ex eo agitur, iuxta Bartol. circa l. qui in futurum. ff. de pactis. Præter has autem generales regulas agendi ex alieno contractu, sæpe idem ex speciali autoritate legis conceditur, ut l. si cum uenderet. ff. de pignora. actio. permittitur, ut si creditor uendat pignus adiecto pacto, quòd si debitor solueret debitum emptorí pignoris, licere ei recipere rem suam, ut ex pacto uendentis creditoris debitor agat contra emptorem, cum quo ipse nihil pactus est. item l. certi. §. si nummos. ff. si cer. pet. dicitur nobis quærí certi condictionem, si quis nostros nummos alicuí nostro nomine dederit. Itidem fit in alijs multis legibus iuris Romani, quas nimis longũ esset enumerare, satis itaq; sit discentes monuisse, quòd ultra communes regulas, quibus dicitur nobis darí actio propter legitimam potestatem, quam in persona contrahente habemus, & ex successione, alijsq; similibus regulis, nonnunquam ex speciali quoq; iure darí nobis actionem ex alieno contractu, ut ipsi sciant eas leges sibi peculiariter esse obseruandas. Cohęret aũt huic tractatui quędã quæstio, qua quæritur, an 17 ne filius familias teneatur de contractibus, quos inierit cũ esset sub potestate patria, postquam eam euaserit, aliquo istorum modorum, quibus liberari nos ab ea suprã ostendimus, sed ius, quod in hoc casu obseruatur, non est analogon, sed beneficiarium, sicut senatusconsultum Macedonianum, quo liberan 18 tur parentes ab obligatione nutui, quod filius citra ipsorum consensum accepit. Itaq; infrã in priuilegijs de hoc iure agendi cum filio, qui egressus est potestatem patriam, dicemus.

SEQVVN-

SEQVVNTVR TITVLI HVC PERTINENTES.

ff.

De exercitoria actione.
De institoria actione.
De peculio.
De in rem uerso.
Adl. Rhodiam de iactu.
De tributoria actione.
Quando de peculio actio annalis est.
Quod iussu.

Cod.

De exercitoria, & Institoria actione.
Quod cum eo, qui aliena potestate est, gestum negotium esse dicetur, seu de peculio, uel quod iussu, uel de in rem uerso.

Instit.

Quod cum eo, qui aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur.

EX QVASI CONTRACTV.

Caput LII.

SVMMARIVM.

1. Actio negotiorum gestorum in quem detur.
2. Contraria actio negotiorum gestorum cui detur.
3. Vtrinq; ex negotijs gestis obligari.
4. Interesse ex mora peti posse.
5. Omnes actiones personales esse perpetuas.
6. Negotia nostra quæ sint.

1 SI quis non rogatus aut iussus, absentis uel ignorantis negotia gessit, is si contrà, quàm bonum & diligentem patremfamilias decuit, in alieno negotio uersatus est, conueniri potest actione negotiorum gestorum directa, ut quod dolo aut culpa eius admissum sit, compenset, siue rependat, aut ut id, quod occasione 2 alieni negotij ad eum peruenerit, restituat domino negotiorum. Ediuerso, & illi, qui gessit aliena negotia, absq; mandato, & absq; necessitate incumbentis officij, datur actio negotiorum gestorum contraria aduersus eum, cuius negotia gessit, ut quod in eius negotia utiliter impendit, ipsi restituat, aut si fortè negotiorum expediendorum causa se obligauerit in contrahendo ære 3 alieno, aut fideiubendo, ut eum liberet. Ita nanq; prætor edixit, ut utriq; inuicē sibi ex negotijs gestis obligarentur, ne cui eo nomine aliquid immeritò de esset. l. ij. ff. negoti. gesto. Et quia ex æquitate prætoris hæ actiones concessæ 4 sunt, ultra id, quod principaliter alteri ab altero debetur, etiam interesse ex mora, in his iudicijs peti potest, quia sunt bonæ fidei actiones. Instit. de actionib. §. actionum. Datur quoq; hæredibus in hæredes. l. iij. §. hæc actio. 5 Sunt quoq; perpetuæ, sicut regulariter omnes personales. l. iij. §. & neque. C. de constit. pecu. Competunt autem & hæ actiones in hos casus, quos annotauimus, directò, sed in multis alijs utiliter. Vt si quis gerat negotium, quod ab absente, uel ignorante curatore aut tutore erat nomine pupilli gerendum, da 6 tur in gestorem actio negotiorũ gestorum, perinde ac si ipsorum propria negotia essent gesta. l. ait prętor. ff. negot. gestor. Non enim ea sola negotia nostra sunt, quæ reipsa ad nos pertinent, sed & ea, quorum cura & solicitudo incumbit nobis. Idem fit in multis alijs casibus, quos quia ll. perspicuè explicant, & indicant, discentes ad titulos huc pertinentes remitto.

ff. & Cod.

Negotiorum gestorum.
De negotijs gestis.

EX CONTRACTIBVS INNOminatis. Caput LIII.

SVMMARIVM.

1. Subsidiarum auxilium est actio in factum præscriptis uerbis.
2. Præscriptis uerbis agere quid sit.
3. Ex contractibus innominatis competere actionem præscriptis uerbis.
4. Pacta conuenta seruanda esse.
5. Condictio causa data, causa non secuta ad quid detur.
6. In contractibus innominatis pœnitenciæ locus est.
7. Factum infectum fieri nequit.
8. Differentia inter contractus nominatos & innominatos.
9. Interesse etiam in contractibus innominatis petere licet.
10. Pœnitentiæ damnum sentire.
11. Transactio & permutatio, contractus innominati.
12. Transactio componendæ litis causa fit.
13. Condictio ob causam quæ sit.
14. Repetitio datorum conditionalium quando locum habet.

De actione præscriptis uerbis.

IN casum, quo existit obligatio horum contractuum, non est prodita speciális actio, qua peteremus id præstari, de quo conuentum est. Itaq; quoties ex uí obligationis eum, cum quo contraximus, urgere uolumus, ut præstet conuenta, necesse est nos confugere ad subsidiarium auxilium, & actione in factũ præscriptis uerbis petere, ut ís, cum quo contraximus, suam fidem liberet, sicut uerba, quibus inter se cõuenerunt, id postulãt. l. íj. &. íij ff. de præscript. uerb. Qualis uerò ísta sit actio, dicemus infrà in explicatione subsidiariarum actionum. Quòd autem díximus, actionem præscriptís uerbís competere ex contractibus innominatis, illud ita accípiendum est, quòd hoc generaliter uerum sit, cũm cupímus pacta conuenta exístente iam ex íllis obligatione seruarí. At cũm hoc non agimus, sed quía nos aut pœnítet contraxísse, aut malè habet, quod nõ maturè præstitũ sit conuentũ, cupímus nobis restítuí, quod eo nomine contrahentí nobíscum dedimus, atq; adeò cũm uolumus rescíndí obligationem (id quod nobis pœnitentibus re íntegra, aut non subsecuta re, in quam contraximus, culpa contrahentís, lícet) tum condictione causa data, causa non secuta, nobís succurrítur, iuxta l. dedí. & l. si pecuniam. ff. de condict. caus. dat. caus. non secut. Neq; tamen ísto subsídio condictionis iuuamur pariter in omnibus innominatís contractibus, sed in íjs tantũm, quíbus contingere potest, ut alíqua re careamus, quæ possit restítuí. Datur enim hæc condictío ad repetendum id, quod occasione contractus ad alíum translatum est. Quare cũm factum infectum fieri nequeat, l. in bello. §. factæ. ff. de capti. & postlí. reuers. ac proínde recuperare factum suum quís non posít, non competít hæc actío ex contractu innomínato, facio ut des, aut facío ut facías, sed solũm ubí datum est, ut alíquid fieret, aut daretur. l. 1. ín fine. ff. de rer. permut. & de præscript. uerb. l. naturales. §. at cùm do. In contractibus autem nominatis condictio ob causam, omnino non habet locum, quía ex sola conuentione ín illa nascítur utrinq; obligatío, & non est necesse interuenire rei traditionem, síue præstationem, sícut ínnomínatís contractibus, iuxta glos. l. 1. ff. de rer. permut. circa uerb. ígitur. Proinde neq; ex pœnítentia altero ex contrahentibus ínuíto rescíndí possunt, etíamsí res adhuc utrínque sit íntegra, præter quàm ín Depósito, & Mandato. l. sícut. C. de obligationibus & actionib. Sí uerò quís recedat à conuentione contractuum nominatorũm, ís potest conueníri actione, quæ ex quolíbet contractu competít, ad præstandum Interesse, quod & ín contractíbus ínnominatís petere licet, sí non íntegra re quis recedere à conuentione conetur. Nam & in his contractibus recedens cogítur præstare, ne is, cum quo contraxit, damnum ex eíus pœnítentia sentíat. l. si pecuniam. §. sí seruũ. ff. de condict. caus. dat. caus. non secut. Atq; hæc quidem de pœnítentía annotauímus, ut quis scíre posset, quatenus

nobís

nobis propter pœnitentiam noſtram repetere id, quod datum eſſet alicui in contractu innominato liceret, In altero caſu, quo diximus, nos poſſe condicere datum, ſi non maturè præſtitum ſit, quod promiſſum erat, hoc obſeruandum eſt, quòd uerùm illud ſit, niſi fortuito aliquo caſu quem impeditum conſtat. l. pen. & ult. C. de condic. ob cauſ. Porrò habet Actio præſcriptis uerbis, & condictio ob cauſam, etiam locum ex cauſa permutationis & tranſactionis. Nam & hi duo contractus, quamuis ſub certis appellationibus accipiantur & ſeparentur, tamen innominati habentur, quia naturam illorum maximè imitantur. Non enim ex his oritur obligatio, niſi ab altero contrahentium præſtitum ſit quod promiſſum eſt. Necꝫ eſt quidem in agendo ex his contractibus aliud magis ſpeciale quàm quòd alteri ex tranſigentibus altero inuito recedere à pactis conuentis non liceat, ne cùm tranſactio componendæ litis cauſa facta ſit, renouandarum litium contentio, legum indulgentia foueatur. l. quamuis. C. de tranſact. Quando igitur ab altero permutantium aliquid alteri datum eſt, & is ceſſat dare promiſſum, tum poteſt cum eo agere Actione præſcriptis uerbis, ut ſtet pacto, aut condictione ob cauſam, re adhuc integra, atcꝫ id quidem facere poteſt, aut propter ſolam ſuam pœnitentiam, aut contrahentis ceſſationem, aut ſi contrahens non poſsit reſtituere acceptum, agere cum eo actione præſcriptis uerbis ad Intereſſe. l. cùm precibus. & l. quando. & l. ultim. C. de rer. permut. & ff. eodem, l. 1. in fine. Sed idem non planè fit ex cauſa tranſactionis. Nam primùm quidem ſi nihil eorũ eſt præſtitum, de quibus conuentum eſt, ceſſans non poteſt ex nudo pacto tranſactionis conueniri, ac cogi, ut præſtet conuenta, ſed licet actionem, cuius occaſione facta eſt tranſactio, denuo urgere, ac ſi loco exceptionis opponatur facta tranſactio, replicatione ceſſantem cogere, ut præſtet conuenta, aut expectet primò intentatæ actionis euentum. l. ſiue apud. C. de tranſactionibus. Si uerò ab altero tranſactorum, aliquid præſtitum eſt, tum propter ſolam pœnitentiam eius, qui præſtitit conuentum, non poteſt reſcindi contractus. Sed ſi intolerabiliter ceſſat, poteſt ab eo repeti quod datum eſt condictione ob cauſam, aut ſi appareat dolo conflatam eſſe tranſactionem, actione de dolo cum eo agere, l. ſub prætextu. l. 1. & ibi gloſſ. C. de tranſactionibus. Sed inquis: cùm ex condictione ob cauſam repetere illi, quod præſtiterunt, non poſsint, qui Intereſſe pacti ſunt cõtractu innominato, facio ut des, aut facio ut facias: quomodo illis conſuletur, ne ipſis ſua facilitas ſit fraudi? Reſpondeo, quòd ſi tale ſit factum, quod eſt præſtitum, ut inde aliquid commodi redierit ad contrahentem, tum poſſe eum actione præſcriptis uerbis cum eo agere, ut det, aut faciat, quod illi pro confectione negotij promiſerit: aut ſi appareat eum dolo inductum, ut faceret aliquid, ne contrahens agnoſcat eius operam, poſſe eum de dolo conuenire. l. ſolent. & l. naturalis. §. quod factum. ff. præ. uerb. Cæterùm Condictio ob cauſam eſt perſonalis ciuilis, & datur tum directa tum utilis hæredibus & in hæredes perpetuò, nec infamat, ſed datur non ſolùm cùm aliquid euidenter, ſed & cùm aliquid quaſi datum eſt, aut per interpretationem intelligitur, ut ſi quis debitori ſuo debitum acceptum ferat, ſi hoc aut illud ipſi effectum reddat, & poſtea ceſſat id facere, tum poteſt ab illo repetere debitum, quod illi acceptum tulit, quàm ſi tum primùm illi numeraſſet pecuniam creditam. l. ſi quis accepto. ff. de condict. cauſ. da. cauſ. non ſecu. Necꝫ repetuntur hac condictione ſolũm ea, quæ data ſunt, ſed & fructus rei datæ. l. quiſe. §. ult. ff. de condictione cauſa data. Et hoc quidem cum hoc appendice accipiendum, quòd ſi ſub conditione, aut modo aliquid donatum, aut legatum ſit, aut per fideicommiſſum, uel Codicillis relictum ſit, aut dotis cauſa datum alicui, & conditio deficiat, aut eo modo non fiat res, cuius præſtandi cauſa donatio facta eſt, poſſe donata & legata per fideicommiſſum relicta, & dotem hac cõdictione quoꝫ repeti. Nam & in his tanquam generalis repetitio conditionalium

Condictio ob cauſam.

datorum locum habent.l.si donatarius,iunctis quinq; sequentibus.ff. de condict. causa data causa non secuta. Sequuntur tituli.

ff.

De condictione causa data causa non secuta.

Cod.

De condictione ob causam datorum.

Hic meminisse oportet,nos in huius condictionis tractatione dixisse etiam de actionibus, quæ ex permutatione & transactione competunt,ne quis non diligens rerum traditarum obseruator existimet nos temerè horum contractorum actiones non annotasse.

QVANDO CONTRA OBLIGAtionem conuentionis,& Solutionum detur actio. Caput LIIII.

SVMMARIVM.

1. Pacta turpia & uiolenta non obligare.
2. De actionibus quibus soluta ex uiolentis pactis repetuntur.
3. Condictio ob turpem causam quatenus permittatur,& quando locum habeat.
4. Datum ob turpem causam quando possit repeti.
5. Turpitudinis,& malarum rerum uberrimus est prouentus.
6. Vestem commodatam nolens reddere.
7. Condictio sine causa quæ sit.
8. De condictione ob causam.
9. Nuda ratio non facit debitorem.
10. Condictio indebiti quando competat.
11. Quæ actio cum quibus conueniat.

De actionib. rescindentibus obligationes.

CIRCA & extra contractus cũm nominatos tum innominatos talia nonnunquam fiunt inter homines pacta,quę etsi propter turpitudinem & uiolentiam, qua extorta sunt, non obligent paciscentes, iuxta l.si plagij. ff.de uerb.obligat.tamen quia sæpe accidit,ut quidam per incogitantiam, aut coacti soluant id,de quo conuentum est,ne ex improbitate sua lucrũ immeritè sentirent illi,qui ex talibus conuentionibus aliquid accepissent, proditæ sunt iure ciuili quædam actiones, quibus soluta ex istiusmodi pactis repeterentur. Ac primùm quidem si quid ob turpem causam solutum est, permittunt ll. ut istud repetatur condictione ob turpem causam. Sed illud tamen eatenus permittitur,quatenus solius accipientis turpitudo in cõuentione deprehenditur.l.1.ff.de condict.ob turp.caus. Vt si quis alicui det centum aureos,ne contumelia adficiat parentem,licet illi datam pecuniam repetere condictione ob turpem causam, quia turpiter ob eam rem prẽmium exegit,quam patria pietas ab eo requirit. l.ij.ff.de condict.ob turp. caus. Si uerò quis lenoni daret fundum hoc pacto, ut filiam suam illi prostituat,non datur fundi repetitio. Cessat enim hæc condictio,ubi apud paciscentes utrinq; uersatur turpitudo. l.ij. C.ob turp.caus. Et tamen quamuis cessat hæc repetitio, ita,ut is, qui dederit,datum repetere non possit,Fiscus illud aufert ab accipiente.l.cũm hic status. §.ult.ff.de donationibus inter uir.& uxor. Præterea uolunt ll.hanc condictionem locum habere, ubi & promissio & solutio ui extorta est.l. perpet. & l.ex ea stipulatione.ff.de condict.ob turp.caus.Sed in hoc atq; similibus casibus,in quibus locum habet hæc condictio,uidendum est, an quis dederit promissum,cũm sciret se spe exceptionis (uidelicet, quòd propter turpem causam promissa nos non obligent) an uerò nesciens eam exceptionem sibi competere,soluerit. Nam si sciens se tueri aduersus petentem,id quod ob turpem causam promissum est,& tamen illud prẽstet,quasi obligatus absq; remedio effugiẽdi,is non iuuatur

iuuatur ad recuperandum id quod dedit, etenim is uolens uidetur recessisse à Iure, quo conuentionis obligationem dissoluere poterat. Et quia eorũ, qui ob commissam turpitudinem alicui aliquid præbent, talis iudicatur esse temeritas, regula est, solutum ob præteritam turpitudinem condictione ob turpem causam non repeti. Prohibet enim amor honesti, ne adiuuent eos, quorum temeritas in dando ob turpitudinẽ odiosa est. Quare nec illum ad repetendum admittũt, qui fœminæ, quæ ex professo erat meretrix, aliquid dedit. l. 4. §. sed & quod. ff. de condict. ob turp. caus. Possunt aũt turpitudinis multa & uaria exempla, in quibus locum haberet hæc condictio, enumerari. Nam turpitudinis, sicut cæterarum malarum rerum omnium, uberrimus est prouentus, sed compendij loco annotasse hoc sufficiat: Quòd ubicunq; aliquis exegit præmium eius rei, quam eum ultro aut propter naturalem obligationem uirtutis, aut ratione contractus, quo tenebatur, aut quia sciebat illi, à quo expetebat præmium ex causa exquisiti per eam Iuris tradendum, præstare decuit, ibi competere hanc condictionem ad repetendum, quod immeritò datum est. Et quò discentibus non desit exemplum iudicandi, quatenus propter obligationem cõtractus in exigendo, & accipiendo committatur turpitudo, requirenda ea ipsis esse monemus, quæ in l. ult. ff. de condict. ob turp. caus. traduntur.

Sed in ea ipsa lege hoc præcipuè obseruandum est, quòd si contractus, ex quo debebatur res, fuerit bonæ fidei, tum ad repetendum id quod datum sit, non hanc solũm condictionem, sed & actionem, quæ ex illo contractu, quo debebatur res absque noua exactione præmij, dari. Vt si quis uestem, quam commodato acceperat, nolit reddere, nisi dato præmio, & is, qui commodauit, promittat illi præmium, tum potest exceptione turpitudinis petentem depellere: aut si incautus, aut nesciens sibi hanc exceptionem competere, fortè dederit præmium, potest aut actione commodati, aut hac condictione solutum repetere. Secus fit, cũm præstatio rei fuit absq; noua conuentione debiti ex contractu stricti Iuris, aut aliqua ex causa, qua res acquiruntur. Nam si tum quid per improuidentiã datũ est, sola cõdictio datur ad illud repetẽdum, ut si ex stipulatione, aut Testamento aliquid debeatur, & debens nolit istud præstari, nisi aliquid ob id detur, incautè præbens aliquid sola condictione ob turp. caus. repetere id potest. iuxta l. proximè iam allegatam, in fine. Quòd autem suprà in tractatione condictionis ob causam de datione, quæ ex interpretatione facta colligitur, diximus, idem huc quoq; referendum est, sicut cætera, quæ de eius actionis quantitate & qualitate, & duratione annotauimus. Nam illa omnia inter se habent communia, præter quàm quòd hæc, quamuis non infamet, tamen existimationem conuictorum non lædat, exemplo actionis in factum, qua conuentione conueniuntur patroni propter dolum. l. honor. ff. de obsequijs.

Porrò est & alia condictio, quæ uocatur condictio sine causa, quæ accuratè à condictione indebiti, ob causam, & ob turpem causam separanda est, si uolumus, ut propriùs eius usus appareat. Tam enim hæ condictiones inter se cognatæ sunt, ut difficile sit earum usum inuicem separare. Condictio indebiti soluti datur, quando non extitit iusta causa debiti, sed imaginatio aliquam esse nobis persuasit, ut solueremus. Condictio ob causam, cũm spe futuræ causæ inducti soluimus. Condictio ob turpem causam, cũm odio turpitudinis, causa, propter quam solutio facta est, Iure habetur pro nulla. Condictio sine causa datur, cũm absq; causa, quæ subesse putabatur, aliquid promissum aut datum est. At causa imaginata, aut non producta, aut turpis, non sunt causæ, etsi per errorem fortè putentur causæ obligationis. Ergo condictio sine causa est præter necessitatem, post illas condictiones posita, nisi peculiaris eius usus ostendatur. Ego quidem in legibus non inuenio alium magis huius peculiarem usum, quãm quòd ea petitur liberatio ab

Condictio indebiti.

Condictio ob turpem causam.

Condictio sine causa.

obligatione, ad quam nos absq; causa, cũm putaremus eam esse, obstrinxisse mus. Iuxta l. qui sine. ff. de condict. sine causa. Proinde sic statuo, quòd ubi in legibus dicatur, quòd hac condictione repetantur soluta, sine iusta causa, ibi intelligendum sit, id fieri tanquam per generalem condictionem earum actionum, quibus aliàs indebita soluta repetantur. Verùm peculiarem eius usum esse, & in hunc casum proditum esse, quo aliquid promissum sit iniusta, atq; adeo sine causa, sed nondum solutum, ut hac condictione petamus nos liberari ab obligatione promissi, quod sine causa fecimus. Si uerò magis placet, quòd simpliciter sit generalis condictio sine causa, qua & liberemur à præstatione eius, quod sine causa alicui promisimus, & repetamus, quod sine causa soluimus, tum hoc consilio hanc cõdictionem proditam esse iudico (quamuis ll. hoc apertè non testentur) ut admoneremur solam promissionem aut solutionẽ non esse causam sufficientẽ exigendæ, aut retinendę rei promissę, uel solutæ iuxt. gl. l. ij. §. circa. ff. de except. doli mali, circa uerbũ, sine caus. Nuda 9
enim ratio nõ facit aliquẽ debitorẽ. ff. de donat. l. nuda. Itaq; ll. autoritate permissum est, ut condictione sine causa queramus effugium obligationis ex promissiõe, cui subesse causa uisa est, cũ nulla esset orta, aut repetamus, quod ex opinione debiti solutum est. Sed hoc modo accepta hac condictione omnino in ijsdem casibus per eam repetitur solutũ, in quibus repetitur per condictionem indebiti ob causam, & turpem causam, nisi dixerimus, tum demum repeti solutum hac condictione, cũm causa solutionis non ideo censetur esse nulla, quia nulla interuenit debiti obligatio (sicut fit in cõdictione indebiti) aut quia non præstitum est id, cuius causa facta est solutio (ut in condictione ob causam) aut quia turpem ob causam quid solutum est. Sed quia res testetur causam esse nullã, propter quam aliquid solumus, & si constat nos promisisse ob causam, quam iam dudum extitisse crediderimus. Atq; ita competeret hæc condictio ad repetendum solutum facta solutione ob certam promissionem indebiti, euentu, uel legibus postea testantibus causam, ob quam quis se ad istud debitum obligarit, nullam fuisse. Et separari hæc condictio à reliquis in repetendo indebiti soluti ita potest, quòd indebiti condictio competat, 10
quando incerti de obligatione aliquid solutum à nobis est per opinionem debiti. Condictio uerõ ob causam, quando in futuram honestam causam aliquid solutum est, & postea id non præstatur, cuius facta est solutio. Condictio aũt ob turpem causam, quando solutũ quid est ut fiat, cuius præstandi causa aliquid exigere, uel accipere turpe sit. Condictio aũt sine causa, quando ex manifesta obligatione promissi quid solutũ est: sed posterior dies docuit nos sine causa promisisse id quod solutum est. Quia uel ea causa nunq; extiterit, uel ll. eam præstari prohibeant, cuius rei exempla sunt in l. ult. ff. de condict. sine caus. Hæc fortasse diligentius quàm oportuit inuestigo. Verùm quia uideo discentes facilè turbari posse, ut nihil certi habeant, quod in utendo his condictionibus sequantur, nisi accuratè earum usus distinguatur. Ego sanè ut non penitus potuerim has inuicem separare, tamen existimo hanc meam operam profuturam quibusdam, ut saltem harum condictionum differentiam magis accuratẽ inquirendam cogitent. Cæterũm in alijs differentijs, quæ in actioni- 11
bus obseruari solent, condictioni sine causa conuenit cũm reliquis condictionibus. Videtur his condictionibus adiungenda actio, quod metus causa, & actio de dolo. Nam & his actionibus rescinduntur obligationes Iure actionis. Verùm quia hæ à Prætore sunt proditæ in subsidium eorum, qui alijs ordinarijs actionibus destituuntur, nos earũ tractationem in eum usq; locum, ubi de subsidiarijs actionibus dicendum erit, differemus.

Actio quod metus causa. Actio de dolo

ff.

De Condictione ob turpem uel iniustam causam.

De

De condictione sine causa.
Cod.
De condictione ob turpem causam.
De condictione sine causa, uel iniusta causa.

DE OBLIGATIONE DELIctorum. Caput. LV.

SVMMARIVM.

1. Videndum, quo genere actionis delinquens sit magis persequendus.
2. Actiones ciuiles, & criminales quæ dicantur.
3. Quando criminaliter agere dicamur.
4. Quæ sit differentia inter actiones ciuiles & criminales.
5. Pecuniariæ pœnæ quædam actoribus conceduntur, quædam fisco.
6. Propter idem delictum nonnunquam & ciuilis & criminalis actio datur.
7. De iniuria ciuiliter intentata.
8. Asinus surreptus, postea occisus, dupliciter uindicatur.
9. De discrimine delictorum, quædam priuata esse, quædam publica.
10. Quæ delicta sint capitalia, non capitalia, ordinaria, extraordinaria.
11. Popularia quæ & quare dicantur.
12. Actio talis datur, qualis est causa, unde ea oritur.
13. Quo consilio ueteres lureconsulti maluerint delictorum diuersitatem annotare titulo actionum.
14. Actiones populares ex facto dari.
15. Qui accusare non possint.
16. Omnes qui in ius uocari non possunt, illi nec de crimine accusari possunt.
17. Quandiu liceat intendere crimen.
18. Quantum petere in actione criminali nobis liceat.
19. Nobile iudicis officium quando in criminalibus implorare nobis liceat.
20. Sine accusatore Iudex ad agendum de crimine procedere non potest.
21. Quando sine accusatore liceat exercere iudicium.
22. Deferendi formæ uariæ sunt, iudicialis, euangelica, canonica, regularis.
23. Crimen in iudicium per exceptiones quandoq; deduci.
24. Inquirendum crimen antequam ad pœnam prograediatur.

Diuersis modis crimen in iudicium deducitur & persequi.

1 PRAE reliquis omnibus, quæ obseruanda ueniunt in perquirendis actionibus, quæ ex obligationibus delictorum nobis dantur, uidendum est, quo genere actionis persequi delinquentem magis uelimus. Num damnum solùm, quod ex eo tulimus, sarciri, an uerò pœna eum adfici propter delictum potius libeat.

Acti. Ciuiles Acti. criminales.

2 Nam ex obligationibus delictorum, non solùm ciuiles actiones, sed criminales nascuntur. Dicuntur autem ciuiles actiones in genere omnes illæ, quibus res familiares tuemur. Criminales, quibus publicam uindictam quærimus, sed in persecutione delictorum, etiam tum ciuiliter agere dicimur, quando imponi quidem pœnam ei, qui deliquit, cupimus. Sed quam legibus iubentibus actori, & non reipub. pendere cogatur. Iuxta gloss. l. iij. ff. de sepul. uiol. Et Bart. circa eandem l. sentit, tum demum nos rectè dici criminaliter
3 agere, quando pœna delicti Fisco cedat, non priuatis hominibus. Ac pertinet quidem ea disputatio Bartoli primùm ad remouendum illorum errorem, qui existimant eas solùm actiones esse criminales, quibus corpora subijciun-
4 tur pœnis, non etiam, quibus pecuniaria pœna iniungitur. Deinde per eam admonemur, quòd pecuniarias quasdam pœnas delictorum ll. concedant actoribus, quasdam uerò reipubl. solui iubeant. Et ut in dubio, cùm id legibus expressum non inuenitur, constare posset, reipublicę ne, an parti agenti debe
5 retur pœna, ita distinguendum iudicat Bartol. circa legem, agrari. ff. de termi. mot. quòd si lex dicat actionem, aut iudicium dari, propter hoc

aut

aut illud delictum in certam pecuniæ ſummam, tum pœnam parti agenti tribuendam eſſe. l. ſi quis id quod. ff. de Iuriſdict. omni. iud. Si uerò lex dicat, accuſationem dari, aut abſque mentione actionis & accuſationis, ſimpliciter conſtituat pœnam delicti, tum eam applicandam eſſe Fiſco, iuxta l. mulctarum. C. de modo mulct. Ex his autem liquere iam arbitror, quòd ex obligationibus, quæ ex delictis oriuntur, tam ciuiles, quàm criminales actiones proditæ ſunt. Sed & hoc addendum eſt, quòd nonnunquam ſimul propter idem 6
delictum & ciuilis & criminalis detur, nec alteram altera impediat aut tollat, quacunq; prius actum ſit, id quod multis exemplis oſtendunt textus & gloſſ. C. quando actio ciuilis criminali præiudicet. Atq; hoc quidem regulariter uerum eſt, præter quàm ubi actum eſt ciuiliter de iniuria, non pro emendatione damni, ſed ad uindictam. l. Prætor edixit. §. ſi dicatur. ff. de iniur. & famoſ. libell. Præterea cùm talis eſt caſus delicti, ut plura ſimul ſcelera admiſſa ſint, tum neutrius ſcelerís accuſatio prohibet, quò minus quis propter aliud ſcelus in eodem, aut diuerſo caſu, ſed alio atq; alio facto, commiſſum accuſetur, nec 8
unius pœna minuit alterius delicti pœnam. l. ij. ff. de priua. del. ut qui aſinum noſtrum nobis ſurripiat, & poſtea occidat eundem, is & furti, & l. Aquilia tenetur, nec una actione conuentus, & ob eam punitus altera liberatur, iuxta gloſſ. iam allegatæ legis. & Bart. ibidem. An autem hæc, quæ de actionibus ex obligationibus delictorum hactenus diximus, in uniuerſum in omnibus
De diſcrimine delictorũ. delictis permittantur, quæri poteſt. Nam cùm alia delicta ſint priuata, alia pu- 9
blica, uidetur & in Iure agendi ex illis delictis eſſe quoddam diſcrimen. Dicuntur autem priuata, quibus priuatæ uitæ affligitur commoditas, ut eſt furtum, iniuria. Publica uerò, quorum ius ad diſſipationem ſtatus publici tendit, ut ſunt ſeditio, homicidia, peculatus, ambitus, & alia multa his ſimilia, de quibus peculiariter agitur in libro digeſtorum 48. Talis uerò differentia delictorum non impedit, quò minus ea, quæ iam de Iure agendi ex delictis annotauimus, locum habeãt in utroq; genere delictorum. Nam iſta in omnibus delictis ſunt regularia. Itaque uidendum eſt, an ne ius agendi ex illis delictis, propter aliàs quaſdam differentias delictorum, uariet. Ac quamuis ſint quidem aliæ delictorum differentiæ, tamen obſeruationes Iuris, quæ ex illis traduntur, ſunt ipſis communes.

Primùm enim & priuatorum & publicorum delictorum, quædam ſunt ca- 10
pitalia, quæ pœna mortis, aut exilij uindicantur. Quædam non capitalia, quorum pœna aut eſt pecuniaria, aut coërtio quædam corporalis. l. ij. ff. de publ. Iud. Deinde & inter publica, & inter priuata, quædam ſunt Ordinaria, quædam Extraordinaria. Ordinaria dicuntur, in quę certa pœna à legibus conſtituta eſt. Extraordinaria uerò, quibus imponitur pœna pro modo delicti ex arbitrio iudicantis. l. 1. ff. de effract. & expilator.

Quis autem dubitet in tanta uarietate delictorum priuatorum & publicorum, tale quid committi poſſe, cuius pœna in legibus non eſt expreſſa. Itaq; quod ad differentias delictorum attinet in Iure agendi, ex illis nulla eſt diuerſitas. Hoc tamen Iuris eſt in publicis criminibus, quòd ex illis cuiuis ciuium communis reipubl. agere liceat. Ex priuatis autem, ſolùm illis, quorum peculiariter intereſt, damnum ex delicto acceptum, aut delictum puniri. Inſtitut. de publicis iudicijs, in princip. & gloſſ. ſuper Rubricam Codicis, qui accuſare poſſunt uel non. Præter eas autem differentias delictorum, 11
quas percenſui, reliqua eſſe uidetur, quòd quædam delicta ſint popularia. Neque enim quis ideo bono cum iudicio hanc differentiam reijcere poterit, quaſi iure Romano ignotam, quia ll. Romanæ non de popularibus delictis, ſed de popularibus actionibus agunt. ff. de popularib. Actionib. Nam eadem ratione nec publicum erit aliquod delictum, quia liber digeſtorum, in quo agitur de publicis delictis, inſcribitur de publicis Iudicijs. Sed cogi-

tandum

gitandum est discentibus, quòd cùm leges Romanæ dicunt quasdam actiones esse populares, quasdam publicas, talium actionum quoque causas eiusdem generis esse.

82 Notum enim est, talem dari actionem, qualis est causa, unde ea oritur. Vt
83 autem Iureconsulti Romani maluerint horum delictorum diuersitatem annotare titulo actionum, quàm delictorum, ex quibus tales actiones nascuntur, hoc consilio factum esse arbitror, quòd talium delictorum diuersitas magis in Iure agendi, quàm obligationum appareat, multò nanque facilius quis intelliget, quæ delicta sint popularia, cùm dicitur ea esse, ex quibus agatur ad tuendum ius populi, quàm si diceretur, delicta popularia esse, quibus uioletur Ius populi. Statim enim quis cogitare posset pariter omnia delicta esse popularia, quibus aliqua Respub. lederetur. Verùm cũ quis audit peculiares esse ã Iure traditas actiones, quibus populo Ius suum defendatur, non abs re id esse cogitet. Etenim si ob eas causas darentur, ob quas aliæ dantur pro tuendis rebus familiaribus, uteretur nimirum populus in tuendo suo Iure actionibus, quibus res familiares defenduntur. Nam alioqui populum in rebus acquirendis & tuendis eodem Iure uti, exceptis paucis quibusdam casibus, in quibus gaudet priuilegio (ut in præscriptione) manifestissimi Iuris est. Itaq; cùm actiones populares traditæ sint ad tuendum Ius populi. l. 1. ff. de popularibus actionibus, necesse est has actiones non ad conseruationem earum rerum populi, quæ & in priuatorum patrimonio esse possunt (ut sunt prædia rustica & urbana) sed earum tantùm, quę solius populi dominium sub eunt, ut sunt, loca sacra, itinera, & flumina publica.

Proinde neq; ex delictis, quæ in Reipubli. siue populum committuntur, ijsdem actionibus agitur, quibus alioqui tuentur res, quæ possunt esse in pri-
84 uatorũ patrimonio. Sed actione populari, quæ datur ex causa populari, hoc est, ex facto, quo res, quæ peculiari proprietate sunt populi, uiolatæ sunt. Ad popularem autem actionem quiuis ex populo admittitur, sicut ad accusationem publici criminis, præsertim si pœna in tale factum constituta sit pecuniaria. Nã cùm ea sit corporalis, præfertur is, cùius interest: ut in sepulchro uiolato, si proiecta aut spoliata sunt cadauera, extraneo præfertur is, ad cuius familiam pertinet sepulchrum. l. iij. §. aduersus. ff. de sepulch. uiol. Et de popularibus actionibus. l. sed si. ibidemq; gloss. circa Rub. Act. popula-res.

Porrò quamuis ex delicto populari & publico agere quiuis de populo possit, tamen ex quocunq; genere delictorum criminaliter agere uoluerimus,
85 non omnibus indiscriminatim istud licet. Primùm enim non admittuntur ad accusandum, hoc est, ad criminalem actionem, qui propter sexus uerecundiam (ut mulieres) aut ætatis imbecillitatem (ut sunt infantes & pupilli) aut personæ conditionem (ut sunt serui) alioqui in iudicio uersari prohibentur. Deinde quos propter infamiam, aut societatem commissi criminis, aut suspicionem turpis quæstus, aut paupertatis, aut propter capitalem inimicitiam, uel calumniam ad criminationem aliorum admittere iudici non tutum esse uidetur.

Postremò nec quorũ potestas formidolosa est, ut sunt qui habent merum & mixtum imperium, qui sine periculo reipub. militia abesse non possunt. l. qui accusare, & duabus sequentibus. ff. de accusationib. Omnes autem isti eatenus aon admittuntur ad criminationem, siue accusationem aliorum, quatenus suam aut suorum iniuriam non prosequuntur. Item nisi maiestatis, fraudatæ annonę, hęreseos, simoniæ reos deferre uolunt. l. hi tamen. & l. mulierum. ff. de accusatio. & C. ad l. Iuliam maiestatis. l. nullus. & de Episc. & Cleric. l. si quenquam, xv. quæst. iij. c. nemini. & extr. de simo. c. tanta. Qui uerò præter hos, quos annotauimus, ad criminationem aliorum non admittantur, ostendit titul. C. de his qui accusare non possunt. Rursum autem sicut non

omnes

Qui accusare non possunt.

omnes ad accusandum pariter admittuntur, ita nec accusari quoq; possunt. Et 16
regulariter quidem omnes illi, qui in Ius uocari non possunt, illi nec de crimine accusari possunt. Qui uerò illi sint, ostendit l. ij. & iij. & iiij. & l. adopti. ff. de in Ius uocand. Item qui iam antè ob crimen aliquod in iudicium uocati sunt, pendente adhuc iudicio, l. hi tamen. §. ultimo. ff. de accusationibus. Præterea nec absentes accusari possunt. l. absentem. C. de accusationibus. Nec mortui. C. si Reus, uel accusator mortuus fuerit, nisi maiestatis Reus fuerit, qui mortuus est. l. quisquis. & l. meminisse. C. ad l. Iuli. maiestatis. Quatenus autem hęredibus, & contra hæredes ex delicto defunctorum criminaliter agere liceat, aut non, ostendimus a principio huius capitis, ubi annotauimus quæ actiones sint hæreditariæ, uel non. Quandiu uerò integrum sit alicui in 17
tendere crimen, colligi ex l. accusatore, & gloss. eiusdem. ff. de publi. iudicijs, & ex l. libellorum. §. final. facilè potest. Ac populari sanè actione anno post commissum delictum elapso excludimur. l. ultimo. ff. de popularibus actionibus. Neque quærendum est, quid & quantum petere in actione criminali 18
nobis liceat. Nam ll. de cuiusque crimine agentes indicant, qualis exigi pro quouis crimine pœna possit. Itaq; tales quoq; ll. habentur loco actionum, earumq; uice proponuntur. Aut si fortè fuerit crimen extraordinarium, cuius 19
pœna non est expresse constituta in legibus, licet nobis implorare nobile iudicis officium, ut pro modo delicti pœnam arbitrariam Reo imponat, iuxta totum titulum ff. de extraord. crimi.

Cæterùm regulare est, quòd sine accusatore Iudex ad agendum de crimine 20
procedere possit. l. rescripto. §. si quis accusatorem. ff. de muneribus & honoribus. Secus tamen fit in multis casibus, quorum quidam circa iam allegatam l. quidam circa l. ij. §. si ex publico. ff. ad l. Iuliam de adult. in gloss. annotantur. Nam cùm crimen est notorium, aut Iudex solùm id ex incidenti ali- 21
quo casu habet compertum, potest Iudex per inquisitionem ex officio suo de eo absque accusatore iudicium exercere. Atque id quidem fit duobus modis, aut ut inuestiget à quo cõmissum sit crimen, quod cognitum habet, aut cùm persona eius qui deliquit, etiam illi nota est, ut pœnam de ea sumat. Vt si cadauer per noctem occisum in platea inueniatur, nec constet de autore eius homicidij, & tamen habeat de quibus non frustra suspicetur, potest constituere iudicium ad explorandum, à quo istud delictum perpetratum sit, aut eo per Iudices prodito, etiamsi non sit, qui eum accuset, pro modo delicti ex suo officio in illum animaduertere. An autem in inquisitione Iudicis eædem obseruationes iudiciorum requirantur, quæ in accusationibus, Iuidelicet, ut Reus legitimè citetur, libellus offeratur, dilationes dentur, non est huius loci indicare, & Bartol. copiosè ea de re disputat. l. ij. §. si ex publico. ff. ad l. Iuliam de adult. Nonnunquam & per denunciationem in Iudicium crimina deducuntur, per eos, quibus magistratus illud mandauit, ut facerent, aut à quibus officij sui ratio id exegit. l. un. §. quies. ff. de offic. præfec. urb.

Sed & huius formę deferendi uarię sunt species & obseruationes. Nã alia 22
est Iudicialis, quæ fit prosequendorum delinquentium causa (& de hac solùm hic nos loquimur). Alia euangelica est, quę fit ad reuocandum peccantem à delinquendi temeritate. Alia Canonica, quæ fit inter personas Ecclesiasticas cauendi scandali causa, de qua in c. qualiter & quando. extr. de accusationibus, inquisitionibus & denuncia. Alia regularis, quam religiosi quique inter se ad conseruandam disciplinam constituerunt. Sed neq; de eiusmodi delictorum persecutione loquendi hic locus est, & Panormita. abunde usum & uim denunciationis ostendit, circa cap. nouit ille. extr. de iudicijs.

Postremò deducitur aliquando crimen in Iudicium, etiam per exceptio- 23
nes, ita uidelicet, ut opponatur à Reo contra eum agenti, ut si quis aliquem criminaliter

criminaliter accuſet de adulterio, & Reus obijciat illi, ſe iſtud crimen admiſiſſe, eo permittente, accepta pecunia, tum ſi conuincatur agens, poteſt ille ſe nociuiſ condemnari, ac ſi legitima accuſatione conuictus eſſet. Atque hoc quidem fit, cũm crimen obiectum cohæret principali crimini, cuius inſtituta eſt accuſatio, ita ut pariter deliquiſſe in eodem facto Reus & Actor uideantur. Verũm ſi crimen obiectum, pertineat ad diuerſum factum uel caſum, opus habet Iudex, ut de eo inquirat antequam ad pœnam progrediatur, iuxta Bartol. circa l. ij. §. ſi ex publico. in fine. ff. ad l. Iuliam, de adult. Et hæc obiter indicaſſe ſufficiat, ut diſcentes ſciant diuerſis modis crimen in iudicium deduci & perſequi. Sed porrò non dicemus circa ſingula delicta de illorum accuſatione, ſed quomodo & quibus actionibus ex illis ciuiliter agatur. Nam pœna annotata in quoq; crimine, eſt forma criminaliter agendi ex delicto. Itaque in ordinarijs criminibus non eſt neceſſe annotare, quæ accuſatoribus petere liceat, quouſque autem Iudex in extraordinarijs criminibus extendere pœnam poſsit, cũm ob eam imploratur eius officium, ad declarationem poteſtatis iudiciariæ pertinet, non ad cognitionem inſtituendæ ex illis accuſationis. Ciuiles autem actiones, quæ ex delictis competunt, ideo indicare neceſſe eſt, quia in quibuſdam delictis peculiares ſunt proditæ. Huc peculiariter pertinet titulus

ff. C. & Decretalium.

De Accuſationibus, Inquiſitionibus, & denunciationibus.

EX OBLIGATIONE furti. Caput LVI.

SVMMARIVM.

1. De domeſticis furibus.
2. Fures eſſe odioſos.
3. Furta uarijs actionibus uindicari.
4. Nemo rem ſuam condicere poteſt.
5. Condicere quid ſit.
6. Rei uendicatione repetere rem ſuam à poſſeſſore malę fidei licet.
7. Furis infamia apud bonos & graues uiros.
8. Intereſſe rei furtiuæ peremptæ aut perditæ petitio.
9. Fur ſemper in mora eſſe uidetur.
10. Nouatione ſtatus obligationis transferri.
11. Condictio furtiua cui detur.
12. Aeſtimatio rei furtiuæ.
13. Acceſsionum ratio habetur in condictione furtiua.
14. Duas actiones eſſe furti ad pœnam pecuniariam.
15. Actio furti non manifeſti, & Actio furti manifeſti contra quos dentur.
16. Doli capax impubes furti accuſatur.
17. Actiones pœnales in hæredes non tranſire regulariter.
18. Contra eos, quorum conſilio aut opera fures adiuti ſunt, actiones pœnales
19. Iudicijs his damnati infamantur. (dari.
20. Aedificando ſi quis materia noſtra utatur.
21. Criminaliter furtum proſecuturus ſe ſubſcribat ad pœnam talionis.

1 PROPTER odium furum, præſertim domeſticorum, uariæ ſunt
2 proditę actiones, quibus proſequi eos ad recuperandam ab ipſis
3 rem, quam furto abſtulerunt, aut ad conſecutionem pœnæ ex legibus ultra rem ſurreptam debitæ, liceat. Sed inter omnes actiones, quibus fures conueniri poſſunt, ea maximè uidetur

prodita esse ex odio furum, qua res furto ablata condicitur. Nam regulare alioqui est neminem rem suam condicere posse, absurdum nimirum est, petere id sibi dari, quod antea ipsius sit. Est enim condicere aliud nihil, quàm ab aliquo petere, ut sibi det, quod sibi debeat ex aliqua obligatione, non ut rem suam ipsi restituat. Proinde necesse est Romanos legum conditores magno odio furum commotos esse, ut prodiderint condictionem, qua res furtiuæ condicerentur, iuxta §. sic itaq; & duos sequen. Instit. de actionibus. 4 5
Nam ista actione non prodita, si omnino alicui ita usum fuisset, ut rem furto ipsi ablatam absq; pœna furis recuperaret, licuisset eam rei uendicatione repetere tanquam rem suam à possessore malæ fidei. Verùm quia indignum usum est, fures sicut alios possessores, tantùm ad restitutionem cogi, placuit peculiarem actionem tradi, qua res furtiua repeteretur à fure cum aliqua eius infamia, apud bonos & graues uiros. Nec liberaretur ab obligatione restituendæ rei furtiuæ, per eius interitum. Sicut quis liberatur à restitutione, à quo res solo uendicationis iure repeti potest. l. in re. ff. de condict. fur. Nam re furtiua perempta, aut perdita, fur hac condictione conueniri ad soluendum 6 8
Interesse ab Actore potest, quia fur semper in mora esse uidetur. l. ulti. C. de condict. furt. Atque hoc quidem semper integrum est ei, cui res surrepta est, nisi fur rem furtiuam illi reddendam obtulerit, aut obligationem reddendæ illius rei per stipulationem, uel delegationem nouauit, ita ut promiserit se illi daturum, quod ipsi condictione furtiua ab eo petere liceat. Nam tum quia in 9 10
alium statum obligationis ius debendi translatum est, alia quoq; actione res ab eo petuntur. l. parui refert. & l. ult. ff. de condict. furt.

Datur autem condictio furtiua solùm illi, qui dominus est rei surreptæ, 11
eiusq; hæredi, si dominium rei non est uoluntate domini mutatum. l. siue manifestus. §. tam diu. ff. de Condict. furtiua. Si uerò res surrepta sit illorum, qui eam in suo dominio non habuerunt, sed tamen propter aliquam causam eorũ interfit eam esse saluam, illis succurritur aliis quibusdam actionibus, iuxta l. & ideo. §. ulti. & ibi gloss. ff. de condict. furti. Potest quoq; hac actione conueniri non solùm ille, qui furtum fecit, sed & ille, ad quem res furtiua iure successionis peruenit. l. si pro fure. §. final. & l. in condict. ff. de condi. furt. Is uerò qui consilio aut opera furem adiuuit, etsi actione furti teneatur, tamen condictione furtiua conueniri prohibetur. Nunquam enim alius hac condictione tenetur nisi is, qui furtum fecit, & qui eius hæres est. l. ex causa. & l. proinde. ff. de condict. furt. Cogitur autem fur rem surreptam restituere, absque omni deductione impensarum, quas fortè in eam fecit, eius seruandæ aut extolendæ causa. l. ex argento. ff. de condict. furt. Si uerò rem non possit reddere, æstimatur quanti plurimi eam fecit cùm surriperetur, etiamsi absq; culpa furis deterior facta sit. l. in re. §. Si ex causa. ff. de condict. furt. Habetur in hac 12 13
cõdictione quoq; ratio acceßionũ, quas fur ex re surrepta habuit, et quibus is, cui surrepta est res, interim cùm ea fuerit apud furem, caruit. l. iij. & l. in re. §. ult. ff. de condict. furt.

Porrò si quis non rem surreptam recuperare, sed furem cupiat sibi con- 14
demnari in pœnam pecuniariam, quæ in eum ciuili iudicio constitui solet, duas habet actiones, quarum altera à Iure ciuili prodita est, quæ dicitur actio furti non manifesti, propterea quòd ea conueniatur fur, qui in ipso furto non 15
est deprehensus. Altera à Prætore, & dicitur actio furti manifesti, quia contra eum datur, apud quem res furtiua est uisa, aut qui cum ipsa comprehensus est, antequam ad locum, quò eam deferre destinauerat, uenisset. Instit. de noxalibus actio. §. sunt autem. & l. fur manifestus. ff. de furtis. Neque alia quidem in re magis inter se uariant hæ duæ actiones, quàm quòd in priore agitur ad pœnam dupli, in posteriore uerò ad pœnam quadrupli.

Instit.

Instit. de obligationibus quæ ex delicto nascuntur. ℌ præterea. in fin. A condictione autem furtiua ita differunt, quòd hæ sunt persecutoriæ pœnæ, illa uerò rei. Itaq; nec mutuò se impediunt, quò minus experiri altera liceat, post quàm altera actum est, l. si pignore. ff. cùm furti, & l. in furti actione. ff. de furtis. Alioqui hæ actiones furti ferè ijsdem competunt, quibus actio furtiua. Nam & hæ actiones non solùm dominis rerum surreptarum, sed & illis, quorũ interest, aut ratione possessionis, aut custodię, quam debent domino, cuius
16 uoluntate eam detinuerunt, dantur. l. itaq; fullo. ff. de furtis. Contra quemuis aũt, qui doli est capax, etiãsi sit impubes, hæ actiones dantur. l. impub. ff. de furtis. In hæredes autem has actiones non dari facilè, is intelliget, qui perpende-
17 rit his nihil aliud peti, quàm pœnam. Nam actionibus merè pœnalibus ex delicto natis non possunt conueniri hæredes defunctorum, nisi lis per defunctos contestata sit, iuxta ea quæ suprà annotauimus de differentijs actionum.
18 Contra eos autem has dari, quorum consilio, aut opera fures adiuti sunt, manifesti Iuris est, sed id tamen tum demum fit, cùm furtum secutum est. l. in furti. ℌ ope. ff. de furtis: & in eadem lege ostendit Vlpianus, quatenus æstimetur duplum aut quadruplum in his actionibus, uidelicet, ex uero rei precio,
19 non ex eo quanti interest eius, cui surrepta est. Atq; his quidem iudicijs damnati infamãtur. ℌ ex quibusdam. Instit. de pœna temerè litigantium. Habetis actiones, quibus ciuiliter aut pro recuperanda re, aut pro irrogatione pœnæ cum furibus speciali iure agitur. Iure autem communi potest cum fure agi, etiam rei uendicatione, & actione ad exhibendum, si dubitemus, an
20 ea ipsa res apud furem sit, quæ nobis subtracta est, id uerò non licet, cùm materia nostra furtim quis in ædificando usus est. Ne enim ædes deformentur, si materiam istam surreptam restituere necesse sit, pœnalis actio in hunc casum prodita est. Iuxta tot. tit. de tigno. iniunct.

21 Cæterùm si quis criminaliter furtum uelit prosequi, is facta subscriptione, qua se obstringit ad pœnam talionis, secundum Ius Romanum, l. ult. ff. de furtis, petere potest furem subijci pœnæ de qua disputat gloss. constitutionis Friderici de pace tenenda, circa uerb. legitimè puniantur. Nam in ea reperire est, furtum alio atq; alio tempore aliter esse punitum in Imperio, & in puniendis talibus delictis ferè quæq; natio suum habet statutum. Itaq; non est cur magnopere ducamus necesse, diuersas pœnas furti annotare. Pertinent autem huc peculiariter tit.

ff. & C.

De Condictione furtiua. De furtis.

EX OBLIGATIONE
factæ uiolentiæ.
Cap. LVII.

SVMMARIVM.

1. De ui & uiolentia, quatenus ultio uiolentiæ ciuiliter quæratur.
2. Vis differt inter eam, quæ corpori nostro infertur, & qua res auferuntur.
3. Actio legis Aquiliæ, ad quid detur.
4. Duobus modis rebus nostris damnum infertur.
5. De interdicto unde ui.
6. In bonis nostris quæ sint, & ex bonis nostris.
7. Hæredes & successores hac actione conueniri non possunt.
8. Fur improbus est raptor.
9. Actio hæc infamat conuictos.
10. Raptores iudicio publico damnari posse.

INTER delicta hanc esse differentiam, suprà de ortu obligationũ diximus, quòd alia fiant clam & fraudulenter, alia palãm & uiolenter. Itaq; & in annotandis actionibus, quæ ad prosequenda cuiusque generis delicta proditæ sunt, iuxta eam differentiam progrediendum nobis esse operæpretium duximus. Ac proinde postquam indicauimus, quibus actionibus ciuiliter prosequamur, clam & fraudulenter in res nostras admissa, dicemus nunc quatenus ultionem uiolentiæ, quæ nobis in rebus nostris illata est, ciuiliter quærere liceat. Volo autem diserte id accipi, quòd dixi me dicturum de ultione eius uiolentiæ, quæ nobis in rebus nostris illata. Nam plurimum interest inter uim, quæ infertur corpori nostro, & eam, qua nobis res nostræ per apertam uim auferuntur. Nam illa sæpe nobis eripitur uita, & de ea non agitur iudicio priuato, sed publico tantùm, cùm liber occisus est. Si uerò seruus noster fuit, qui occisus est, aut pecus nostrum nobis interemptum est, Actione legis Aquiliæ, compensationem damni quærere licet. §. liberum. Insti. de lege. Aquil. Ea uerò ui, qua res nostræ nobis per uim eripiuntur, solùm damnum nobis in rebus nostris, & non uitæ nostræ, aut nostrorum infertur. Atque id quidem fit duobus maximè modis: Aut enim de rerum immobilium possessione deijcimur, aut rebus mobilibus spoliamur. Quare cùm diuersis casibus uim in nostris rebus patiamur, diuersæ quoque actiones in eos sunt proditæ. Deiecti possessione rerum immobilium, Interdicto Vnde ui possessionem recuperamus, sicut suprà de actionibus recuperandæ possessionis diximus. Spoliati uerò rebus mobilibus, actione Vi bonorũ raptorum rem ereptam nobis cum pœna tripli exactione ueri precij rei ereptæ petimus. Continet enim hæc actio non solùm persecutionem rei, sed & pœnæ. §. quadruplum. Instit. de ui bonorum raptorum. Et hac actione experiri iudicium potest non solùm in cuius bonis, uerumetiam ex cuius bonis res ui erepta fuerit. l. Prætor. §. in hac actione. & §. Si quis igitur. ff. de ui bonor. rapt. & Instit. eodem. §. siue. Est autem peculiaris forma loquendi apud Iureconsultos, quòd ea dicantur in bonis nostris esse, quæ in dominio, aut quasi nostro sunt. Ea uerò ex bonis nostris, quæ in periculo nostro sunt, ut sunt commodata. l. rem in bonis. & ibi gloss. ff. de acquirend. rerum domi. Conueniri quoq; hac actione possunt tam illi, qui ipsi nos spoliauerunt, quàm qui eos consilio ad istud faciendum impulerunt, uel opem tulerunt. l. si uendidero. §. cum rapto. ff. de furtis. Hęredes autem & successores raptoris hac actione conueniri posse, ideo Prætor negat, quia ea pœnalis est, & condictione furtiua repeti ab illis possit, quod ad nos ex rapina defuncti peruenerit. l. ij. §. ult. ff. de ui bonorum rapto.

Sed miretur aliquis, cur prodita sit hæc actio, cùm is, qui rem meam per uim mihi abstulerit, tanquam fur nomine rei ereptæ ciuiliter condictione furtiua, uel rei uendicatione conueniri possit. Nam pœnæ expetitio nõ potest uideri satis esse causę, cùm & is fur improbus in l. Præt. §. damni. ff. de ui bon. raptorum appelletur, ac proinde eadem pœna, qua fur, mulctandus uideatur. Verùm apparet maiores in tradenda hac actione perpendisse, quòd magna sit differentia inter eum, qui clãm, & eum, qui palãm aliquid alicui auferat. Iuxtà l. Prætor. §. Si in re deposita. ff. de ui bonor. rapt. Itaq; & diuersis actionibus ita delinquentes prosequi uoluisse, quamuis delicti ratio per se etiam patiatur, ut qui rapuerit aliquid, nec cum rapina deprehensus sit, actione furti non manifesti conueniatur. l. 1. ff. de ui bonorum raptorum.

Cæterũm datur hæc actio spoliatis, & ipsorum hæredibus intra annum utilem solùm in quadruplum. Nam elapso anno utili antequã ea actum sit, competit ea solùm in duplum. l. ij. C. de ui bonor. rapto. Infamari autem hac actione conuictos manifestum est, cùm & ob illud ipsum crimen iudicio publico damnari possint. l. 1. ff. de publicis Iudicijs. Eadem est Epigraph. titul. de quo agitur hac actione,

ff.

ff. & C.

De ui bonorum raptorum.

DE OBLIGATIONE
factæ iniuriæ. Cap. LVIII.

SVMMARIVM.

1. De iniuria uerbis facta.
2. Actio l. Corneliæ de iniurijs quæ sit.
3. Extensio actionis, ut liceat æstimare iniuriam, & petere summam pecuniæ.
4. Susurro & consiliarius iniuriarum conuenitur quoq;.
5. Vindicta quæritur actione iniuriarum.
6. Duabus simul actionibus quę sunt eiusdem rationis, experiri quis non potest.
7. Actio l. Corneliæ de iniurijs, an sit perpetua.
8. Quomodo in hac actione uitetur infamia.
9. Iniuriarum causæ per procuratores tuendæ, ut effugiatur ignominia.
10. Criminalis accusatio non potest per procuratorem defendi.
11. Iudicis officium nobile implorandum in petitione mulctæ.
12. Atrox iniuria unde æstimetur.
13. Famosus libellus quomodo uindicetur.
14. Pœna famosi libelli quæ sit.

1 VIS iniuriæ, quæ manu fit, magis conspicua est ea, quæ fit uerbis. Itaq; ea prius etiam coërcita est ll. Romanis, quàm altera. Nam l. Cornelia hæc data est facultas tali iniuria affectis, ut illis liceat a 2 Iudice taxante petere reum sibi condemnari in summam pecuniæ, qua potius carere mallent, quàm talem ferre iniuriam: Sed hoc tantùm in tribus casibus nominatim l. Cornelia permissum est, uidelicet, cùm quis pulsatus, aut uerberatus, aut domus eius ui introita est. l. lex Cornelia. ff. de iniurijs. Postea prætor, cùm uideret iniurias, quæ uerbis, aut scripto fierent, nõ minus tolerabiles esse, quàm quæ manu factæ essent, neq; omnem quidem iniuriam, quæ manu fieret, l. Cornelia comprehensam esse, generali edicto ita extendit actionem ciuilem, ut permittat quoquo modo factam iniuriam, ita prosequi, ut Actor æstimata sua iniuria, petat Reum sibi condemnari ad petendam pecuniæ summam, cuius iacturam facere mallet, quàm talem iniuriam pati. Vtraque autem actio datur non solùm illis, qui ipsi passi sunt iniuriam, sed & illis, quorum familia ad fugillationem ipsorum aliqua iniuria adfecta est. l. item apud Labeonem. §. si quis sic fecit. & l. 1. §. ulti. & l. ij. ff. de iniurijs. Sicut nec is solùm ijs actionibus conuenitur, qui ipse iniuriam intulit, sed & qui dolo malo fecit, ut alicui inferretur. l. non solùm. ff. de iniurijs. 4 Hæredibus autem & in hæredes, nisi lis contestata sit, non dantur, quia ad solam uindictam sunt proditæ. l. iniuriarum act. ff. de iniurijs. Atq; hæc quoque causa est, quòd præterquam in alijs criminibus illi, qui persecutus est iniuriam actione ciuili, non detur agendi potestas criminaliter, & ediuerso. Nam cùm & ciuili & pœnali actione iniuriarum quæratur sola uindicta, non resartio damni, sed contumelia pœnarum, manifestum est, ambas esse pœnales. Ac 6 proinde locum habet regula, qua dicitur, quòd quis duabus simul actionibus, quæ eiusdem sint rationis, experiri non possit, quia altera per alteram tollatur. l. prætor ait. §. si dicatur. ff. de iniurijs. Licet quoq; actio iniuriarum, quæ est in l. Cornelia, uideatur esse perpetua, sicut cæteræ ex legibus ciuilibus descendentes sunt, tamen hoc ferè ab omnibus probatur, quòd & ciuilis & prætoria iniuriarum actio duret anno continuo, iuxta l. si non conuicij. C. de iniurijs. & ff. de eo quod me. cau. l. si cum. §. & sanè. & ibi gloss. Adeo autem hæ actiones infamant, ut & is, qui iniuria, quam alterius cuiusp iam seruo fecerit, 9 damnatus sit, infametur. l. iniuriarum. C. quibus ex caus. infa. irroge. Itaq; &

fugiendæ ignominiæ causa homines circumspectiores iniuriarum causas per procuratores,& non per se ipsos tuentur. Nam condemnati alieno nomine non fiunt infames.l.furti. §.si quis alie.ff.de his qui not.infa. Cùm autem dominus causæ non uenerit in iudicium, absens non potest condemnari,sed necesse est,in procuratorem eius ferri sententiam.l.1.C.de senten.& interlocu.omnium iudic. Atque ita cùm procurator non suo,sed procuratorio,adeoque alieno nomine condemnatur,neq; ipse,neq; is,cuius causam egit,infamatur. Sed istud effugium ignominiæ nõ in omnibus iudicijs iniuriarum datur. Namsi quis criminaliter de iniuria accusetur, ille non potest absens per procuratorem defendi,si atrocitas iniuriæ maiorem pœnam,quàm est relegatio, exigat.l.1.ff.an per alium causę appella.red.pos.& de procurat.l.seruũ quoq;. §.publice. Ibidemq; glossæ.& copiose Salicetus cir.l.reos.C.de accusationib. Reliqui DD. circa l.ult. C. de iniurijs. Agitur autem de iniuria criminaliter uel priuato uel publico iudicio. Priuato,cùm quis contumeliam,quam passus est,publica aliqua pœna multam quærit, per iudicis officium nobile,quod imploratur,ut postquam certa pœna legibus de uindicanda illa atq; illa iniuria constituta non sit, extraordinaria cognitione, pro atrocitate criminis aliqua statuatur,iuxta l.ult.C.de iniurijs. Quas autem ob causas iniuria atrox æstimetur, indicat l.prætor. §.ult.& duæ proximè illam sequen.& l.sed & si unius. §. quædam. ff.de iniurijs,& C.eodem,l.atrocem. Censentur autem talia iudicia de iniurijs priuata, quia non possunt exerceri nisi per illos, qui læsi sunt. Publicum uerò iudicium agendi de iniurijs datur in hunc tantùm casum, Videlicet, quando æditus est famosus libellus,nec adiectum est nomen eius,qui eo petitus est. Nam isto casu liberum est cuiuis de populo autorem famosi libelli in iudicium trahere.l. quod senatusconsult.ff.de iniurijs. In alijs casibus actio contra autorem famosi libelli iuris priuati est,& pœna ordinaria,nimirum capitis.C.de famosis libellis. 10 11 12 13 14

ff.

De iniurijs,& famosis libellis.

Cod. Instit.

De iniurijs. De famosis libellis. De iniurijs.

EX OBLIGATIONE FACTI, quo damnum uel iniuria, uel culpa facientis datum est. Cap. LIX.

SVMMARIVM.

1. Varios esse modos nocendi.
2. Aquilius actionis huius autor & inuentor.
3. Damnum iniuria datum quando censeatur.
4. Studio nocere alteri.
5. In stipulam ignem mittere die uentoso.
6. Extensiua interpretatio l. Aquiliæ.
7. Occasionem nocendi incogitantia dare.
8. Seruum compeditum misericordia soluens quando actione l. Aquil. teneatur.
9. Actio in factum subsidiaria.
10. Tres actiones sunt l. Aquil. directa,utilis,in factum.
11. Annulus excussus in profluentem.
12. De distinctione actionum l. Aquil. utilis & in factum.
13. Aequitas huius actionis.
14. Actiones l. Aquil. quibus dentur & contra quos.
15. Liberum corpus non recipit æstimationem.
16. Eam actionem, quæ cum alio est,in nos conferimus, si in iudicio fatemur, id nos fecisse,quod nobis imputatur, etiamsi id non fecimus.
17. Quando fiat in hac actione æstimatio.
18. Affectio & interesse singulare hic non admitti.
19. Inficiatione crescit actio dupli æstimatione.

20. Hæc actio non infamat. 21. Marito dari in uxorem actionem l. Aquil.
22. Neutri coniugũm datur in alterum actio famosa.

1 RES ipsa testatur, tam uarios esse modos nocendi alijs, ut singulo
rũ iniurias specialibus distinctionibus annotare nemo satis pos-
sit, uidemus enim non solũm malitia, sed & temeritate, & improuidentia, homines sibi inuicem damna sæpe inferre. Quare pla-
2 cuit Aquilio cum quadam actione prosequi eos, qui alienis rebus contra ius,
peruim, aut culpa sua nocuisse deprehenderentur, & quia non frustra alia
præ alijs damna æstimantur grauiora, secundum rerum, in quibus data sunt,
precium & usum, plus etiã pro damno in seruo, aut pecude nostro, quàm alijs
nostris animalibus aut rebus inanimantibus nobis peti uoluit, iuxta ea, quæ
3 suprà de obligatione damni iniur. uel culp. dat. annotauimus. Neq; uerò in-
4 iuria damnum dedisse is solũm censetur, cuius studio apparet eum id ultrò
5 egisse, ut alteri noceret, uerũmetiam si aliud egens per improuidentiam
eius alteri nocitum sit, ut si quis in stipulam suam comburendæ eius causa
ignem mittat die uentoso, eius certè culpa damnum datum esse iudicatur, si
ignis latius euagatus uicini segetem læserit. l. qui occidit. ℣ in hac actione. ff.
6 ad l. aquil. Atq; hoc quidem fit per extensiuam interpretationem l. Aquiliæ.
Ac propterea etiam utili actione l. Aquilię experiri pro non manifesta iniuria, aut culpa, sed interpretatiua, siue collectiua dicitur.

Præterea iudicatur damnum dedisse & is, qui nullo suo dolo ipse nocuit,
7 sed tamen sua incogitantia alijs occasionem nocendi præbuit, ut si quis mise-
8 ricordia ductus compeditum seruum soluat, & is postea aufugiat, cum eo ac si
ipse seruum domino abstulisset de soluẽdo serui precio, quo intra dies trigin-
ta proximos fuit, agi potest. Illud uerò l. quia actionum. ff. de præscriptis uer-
9 bis, & de dolo malo, l. & elegãter. ℣ idem Labeo, uolunt fieri non actione l.
Aquiliæ, sed actione in factum subsidiaria. Vnde est quòd autor Instit. de l.
10 Aquilia. ℣ cæterum. uult tres actiones competere illis, quibus damnum alio-
rum iniuria aut culpa datum est, nimirum actionem legis Aquiliæ directam,
utilem, & actionem in factum. Atq; has quidem actiones inter se iuxta diuer
sitatem casuum, in quibus dari eas uolunt, ita distinguunt, ut l. Aquiliæ actio
directa detur, quando corpori à corpore datum sit damnum. Vtilis uerò, quan
do corpus non à corpore, sed aliunde adhibita iniuria læsum sit, ueluti si pe-
11 cora fame enecentur. In factũ aũt, quando citra corporis læsionem nihilomi
nus damnum in eo sentiamus, ut si quis mihi manu excutiat annulum, & fortè
is decidat in profluentem, & si annuli corpus maneat integrum, tamen quia
12 eo careo, damno adfectus esse iudicor. Atq; est quidem talis distinctio harum
actionũ satis exquisita, & tamen fatetur gloss. circa l. de pecori. C. ad l. Aquil.
quòd utilis, & in factum l. Aquiliæ actio ita sint inter se cognatę, ut ubicunq;
locum habeat utilis, eodem casu etiam competat actio l. Aquiliæ in factum.
Neq; alibi quidem textus Romani iuris hanc distinctionem ponit, quàm in
Institutionibus, & Papinianus in l. quia actionum. ff. de præscriptis uerbis, te
statur, quòd prætor utilitate l. Aquilię exigente ita suppleuerit actionem per
eam proditam, ut ubi aliquis casus sese offeret, qui in ea lege nõ uideretur uer
bis expressus, licitum nobis esse uoluerit, actione in factum l. Aquiliæ subsi-
diaria, damnũ tali casu acceptũ exemplo quasi legis Aquiliæ sarcire. Quare
non nimis seuerè urgendam esse hãc differentiam inter actionem l. Aquiliæ
13 utilem, & in factum ducunt. Satis enim esse arbitror tenere, utrunq; dari in
subsidium l. Aquil. in ijs casibus, in quibus damnũ iniuria aut culpa datũ æqui
tas suadeat ab eo, qui intulit, emẽdari, & si uerbis l. Aquilię tales casus nõ sint
14 expressi. Porrõ dantur omnes hę actiones dominis rerũ, in quibus datũ est
damnũ, sed utilis, & in factũ etiam usuarijs & fructuarijs, non aũt commodata-
rijs. l. item Mela. ℣ l. Aquil. & ℣ eum cui uestimenta. & ℣ ult. ff. ad l. Aquili.

Bonę fidei autem possessori ita demum uolunt l. Aquilię actionem in factum dari, si cum titulo rei possessionem nactus sit. l. item Mela. ℌ sed si seruus. & l. si dominus. ff. ad l. Aquiliam. Quibus autem casibus hæ actiones dentur creditoribus, indicat l. qui occidit. ℌ pignori. & ibi gloss. ff. ad l. Aquiliam. Pro damno in libero corpore datum, neutra actionum l. Aquiliæ competit, Quia 15
liberum corpus non recipit æstimationem. l. ex hac. ℌ si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, tamen in tali casu actione l. Aquiliæ quis petere compensationem operæ, ad quam præstandam minus iam factum sit idoneum liberum corpus. & impendia, quæ in curãdo læso corpore fortẽ fecit, potest. l. qua actione. ff. ad l. Aquiliam. Teneri autem ad præstandum damnum non eum solum, qui ipse damnum dedit, sed & eum, qui ipsum adiuuit, manifesti est iuris, nisi quòd l. item Mela. ℌ si alius. ff. ad legem Aquiliam, uult eum, qui tenuit aliquem, ut alius illum occideret, conueniri actione in factum.

Item conueniri legis Aquiliæ actione potest is, cuius iussu damnum datum est, ab ea persona, in quam ius imperandi habuit. l. liber homo. ff. ad legem Aquiliam. Ignoscitur enim seruis, si dominis obtemperauerint in his, quæ atrocitatem facinoris uel sceleris non habent. l. ad ea. ff. de regulis iuris. Si uerò quis pareat alicui, qui ius imperandi illi non habeat, tam is qui paruit, quãm qui damnum alteri inferre iussit, tenentur. l. non solùm. ℌ proculus. ff. de iniurijs. Quatenus autem domini nomine seruorũ, aut iumentorum suorum ad sarcienda damna per eos data teneantur, indicat l. si seruus seruum. ff. ad l. Aquiliam. & ll. TT. ff. & C. de noxalib. actionibus. & TT. ff. & Institut. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, Quos ideo huc quoque relatos uolumus absq; fusiore explicatione, quia plani per se sunt, & eorum tractatus actioni legis Aquiliæ cognatus est.

Confessus damnum. Postremò conuenitur utili actione legis Aquiliæ ad emendationem dati damni, qui confessus est damnum se dedisse, & si ipse illud non dederit, modò constet damnum esse datum. l. inde Neratius. ℌ finali, & duab. ll. sequentib. ff. ad l. Aquiliam. Et potest huius conuentionis hæc reddi ratio, quòd regu- 16
lariter eam actionem, quæ cum alio esset, in nos conferimus, si in iudicio fatemur id nos fecisse, quod nobis imputatur, etiamsi id non fecimus. l. confessionib. & sequenti. ff. de interrogat. in iure faci.

Cæterũm cum quocunq; erit nobis Aquiliæ actio, ab eo petere licet æsti- 17
mationem corporũ, in quibus datum est damnum, iuxta cap. l. Aquiliæ, quæ in obligatione damni iniuria dati annotauimus. Et fit talis æstimatio rerum 18
non secũdum affectionem, aut interesse singulare, sed iuxta commune earum precium. l. si seruum meum. ff. ad l. Aquiliam. Sed præter æstimationem rei, in qua damnum tulimus, omnia omnino commoda, quæ aut ex ipsa re percipere, aut aliunde per eam acquirere potuissemus, ad damni æstimationem referuntur. l. ait lex. cum sequen. ff. ad l. Aquili. Crescit quoq; hæc actio dupli æsti- 19
matione omnis eius damni contra inficiantem, si per testes ã litis contestatione conuincatur damnum dedisse. l. inde Neratius. ℌ hęc actio. ff. ad l. Aquil. Quia uerò hæc actio l. ciuili tradita est, ante annos xxx. non extinguitur, atq; datur etiam ea hæredibus eorum, qui damno affecti sunt, sed non in hæredes, quia pœnalis est. ℌ his autem uerbis. Instit. ad l. Aquiliam. Si tamen hæres ex dammo locupletior sit factus, agitur cum eo ad restituendum id, quod ad eum peruenit. l. inde Neratius. ℌ hanc actionem. ff. ad l. Aquil. Quòd aũt 20
hac actione condemnati non infamentur, gloss. circa l. si seruus. ℌ si cum maritus. ff. ad l. Aquiliam, inde colligit, quòd textus dicit, eam marito dari in uxo- 21
rem. Regulare enim est, neutri cõiugum dari in alterum actionem famosam, 22
quam diu inter eos durat matrimonium. l. diuortij. C. rerum amotarum.

SEQVVN-

SEQVVNTVR TT.

ff.	Instit.
Ad l. Aquiliam.	De l. Aquilia.
De noxalibus actionibus.	De noxalibus actionibus.
Si quadrupes paup. fec. dic:	Si quadrupes paup. fec. dicat.
Cod.	
De l. Aquilia.	De noxalibus actionibus.

DE SVBSIDIARIIS ACTIONIBUS. Caput LX.

SVMMARIVM.

1. Collatio subsidiariarum actionum ad reliquas.
2. Actiones subsidiariæ quæ sint, & quando dentur.
3. Actio subsidiaria non una sola actio est, sed plures.
4. Enumeratio actionum subsidiariarum.
5. Quæ propriè dicantur actiones subsidiariæ.
6. Actio in factũ quare subsidiaria dicatur. 7. Condictio ex lege quare sit subsidiaria.
8. Querela de inofficioso testamẽto. 9. Officiũ iudicis loco actionis implorari.

VT natura & usus harum actionum intelligi possit, operæprecium facere arbitror, si paucis has actiones ad reliquas, de quibus hactenus diximus, conferrem. Nam has non satis posse pernosci, nisi in collatione illarum, res ipsa testabitur. Nulla uerò ratione melius discerni hę actiones à reliquis posse mihi uidentur, quàm 2 ex distincta descriptione causarũ, unde oriuntur. Nam uulgaris ea definitio, qua dicitur, quòd actiones subsidiariæ sint, quæ tum demum dentur, quoties alia non competat, necessitatem quidem earum, sed non ortum, aut ullam ea- 3 rum essentiam declarat. Et cũm non una sola actio sit, actio subsidiaria, sed plures, quæ omnes competunt alijs deficientibus, talis definitio magis indicat esse quasdam reliquas post illas, quæ certis quasi stationibus tuendi iuris collocatę sint, quàm quæ & quales illæ reliquę sint, quæ in subsidium aliarum adhibeantur. Itaq; ut harum certa aliqua ratio discentibus constet, utile duxi 4 earum causas & discrimina diligentius inquiri & ostendi. Numerãtur autem inter actiones subsidiarias, actio in factum, de dolo, condictio ex lege, restitutio in integrum, querela de inofficioso testamento, officium iudicis. Sed harum quædam, ut actio de dolo, & restitutio in integrum impropriè dicuntur subsidiariæ. Nam inter beneficia iuris potius, quàm inter auxilia pro iure nostro nobis competentia, hæ ponendæ sunt. Quamuis enim illi, qui dolo conuenti sunt, iure actionis, & non per implorationem officij iudicis, restitutionem petant, tamen quia hoc subsidium leges ex mera benignitate iuris, indigentibus præbent, atq; etiam illi, qui Romana iura exueterum Iureconsultorum disputationibus collegerunt in ff. & C. inter species restitutionum numerarunt, non uidetur locus idoneus hic de ea dicendi, multò minus de restitutione in integrum, quæ fit officio iudicis, & non ex aliqua necessita- 5 te iuris, siue, ut fert mos loquendi, iure actionis. Quædam uerò, ut actio in factum, condictio ex lege, Querela de inofficioso testamento, propriè dicuntur subsidiariæ actiones. Nam his petitur iure nostro nobis debitum, cũm alia actio pro eo nobis non competit, & non dantur ex clementia, sed ex necessitate iuris. Et tamen inter has alia magis propriè, quàm alia sic dici po- 6 test. Nam actio in factum præcipuè actio subsidiaria dici meretur. Quia alijs actionibus deficientibus, hęc tanquam postremus comes alijs succedens per 7 leges subrogatur. Condictio uerò ex lege ideo solũm inter subsidiarias actiones numeratur, quia id quod ultra regularia iura specialiter aliqua lege permissum, aut prohibitum est, fieri, aut nobis præstari per eam petimus. Minus itaque propriè condictio ex lege dicitur subsidiaria actio, quàm ea, quæ

Restitutio in integrũ officio iudicis.

datur

datur in factum. Nam condictio ex lege non succedit alijs tanquam subsidia rius comes, sed urget id, quod peculiariter ultra communes iuris formas publica autoritate concessum est. Querela autem de inofficioso testamento ita cohæret suæ formæ, ut quamuis in ea sit subsidiaria actio, tamen separari ab illa tanq; alijs quoq; formis generaliter subsidiaria actio nõ possit. Quare nec de ea porrò quicq; hic dicturi sumus, cũm suũ habeat locũ. Officiũ uerò iudicis rectissimẽ quidẽ inter subsidiaria auxilia ponitur, sed actio subsidiaria impropriè dicitur, quia illud non ut actio proponitur, sed loco actionis imploratur, sicut paulò pòst exemplis declarabimus. Iam igitur ut distincta descriptione causarum subsidiariq; actiones, de quibus hoc loco peculiariter nobis dicendum est, separari possint, ordine de singulis dicemus.

DE ACTIONE IN factum. Caput LXI.

SVMMARIVM.

1. Actio in factum unde nascatur, & ad quid detur.
2. Si obæratus cedat bonis.
3. Homini prodigo bona distrahenda mandare.
4. Factum ipsum proponendum.
5. Actio in factum quando detur.

HAEC actio non nascitur ex certa aliqua forma Iuris nobis in personas aut res, uel ab illis ratione obligationis competentis, sed datur in casum, cuius ratio nulla certa appellatione iuris designari potest: Etsi Il. iudicent in eo esse ius, quod aspernari iudicia non debeant, quin petentibus illud ministrent, & conseruent. Exempli gratia: Antonius obæratus, ut effugiat carcerem urgentibus creditoribus, magistratui suo denunciat, se cedere bonis. Id ubi rescisciunt creditores eius præsentes, mandant Titio curam distrahendorum bonorum illorum, quia se solos creditores Antonij esse putant. Porrò postquam uendita iam essent bona Antonij, aliunde uenerunt alij creditores, qui itidem atq; illi, qui fuerant præsentes, solutionem debiti ex bonis relictis à magistratu petũt. Sed curator bonis datus, omnem pecuniam, quam ex diuenditis bonis Antonij collegerat, iamdudum consumpsit. 1 2

Quæstio est igitur, qua actione creditores debita sua consequi possunt. Et certum est, illos quidem, qui præsentes curam distrahendorum Titio mandauerunt, habere actionem mandati, sed illi, qui postea aduenerunt, rei uendicatione cum possessoribus talium bonorum agere non possunt, quia Ius dominij in illos non habent. Neq; conuenire procuratorem talium bonorum illis licet, quia nec mandato nec respectu ipsorum curam suscepit, neq; ea per uim inuasit, cùm illi ab alijs creditoribus talium bonorum cura cõmendata fuerit.

Restat igitur, ut ad eos, qui homini tam prodigo bona distrahenda mandauerunt, eant. Sed quo iure cum illis agent? bona debitoris non possident, nihil est ab illis his promissum, nullo suo dolo Titio talis cura commissa est. Peccatum tamen ab ipsis est, sed qua appellatione notabitur istud delictũ, ut possit cerni ex quo genere delicti conueniendi sint? Certa & conueniens satis appellatio eius delicti nulla est, proponendum est igitur ipsum factum, ut inde constet iudici, quòd bona Antonij debitoris, contra quàm oportuit ipsis per improuidentiam creditorum præsentium intercepta sint, iuxta l. si mandauero. §. si curator. ff. mandati. Videtis igitur actionem in factum dari, quando in casu non est factum, quod in certam iuris formam caderet. Et quia talium casuum, quorum ratio nec dominij, nec certi contractus, aut delicti, aut alterius iuris formam habet, multi subinde occurrerunt post communes formas agendi necessitate exigente, propter ius quod ex illis competere uisum est, in 3 4 5

quosdam

quoſdam caſus legibus ciuilibus, in quoſdam edictis, & interdictis prętorum, peculiares actiones in factum ſeparatim extra alias formas proditæ ſint.

SPECIALES ACTIONES IN factum ex legibus. Caput LXII.

SVMMARIVM.

1. Actio de pluuia arcenda quando detur.
2. Actio de paſtu pecoris contra quem detur.
3. Actio in factum ex re iudicata, quæ & actio iudicati dicitur, quando locum habeat.

1 ACTIO de pluuia arcenda, quæ datur, cùm quis manu aliquod
2 opus fecit, ut aquam pluuiam in eius agro collectam in uicini diuertat. ff. de aqua pl. arcenda. Actio de paſtu pecoris, quæ datur contra eum, qui in alterius prędium immiſit ſua pecora, ut ibi depaſcerent alienas ſegetes, glandes, uel gramen. l. qui ſeruandarum. §. ult. ff. de præſcriptis uerbis.

3 Actio in factum ex re iudicata, quæ & actio iudicati dicitur. l. ſi ſe non obtulit. in prin. ff. de re iudi. Et hæc actio locum habet, quando quis ſententia iudicis eſt condemnatus, & ceſſat id præſtare, quod iuſſus eſt. l. actori. C. de reb. cred.

SPECIALES IN FACTVM ex Edictis. Cap. LXIII.

SVMMARIVM.

1. Edictum nautæ, caupones, ſtabularij.
2. Caluiſiana in factum actio.
3. De pauperie à quadrupede facta.

1 ACTIO in factum ex edicto, nautæ, caupones, ſtabularij, ut acce-
2 pta reſtituant. ff. eodem. Sunt aliæ quoq; actiones in factum edictis proditæ. Sed eas in formas actionum retulimus, circa quas accidere ſępius poteſt, ut earum aliquis ſit uſus, ut actionem in factum Caluiſianam, & in factum reuocatoriam, retulimus inter
3 actiones, quæ competũt nobis pro iure patronatus, ſic & actionem in factum ciuilẽ de pauperie à quadrupede facta l. aquil. retulimus, ac pleraq; interdicta quæ loco actionum in factum proponi ſolent, ſuis quaſi negotijs ſuprà adiecimus propter cognationem caſuum. Reliqua uerò interdicta, quorum caſus non ita incidunt in alias formas negotiorum, nunc referemus.

SPECIALES IN FACTVM EX interdictis. Caput LXIIII.

SVMMARIVM.

1. De actionibus in factum ex interdictis.
2. Interdictũ ne quid in loco ſacro fiat contra quem detur.
3. De uia publica.
4. De fluminibus.
5. Ne quid in flumine publico.
6. De ripa munienda.
7. De libero homine exhibendo.
8. Officium homo homini debet.
9. De itinere actuq; priuato.
10. De aqua quotidiana.
11. De Riuis.
12. De fonte.
13. De cloacis.
14. De arboribus cædendis.
15. De glande legenda.
16. De migrando.
17. Interdictum Saluianum.

18. De superficiebus. 19. Vti possidetis.
20. De tabulis exhibendis.
21. De nunciatione noui operis.
22. De remissionibus. 23. Quod ui aut clam.
24. Cautio de damno infecto.
25. De aqua pluuia arcenda.
26. De eo qui ius dicenti non obtemperat.
27. De in ius uocando.
28. De recusante ædere instrumenta.
29. De alienatione iudicij mutandi causa facta.
30. De ijs qui deiecerunt uel effuderunt.
31. Si mensor falsum modum dixerit.
32. Si mulier uentris nomine in possess. mittatur.
33. De publicanis.
34. Forma actionis in factum latissimè patet.

INTERDICTVM, ne quid in loco sacro fiat, datur contra eum, qui aliquid 1
in talem locum immisit, quo conspurcatus sit, aut in eo faciat aliquid, unde
damnum aut incommodum illi eueniat. ff. Ne quid in lo. uel itin. pub. fiat, 2
quo interdicto petuntur prohiberi, qui nos uti talibus locis impediunt, aut
aliquod opus in illis extruere moliuntur. ff. eod. Et huic interdicto adiungen
dus est titulus, de locis & itineribus publicis, tanquam illius commentarius.

De uia publica, & si quid in ea factum esse dicatur, & de ea ex edicto Aedi 3
lium Curulium à singulis reficienda, & hoc interdicto tuentur, qui publicam
uiam reficiunt, aut cupiunt, ne à quopiam impediantur. ff. eodem. De flumi- 4
nibus, ne quid in flumine ripáue eius fiat, quò peius nauigetur, item ut in flu
mine publico nauigare liceat. ff. eod. Et his duobus interdictis prospicitur
nauigaturis in flumine nauigabili. Aliud est in ff. interdictum, quo agitur 5
de quolibet flumine, ne quid in eo fiat, unde uicinis aliquod damnum emer-
gat. Est autem eius epigraphe, ne quid in flumine publico ripáue eius fiat,
quò aliter aqua fluat, quàm in priore æstate. His interdictis adiungi potest
& illud, de ripa munienda. Nam & illud proditum est nauigationis causa, ne 6
quis prætextu munitionis, aut refectionis aliquid in ripa faciat, unde ea red-
datur minus commoda nauigaturis. Atq; hæc quidem interdicta, de quibus
hactenus diximus, publici iuris tuendi causa tradita sunt, & inter populares
actiones numerantur à gloss. circa titul. ffrorum de popularibus actionibus.

Et inter eas poni potest interdictum de libero homine exhibendo. Nam & 7
illud cuiuis è populo datur ratione officij, quod homo homini debet. ff. de in- 8
terdictis l. ij. Quæ uerò sequuntur, rei familiaris causa prodita sunt. Interdi- 9
ctum de itinere actuque priuato, quod pertinet ad tuendas seruitutes rusti-
cas. l. 1. ff. eodem. De aqua quotidiana & æstiua, quod interdictum competit, 10
pro seruitute aquæ ducendæ, aut in sola æstate, aut quotidie cùm libet, uel
opus est. ff. eod. Huius auxiliarium est interdictum de riuis, quippe quo agi- 11
tur de facultate purgandi meatus aut fossam, quibus aquę deducãtur. ff. eod.
pro seruitute autem hauriendæ aquæ datur interdictum de font. ff. eod. Pur- 12
gandæ aut reficiendæ cloacæ causa, competit interdictum de cloacis. ff. eod. 13
Ad succidendas arbores, quæ nostris ædibus, aut fundo impendent, agitur in- 14
terdicto de arboribus cędendis. ff. eodem titulo.

Si fructus nostri cadant in uicini fundũ, & is nolit permittere ut eos aufera- 15
mus, interdicto de glande legẽda impetrare nobis à iudice licet, ut illud nobis
permittere cogatur. ff. de gland. legenda. Vt inquilinis liceat res suas ex 16
domo, uel habitatione conducta transferre, si locator id prohibere conetur,
interdicto de migrando petere possunt. ff. de migrando. Sed si colonus
non soluta pensione, de qua inter eum & dominum fundi conuentum est,

res

res quas in fundum tulit aliò transferat, potest dominus earum possessionem recuperare, à quocunq; teneantur, per interdictum Saluianum. ff. de Saluia.
18 interd. Si uerò is, qui in alieno solo conducto, posuit superficiem, inquietetur in eius possessione, interdicto de superficiebus impetrare potest, ut in
19 ea tenenda non turbetur, sicut aliàs per interdictum, uti possidetis, quieta
20 possessio quæritur. ff. de superficiebus. Interdicto de tabulis exhibendis agitur cum eo, qui cùm tabulas testamenti, uel codicillorum apud se habeat, uel dolo eius factum sit, ut non habeat, nolit eas ostendere illis, quorum interest, agere licet, ut exhibeat. ff. de tab. exhib.

21 Porrò ponitur inter interdicta etiam nunciatio noui operis, quam facere potest, qui uidet uicinum suum aut moliri, aut demoliri ædificium suum, unde eius ædibus immineat damnum, aut lædatur ius publicum, aut uitium priuatum. Itaque quò minus id fiat, potest petere illum prohiberi, ne se inuito tale quid facere audeat, aut opere nondum perfecto, si non satis appareat, an eius iuri deroget, uel seruitutem auferat, sibi ab eo satisdari, de opere restituendo, si postquàm perfectum sit, illud uicini ædibus contra ius noceat. Hæc in tit. Digestorum & C. & Decretalium de noui operis nunciatione. Verùm hoc interdictum comitantur alia quædam ratione casuum, qui incidere citra nun-
22 ciationem noui operis possunt, uidelicet interdictum de remissionibus, quo iuuatur is, cui à nunciante remissum est, ut in opere cœpto pergeret, ne ab eo
23 postea impediri possit. ff. de remissionibus. Item interdictum quod ui aut clam, quo is, qui postquàm illi nunciatum est, ne faceret opus, quod molieba tur, destruere compellitur, quod eo inuito, clam aut per uim fecit. ff. quod ui, aut clam. Non dissimilis ualde nunciationi noui operis est actio, qua licet uicinis inuicem alteri ab altero cuius ædes ruinam minantur, petere satisdatio-
24 nem de damno infecto præstando. Quamuis enim ea actio ex edicto, & non interdicto prætoris competat, tamen propter cognationem mihi uisa est à superioribus non separanda. ff. de dam. infec. Eodem consilio his actionibus ad
25 iuncta uidetur in ff. act. de aqu. pl. arcen. Nam & ea competit pro cauendo damno, quod ex opere uicini ab aqua pluuia imminet. Cæterùm præter hæc interdicta & edicta, quæ annotauimus, dantur speciales actiones in factum ex multis aliis edictis, ut si quis ius dicenti non obtemperet, datur & iudici & parti, quæ eius inobedientia læsa est, actio in factum. ff. si quis ius dic. nõ obtem.
26 Item conuenitur actione in factum, qui aliquem in ius uocauerit, quem pro-
27 pter reuerentiam non debuit. l. pen. ff. de in ius uocan. Sic dantur quoq; actiones in eos, qui uocati in iudicium non uenerunt, aut fideiussores sistendi in iudicio à reo accipere uoluerunt, cùm essent fide digni, aut uocatos in ius ui exemerunt, aut dolo quopiam eos terruerũt, quò minus in iudicio sisterent. Sic
28 ut testantur lib. ij. Digest. tt. in hos casus peculiariter editi. Item actione in factum conuenitur, qui alienas rationes, aut instrumenta ædere recusat, aut malitiosè ædidit. ff. de ædendo. Item qui alicui pecuniam dedit, ut alteri moueret litem per calumniam, aut accepit pecuniam, ne calumnijs suis alicui ne
29 gotium facesseret. ff. de calumniatoribus. Item qui ut callidè subterfugerent iudicium, rem quam metuebant à se peti, alienauerunt. ff. de alienat. iud. mut.
30 fac. Item ex cuius ædibus proiectum aliquid, aut effusum est in prætereũtes, aut præteruectas merces. ff. de his, qui deiec. uel effud. Et in eo. tit. l. si uerò. §. prætor. datur actio in factum aduersus eum, qui in suggrunda, proiectõue ali
31 quid habet positum, cuius casus prætereuntib. posset nocere. Item datur & in eum, qui missus ad metiendum agrum, renunciauit, plura esse eius iugera, & postea compertum sit. ff. si mensor falsum modum dixerit. Et ad actiones in factum referri possunt, quæ de muliere, quæ se prægnantem fingens, aut ex alio concepta prole, quàm marito, in possessionem missa est, eadem possessio
32 dolo malo ad alium translata esse dicantur. Et in titulo, si mulier uentris nomi-

ne calumniæ causa in possessione esse dicatur. Item actione in factum agitur 33
cum publicanis, qui maiora uectigalia extorserunt à uectoribus quàm debebantur. ff. de public. & uectigalibus. Item & cum eo agitur actione in factũ ciuiliter, qui in incẽdio, aut naufragio aliquid surripuit. ff. de incen. rui. nauf. rat. naue expugnat. Et in similibus aliis multis casibus dantur actiones in factum passim in legibus Romanis, quos obseruationi & diligentiæ studiosorum relinquo, ut quisque sibi eos annotet: meum præcipuum in his annotandis studium fuit, ut eos indicarem casus, qui peculiaribus titulis traditi essent, ut discentes intelligerent formam in factum, latissimẽ patere. Neque mire- 34
tur quis, quòd omnia interdicta & edicta, inter actiones in factum retulerim. Nam loco illorum tales actiones competere indicant textus & gloss. ff. & C. & Instit. de interdictis. Ac siquidem destitueremur talium autoritate, sufficere posset ratio, quòd tales ob causas dentur interdicta, ob quas actiones in factum suprà ostendimus.

ACTIONES IN FACTVM generales. Caput LXV.

SVMMARIVM.

1. Actionum generalium in factum duplicem esse rationem.
2. Actio præscriptis uerbis quæ sit, & quando locum habeat.
3. De dolo.
4. Dictum dolo perpetratum.
5. Dolus contractum bonæ fidei uitiat.
6. Beneficium iuris in contractu stricti iuris.
7. Delicta nominata & innominata.
8. Adire hæreditatem non idoneam.
9. Actio in factum de dolo.
10. In hac actione iurare in litem licet.
11. De actione & crimine Stellionatus.

GENERALIVM in factum actionum duplex est ratio, aut enim in 1
facto est conuentio absq; dolo inita, aut delictum dolo perpetratum. Si in ea est conuentio, nec ea referri sub certam aliquam appellationem contractus nominati potest, & cupimus conuentũ præstari, agitur actione in factum, præscriptis uerbis, qua petimus iuxta uerba, in quæ conuentum est, præstari promissa. Habet igitur hæc 2
actio solũm locum, ubi conuentio interuenit, siue ea separatim sit facta, siue aliis contractibus adiecta, si appellatione specialis contractus ea nõ comprehẽdatur. l. ij. iij. iiij. ff. de præscript. uerb. & de pactis. l. in traditionibus. & C. de pactis inter empto. & uend. l. ij. Ex quibus uerò pactis & conuentionibus innominatis hac actione experiri non possumus, ostendit text. & gl. legis, naturalis. ℣ quod si faciam. ff. de præs. uerb. Si uerò in facto est delictum dolo perpe- 3
tratum, tum aut id accidit in contractu, aut circa contractum, aut separatim 4
nullo contractu interueniente. Ac siquidem dolus est commissus in contrahendo, tum refert quo genere contractuum id factum sit. Nam dolus in con- 5
tractu bonæ fidei admissus, ita uitiat contractum, ut ipso iure pro nullo habeatur, & possit rescindi actione de dolo. l. & eleganter. in princip. ff. de dolo malo. In contractu autem stricti iuris admissus dolus, tenet quidem contractus, 6
sed beneficio iuris, si summa, qua quis defraudatus sit, excedat duos aureos, petere restitutionem potest. l. si oleum. in fin. & l. sequ. ff. de dolo malo. & C. de inutilibus stipulationibus. l. dolo. Verũm de tali beneficio iuris nos infrà dicturos suprà indicauimus in initio huius capitis. Itaque de subsidiaria & generali actione de dolo in contrahendo admisso, non est, quòd aliquis expectet hoc loco nos dicturos. Etenim de illis solũm actionibus generalibus agemus, quæ ex delicto innominato, quod extra contractum dolo perpetratum

est.

7 est. Nam sicut contractus quidam sunt nominati, ita & delictorum sunt, quæ
8 speciali nomine delictorum significari non possunt. Vt si quis persuadeat alicui, ut adeat hæreditatem non idoneam, propterea quòd defunctus fuerit obæratus, & uix sufficiat hæreditas, si debita eius ex ea per hæredem soluí debeant, is quia non potest accusari delicti, quod appellationem certam habeat, conuenitur actione in factum dolo. l. ult. ff. de dol. mal. Sed & innominata
9 delicta, aut ciuiliter aut criminaliter, sicut de nominatis diximus, prosequi licet. Quare in tales casus quoq; proditę diuersę actiones subsidiarię, uidelicet, actio de dolo, qua ciuiliter petimus eum, à quo decepti sumus, nobis condemnari in id, quod nostrí interesse uidetur, aut iuramento in litem testarí possumus nostrí interesse, nos non esse circumuentos. Et hæc actio sæpius à sure-
11 consultis dicitur actio de dolo. Altera uerò, quæ in eosdem casus competit, cùm criminaliter delictum prosequí uolumus, uocatur Stellionatus accusatio. Nam quod in priuatis iudicijs est de dolo actio, hoc in crimínibus cùm peculiaria nomina non habeant, Stellionatus persecutio. Vbi enim destituí mur certa appellatione delicti, quod ciuiliter prosequí ut delictum cupimus, appellatione doli notarí illud solet. Vbi uerò deficit Titulus criminis, quod criminaliter prosequí uolumus, illic Stellionatus crimen obijcimus, & præsidis siue iudicis ordinarij cognitione pœnam extra ordinem in perpetratorẽ eius constituí petimus. l. ij. ff. de crim. Stel. Exempla doli extra cõtractum admissi sunt in l. si quis tab. & l. pe. & ult. ff. de dol. mal. Sed neq; de dolo, neq; de crimine Stelliona. agitur, nisi euidẽter & apertissimo iure de delicto constet. Nam si æquitas scripta solùm suadeat actionem darí propter delicti speciem, quæ est in facto, experimur actione in factũ generalissi. de qua iam dicemus.

ACTIO IN FACTVM generalissi. Caput LXVI.

SVMMARIVM.

1. De generalissima in factum actione.
2. Actiones ex uarijs causarum figuris darí.
3. Vbi specialia deficiunt nomina, ad generalia recurrendum esse.
4. Cur hæc actio dicta sit generalissima.
5. Aequitas naturalis non fert aliquem re sua spoliari propter alterius com
6. Parentum uerecundiæ parcendum esse. (modum.

1 VB appellatione actionis in factum comprehenduntur, tum speciales tum generales, atq; hæc etiam quæ dicitur generalissima. Nam quod dicitur in l. i. ff. de actio. & oblig. & in l. sancimus. C. de sacrosan. eccles. quasdam obligationes & actiones nasci & darí non ex contractu aut maleficio, sed proprio quodam iure ex
2 uarijs causarum figuris, promiscuè de omnis generis actionibus in factum accipiendum est, ita uidelicet, ut sub diuersitate figurarum intelligantur omnes casus, in quos uel legibus ciuilibus, uel iure prætorio, post ordinarias actionum causas, in diuersas factorum species appellatione iuris indistinctas, actiones datæ sunt. Non enim dubium est, autores earum legum eò respexisse, ut cùm uiderent tantam diuersitatem esse casuum, ut complecti omnes perpetuis quibusdam appellationibus causarum iuris non possent, facti nomine tanq; communissima designatione omnium, quæ inter homines agerentur, notan
3 dos censuerunt. Etenim est hęc ratio in distinguenda rerũ uarietate, ut ubi deficiant specialia nomina, ad generalia rursum recurramus. Quare hæc actio appellatione in factum actionis uenit, cùm indistinctè de talibus actionibus loquimur. Sed si quis hanc à reliquis accuratè separare cupiat, propria hæc est huius actionis in factum à reliquis differentia, quòd hæc competit, quando ratione æquitatis, quæ in facto eminet, ius scriptum actionem

dari ſuadet. Sed peculiarem appellationem ei actioni tribuit, ut conſtare poſſit, qua actione experiendum ſit. l. quoties. & ibi gl. ff. de præſcript. uer. Dicitur autem hæc actio generaliſsima, non quòd ſub ea reliquæ actiones in factum, tanquàm ſub genere ſubſiſtant. Nam hoc fit ſub generali omnium earum appellatione, qua dicuntur actiones in factum. Itaque obſeruandum eſt hanc dici generaliſsimam, quia deficientibus alijs omnibus ea ſuccedit. l. quoties. ff. de præſcriptis uerbis, ut ſi quis ſeruandarum mercium cauſa alienas merces in mare proijciat, non poteſt cõueniri, tanquàm is, qui deliquit, ſi abſque dolo id fecit, cùm alienæ ſimul cum ipſius perituræ fortaſſe erant, niſi naue onere leuata eſſet. l. qui ſeruandarum. ff. de præſcript. uerb. Et tamen quia iniquum eſſet eum ſolum ferre damnum, cuius merces ſeruari potuiſſent, ſi aliæ eſſent electæ, ſuadet æquitas in factum actionem illi dari. Item lapides ex ſacro monumento alicuius amoti, non poſſunt ab eo uendicari, quia in nullius dominio eſſe cenſentur, quæ ſacris uſibus dicata ſunt: nec plantam meam alieno ſolo inſitam, poſtquàm radices in eo egerit, nec ullam rem aliam, quæ iure acceſsionis, aut confuſionis, aut ædificationis, alienis rebus adiuncta iure gentium cedit, uendicare poſſumus. l. quę religioſis. & l. in rem. ff. de rei uendicat. Sed quia æquitas naturalis tamen non fert alium, propter alterius commodum, re ſua ſpoliari, iubent eædem leges petentibus actione in factum, intereſſe ſuum in talibus caſibus præſtari. Sic quamuis l. non debet. ff. de dolo mal. uelit parci à liberis & libertis, uerecundiæ parentum & patronorum, ſi eos circumuenerint, ut de dolo cum illis non agant, tamẽ ne re ſua penitus defraudentur, permittit ita uerbis actionem temperari, ut nuda expoſitione facti, nulla mentione doli ablatum ab illis repetant. Ex his igitur ſatis manifeſtum eſſe iam arbitror, quòd actione in factum generaliſsima tum demum experiri rectẽ dicamur, cùm ratio facti nullam nobis cauſam agendi actione ordinaria, aut alia præter hanc ſubſidiaria præbeat.

QVID PETATVR ACTIONIBVS in factum. Cap. LXVII.

SVMMARIVM.

1. Actione præſcriptis uerbis quid petatur. 2. Actiones incerti quare dicantur.
3. Intereſſe quatenus in hac actione petatur & æſtimetur.
4. De iuramento in litem quanti actor intereſſe ſuum iuxta conſcientiã iudicet.
5. Actiones temerariæ in iudicijs non ualent.
6. Interdicta dicuntur eſſe actiones extraordinariæ. 7. Interdicta omnia annua eſſe.
8. Ioan Gloſſatoris arbor actionum. 9. De præſcriptione actionũ in factum.

HIC rurſum diſtinguendum eſt, nam in actionibus in factum ſpecialibus, ferè proditum eſt, quid quaq; earum repetere nobis liceat. Præſcript. uerb. uerò actione petitur id, de quo conuentum eſt, aut ſi præſtari id non queat, intereſſe, id quod regulariter in omnibus actionibus in factum etiam petitur. Nam & ideò dicuntur actiones incerti, quia æſtimatione facti, earum petitio augetur uel minuitur. Sed ea non eſt perpetua, ſicut in ordinarijs actionibus, argum. l. ſi quid ab alio. in fin. ff. de re iudic. & de uerb. oblig. l. ubi autem. ℣ qui in quod. Exemplum uerò petendi intereſſe actione in factum eſt in l. ſi quis ex argentarijs. ℣ ex hoc edicto. ff. de edend. Sed quatenus æſtimetur intereſſe, partim indicauimus ſuprà de acceſsionibus & imminutionibus actionum, partim dicendum erit infrà in capite de iudicijs, ubi de iuramento, quod fit in litem, agemus. Nam talis æſtimatio ſæpe quoque iudicis officio expeditur per iuramentum in litem, ut poſsit certò conſtare, quanti actor intereſſe ſuũ iuxta conſcientiã iudicet. Neq; n. in iudicijs ualent temerarię actiones, ut in ea ſententia iudicialis ferri poſſet. Atq; id quidẽ maximè fit in actionib. arbitrarijs, quales ſunt actiones in factum, in quibus intereſſe noſtrum petimus

ab

ab eo,qui facto ſuo nobis nocuit. Et eſt deferendi talis iuramenti ad decernẽ dum de eo,quod cuiuſq; intereſt,clarum exemplum, in l.qui reſtituere.ff.de rei uend. Et prolixè de delatione talis iuramenti diſputat Bart.cir.l.in act.ff.
6 de in lit.iur. Interdicta quoq; dicuntur eſſe actiones extraordinariæ,non q̃ in illis nulla certa petitio conſtituta ſit, ſicut criminum quædam dicuntur extraordinaria,eò q̃ eorum pœna non eſt legib.expreſſa,ſed q̃ abſque ſolennitate,quæ olim circa ea obſeruata eſt,hodie impetrantur. §.de ordine. Inſt.de
7 interdict. Annua quoq; habentur omnia interdicta, præter illud,quo agitur de glande legenda.ff.de per.& tempo.act. & ff.de glan.leg.l.i.& ij. Quo uerò tempore regulariter præſcribatur ius agendi ex qualibet alia actione in factum, non poſſum conſtituere, propter uarietatem negotiorum, ex quibus
8 competunt. Itaq; neq; Ioan. gloſſat.in arbore actionum illud expreſsit,q̃uis ex profeſſo hoc unicum ſtudio habuit, ut ſingularum actionum differentias
9 indicaret. Cũm igitur lex, quæ ſuadet actionem in factum dari,non exprimit,quanto temporis ſpacio facultas per eam experiundi duret,cenſeo hoc eſſe tenendum, quod regulariter in omnibus actionibus obſeruatur, ut ſpacio triginta annorum extinguantur,l.omnes.C.de præſcriptionibus.

EX OBLIGATIONE LEGIS.

Caput LXVIII.

SVMMARIVM.

1. De condictione ex lege. 2. Quod moribus obſeruatur condict.ex lege peti.
3. Iura feudalia,& conſuetudines urbium condict. ex lege peti.
4. Condictione ex Canone petuntur,quæ iure Canonico prodita ſunt.
5. Contra iura municipalia ex eadẽ obligatione peti poſſe.
6. Ex diuino iure omnium ciuilium conſtitutionum autoritatem deriuari.
7. Negotia certis formis iuris diſtincta eſſe.

1 ACTIO,quæ ex tali obligatione oritur,condictio ex lege uocatur. Quæ uerò talis actionis ſit natura,& quomodo ea proponatur,facilè quiſq; intelliget ex his,quę de ortu huius obligationis ſuprà indicauimus.Et differentiarum in ea obſeruatio ex alijs condictionib.conſtat. Nam quod ad differentias attinet, hæc cum illis eiuſdem eſt rationis. Quid uerò & quantum hac condictione petere liceat,oſtendit lex,ex qua ea datur. Hoc igitur ſolũm nunc adijcio,q̃ ea condictione iudicium experimur,cũm legis ſcriptę autoritas nobis ſuffragatur in aliqua re
2 petenda ultra communes formas agẽdi. Sed & cũm morib.aliquid ita obſeruatum eſt extra cõmunes iuris formas,ut pro conſuetudine talis obſeruatio ha-
3 beat,cuiuſmodi ſunt iura feudalia,& conſuetudines urbium,iu.Specul.de actio.& petit. §.ſequit.uerſ.q̃ autem dixi. Ac ſiquidem hunc actorem nõ haberemus,tamen methodi ratio nos monere poſſet, talem actionẽ ex talib.iurib. competere. Eſt.n.ea tradita in ſubſidium agendi ex iure,quod uſq; extra com-
4 munes iuris formas obſeruatur,aut conſtituit. Itaq; & ea,quę iure Cano.prodita ſunt,condictione ex canone petunt,ut ſi quis Epiſc. poſſeſsionib. deiectus cupiat reſtitui,poteſt condictione ex Canone reintegranda.iij. q.i.pete
5 re ſibi reſtitui omnia ea,quib.ſpoliatus eſt. Ex eadem obligatione contra iura municipalia peti poteſt nobis concedi,quod ius diuinum fieri iubet,aut permittit,ſi illa penitus cum eo pugnent. Hæc.n.iuris periodus,& perpetuus cir-
6 cuitus eſt,ut ſicut ex diuino iure omnium ciuilium conſtitutionum autoritas deriuatur,ita ea quoq; tollantur,ſi quid iuri diuino prorſus contrariũ præcipiant. Atq; ideò etiam dici poſſet, iuxta formam condictionis ex l.pro qualibet
7 re acturos nos fuiſſe, Niſi iuris Romani conditoribus magis placuiſſet,negotia certis formis iuris diſtingui,& in tanta uarietate rerum ſaltem aliquod diſcrimen agendi obſeruari, donec uocabula idonea ad diſtinguendas actionũ cauſas & formas nobis ſuppeterent, ut non eſſet neceſſe, ad ſupremam iuris

obligationem, quæ ex autoritate publica est, semper decurrere.
ff. & C. De condictione ex lege.

QVANDO OFFICIVM IVDICIS LOco actionis imploretur. Cap. LXIX.

SVMMARIVM.

1. Magnam esse uarietatem casuum. 2. Præsidentium autoritate & iudicio iuuari & componi res humanas.
3. Officium iudicis. 4. Actio quid sit.
5. Mercenariũ officiũ iudicis quod dicatur. 6. Nobile, quo ultrò nobis succurritur.
7. Nobilis officij differentiæ sunt, merum, purum, generale, solenne.
8. Nobile iudicis officium aliud anomalum & summarium.
9. Pignoris non deteriorandi repromissio.

SAEPE dictum est tantam esse uarietatem casuũ, in quib. humanę res requirant, ut prę̃sidentium autoritate & iudicio iuuentur & componantur, ut nec uerborum satis habeamus, quib. quamcp facti, aut iuris speciem satis notare possimus, Itacp deficientib. specialib. actionib. nos ad generales & subsidiarias confugere, si leges nobis copiã agendi faciant, nec certam formam nobis demonstrent. Iam uerò nobis dicendum est, cp necp legib. omnes casus ad actiones generales et subsidiarias relatæ sint, aut referri possint. Proinde necesse esse iudicis officio suppleri, quod ex ęquo & bono expediendum ueniat, nullo in legib. relicto subsidio. Cũm autem mẽtio fit officij iudicis implorandi loco actionis, nõ est cogitandum, de personali eius officio agi, quod ab eo requiriẽ, ut nec reorum lachrymis moueaẽ, nec aduersus eos ita excandescat, ut secus quiddã, q̃ iuris ratio postulet, faciat. l. placuit. C. de iudicijs. Nam tale officium ei imponit functio, quã sustinet, & semper ab eo requiritur in omnib. iudicijs. Sed est aliud quoddam eius officium, quod non absurdè diceret ministerium, nimirũ quo adiuuat eos, qui destituti omnib. legitimis auxilijs implorant eius operam, & est in eius arbitrio illud uel impertire, uel negare petentib. prout ęquitas rei adeum relatæ ab eo uisa fuerit opem postulare. l. cp si min. §. fin. ff. de minor.

Ministerium iudicis.

Vnde quocp talis appellatio officij iudicis nõ potest dici actio. Nam actio est ius, cui obtemperare iudex in exhibendo suo ministerio cogitur ex necessitate iuris. l. offic. ff. de rei uen. Itacp & illud officium iudicis, quod nobis prę̃stat in expedienda nostra actione, dicitur mercenarium, illud uerò, quo ultrò nobis succurrit, dicit nobile. Porrò annotari solent & nobilis officij iudicis uarię differentiæ, ui delicet, cp aliud sit merum, purũ & generale, cuiusmodi habet, quòd nullo petente inquirere, & animaduertere in notoriẽ delinquentes potest. l. congru. ff. de offi. prę̃s. Aliud solenne, quod loco actionis principaliter imploratur. Sicut fit in omnib. extraordinarijs cognitionib. causarum, quib. sola pollicitatione promissa petũtur. ff. de uar. & extraor. cog. Item loco actionis principaliter imploratur à creditore, qui expetit bona sui debitoris separari à patrimonio hæredis obęrati, ne ipse suo debito defraudetur. Si bona defuncti hæredis obęrati bonis misceant. ff. de bon. sep. Idem fit in petendis cautionib. & satisdationib. & restitutionib. Sed de his dicendi commodior erit locus infrà in tractatu iudicioꝝ, & beneficiorum iuris. Quod aũt de extraordinarijs cognitionib. diximus, idem accipiendũ est & de extraordinarijs criminib. ff. eo. Aliud dicit Anomalum & Sũmarium, quia non ea solennitate, qua solenne officium solet, sed obiter quasi in transcursu inter agendum imploratur. Vt si creditor reddat pignus, potest debitor expetere ab eo, ut ipsi repromittat, quòd nullo suo dolo rem pignori ipsi datam deteriorem reddiderit, & si secus quid compertum fuerit, eum actuꝝ cum eo de dolo. l. credit. ff. de pign. act. Hæc annotasse de officio iudicis pro nostro instituto sufficiat. Cęterũm si quis pleniorem cupiat habere huius explicationem, ille uideat Specul. in tit. de iurisd. omn. iud. §. iudicis. Tituli uerò, qui indices exemplorum officij iudicis,

1
2
3
4
5
6
7
8
9

cis,quod principale loco actionis imploratur, esse possunt, nulli sunt præter duos, ff.

De uarijs & extraordinarijs cognitionib. De extraordinarijs criminib.

DE CESSIONE ACTIONUM. Caput LXX.

SVMMARIVM.

1. Agendi iura alienari posse. 2. Cedere actionem quis dicatur. 3. Quando & quib. cedere actionẽ non liceat. 4. Simulata & insidiosa cessio quando præsuma 5. Cessionarius per cessionem omne ius acquirit, quod habuit autor suus. (tur. 6. Personale priuilegium non transit ad cessionarium. 7. Beneficium personale personã non egreditur. 8. Ex uenditione nominis tenetur uenditor. 9. Cõtractus iure agendi trãsferri posse. 10. Actiones abíq; cessione nõ acquiri. 11. Cessio actionum ex quibus causis fiat. 12. An actiones ex delicto cedi possint. 13. Iniuriarum actionem cedi posse.

1 VT discentes admonerentur, Iura agendi alienari posse, sicut cæteras res iustis causis acquisitas, non potui intermittere, quin obiter adijcerem tractatui Actionum ea, quæ de earum cessione iure Romano traduntur. Dicitur autem cedere Actionem, qui ius suum, quod illi in alterius personam, aut rem legitima ex causa competit, in alium transfert. Nam cedi possunt tam personales, quãm Reales actiones. l. final. C. de hæred. uel actio. uend. Ac ceduntur quidem Actiones, uel ex mera liberalitate animo donandi, uel ex causa interueniente, qua res per uarias uices in hominum commercia ueniunt, non tamen quælibet cessio Actionis ualet, ita ut ex ea tanquãm ex iure legitimis modis quæsito 3 agi possit. Nam si quis suam Actionem uendat illi, qui propter amplitudinem dignitatis, quam gerit, sit formidabilis ei, contra quem ea Actio ipsi competit, non solũm inefficax est cessio, sed & ius, quod habuit, talis uenditor amittit. Et is, cui illud cedere uoluit, officio iudicis extra ordinem punitur. l. ij. & fin. C. ne lice. poten. patron. litigan. præsta. & act. &c. Nec firmior est cessio actionis, quæ fit iudicij mutandi causa. Nam eo studio actionem transferens in alium, ut is, qui ea conueniri potest, in duriore sit conditione, ratione fori, tanti tenetur, quanti conuentus sua interesse probare potest, causam non esse ad aliud iudicium translatam, iuxta titul. ff. C. & in Decretalib. de alien. iudi. mut. causa fact. Deinde non ualet cessio actionis, quæ iam cœpta est in iudicio urgeri, quia enim talis actionis ius in certamen deductum est, non magis quàm cæteræ res litigiosæ illud alienari potest. l. censemus. C. de litigiosis. Postremò non est efficax ad agendum, actionis cessio, quæ captato-
4 rie, aut insidiosè simulata est. Præsumitur autem simulata, quoties minori precio quæsita cernitur, quãm ut ueri simile esse possit eum, qui uendidit, uel cessit actionem, propter tantillam pecuniam carituram emolumento, quod ex actione sperare poterat. Item præsumitur simulata, cũm causa cessionis in instrumenti principio non est expressa, aut dissimilitudo causarum, propter quas ea facta esse contenditur, captionem quandam arguit, ut si dicatur cessio facta partim ex causa emptionis, partim ex causa donationis. Nam isto casu & similibus non potest omne id peti, quod continet Actio, sed solũm, quantum datum est. Et ita cedens Actionem, Iure suo priuatur, iuxta l.
5 penultim. & ultim. C. mandati. Quando nihil tale in cessione apparet, ex ea consequimur utile ius agendi, quod is habuit, qui eam nobis ex iusta aliqua causa fecit, ut si quis uendat, uel leget alicui nomen suum, uniuersam obligationem eius nominis uendidisse, & legasse adeõ censetur, ut non modò conuenire principalem debitorem, sed & eius fideiussores conuenire, pignora, usuras, & omne Ius, quod autori suo ex ea causa competebat, aut

quod post factam cessionẽ ex ea causa acquisiuit, persequi possit, nisi fortẽ aliud inter eos actum, ex conuentionis, aut legati uerbis constet. l. emptori. & l. uenditor actionis. ff. de hæred. uel act. uendit. & de leg. iij. l. non debitoris.

Personale tamen priuilegium, si quid in ea obligatione, quæ in alium per cessionem actionis translata est, cedens habuit, non iudicatur transijsse ad cessionarium, ut si pupillus uni ex tutoribus suis cogat̃ cedere actiones, quę illi aduersus reliquos suos tutores competunt, propterea quòd is, qui in solidum illi cõdemnatus sit, postq̃ illum solũm præ cæteris conuenerat, tum etsi condemnatus tutor habeat ius agendi cum contutoribus. ut damnum in reb. pupilli datũ, quisq̃ pro portione cõmuniter ab illis gestæ tutelæ præstet ipsi, sicut oportuisset illos pupillo istud præstare, nisi unum pro reliquis elegisset, quẽ pro iure suo in solidum loco omnium conueniret, tamẽ hoc beneficio iuris nõ gaudet, ut in bonis contutorum suorum præferatur cæteris eorum creditoribus. Nam isto beneficio personæ pupilli, non causæ succurritur. l. ex pluribus. ff. de admi. & periculo tut. 6 7 Præterea ex uenditione nominis tenetur quoq; ipse uenditor præstare, quòd debitor eius, nec exceptione se tueri potest, quò minus soluat uenditi debiti summam is, quam dixit sibi deberi. Nam si nihil, aut minorem summam illi debeat, quãm indicauit emptori, tenetur illi ad interesse. l. si nomen. & l. & quidem. ff. de hæred. uel act. uend. 8

Porrò quod de uenditione actionum dictum est, idem accipi debet de alijs contractibus tum nominatis, tum innominatis. Nam & illos iure agendi transferri posse non est dubium. 9 Verũm quæri solet, an ex alijs contractibus ius agendi ex sola conuentione transferatur in contrahentem absque cessione per solennem stipulationem facta, sicut fit, cũm uendita est Actio, & alijs quibusdam casibus, qui notantur in l. secunda. & gloss. l. i. ibidemq̃ à Bart. C. de act. & obligat. Atque hoc quidem Bart. in eo loco obseruandum dicit, quòd si eius, cum quo contractum est, copia non sit, puta quia mortuus, aut absens est, posse illi, qui cum illo de cessione actionis quocunque contractu conuenit, absque cessione experiri. Si uerò eius copia haberi possit, & cessionem ritè faciat, tum post illos casus, quibus absq̃ cessione iura agendi transferuntur, neque ex contractu nominato, neque innominato nos absque facta cessione actionis utiliter agere posse. Sicut enim res corporales non acquiruntur absq̃ traditione, ita nec actiones absque cessione. l. fin. C. quando Fiscus, aut pri. debi. 10 Cæterũm cessio actionum sæpe fit non solũm quia ex causa conuentionis, uel ex alio aliquo titulo rerum acquirendarum ea nobis deberi cœpit, sed & quia leges in plerisq̃ casibus ex æquitate eam fieri iubent, ut si creditor pignus nomine debiti ipsi datum uendat alicui, & illud postea euincat̃. l. in creditore. ff. de euict. iubetur illi cedere actionem pignoratitiam contrariam, qua petit suppleri, quòd pignori defuisse compertum est. Atque ita quoque imploratio officij iudicis cedi in quibusdam casibus iubetur, ut si minor xxv. annis absque mandato gerit aliena negotia cum aliquo dispendio eius, cuius sunt negotia, potest ipse petere se restitui per implorationem officij iudicis, sed si nolit illud facere conuentus actione negotiorum gestorum, cogitur cedere auxilio restitutionis, & eum, cuius negotia gesit, Procuratorem in rem suam facere, ut possit damnum, quod ex minore sentit, sarciri. l. quod minor. ff. de minoribus. in princip. 11 Itaque posset hæc cessio, quæ fit ll. iubentibus, ita ab illis, quæ fiunt ex conuentionis obligatione, distingui, quòd illæ sunt uoluntariæ cessiones, hæ uerò necessariæ. Non autem dubium est, obligationum iura ultrò citrõque posse cedi, ut ex illis agere liceat. An aũt actiones, quę ex delicto cõpetunt, ita cedi possent, fortasis aliquis quęret, & uidentur quidem citra controuersiam cedi posse, cũm l. fin. C. de hæredi. & act. uend. uelit ideò actiones Personales & Reales cedi posse, quia actionis uerbo communiter omnes actiones comprehendantur. 12 Neque uideo quidem

in ea

in ea re à quopiam dubitatum esse. De Actione iniuriarum tamen nonnihil hæsitare glos. circa eandem l. uidetur. Sed Cynus ibidem & Bart. circa l. iniuriarum. ff. de iniur. & fam. statuunt, non eam antequām in iudicium deducta sit, cedi posse, & referunt argumenta in speciem pugnantia. Referri huc possunt tituli: ff.

De hæreditate, uel Actione uenditi. De alienat. iud. mut. causa facta. Cod.

De hæreditate, uel Actione uenditi.

Ne liceat potent. litigantibus patro. præst. uel actiones in se transferre. Decret.

De alienatione mutandi iudicij causa facta.

DE EXCEPTIONIBVS.

Caput LXXI.

SVMMARIVM.

1. Exceptio quid generaliter dicatur. 2. Duo exceptionū genera, facti & iuris.
3. Inficiatio facti. 4. Exceptio intentionis quæ dicatur.
5. Depulsionem intentionis quid Cicero uocet.
6. Differentia inter exceptiones iuris & facti quæ sit.
7. Exceptiones facti opponuntur illis, quibus non competit actio.
8. Exceptiones iuris opponuntur illis, qui habent ius petendi in iudicio.
9. Depulsiones excludunt actiones. 10. Specialis exceptio.
11. Exceptiones aliæ ordinariæ, aliæ extraordinariæ.
12. Iure institutionis petere hæreditatem. 13. Iura in factum scripta.
14. Alea ludere in domo uerberati. 15. Iniuria inter aleam exercentes.
16. Qui habet actionem, multò magis exceptionem habebit.
17. Fœnerator Athletā custodiens. 18. Reiectiones personarum in cōperentium.
19. Emergentes exceptiones, incidētes, priuilegia, Velleianū. 20. Exceptio doli.
21. Dolo facit, qui petit quod redditurus est. 22. Exceptio metus.
23. Exceptio erroris. 24. Ignorantia facti & iuris excusat.
25. Exceptio non numeratæ pecuniæ.
26. De syngrapha & apocha, von handschrifften vnd quittantzen.
27. Denunciatio non numeratæ pecuniæ qualiter fiat.
28. Dotis non numeratæ exceptio. 29. Exceptio pacti de non petendo.
30. Pacta cōuenta seruanda. 31. Obligationes contrarijs conuentionib. nō tolli.
32. Renunciatio similis pacto de nō petendo. 33. Exceptio rei uenditę & traditę.
34. Venditio quando rescindatur. 35. Exceptio rei litigiosę.
36. Exceptio rei iudicatæ. 37. Res iudicata quæ dicatur. 38. In quibus & quando habeat locum exceptio rei iudicatę. 39. Eadem res quando petatur.
40. Nauem petens, an postea tabulas quoq; petere possit. 41. Hæres defuncti personam gerere censetur. 42. Potestas personæ in personam.
43. Exceptio iudicati. 44. Dominiū rem nostrā facere. 45. Titulo aditus iuris fit ad consequendū dominium. 46. De iudicati præiudicio. 47. De exceptione iurisiurandi. 48. De exceptionum differentijs, peremptoriarum, dilatoriarum & declinatoriarum. 49. Exceptionū quædā perpetuę, quędā tempora
50. De præscriptione exceptionū. (les.
51. Tempus utile & nō continuū esse obseruandū. 52. De accessionib. possessionū.
53. Exceptiones reales & personales quæ dicantur. 54. De exceptione cessionis
55. Mariti fideiuss. nomine dotis conuentus condemnatur in solidū. (bonorum.
56. Beneficium mariti, quod facere potest. 57. Processus iuris, est quædam collectio rituum & temporum in iudicio obseruandorum.

1 2 3 IC VT Actionis, ita & exceptionis uerbum generale & speciale est. Generali appellatione exceptio dicitur omnis defensio, qua conuentus agentem in iudicio à se depellit. Et hac significatione accepta Exceptione, duo sunt exceptionum genera, facti uidelicet, & iuris. Nam in iudicio conuenti nos tuemur, aut nuda facti, quod nobis imputatur, in ficiatione, aut iuris in facto, quod fatemur,

allegatione, ut si quis dicat se credidisse Titio centũ, & petat ã iudice eum co gi, ut ea sibi reddat. Titius uerò negat sibi centum credita, facti se exceptione tueri dicitur. Et quia is, contra quem ita excipitur, etiam ab eo fundamento depellitur, ex quo actionem ducere nititur, Azo contendit exceptionem fa- 4
cti commodiore appellatione dici posse, exceptionem intentionis. Neque re prehendi quidem eius diligentia in delegendis uocabulis, quibus res magis appositè exprimantur, potest. Nam & Cicero exceptionem, qua factum ne- 5
gatur, quod factum dicitur, depulsionem intentionis uocat. Ac siquis accuratè inter se conferat exceptiones iuris & facti, intelliget exceptiones facti ratione & usu significantius exprimi, si dicantur exceptiones intẽtionis. Quippe hæc est harum ab illis potissima differentia, q̃ his remouetur id, propter 6
quod quis petere illud ab aliquo sibi licere intendit. Illis uerõ ipsa petitio, quæ etsi ratione facti, quod interuenit, non sit temeraria, tamen ratione iuris, quod sibi contra eam competere contendit, tanquãm indebita reiicitur. Vt si quis nomine legati Titium conueniat, & is neget illi quicquam esse relictum in testamento testatoris, à quo ipse institutus sit hæres, depellitur ab intentio ne, qua cogitat sibi deberi à Titio legatum, sed dicat illud sub cõditione, quæ nondum extiterit, esse relictum, aut testatorem illud reuocasse, reiicitur peti- 7
tio legati, quod uisum est deberi. Hinc est quòd recentiores iureconsulti ita distinguant exceptiones, ut dicant exceptiones facti opponi illis, quibus non competat actio, sed de facto tantũm agant, hoc est, factum commemorent, un de illis ius agendi existere non possit. Exceptiones uerò iuris opponi illis, 8
qui habeant actionem, hoc est, ius petendi aliquid in iudicio, sed remouean- tur ab agendo allegatione iuris ipsorum, quomõ ipsorum ius aut penitus tol latur, aut conatus eorum agendi, ex eo iure aliquandiu remoretur, iuxta glo. l. qui se debere. ff. de condiction. causa data, causa non secuta. circa uerbum exceptionem, in fin. & gloss. l. ij. ff. de exceptio. circa uerbum, intentionem. Hæc de generali appellatione & diuisione exceptionis. Speciali exceptio- 9
num appellatione eæ solũm depulsiones, uocantur exceptiones, quibus actio- 10
nes excluduntur. l. ij. de except. Itaque diuisio exceptionum, qua alia dicitur esse facti, alia iuris non habet locum inter exceptiones speciali appellatio- ne acceptas. Nam hæ omnes meritõ inter exceptiones iuris referuntur. Quia allegatione iuris, agentes depellunt. Proinde uidendum est, num quæ aliæ sint harum differentiæ, quibus inter se discernantur. Atque ut in tanta di 11
uersitate & multitudine harum exceptionum, aliqua iniri ratio possit, & men te concipi, quousque se extendat earum ambitus, alias dicimus Ordinarias, alias Extraordinarias esse.

Ordinarias uocamus modos acquirendi, & amittendi iuris certa appellatio ne proditi, ut si quis iure institutionis petat hæreditatem, & is, qui eam tenet, 12
opponat, testamentum non esse ritè conditum, aut ruptum, ijs modis, quos de successione ex testamento suprã annotauimus, iure ab agendo depellitur.

Extraordinarias autem Exceptiones uocamus iura, quæ cũm in factum 13
scripta sint, & fieri aliquid iubeant, uel prohibeant, tamen quia istud factum non cadit in aliquod speciale nomen Iuris, non possunt ea certa appellatio- ne Iuris produci, sed manent in generali appellatione facti, in quod scripta sunt. Itaque tales Exceptiones dici possunt, Exceptiones in factum, ut si quis 14
cùm in eius ædibus alea luderetur, uerberatus sit, habet quidem causam a- gendi de iniuria, sed propterea quòd passus est in sua domo aleam exerceri, non auditur, iuxta l. i. ff. de aleat. Atque id quidem fit, non quõd hoc sit or- 15
dinarium Ius, ut iniuria inter aleam exercentes committi non possit, sed quòd hoc ll. in istud factum extra ordinem iuris committendæ iniuriæ prodi tum est. Idem iudicandum est de alijs factorum speciebus, quæ in certam formam Iuris non cadunt. Quodcunque enim factum præbet causam 16
agendi,

agendi, illud multò magis præbet causam excipiendi, argumento l. iij. C. de Condict. indeb. & l. inuitus. §. cui. ff. de regul. iur. Itaque in perquirendis Exceptionibus animus ad omnes eas causas conuertendus est, ex quibus Actiones uel Ordinarias uel Subsidiarias nasci, uel dari docuimus. Nam sicut ad subsidiarias Actiones deficientibus ordinarijs, decurritur, ita subsidiariarum Actionum ius, in subsidium Exceptionum deducitur, cùm ordinario iure agendi nos destituimur, iuxta l. quoties. ff. de præscript. uerb.

Itaque ad extremum etiam iudicis officium implorari facta commemoratione facti, non est dubium, Cuius rei exemplum præbet l. fin. §. si fœnera-
17 tor. ff. de eo quod metus causa. Nam ibi dicitur, quòd si fœnerator inciuiliter custodiendo Athletam debitori, nolit eum dimittere, nisi caueat illi de soluendo aliquid ultra quantitatem debiti, iuuandum eum esse per Iudicem, ne ultra quàm æquum sit, ob extortam cautionem à fœneratore oneretur. Atque id non potest uideri iuberi ratione metus, propter quem datur etiam Actio. Nã illum talem esse necesse est, ut contineat periculum corporis, qualem intulisse fœneratorem Athletæ dici non potest. Satis igitur manifestum est, subsidium iudicis in hoc casu, & similibus, ad defensionem non iure exceptionis cõ petentis aduersus agentem, sed peti, ut iudex pro sua æquitate læsum sua facilitate adiuuet.

Porrò non solũm ex istis formis iuris, quæ præbent, aut tollunt causas a-
18 gendi, Exceptiones depromuntur, sed & obseruationes Iudiciorum, ut sunt reiectiones personarum Iudicis, Actoris, Testium, Procuratorum, cùm eas incompetentes, illegitimas esse, & suspectas ostendimus. Item temporum, in Citationibus, productione testium, appellationibus, & alijs iudiciorum tractationibus obseruari solent, de quibus abundè dicemus in ea parte, qua de
19 iudicijs acturi sumus. Bartolus autem circa l. de qua re. ff. de iudicijs, Exceptiones, quæ ex processu Iudiciario oriuntur, ita distinguit ab exceptionibus, quæ ex causis Actionum gignendarum & extinguendarum sumuntur, ut illas dicat esse emergentes, nimirũ quia in ipsa controuersia non hæreant, sed intra eius agitationem in iudicio existant: Has uerò incidentes, propterea, q̃ cum causa gignant. Ad hæc præbent & ipsa priuilegia quasdam Exceptiones illis, quibus beneficij loco contra ius commune concessa sunt, ut est Velleianum, & alia multa, de quibus infrã de priuilegijs, & beneficijs iuris. Sed præter has omnes exceptiones, quæ ex diuersis formis iurium pro ratione & diuersitate casuum petuntur, specialiter quædam, ut est Exceptio Doli, Metus, Erroris, non numeratæ pecuniæ, Pacti de non petendo, Rei uenditæ & traditæ, Litigiosæ, Iudicatæ, iurisiurandi, iure Romano annotatæ sunt Exceptiones. At quia præ cæteris Ius Exceptionum in illis non magis eminet, aut quia circumspectius illis utendum est, ut prosit earum uim, & usum esse explicatum. Nam hoc sanè dici non potest, quòd suis locis relinqui earum, sicut cæterarum, tractatio non possit. Etenim si ita uisum fuisset Pandectarum contextoribus, potuisset tractatio Exceptionum de dolo, & metu, referri sub titulos, quibus de Actionibus, quæ ijsdem causis dantur, agitur. Nam eadem ex causa proditas esse has exceptiones, qua proditæ sunt eiusdem notæ actiones, testatur l. i. de exception. doli. Idem ostenderem fieri posse cum reliquis specialiter explicatis exceptionibus. Verũm quia placuit maioribus, ut de his separatim ageretur, nos quoque de illis pauca dicemus. Nam ll. Titulorum, quibus de his Exceptionibus agitur, sunt plenissi-
20 mæ. Vt igitur ab ea exceptione incipiamus, quæ inter has est generalissima, obseruandum erit, doli Exceptionem, non in eos solos casus competere, quibus actio de dolo competit, uerumetiam in multis alijs. Nam Exceptio doli competit contra omnes illos, qui à nobis petunt, quod quoque Exceptione eludi potest.

Dolo

Dolo enim facere uidetur, qui petit, quod redditurus est. l. ij. & l. generaliter, 21
& l. dolo. ff. de Except. Itaque & olim Exceptione doli Romanos usos esse ad
uersum eos, qui incusso metu quibusdam aliquid extorsissent, ut illis per stipu
lationem donarent, aut uenderent, cum illud peterent sibi tradi, ostendit l. a-
pud Celsum. §. pecul. ff. de Exceptio. doli. Sed eadem lex postea indicat u-
tilius uisum esse, ut de metu peculiaris esset Exceptio, quia dolus illi solum
rectè obijciatur, qui ipse machinatus sit dolum inimi quàm petat præstari.

Metum uerò obijci placitum esse, à quocunque metus causa aliquid sit 22
in ea re, quæ petatur, factum. In quibus autem casibus & contra quos Ex-
ceptio doli præterea competat, explicant text. & gloss. l. ij. ff. de doli Except.

Erroris Exceptio ita cum Exceptione doli concurrit, ut si quis alicui stipu- 23
lanti promittat se soluturum decem, quæ credit ipsum Procuratori, aut fi-
lio suo mutuo dedisse, cum non dederit, is ex obligatione talis promissi con-
uentus, possit uel Exceptionem Doli, uel Erroris illi opponere, iuxta gloss. §.
uerbi gratia. in fin. Institut. de Except. Sed uidentur & illi posse erroris Ex-
ceptione se tueri, qui eius rei incusantur, quam nesciuerunt iure ciuili prohi-
bitam. Non enim facti solum ignorantia, sed & iuris ciuilis ad effugiendum 24
damnum excusat, iuxta Ioan. Andr. c. ignorantia. Ext. de regul. iur. in Mer-
curialibus. Itaque sentiendum est erroris Exceptionem competere in ijs casi
bus, in quibus ignorantia facti aut iuris nobis non noceat. Neque uerò pos-
sunt isti casus magis compendiosè annotari, quàm gloss. circa l. regula. ff. de
iur. & fact. igno. Quare ne, quod est in Prouerbio, Penelopes telam retexe-
re uidear, discentes ad eum locum remitto, hoc solum addens, quòd exceptio
Beneficia iuris. nes Doli, Metus, & Erroris, dentur ex mera benignitate iuris, ut sicut A-
ctiones, quæ ex ijsdem causis dantur, inter beneficia iuris collocari possunt.
Nam sicut per Actionē de dolo & quod metus causa restituuntur, qui alieno
dolo uel impetu circumuenti sunt, ex iuris clementia, ita & ex iusta causa ig-
norantiæ restitutionem petere possumus, iuxta Bartol. circa leg. si falso. ff.
quod fal. Tut. auct. gest. Vnde quisque ex ulcisitudine Actionum & Ex-
ceptionum, quæ ex ijsdem causis oriuntur, facilē colliget, multò magis Exce-
ptionem erroris ex benignitate Iuris concedi. Dantur autem & aliæ quæ-
dam Exceptiones inter eas, quas seperatim in iure Romano tractari dixi-
mus, & ex æquitate naturali, ut est Exceptio non numeratæ pecuniæ. Nam 25
si quis alicui det συγγραφήν, qua promittit se redditurum decem, quæ ab eo ac- 26
ceperit ex aliqua causa, aut Apocham, qua testetur se accepisse ab aliquo debi
tum spe futuræ numerationis, aut solutionis: teneri quidem eum obligatio-
ne ciuili, ut soluat quod promisit, & ut nō petat, quod se accepisse scripsit, non
est dubium. Verùm quia ratio dictat, iniquum esse, eum teneri ad redden-
dum, quod non acceperit, aut ad liberandum debitorem, à quo debitum non
sit solutum, propter nudum Syngraphæ, aut Apochæ testimonium, ita suc-
currendum legibus constitutum est, ut si debitor scripserit sibi numeratam
pecuniam, cum non sit, ei præiudicet scriptum, nisi intra biennium Exceptio
nem non numeratæ pecuniæ opposuerit. l. in contractibus. C. de non nu-
merata pecunia. Si uerò creditor scripserit, sibi solutam pecuniam, aut Syn-
grapham cancellauerit, uel eam debitori reddiderit, spe futuræ numeratio-
nis, antequàm solueretur debitum, præiudicaturum eum sibi, nisi intra spa-
cium triginta dierum Exceptionem non numeratæ pecuniæ opponat. d. l.
in Contractibus. §. super cæteris. Atque hisce temporibus opponendæ Ex
ceptionis non numeratæ pecuniæ, leges, nec sacramenti religionem obsiste-
re uolunt, quō minus opponi possit. Nam ut maximè quis spe futuræ nume-
rationis literis suis facta mentione iurisiurandi professus sit, se acceptum red-
diturum, tamen quia illud tacita hac condictione feciſſe uidetur, ut staret pro
missis, si numeratum esset, non secuta numeratione obligationem iura-

menti

menti non extitisse, palàm est. l. ultim. & ibi gloss. C. de non numerata pecunia. Opponitur autem hæc Exceptio literarum obligationi duobus modis.

Primò, sicut quælibet alia Exceptio iuris ad excludendam Actionem, quæ nobis ex obligatione literarum nostrarum intenditur. l. si quasi. C. de non num. pecun.

Secundò, per denominationem literarum, quæ fit, aut illi, qui nobis numerasse, uel soluisse scriptus est, aut iudici uel Episcopo loci, ubi est factus Contractus, iuxta l. in Contractibus. §. in omne. C. de non numer. pecunia. Hanc
27 autem denunciationem non numeratæ pecuniæ, in hunc casum necesse est fieri, ut si is, qui scriptus est nobis numerasse, cùm non numerarit, cessat nos impetere Actione, elapso biennio non priuemur hac exceptione. Ne enim id fiat, denũciatione præscriptio huius exceptionis interrumpẽda est. Neque uerò cogitandum est, quòd hæc Exceptio solùm locum habeat, quando de pecunia signata actum est. Nam pecuniæ nomine omnes res, tam soli, quàm mobiles continentur. l. pecuniæ. ff. de uerb. signifi. Itaque quamcunq; rem scripsimus nos accepisse, locum habet hæc exceptio, si ea data non sit. Sed refert ex qua causa scripserit quis, sibi aliquid datum. Nam ex mutui quidem data cautione, illi qui dedit eam, competit hæc exceptio contra eum, in quem cautio est exposita, ita uidelicet, ut si ex ea conueniatur, ut biennium nondum sit elapsum, liceat eam illi opponere, & Actor cogatur, numerationem factam esse, probare. l. aduersus. C. de non numer. pecun.

Ex alia uerò causa, si quis scripserit se accepisse quippiam ab aliquo, cogitur stare suæ confessioni, quam scripto fecisse comprehenditur, nisi euidentissimis probationibus in scriptis habitis ostendere paratus sit, sibi non esse exhibitum id, quod spe futuræ numerationis se accepisse, aut redditurum scripse
28 rit, l. cùm de indebito. §. ultim. ff. de probat. Tamen qui scripserit se dotem accepisse, quæ illi non est soluta, hoc iure utitur, ut si matrimonium minus biennio durarit, detur ad annum temporis spacium. Soluto uerò matrimonio post q̃ durauit biennio, ita tamen ut non diutius, quàm per decennium illud constiterit, datur ei Exceptio trium mensium spacium. At si durauit matrimonium ultra decennium, non iuuatur hac exceptione, nisi minorem se uiginti quinque annis fuisse, cùm contraheret nuptias, probauerit. Nam isto casu habet duodecim annos inde usque à contractis nuptijs computando, quibus hanc exceptionem opponat, ac si fortè moriatur priusquã hanc opponeret, datur hęc eius hęredi per annũ, si hæres sit maior uiginti quinq; annis, si minor, datur per biennium, iuxta totum titulum de dote cau. non numer. & Auth. de temp. non solut. pecun. super dote. Datur quoque exceptio non numeratæ pecuniæ in casum, quo quis scripserit se aliquam pecuniam accepisse à quopiam, ut suas ædes ei traderet in pignus crediti, si ea pecunia non sit numerata. C. si pignoris conuentio, num. ser. non sit.

29 Depelluntur & illi ab agendo, qui pacti sunt se nõ petituros, quod ipsis ex legitima aliqua causa debetur. Nam cùm exceptio detur ex æquitate, iuxta
30 glo. l. qui æquitate. ff. de doli mali Except. nec quicq; magis æquum sit, quàm pacta conuenta seruari, palãm est etiam nudum pactum de non petendo habere Exceptionis uim, si causa, ex qua nobiscum agitur, talis sit, ut ipso iure sublata per istud pactum dici non possit, quales sunt omnes legitimę conuentiones, quę non ex solo iure gentium, siue æquitate naturali, sed & iure positiuo subsistunt. Nam & si contra eas interpositum sit pactum de non petendo eo,
31 quod nobis ex earum obligatione debetur, tamen quia obligationes penitus non tolluntur contrarijs conuentionib. nisi factæ sint ijsdem formis, quibus illæ sunt initæ, quarum obligationes tollere debent, necesse est pacti exceptione apud iudicem elidi, quod reliquũ de obligatione mansit propter imbecilli

tatem pacti, quod interuenit contra primã obligationem. Vt quod illi deest, in tollenda obligatione iudicis cognitione, & autoritate suppleatur. Exempli gratia, Meuius stipulatus est ã Titio centum, quæ promisit se illi daturum pro fundo, quem ab eo emit, postea Meuius uenditor fundi, nudo pacto pollicetur, se ista centum ab eo non petiturum, quod pactum, quia solũm naturalem gignit obligationem, non potest absque ope Exceptionis, hoc est, ipso iure, & sine facto hominis tollere obligationem ex stipulatione natam, quia ea non solũm naturalis, sed & ciuilis est. Itaque si Meuius ex obligatione ciuili, quæ per ipsum pactum non est extincta, & Ius agendi illi præbet, propterea quòd naturali obligatione ante istud pactum uincta fuerit, ã Titio ista centum petat apposita Exceptione pacti de non petendo, tollitur ciuilis obligatio, quæ ex stipulatione apud Meuium mansit demum interueniente iudicis cognitione. Atque ita quoque pactum de non petendo, non tollit ius petendæ hæreditatis, aut alterius Actionis Realis, sed impedit tamen eas, ut non sortiantur effectum, si per exceptionem opposita sit iuxta Bartol. in l. si unus. §. pactus repeteret. ff. de pactis. Vbi & reliqui dd. uim pactorum in tollendis obligationibus & actionibus explicant. Et nos de hac exceptione diximus suprã in tractatu de obligat. Vbi egimus de effectu obligationum, in cap. De obligat. earumqũe differentijs, & in cap. Quibus modis tolluntur obligationes. Similis pacto de non petendo, uidetur renunciatio, qua liti, aut iuri, aut causæ renunciatum est. Nam & eum, qui iuri sibi competenti renunciat, pacisci se non petiturum, quod ipsi debetur, non est obscurum. Neq; solũm iuri agendi, sed excipiendi, appellandi, & omnino omni iuri, quod priuatæ & non principaliter publicæ utilitatis causa proditum est, renunciare liceat. 32

Renunciatio

Itaque possunt multæ species renunciationis hic annotari. Verũm nos de ea solũm loquimur renunciatione, quæ loco Exceptionis contra Actionẽ alicui competentem opponi possit, sicut alia pacta liberatoria, quæ omnia referri propter similitudinẽ ad tractatum exceptionum de non petendo possunt. Quæ uerò renunciatio præbeat exceptionem, & qualem, indicat Bartolus circa l. postquãm. ff. de pactis. Neque mouere quempiam debet, quòd Bartol. ibi dicit, renunciationem iuris & causæ parere exceptionem doli, ut cogitet renunciationis exceptionẽ non posse inter exceptiones, quæ ex pactis liberatorijs oriuntur, poni. Nam exceptio doli ideò ex facta renũcia tione competit, quia ea datur contra omnes eos, qui petunt, quod qualibet exceptione recusari illis possit, iuxta legem ij. §. & generaliter. ff. de doli ma li except. Proinde Bartolus quoque in loco allegato dicit, pacti simul & doli exceptionem ex renunciatione competere. Rei uenditæ & traditæ excepti- 33 one utimur contra eum, qui uendicare conatur rem, quam nobis uendidit, si eius possessionẽ absque uitio nostro nacti fuerimus. Ac eam quidem obtine mus ope huius exceptionis contra uenditorẽ, eiusq; hęredes, siue fuerit domi nus rei, siue non, cũm eam ipse, aut alius eius mandato nobis uenderet, nisi ali qua iusta interuenerit causa, propter quam aut non extitisse, aut rescindi pos 34 se uenditio uideatur, ut si res uendita sit, quam leges prohibeant alienari, aut hac lege quid uenditum sit, ut si statuto tempore precium non soluatur, res inempta habeatur. Nam in talibus & similibus casibus per replicationem Exceptio uenditionis eliditur, iuxta totum titulum ff. de Except. rei uen dit. & tradit.

Et isto modo opponi potest exceptio rei litigiosæ, si is, qui eam emit, cõten 35 dat, se non teneri ad restituendam eam domino petenti, quia ea illi uendita & tradita est. Nam si dominus rei rursum illi obijciat, rem fuisse litigiosam, cùm illi uenderet, nõ potest se tueri Exceptione rei uenditæ, quia res litigiosa pro hibita est ll. alienari. ff. C. & Authentico de litigiosis. Dicitur autem res litigiosa, de

giosa, de qua mota est apud iudicem controuersia eius possessori, ita ut non ignoret eius possessor, eam rem iudiciaria conuentione ab eo peti. Auth. litigiosa. C. de litigios.

Potest autem eadem hæc Exceptio etiam illi opponi, qui postquām litigiosam emit, aliquo casu eius possessione amissa, eam repetere conatur. Nam nec ille uenditionis iure se eam acquisiuisse dicere potest, cūm alienare eam non potuerit.

Atque hæ quidem ōmnes Exceptiones, de quibus hactenus tanquām spe-
36 cialibus diximus, proditæ sunt ex naturali æquitate. Sed exceptio rei iudicatæ, de qua nunc dicemus, ad conseruandum iuris rigorem prodita est, Exigit ipsa ratio iudiciorum, ut rei iudicatæ autoritas seueriſsimè custodiatur, ne
37 facilè litigantibus sit contrauenire. Res autem iudicata non dicitur sententia iudicantis, sed ipsa res, quæ finem controuersiarum iudicis pronunciatione accepit, quod uel condemnatione, uel absolutione contingit. l. i. ff. de re iudicat.

Itaque quamuis statim postquām lata est in aliqua causa diffinitiua sententia, res iudicata dici possit, iuxta l. litigantibus. C. de appellat. tamen quamprimùm fuerit ab ea appellatum, fingitur nec esse iudicata. Ac proinde nec dici potest sententiam in rem iudicatam transisse, ā qua appellatum est, nisi iudex appellatus eam denuo approbauerit. Si uerò appellatione omissa effluxerit tempus, quo appellari à sententia oportuit, aut pacto renunciatum est appellationi inter litigantes, fingitur non esse appellatum, & sententia ritè lata, in rem iudicatam transit, quia controuersiarum finis per eam causæ impositus est.

Porrō, quæ sententia dici possit ritè lata, ita ut propter personam iudicantis, aut litigatorum, aut propter prauitatem testium, uel Instrumentorum, aut præuaricationem aduocati, aut alias his similes causas non possit rescindi, uel ipso iure pro nullo haberi, non est huius loci, ut declaretur. Quamuis. n. ista tenenda sunt illi, qui bene intelligere uelit, quando sententia dici possit in rem iudicatam transisse, tamen magis oportunè de illis dicetur in c. de iudicijs. Nam rerum series reddet ibi omnia lucidiora. Quippe postquàm ea tradita fuerint, quæ ad legitimam iudiciorum obseruationem requiruntur, ut ritè pronunciatum esse dici possit. Quare hoc loco ea tantūm annotabimus, quæ ueniunt consideranda in quoquo casu, quo uolumus Exceptionem sen-
38 tentiæ, quam non est dubium in rem iudicatam transisse, opponere. Quando uerō sententia transeat in rem iudicatam, in declaratione iudiciorum declarabimus. Sunt autem tria potissimūm, quæ faciunt, ut Exceptio rei iudicatæ locum habeat, nempe ut eadem res posteriori iudicio petatur, quæ priori iudicio petita transierit in rem iudicatam. Deinde, ut inter easdem personas controuertatur, inter quas pronunciatum antea est.

Postremō, ut ex eadem etiam causa agatur, ex qua antea actum est. Nam agentem depelli non posse ab agendo exceptione rei iudicatæ, ubi istorum aliquid non interueniat, manifesti est iuris. l. cùm quæritur. & duabus proxi-
39 mē eam sequentibus. ff. de Exception. rei iudicatæ. Dicitur autem eadem res peti, non solūm cūm eadem species petitur, Verumetiam cūm id, quod ad idem corpus, quod est petitum, pertinet, etsi specie diuersum sit ā corpo-
40 re. Vt si quis, cūm peteret nauem, causa cecíderit, & postea tabulas quasdam, quibus compacta est nauis, petat, rectè submouebitur Exceptione rei iudicatæ. leg. si quis cùm totum. ff. de Exception. rei iudicatæ. Nec tum solūm inter easdem personas reuocatur quæstio, cūm illi ipsi, inter quas de ea quæstione iudicatum est, redeunt ad certamen: Verumetiam cūm ipsorum hære-
41 des eandem litem denuò mouent. Nam hæres defuncti personam gerere, quantum ad iura agendi & defendendi attinet, censetur, quia eiusdem po-

testatis eum esse, cuius defunctus fuit, constat, ex l. hæredem. ff. de regulis Iuris. Idem dici potest de singularibus successoribus. Nam & illi consequuntur iura, quæ ipsorum autores in re legata, donata, uel uendita habuerunt. Itaque si quis in petitione fundi succubuerit, cùm eum peteret à Titio, submouebitur Except. rei iudicatæ, si postea eundem fundum petat à Sempronio, cui Titius illum uendiderit. l. si à te. §. à te. ff. de Exception. rei iudicat. Item 42
ratione potestatis, quam habet persona in personam, aut quam quis ab altero habet in eius rebus curandis ratione mandati, uel societatis, sæpe diuersi eandem personam gerere censentur. l. si mater. §. hoc iure. ff. de Excep. rei iudicatæ.

Ex eadem autem causa agere censemur duobus modis. Primò, cùm 43
causam, quæ in libello expressa est, post latam sententiam, rursum in iudicium deducimus, & hoc casu semper obstat iudicati Exceptio. Secundò, cùm causa in libello non est expressa, sed generali petitione aliquid petitum est, id quod in solis Realibus Actionib. licet. Nam in personalibus necesse est causam exprimi, sicut infrà de formandis & concipiendis libellis dicemus. Isto autem casu, quo indistinctè aliquid petitum est Reali Actione, locum habet Exceptio iudicati contra denuo agentem, postquàm succubuit, quia is, qui generaliter rem petit sibi restitui, quam suam esse dicit, non expressa speciali causa, intelligitur omne suum ius, propter quod istam rem suam esse contendere possit, in iudicium deduxisse. Ac proinde denuo agens submouetur Exceptione iudicati, tanquàm ex eadem causa agens. Nam deberi quidem aliquid nobis ex diuersis causis potest, sed eadem res nostra esse ex diuersis causis nõ potest. l. non ut ex pluribus. ff. de regulis iuris. Solum enim dominium est cau- 44
sa, quæ rem facit nostram. Itaque non expresso iuris titulo, quo nobis factus 45
est aditus ad consequendum dominium, petentes rem ut nostram, uidemur omnes causas comprehendisse, quibus eam rem nostram factam esse putauerimus. l. & an eadem. ff. de Exception. rei iudicatæ. Atque ita tanquàm ex eadem causa agentes excludimur ab agendo, Exceptione rei iudicatæ, si semel succubuerimus, nisi ostendere possimus, ex noua aliqua causa dominium nobis contigisse post illud iudicium, quo antea contra nos pronunciatum est. l. si mater. §. eandem. ff. de Exception. rei iudicatæ. Extra hunc igitur casum, quo aut non eadem res, aut non ab ijsdem personis, aut non ex eadem causa aliquid petitur, iudicatum non præiudicat petenti. Vt si Titius à Sempronio petat fundum, ut suum, & contra eum pronuncietur, quia probare non possit fundum petitum esse suum, postea uerò accidit, ut eundem fundum hæreditario iure consequatur à Meuio, non obest illi, si denuo petat eundem fundum, quia contra Meuiũ, à quo consecutus est fundũ, nihil iudicatum est. l. Modestinus. ff. de except. & præscript. Et occasione huius legis notandum est, quòd non solùm in titul. de except. rei iudicatæ, sed & in tit. de except. agatur de iudicati præiudicio. Nam ideo & mentio fit præiudi- 46
ciorum in Epigraphe eius tituli, quia indicat, quando res inter alios iudicatę, aliis noceant. Rei iudicatæ uicem obtinet iusiurandum, quia is, qui alteri de- 47
fert, ut iuret, se non debere illi, quod ab eo petat, is aduersarium suum iudicem facit. l. i. Quarum rerum Actio non datur. Ac proinde qui ita aduersario suo detulit iuramentum, Exceptione præstiti iuramenti depelli posse ostendunt Tituli, Quarum rerum Actio non datur, sed in eo titulo non solùm de Exceptione iurisiurandi, uerumetiam de pacto, quod onerandæ libertatis causa inter patronum & libertum initum est, & de uenditione, quæ aleæ experiundæ causa inter ludendum facta est, agitur. Vnde satis appareret, quòd contextores Pandectarum isto titulo uoluerunt comprehendere, & quasi generali indice nos remittere ad omnes Exceptiones, quæ ex facto legibus notato aut prohibito colligi possunt. Nam hoc & Epigraphe

generalis

generalis indicat, cũm non de singulis Exceptionibus, sed in uniuersum de omnibus rebus, quarum Actio non detur, agi in eo titulo testetur. Itaque gloss. quoque generalem doctrinam isti titulo præmittere conatur, uidelicet, quòd quædam res tales sint, ut ex illis prorsus nulla nascatur Actio. Quasdam uerò præbere quidem causam agendi, sed non satis efficacem, quasdam præbere efficacem causam, sed talem, quæ infirmetur ex facto postea secuto.

Proinde & nos uolumus esse titulũ hunc generalem loco indicis omnium exceptionum, quę ex facto, unde agi non possit propter autoritatem legum, sumuntur. Tales uerò Exceptiones, quia ex sola autoritate iuris scripti competunt, possunt eæ inter obligationes, quæ ex lege oriuntur, poni, aut inter Exceptiones in factum, quod in ordinariam formam iuris non cadit, referri, ut inter Exceptiones seruetur Methodus causarum, ex quibus tum Actiones, tum Exceptiones nobis producuntur. Atque ita iam habetis indices quærendarum Exceptionum, quibus nos defendere aduersum eos, qui nobis facessere negotium in Iudicio conantur, possumus.

48 Restat ut dicamus de differentijs Exceptionum, quibus earum uis decernitur, & usus ostenditur. Antequãm autem eas annotemus, obseruandum est, quòd sub speciali nomine Exceptionum comprehenduntur etiam Replicationes, Duplicationes, Triplicationes, Quadruplicationes. Nam talibus nominibus distinguuntur potius uices, per quas inter Actorem & Reum profe runtur, & retorquentur Exceptiones, quàm ut peculiares Exceptionum species illis denotarentur. Quare nomina quoque talium Replicationum pro ea uice, qua uel ab Actore, uelã Reo exceptio opponitur, multiplicãtur. l. ij §. Replicationes. ff. de Exception. Pertinent igitur & ad Replicationes differentiæ, quæ inter Exceptiones speciali nomine acceptas notantur. Non autem sub has differentias referendæ sunt Exceptiones facti, quibus agens ab intentione, & non Actione depellitur. Nam differentiæ, quæ notantur inter Exceptiones, solũm illis tribui possunt, quibus Actiones eliduntur. Talium igitur Exceptionum prima habetur differentia, quòd quædam sunt Peremptoriæ, quædam Dilatoriæ. Peremptoriæ dicuntur, quæ appositæ Actionibus intentantis, penitus eas tollunt ac perimunt, cuiusmodi est Exceptio pacti de non petendo in perpetuum. Nam ut maximè is, qui ita pepigit cum debitore suo, petat debitum, tamen ab agendo depellitur, statim ubi apponitur, pactum de non petendo inter eos esse initum. leg. si uariæ. §. pactus ne peteret. ff. de pactis. Idem fit Exceptione Iurisiurandi, doli mali, metus causa, erroris, rei iudicatæ, non numeratæ pecuniæ, aut dotis, & ubicunque allegari potest aliquid factum contra leges, uel S. C. l. ij. in principio. ff. de Except. *Exceptiones peremptoriæ*

Dilatoriæ dicuntur, quæ appositæ Actionibus, eas non tollunt, sed tantũm differunt. Institut. de Exception. §. appellantur. Sunt autem Exceptionum Dilatoriarum duo genera, quædam enim sunt Dilatoriæ solutionis, nempe quæ nobis præbent spacium soluendi, uel præstandi id, quod debemus, Cuiusmodi est Exceptio pacti de non petendo intra tempus, quod non dum effluxit. l. iij. §. i. ff. de Except. Item Exceptio conuentionis conditionalis, si promissum petatur antequàm extitit conditio. Inter has Exceptiones connumerari poterunt solutionum dilationes, quas leges in quibusdam casibus loco beneficij constituerunt, ut quòd maritus non tenetur uxori, aut eius hæredibus soluto matrimonio restituere res dotales, quæ mobiles sunt, intra annuum curriculum temporis. l. un. §. exactio. C. de rei uxor. act. Quædam sunt Declinatoriæ Iudicij, cuiusmodi est exceptio Iudicis incompetentis, & omnino omnes Exceptiones, quæ ex obseruationibus Iudiciorum ratione personarum, aut loci, aut temporis sumuntur. *Dilatoriæ.* *Declinatoriæ fori.*

Perpetuæ. Secunda differentia exceptionum est, quòd quædam sunt perpetuæ, quæ 49
dam temporales. Perpetuæ dicuntur, quæ semper obstant agentibus, hoc est,
quibus non præscribitur, quò minus in qualibet parte iudiciorũ opponi pos-
Temporales sint. Cuiusmodi sunt omnes penẽ Exceptiones Peremptoriæ. E diuerso au-
tem Temporales sunt, quæ in certum tantùm tempus obstant agentibus, id
uerò fit duplici ratione, aut enim obstant agentibus, ne urgere actionem su-
am in iudicio possint, donec res in eum deueniat casum, quo amplius locum
non habeat, sicut fit in omnibus Dilatorijs solutionum & iudiciorum. Nam
quàmdiu dici potest diem solutionis nondum uenisse, uel iudicium non esse
legitimum, Actor impeditur, quò minus agendo pergere possit, donec ista
impedimenta amoueantur. Itaque Dilatoriæ Exceptiones sunt temporales,
quia in perpetuum non obstant agentibus, sed facilẽ euenire potest, ut pro-
pter rerum mutationem locum non habeant, ut conditionalis promissio, peti-
tio est immatura, nisi extiterit conditio, in quam quid promissum est. Et iudi-
cis præsidium frustra imploratur aduersus eum, qui eius iurisdictioni non est
subiectus, nisi eum ut iudicẽ agnoscat, uel porrò eum in loco domicilij conue
niat. Aut obstant Exceptiones temporales agentibus saltem eo tempore, intra
quod à legibus constitutum est, ut opponantur, atque adeò ratione præscri-
ptionis, ut l. in contractibus. C. de non numer. pecun. constitutum est, quòd
si quis intra biennium non opponat Exceptionem non numeratæ pecuniæ,
quam scripserit se accepisse, is porrò non audiatur.

Ad eundem modum constituta sunt tempora proponendis alijs quibus-
dam exceptionibus, sicut uidemus & actionibus constituta esse tempora, qui
bus proponi posse desinant. Ergo sunt quædam Exceptiones temporales, nõ
quia rerum mutatio prohibere potest eas opponi, sed quia illis cõstituta sunt
tempora, intra quæ si non opponantur, porrò non permittatur eas opponi,
ut leges uolunt Dilatorias exceptiones ante litis contestationem opponi,
Peremptorias, uel ante, uel post litis contestationẽ. l. ita demum. C. de proc.
& de except. l. præscriptionem. Itidem sunt alijs multis obseruationibus iudi 50
ciorum sua constituta tempora, intra quæ si non fiant, quæ fieri intra ea per-
missa sunt, præscriptio obstat talia facere molientibus, hinc est, quòd neque
in ff. neque in C. de solis Except. sed de Except. & præscript. simul agatur.
Non enim id fit, ut admoneamur longi, aut longissimi temporis præscriptio-
nem parere exceptionem. (Nam hoc ex eo constat, quòd ea, quæ præbent
causam agendi, multò magis præbeant excipiendi) sed ut sciamus non esse
perpetuam facultatem effugiendorum iudiciorum, ut liceat exceptiones
opponere, aut ã sententia appellare, & quæ sunt alia huiusmodi facere, cũm
nobis libeat. Et quia ea, quæ in iudicio sunt obseruanda, non possunt fieri, ni-
si exerceantur iudicia, in præscriptionibus iudicialium obseruationum tem-
pus utile, & non continuum obseruetur. Itaque ut constet, quod tempus ha 51
beatur utile, aut continuum, peculiaris in eam rem proditus est titul. ff. de di-
uers. & tempor. præscript. quo indicatur, quæ tempora utilia æstimari debe-
ant. Adiectus est huic commentationi tractatus de accessionibus possessio- 52
num, non ob aliam causam, quàm cùm ibi quæratur, quando tempora iudici-
orum nobis præiudicent, simul quoque indicent, quando ea nos in præscri
bendo adiuuent: sed de accessionibus possessionum, sup. de præscrip. longi
tempor. Tertia differentia exceptionum est, quòd quædam sunt Reales,
quædam Personales, quæ ideò obseruanda est, ut sciamus quasdam exceptio
Reales. nes cõpetere & prodesse non solũm principali debitori, sed & accessorijs debi
toribus, ut sunt fideiussores, mandatores. Nam hoc in obseruatione huius dif
ferentiæ spectatur. Etenim Reales exceptiones dicuntur, quæ rebus ipsis 53
ita cohærent, ut diuelli ab illis nõ possint, & ad quemcũq; deuoluatur earum
negotium, illi quoque competat talis exceptio. Itaque Reales exceptiones

sunt

sunt transitoriæ, l. except. quæ. ff. de Except. Vt exceptio de non petendo, rei iudicatæ, doli mali, & quod metus causa factum est, tam principali debitori, quàm eius fideiussori competunt, quia rem ipsam comitatur tanquàm umbra corpus. Personales uerò exceptiones sunt, quæ non transeunt cum rebus ad alios, & ratione personæ, non rei nobis competunt, ut si debitor conuentus desperet tantum esse in suis facultatibus, unde soluere debita posset, licet illi bonis cedere, ne in carcerem conijciat, ac si denuo ab eo exigãtur de
54 bita, potest se tueri exceptione cessionis bonorum, quam fecerit de suis bonis. Verũm ea exceptione non liberatur eius fideiussor. Nam cũm is ideò adhibitus sit, ut si principalis debitor facultatibus labatur, creditor ab eo consequi debitum possit, non permittitur illi, ut præsidio cessionis, quam debitor
55 fecit, effugiat. Instit. de replic. §. ult. Sic si mariti fideiussor soluto matrimo-
56 nio nomine dotis conueniatur, condemnatur ille in solidum, quamuis maritus conuentus hoc beneficio gaudeat, ut non teneatur, nisi in id, quod facere possit. l. except. ff. de except. Proinde studiosi diligenter debent quasque exceptiones ad hanc differentiam exigere, ut iuxta hanc earum usum internoscere possint. Nam huius differentiæ obseruatio aliquid momenti habet in iudicijs, ut quis teneat, quibus exceptionibus Reus principalis, aut eius fideiussor defendi possit, uel nõ. Cęterꝫ quãdo quęlibet exceptio opponi debeat, aut possit in iudicio, indicabimus in c. sequenti, quo de iudicialibus obseruationibus dicturi sumus. Neque enim aliud est processus, ut nunc uocatur iuris, quàm quædam collectio rituum & temporum, quæ in constituendis & exequendis iudicijs obseruari solent.

Personales.

SEQVVNTVR TITVLI huc peculiariter pertinentes.

ff.

De exceptionibus, præscriptionibus & præiudicijs.
De diuersis & Temporalibus præscriptionibus.
De except. rei iudicatæ.
De doli mali & metus exceptione.
De litigiosis.
Quarum rerum actio non datur.
De cessione bonorum.

Cod.

De except. & præscriptionibus.
De litigiosis.

Auth.

De litigiosis.

Instit.

De exceptionibus.
De Replicationibus.

Decr. Sex. Cle.

De exceptionibus.

QVINTA PARS HVIVS METHODI DE DOCTRINA IVRIS CIVILIS, QVAE EST De iudicijs.

PRAEFATIO.

AN IVDICIORVM TRACTATIO homini Christiano conueniat.

SVMMARIVM.

1. Quæstionis solutio, An Christiano homini iudiciorum tractatio conueniat.
2. Locus Pauli explicatur: Qui contempti sunt in ecclesia, eos constituite.
3. Iudex inter personas iudiciales est primo loco.
4. Verbum καθίζετε, quomodo accipiendum sit.
5. Qui dicantur in Ecclesia contempti.
6. Iudices in scriptura dñi appellantur.
7. Aduocatorum & procuratorum functio necessaria.
8. Aduocatorum commendatio. 9. Iudicia Dei sunt.



LOCVS est in Epistola Diui Pauli, 1. ad Corinth. vi. quo id agi prima facie uidetur, quòd tractatio iudiciorum parum digna sit homine Christiano. Nam ut maximè Paulus in eo loco permittat, ut inter Christianos constituantur iudicia, quibus disceptetur de rebus ad hanc uitam necessarijs, tamen iubere uidetur, ut iudicijs præficiantur, qui sint in Ecclesia contempti, sic enim tum ueterũ, tum recentium habet tralatio. Neq; negari potest Græcum uerbum καθίζετε, quo Paulus in eo loco usus est, ita accipi posse, cũm formam imperatiui Modi subeat. At si Paulus uult præfici in iudicijs, qui sunt contempti in Ecclesia, non leue argumentum eius autoritas præbet, quòd fungi officio iudicis non satis deceat Christianum. Neque fuit quidem hic locus surdis auribus, quasi nihil ad nostrum institutum pertinens, nobis prætereundus. Nam si iudicis, qui inter personas, per quas iudicia exercentur, primum tenet locum, tam utilis in Ecclesia haberi debet functio, ut ea contemptis in Ecclesijs mandari debeat, quo loco esse censendi sunt Assessores, Aduocati, Procuratores, & his similes, per quos iudicia tractantur? Imò quid attinet operose inquirere, quomodo iudicia constitui, quibusq; obseruationibus tractari debeant, si usque adeò indigna ea sunt Christianis, ut contemptis in Ecclesia mandanda sint. Certè cũm unusquisque de seipso redditurus sit Deo rationem, ad Rom. xiiij. uidendum est, ne quam functionem suscipiamus, quæ Christiano homine indigna sit. Quare in initio huius tractatus rectè quæritur, an gerere officium iudicis, uel aduocati, in Christiano homine reprehendendum sit. Sed quò minus id sentiamus, mouere nos debet præclara illa uox Iosaphat regis, ij. Paral. xix. ubi exhortatur iudices in Iudæa ad rectè iudicandum, illos monens, quòd non hominis, sed Dei iudicium exerceant. Nam si iudicia publica, Dei sunt iudicia, eorum exercitium non potest Christiano homine esse indignum. Itaque quidam interpretes Pauli ita limitare istum locum conantur, ut dicant, eum ita esse accipiendum, quòd Paulus uelit potius quemuis Christianum constitui inter pios iudicem, q̃ ut apud impios & prophanos iudices litigent. Sed planior erit, & magis cohærebit eius loci oratio, si uerbum καθίζετε non imperatiui, sed indicatiui modi (id quod ratio Grammatica fert) esse dicatur. Et contempti in Ecclesia intelligãtur, non qui inter Christianos infimæ sunt notæ, sed homines, qui à fide Christiana sunt alieni. Atque ita uerborum Pauli hic erit contextus: Angelos iudicabimus, quantò magis ea, quæ ad usum huius uitæ pertinent? & tamen cũ

inter

inter uos seſe offerunt talia negotia, conſtituitis eos iudices, qui contempti
sunt in Eccleſia, hoc eſt, infideles. Quòd autem hoc uoluerit Paulus, manife-
ſtè arguunt uerba ſequentia, cùm inquit: adeò ne eſt inter uos ſapiens, ne u-
nus quidem, qui poſsit dijudicare inter fratrem & fratrem, ſed frater cum ſuo
fratre litigat, idque ſub infidelibus? Quare iſte locus Pauli non poteſt
eò detorqueri, quòd parum deceat Chriſtianum, iudicem, aut Aduocatum
eſſe. Etenim patet, quòd iſte locus ita accipi non poteſt propter præceden-
tia & ſequentia uerba, nec autoritas ſcripturæ patitur, iudicum functionem
6 contemptam haberi inter Chriſtianos, cùm in Pſalmis iudices dij eſſe dican-
7 tur, Pſalm. lxxxi. Neque bonorum Aduocatorum & Procuratorum functio
iure reprehendi poteſt, cùm iure naturæ etiam illis magna debeatur gratia,
8 quòd cauſas perplexas iudici exponunt. Vnde Leo & Antoninus Imperato
res præfecti prætorio Illyrici ſcripſerunt, aduocatos, qui ambigua facta cauſa
rum explicarent, non minus prodeſſe generi humano, quàm ſi prælijs ac uul
neribus patriam, parentesq; ſaluarent. Non enim illos ſolos imperio milita-
re, qui gladijs, clypeis, & thorace nitantur, uerumetiam aduocatos, qui ſua in
duſtria laborantium in iudicio ſpem, uitam, & eorum poſteros ab iniuria de-
9 fendant. l. aduocati. C. de Aduoc. diuerſ. iud. Et quia iudicia, teſtimonio Io-
ſaphat, Dei ſunt, meritò inter miniſtros Dei habentur, quicunque operam ſu
am ad explicationem cauſarum, quæ in iudicijs agitantur, collocant. Hæc, an
teq̃ām iudicialis proceſſus tractatum attingerem, obiter annotare uolui, ut
qui ſe dediturí eſſent huic profeſsioni, ſcirent, ſe non ſolùm bona conſcien-
tia, ſed magna etiam cum laude apud pios & prudentes uiros in rep. hanc ſu-
ſtinere ſe poſſe.

DE IVDICIIS, EORVM-
qũe differentijs. Cap. I.

SVMMARIVM.

1. Iudicium qua ſignificatione hoc loco accipiatur.
2. Iuris proceſſus quid dicatur.
3. Iudicij definitionem per Cardinalem magis recipiendam eſſe.
4. Iudicium eſſe uocabulum ordinis. 5. Ordinaria iudicia quæ ſint.
6. In omnibus Criminalibus requiritur pleniſsima cognitio.
7. Extraordinaria iudicia quæ dicantur.
8. Summaria cognitio quando ſufficiat.
9. Emergens quæſtio circa principalem cauſam.
10. Proceſſus de plano quis dicatur.
11. Iudicium exercere ſine ſtrepitu quid ſit.
12. De plano & ſummatim ueterum loquendi morem eſſe.
13. Moribus antiquis, præſentibus utere uerbis.
14. Abſque figura iudicij quid fieri intelligatur.
15. Par in parem non habet imperium.
16. Iura Canonica in iudicialibus eſſe obſeruanda.
17. Iuris proceſſus imaginem habet Comœdiæ.
18. De ordine iudiciorum.
19. Leges & Canones mutuas operas tradunt in proceſſu.

1 VARIVS eſt uſus uocabuli iudiciorum, id quod pluribus exem-
plis declarat gloſſ. in §. præterea. Inſtit. quibus non eſt permiſſ.
fac. teſt. Sed in tractatu obſeruationum iudicialium ea ſolùm ſi
gnificatione accipitur iudicium, qua dicitur legitimus actus ritè
& ordine perueſtigandi & decidendi cauſas, quæ in controuerſi
2 am apud iudicem productæ ſunt. Vnde & ã recentioribus iureconſultis mo
dus tractandorum iudiciorum iure ſcripto traditus, aut cõſuetudine obſerua
tus, dicitur iuris proceſſus. Nec enim aliud continet, quàm formam quandã

proce-

procedendi in cognoscendis causis forensibus, ne quid temerè, aut præcipitanter à iudice de illis statuatur. Ac proinde definitio Cardinalis, qua dicit, 3
iudicium esse inuestigationem, quam secundum iuris ordinem faciat iudex per uarios modos ad ueritatem eliciẽdam, & elicitam custodiendam, in c. fin. xxx. q. v. magis mihi placet, quàm aliorum, qui dicunt, iudicium esse legitimum actum trium personarum, uidelicet iudicis, Actoris, & Rei, de causa ciuili aut criminali contendentium. Nam talium personarum contentio propriè non est iudicium, aut processus ritè tractandarum litium, sed est nudus conatus expediendæ litis. Quippe qui fieri possit citra legitimam obseruationem rituum iudicialium. Quamuis igitur tales personæ sint, per quas agitetur iudicium, tamen solæ illarum colluctationes non magis constituunt legitimum iudicium, quàm dux cum aliquot cohortibus militum absque ordine consistentium instructa acies dici potest. Nam iudicium pro iudiciali pro 4
cessu acceptum, est uocabulum ordinis, & non significat ipsas lites, quæ in foro apud iudicem inter actorem & reum mouentur, sed modum & ritus, quibus iura aut consuetudo fori exigunt causas proponi, probari, & defendi, ut rectè ac uerè de illis pronunciare ad conseruationem iustitiæ, & tranquillitatis in hac uita, secundum iura diuina atq; humana iudicare possit.

Porrò quia non eadem est perplexitas causarum, aut par periculum de illis iudicandi, nec idem circa omnes obseruatur processus, sed in aliis magis atque aliis, leges custodire uolunt obseruationes iudiciales. Ea uerò diuersitas exercendorum iudiciorum hac distinctione notatur, ut alia iudicia dicantur esse Ordinaria, alia Extraordinaria. Ordinaria sunt, in quibus ea requiruntur, 5
quæ in legitima causarum cognitione obseruari debere infrà in progressu huius tractatus sigillatim & ordine indicabimus. Interim exempli loco sit libelli oblatio, & litis contestatio. Nam ad quarum causarum cognitionem ista requiruntur, ea iudicio ordinario deducuntur, sed neque ordinariorum iudiciorum eadem semper est obseruatio. Nam quarundam causarum, quæ iu- 6
dicio ordinario expediuntur, plenissima requiritur cognitio, ut regulariter in omnibus criminalibus. In illis enim propter periculum acerrima requiritur indagatio, adeò ut leges exigant probationes ipsa luce clariores, priusquàm illis pronuncietur. l. fin. C. de probat. & ad l. Corneliam de fal. l. ult. In quibusdam causis iudicio ordinario expediendis sufficit plena cognitio, ut generaliter in omnibus ciuilibus, quibus plenum præiudicium parit sententiam, ita ut nullus porrò ad eam pateat aditus. leg. iudicis. Cod. de iudicijs, & ibi DD.

Extraordinaria iudicia dicuntur, quæ non seruato ordine procedendi se- 7
cundum legitimam formam iudiciorum exercentur. Quia uerò in aliis atque aliis causis, quæ talibus iudicijs tractantur, aliæ atque aliæ iudiciorum ibi exercendorum obseruationes omittuntur, non unus & idem est omnium processus, sed ita distinguuntur, ut lites, quas absque exacta probatione expedire leges permittunt, dicantur summaria iudicis cognitione dirimi, ut quoties agitur actione ad exhibendum, non requiritur exactissima probatio ad hoc, ut iudex iubeat rem exhiberi, sed sufficit, quòd actor iuret, suum interesse, ut exhibeatur. l. thesaurus. ff. ad exhib. Et sufficit Summaria cognitio 8
in omnibus illis quæstionibus, quæ circa indagationem principalis causæ emergunt, si tales fuerint, ut earum definitio non pariat præiudicium litigantibus, quò minus ius suum alio iudicio prosequi possint. Nam si talis est quæ- 9
stio circa principalem causam emergens, ut alteri ex contendentibus metuendum sit, sibi auferri omnem facultatem, porrò de iure suo cum illo disceptãdi, alia uia, quàm per appellationem uel restitutionẽ, si ea definiatur, tum plena requiritur in ea probatio. l. iudicis. C. de iudicijs, ut si quis, implorato officio iudicis petat patrem cogi, ut ipsum alat, pater uerò neget illum suum

esse

esse filium, iura Romana permittunt, ut summatim, & absq; exquisitiore inuestigatione generationis eius, iudex iubeat illum ali. Quia ob id, quòd alere eum iussus est, non possit dici eum eius esse filium, sed integrum illi esse, ut alio iudicio probet, eum non esse suum filium. l. si quis à liberis. §. meminisse. ff. de lib. ag. Sed si instrumentum ad principalis causæ probationem productum, dicitur esse falsum, certè non permittitur iudici, ut obiter quæstionem falsitatis cognoscat, & de ea pronunciet. l. ubi. C. ad l. Cornel. de fal. Nam in ea uertitur magnum causæ præiudicium, cui nullo remedio, quàm appellatio ne à sententia occurri potest. Summaria itaque cognitione expediuntur lites, ad quarum definitionem non requiritur exactissima probatio. Verùm Bartol. in explicatione constitu. Imperatoris Henrici septimi, cir. uerbum Summariæ, contendit quoq; eas causas dici posse summatim cognosci, quarum probatio contra absentem admittatur, iu. exemplum l. cùm proponas. C. de bo. aut. iudi. pos. & gl. ibidem illi suffragatur. Hæc de summaria extraordinariorum iudiciorum cognitione.

10 Porrò in quibusdam extraordinarijs iudicijs dicitur processus fieri de plano, id quod Specul. ac Bartol. accipi uolunt de negotijs, quæ ad iudicem non sedentem in tribunali deferri, & ab eo constitui, extra consuetum iudiciorum exercendorum locum possunt, ut sunt exhibere libellum actionis, & recipere appellationum literas, & quicquid est talium rerum, quæ parti aduersæ non pariunt præiudicium. Nam si tale quid occurrit agendum iudici, unde existere præiudicium aliquod parti possit, de illo non licet iudici extra tribunal constituere, ut si litiganrium aliquis à iudice deambulante, petat dilationem sibi ad producendos testes à iure datam, uel ex consuetudine iudiciorum obseruatam, extendi, non licet hoc iudici, nisi sedeat in tribunali utraque parte præsente, quia talis extensio dilationum cedere in partis detrimentum fortè posset. leg. à præcedente. C. de dilat. Nonnunquàm autem integræ quoque causæ de plano expediuntur, obseruatis illis, quæ in legitimo perueſtigandarum causarum processu obseruari solent, sicut permittuntur in puniendis leuibus delictis. leg. leuia. ff. de Accusat. Item de præstandis obsequijs inter patrem & liberos, patronum & libertos, de plano cognitionem fieri iura uolunt, l. neq; quicquam. §. de plano. ff. de offic. proconsul. Item in audiendis querelis afflictorum à custodibus in carcere. l. Lucius. §. fin. ff. de quæst. Vbi tex. innuere quoque uidetur, quòd ea iudicia de plano exercenda intelligi debeant, quæ à iudice non sedente pro tribunali fiant, sed l. miles. §. sexaginta. ff. ad l. Iul. de adult. indicat, neq; tempus solennium feriarum obseruari in iudicijs de plano exercendis, quia dicit hoc esse de plano dari libellum, si feriatis diebus id quoque liceat. Itaque ex eo etiam textu liquet, quòd quamuis causæ, quæ de plano experiri permittuntur, extra locum ordinarium & legitima tempora iudiciorum audiri possint, tamen cæ-
11 teræ obseruationes iuridicialis processus in talibus iudicijs non omnino omittuntur, quia ibi dicit in talibus iudicijs offerri libellum. Eadem significatione iura Canonica intelliguntur præcipere iudicia exerceri per uerba sine strepitu. c. ea quæ. extr. de stat. Monach. & ibi gloss. Quare Bartolus circa extrauagantem ad reprimendum, dicit ista uerba sæpe adijci clausulæ de plano, ad maiorem expressionem, id est, expolitionem. Et sanè ista forma permittendi iudicia absque strepitu exerceri, non est in ueterum Iurisconsultorum aut imperatorum legibus, ut satis appareat, eam apud Canonistas esse natam, cùm ueterem formam loquendi de iudicijs extraordinarijs per uerba de plano, uel non satis intelligerent, uel lucidiorem illam suam formam esse posse existimarẽt. Idem accidisse arbitror in prodenda forma loquẽdi, qua dicunt̃ iudicia exerceri, absq; figura iudicij. Nam nec huius formę usus est apud ueteres, nec aliud ualde dissimile illi, q̃ ueteres per uerba de plano significauerũt,

recen-

recentiores per eam intelligi uolunt, ut propemodum sic statuam, ueteres uerbis usos esse, de plano, & summatim, quotiescunque significare uellent ali 12
quam causam absque seuera obseruatione extraordinariorum iudiciorum ex periri posse. Neque enim apud illos reperire est alias formas loquendi, quibus diuersitatem processus extraordinarij distinxissent, sicut recentiores, sed contenti fuerunt, ut alias causas dicerent summatim, alias de plano cognosci. Nam quòd in l. si quis sepulchrum. ff. de religios. Iudex uidetur extra ordinē interpellari de præstando itinere ā uicino ei, qui non habeat uiam ad sepulchrum, non de processu, sed de iure agendi dictum est. Id quod ex uerbis eius textus liquet, cūm dicit, Quòd & si istud rescriptum dat facultatem impetrandi iter, non tamen det actionem ciuilem, uidelicet, quòd quis iure actionis uicinum cogere possit, ut illi præbeat iter, sed hoc tantūm permissum esse iudici, ut implorato eius officio, si opus esse uideatur, uicinum iusto precio illi dato præstare iter ad sepulchrum compellat. Verūm utut ueteres locuti sint, non disputamus hoc loco, sed ea ideò tantūm attingimus, quia in principio huius tractatus annotandum uidetur, quæ sint procedendi in cognitione causarum differentiæ iudiciorum. Modò enim id constet, de uerbis non rixabimur superstitiose, meminimus nanque uulgati uersiculi:

Moribus antiquis, præsentibus utere uerbis.

Proinde quia usus loquendi nunc ita fert, ut ultra summariam cognitionem causarum, & quæ dicitur de plano fieri, quædam dicantur absq; figura 14
iudicij cognosci, nos quoque istam formam distinguendi processus iudicialis retinebimus. Ea uerò cognitio intelligitur fieri absque figura, siue forma iudicij, circa quam ea tantūm obseruantur, quæ sunt iuris naturalis in processu, ut est Citatio, Legitimatio personarum, uidelicet, ut qui aliquid postulare alterius nomine uelit, mandatum exhibeat, petitio, defensio, probatio, & quæ sunt alia huiusmodi, quæ enumerantur à Bart. cir. constit. Henrici ad reprimendum, & à Clemente Papa. Extr. de uerbor. significatio. in Clem. sæpe. Non autem circa eam obseruantur, quæ solius iuris ciuilis & positiui sunt, in processu, ut est libellus, feriæ ob hominum necessitatem constitutæ, litis contestatio, & alia quædam, quæ notantur in tex. Cle. sæpe. de uerb. sig. Porrò nō est in potestate iudicis inferioris, in cognoscenda aliqua causa procedere summatim, de plano, aut absque forma iudicij, nisi à lege hoc specialiter sit permissum, aut à principe illi sit mandatum in delegatione causæ. Nam cūm ordo iudiciorum obseruandorum constitutus sit iure Imperatorio, non potest ille, qui agnoscit Imperatorem, ut dominum & superiorem suum, intermittere ea, quæ ab eo obseruari iubentur. Neq; enim par in parem habet imperium. l. il 15
le à quo. §. tempestiuum. ff. ad S. C. Trebell. multò minus potest inferior contra superioris constitutiones aliquid facere in præiudicium cuiusquam ex litigantibus. Itaque contra inferiores ab imperatore non obseruantes ordinē iudiciorum exercendorum, dantur exceptiones non obseruati processus, aut si exceptiones non admittantur, appellationes ad superiorem, nisi speciale priuilegiū suorum iudiciorum proferre possint. Quòd uerò de imperatore diximus, idem contendunt Canonistæ obseruandum in iudicibus constitutis à Papa, cir. c. fin. in gl. uer. figura. Ext. de hæreticis in sex. Verūm an Papæ & alijs ecclesiasticis personis liceat exercere iudicia rerum prophanarum, cùm illis mandata sit cura pascendarum ouium Christi, non est huius loci. Nam hęc quæstio ad iurisdictionum tractatum pertinet, qui inter iura personarum ponendus est. Quare hoc loco solūm monemus, quòd Papæ & Imperatoris potestas in delegatione cognoscendarum causarum, à Canonistis æquetur. Atq; simul q̄q; moneo, non esse contēnenda iura Canonica in obseruationib. 16
iudicialib. quia usus sic tulit, ut nūc ferè ista iura præcipuè obseruentur in processu iudiciorum, propterea quòd magis expeditus eius ordo in exercendis

iudicijs

iudicijs esse uideatur. Cæterùm delegata intelligitur extraordinaria cognitio causæ, cùm aut singulis formis suprà annotatis separatim quælibet extraordinariæ cognitionis species alicui committitur, aut omnes simul formæ mandandi extraordinariorum processuum coniunguntur, iuxta gloss. Clem. sæpe. de uerb. sig. circa uerbum & figura, & Bar. circa constit. Henrici ad reprimendum. Atque potest extraordinaria cognitio etiam alijs uerbis, quàm quæ in communibus formis sunt, mandari, modò ex illis colligi possit, principes uoluisse eam mandatam, iuxta Lanfr. in repetitione ad Clem. sæpe. de uerb. sig. non procul à principio. Iam postquàm ostendimus, quid sit
17 processus iuris, de quo in hoc tractatu dicturi sumus, obseruent discentes, q̃ huius tractatus dispositio, & summaria uelut imago uix melius concipi possit, quàm si animum & cogitationes referam ad Oeconomiam Comœdiæ. Nam sicut in eius protasi casus simpliciter proponitur, postea in epitasi res in discrimen adducitur, propter uarios effectus & uoluntates personarum, ac postremò in Catastrophe exitum insperatum res sortitur: Ita quoq; in prima accessione iudiciorum, causæ proponuntur, & an quæ lites sint inter partes futuræ, exceptionibus utrinq; oppositis exploratur. Deinde cùm constat litem futuram, fit congressus per contestationem litis, & studio uincendi spes contendentium probationibus hinc inde productis uariè affligitur, donec tandem feratur definitiua sententia, quæ finem liti imponat. Ab ea uerò sententia, si quis prouocet ad iudicem superiorem, redit res in nouam protasin, quam ut plurimùm sequitur Tragica catastrophe. Quare in explicandis iudi *Ordo iudicio-*
18 ciorum obseruationibus hunc ordinem obseruabimus, ut prima parte indice- *rum.*
mus, quomodo intendatur alicui lis apud iudicem. Secunda parte, quomodo ad pugnam procedatur, quibusq; modis pericula declinentur, ictus aduersarij excipiantur. Tertia quomodo lites dirimantur. Quarta, quò à definitione litis recedatur. Et quamuis ferè eadem in cognitione causarum criminalium obseruentur, quæ in iudiciario in cognoscendis ciuilibus causis processu ordinata sunt, tamen quia peculiaria quædam, præter illa, in criminalibus requiruntur, ut est inscriptio, primùm ea annotabimus, quæ regulariter in iudicijs ordinarijs, siue causa, quæ in iudicium uenit, ciuilis, siue criminalis fuerit, obseruantur. Deinde his subijciemus ea, quæ peculiariter de ordine & processu inquirendarum causarum criminalium prodita sunt. Atque id quidem hoc faciemus ordine, ut eandem progressionem in his facturi simus, quam ipsa series rerum in iudicio agendarum, litigantes facere cogit. Neque ea solùm quę de ordine iudiciario ã ll. ciuilib. sed & quæ in Canonib. de eo tradun-
19 tur, annotabimus. Tradunt enim hæc iura mutuas quasi operas in constituendo generali ad quasque causas cognoscendas processu.

APVD QVOS IVDICES quæque causæ agi possint.

Caput II.

SVMMARIVM.

1. De iure suo contendere cum alio liberum cuique.
2. Dubium esse litis euentum.
3. Deliberandum cum peritioribus antequàm lis moueatur.
4. Actor forum rei sequatur.
5. Quis sit cuiusque ordinarius iudex.
6. Reales, & personales actiones ubi proponantur.
7. Quas ob causas quis extra forum domicilij sui conueniri possit.
8. Remissio delinquentis ad locum delicti.
9. Deprehensi in delicto ubi puniantur.
10. Delinquentes ubique conueniri posse.
11. Crimina merè Ecclesiastica quæ sint.

12. Vxor mariti forum sequitur.
13. Arbitri ex compromisso quales sint iudices.
14. Reconuentio dat iudicem.
15. Exceptio incompetentis iudicis non datur reconuento.

DE iure suo cum alio in iudicio contendere liberum cuique est regulariter, si nondum proposita sit actio. C. ut nemo inui. age. uel accus. cogatur. Exceptis casibus, qui in gloss. eius tit. annotantur. Et quia dubius est litium euentus, l. quod debetur. ff. de peculio, rectè quidam monent, deliberandum nobis esse cum peritioribus, an expediat litem suscipere, antequam ea moueatur, iuxt. l. si omnia. C. de inge. ma. Verum postquam aliquis constituit uelle ius suum prosequi, uidendum est illi, apud quem iudicem facere illum id oporteat. Neque enim cuiquam licet se absque iudice uindicare, nisi in casibus, qui notantur in ll. C. Quando uni. lic. sine iud. &c. Deinde non possunt quælibet causæ apud quemque iudicem agi. Quamuis enim is sit cuiusque ordinarius iudex, in cuius territorio, uel diœcesi quis domicilium habeat, & apud eum conueniri quenq; regulariter necesse sit. l. fi. ff. de iurisd. omniū iud. Atq; hoc quoq; pro regula habeatur, quòd actorem oporteat reum in suo foro conuenire. l. in criminali. C. de iurisd. omnium iud. & c. si clericus. Ex. de for. compe. Tamen personæ, cum qua agendum est, conditio, & rei, de qua agitur, ratio sæpe faciūt, ut quis apud alium, quàm ordinarium suum iudicem conueniatur. Vt si quis ui deiectus possessione, cupiat restitui, uel uendicare rem, necesse est eum eius territorij iudicem adire, in quo posita est res, cuius possessionem, aut ipsam rem restitui uelit. C. ubi de possess. agi. oport. & ubi in rem actio. ex deb. Item si quis institutus sit hæres, aut illi aliquid per fideicommissum, uel nomine legati relictum sit, petenda est hæreditas, & ea, quæ relicta à iudice, in cuius territorio sunt bona defuncti testatoris. C. ubi de hæred. agatur, & ubi fideicommiss. peti opor. Item de bonis feudalibus disceptandum est apud dominum feudi, non in eo loco, ubi fortè domicilium habet is, cum quo nobis de illis bonis lis est. In usibus feud. de proh. alien. feud. per Fride. ℌ præterea si inter. Atq; ex his exemplis colligi potest generalis regula, quòd reales actiones proponantur apud iudicem, sub cuius territorio res, quæ petuntur, sitæ sunt, aut ab aliquo tenentur.

Personales autem actiones ferè ibi proponuntur, ubi obligatio, ex qua competit actio, existere cœpit, uel ex contractu, uel ex delicto, uel quasi, ut si quis uendat aut comparet aliquid à mercatore, qui tabernam, uel officinam certo loco conductas habeat, is, si illi non præstatur id, de quo inter eos conuentum est, potest uenditorem suum in illo ipso loco ubi contraxerunt, conuenire, & uicissim uenditor emptorem suum, neque opus habent inuicem alter alterum sequi ad forum domicilij sui, si pactum conuentum non seruetur inter eos. Neque tamen hoc ita accipiendum est, quòd quis alibi non possit quempiam, cum quo contraxit, conuenire, nisi in eo loco, in quo contraxerunt, perquam enim durum est ijs omnibus locis teneri quempiam ad respondendum, in quibus quis obiter, ut aduena inter peregrinandum aliquid fortè uendiderit. Neque commodum esset emptoribus expectare opportunitatem litigandi cum uenditorib. suis, donec fortè inciderent in eos, cum quibus contraxissent in illo ipso loco ubi contraxissent. Quare hæc iura inter præsentes, quod ad uenditores attinet, apud eos solūm, qui in certo aliquo loco tabernam, pergulam, uel horreum mercium habent, ualere cogitandum est. l. hæres absens. ℌ proinde, & duobus sequen. ff. ubi quis ag. uel conue. de beat. Sic propter delictum quis conueniri potest in eo loco, in quo illud commissum est, si sit præsens, neque necesse est eum in loco domicilij sui prosequi, & tamen si euadat locum commissi delicti, potest in loco domicilij conue

niri.

8 niri. Ac ſiquidem graue ſit delictum, poteſt iudex loci, in quo admiſſum eſt crimen, petere à iudice eius loci, in quo agit perpetrator delicti, ut eũ ad ſe remittat. l. ſolent. ff. de cuſtod. & exhib. reor. & Authentic. ut nulli iudici. §. ſi uerò quis comprehenſorum, & C. ubi de crim. agi opor. & gloſſ. c. fin. Extr. de foro compete. circa uerb. ratio. delect. Ad hanc autem omnem diſputationem, qua quæritur, quas ob cauſas quis extra forum domicilij ſui conueniri poſsit, præcipuè pertinet conſtitutio Iuſtiniani Authentic. ut omnes obediant iudici pro. Ob quaſi autem contractum & delictum conueniri contrahentes & delinquentes in loco ubi contractum eſt, & delictũ perpetratum eſt, teſtatur l. interdum, §. fin. ff. de iud. & extant in C. peculiares tit. in hos caſus proditi. Nam in tit. ubi de ratiociniis tam publicis, quàm priuatis agi oporteat, illi qui aliqua adminiſtratione functi ſunt in republica uel priuata, iubentur reddere rationem rerum geſtarum in eo loco ubi rebus præfuerunt. Ne
9 que iura Romana uolunt exemptos illos, qui intra dignitatẽ illuſtrium ſunt, quin in delicto deprehẽnſi ã iudice eius loci, in quo deliquerunt, puniantur. C. ubi Senat. uel clariſs. Theodoſius, & Valentinianus Imperatores uoluerunt nec hos iuri exemptos eſſe, qui aliqua militari dignitate emineret, quõ minus reſpondere illis, cum quibus contraxiſſent, coram moderatoribus prouinciarum cogerentur, niſi armatæ militiæ dignitate ornati eſſent. C. in quibus cauſ. mil. for. præſcript. uti non poſſ. id eſt, priuilegia prædicare foro, in
10 quo uerſentur, non poſsint. Expediti igitur iuris eſt, delinquentes non in ſolo foro domicilij ſui, ſed & ibi, ubi deliquerunt, conueniri poſſe, uerũm & hu
11 ius iuris obſeruatio accipit diuerſitatem ex diuerſa delictorum natura. Nam cũm quædam crimina ſint merẽ Eccleſiaſtica, puta quæ à ſola Eccleſia damnantur, ut eſt nundinatio rerum ſpiritualium, quæ ſimonia dicitur, aut de quibus citra cognitionem Eccleſiaſticam iudicari ſatis non poſsit, ut eſt hæreſis, cap. ut inquiſitionis. §. prohibemus. extr. de hæret. in ſexto, non permittitur iudici cuiuslibet loci, in quo tale quid admiſſum eſt, ut de eo iudicet, ſed neceſſe eſt, eorum cognitionem deferre ad iudices Eccleſiaſticos. Quæ uerò crimina ſint Eccleſiaſtica, quæ ſecularia, quæ mixtæ cognitionis, indicat Panormit. circa ca. cum ſit generale. extr. de for. compe. Quod autem dicitur de cognitione Eccleſiaſticorum criminum, non ad pœnitentiæ forum, quod Eccleſia habet ad iudicandas conſcientias, referre oportet. Nam foro conſcientiæ, Eccleſia de omnibus criminibus cognitionem habet, ut ſua obiurgatione, delinquentes uocet ad pœnitentiam, iuxta ea quæ de denunciatione delictorum Euangelica inter Chriſtianos dicuntur. Matth. xviij. & ca. nouit. extr. de iudicijs. Itaque ſentiendum eſt, eſſe quædam crimina Eccleſiaſtica, de quibus ordine iudiciario Eccleſiaſticus magiſtratus cognoſcat. Sunt & aliæ quædam cauſæ non criminales, quæ ad cognitionem Eccleſiæ pertinent, ut ſunt contrahẽdi & diſſoluendi matrimonij, Votorum, Decimarum, Ordinationum, & omnium earum rerum, quæ ad conſeruationem Eccleſiaſtici ordinis de externis ritibus canonicè ordinata ſunt, ca. decernimus. & ca. quantò. extr. de iudicijs. *Cauſæ eccleſiaſticæ.*

Porrò propter conditionem perſonæ, conuenitur quis in alio, quàm domicilij ſui foro, aut quia hoc priuilegij ordo illi præbet, ſicut habent Clerici ex conſtitutione Friderici. leg. ſtatuimus. C. de epiſcop. & clericis. Item ſcholares ex conſtitutione, habita C. Ne filius pro patre, cuiuſmodi ſunt quorundam aliorum ordinum quoq; priuilegia, de quibus infrà in c. de priuilegijs.
12 Aut quia ea neceſsitudine perſona, quam conuenire uolumus, alteri deuicta eſt, ut eiuſdem fori eſſe cum illa cenſeatur, ſicut eſt uxor cum marito. l. fin. C. de incolis. lib. x. Sequuntur & filij familias ſuorum parentum, ut liberti ſuorum patronorum, forum, niſi alibi ſibi conſtituerint domicilium. l. aſſumptio. §. filij. & §. libertini. ff. Ad Municipia. ibidemq; DD.

Cæterùm non ſolùm rei, aut perſonæ conditio, nos ad diuerſum forum, ab eo, quod is habet, cum quo nobis res eſt, trahit, ſed ſæpe etiam delegatio iudicis ab ordinario iudice, nobis neceſsitatem imponit egrediendi forum domicilij. iij. quæſt. vi. cap. unaquæque. Habet & conſenſus partium hanc uim, ut 13
quem elegerint iudicem ferre cogantur, etiamſi eius iuriſdictioni non ſint ſubditi. l. i. & ij. ff. de iudicijs. Et tales iudices dicuntur arbitri ex compromiſſo. l. i. ff. de recept. arb. Reconuentio quoque nobis dat iudicem non ordina 14
rium, nempe, ut ſi quis in iudicium apud ſuum iudicem à nobis pertractus, uicißim apud eundem nos in ius uocet, cogimur ferre illum iudicem, quia par eſſe uidetur, ut quem habuerimus in alio proſequendo, eundem quoq; ſuſtineamus, ut de nobis iudicet. l. cùm Papinianus, iuncta ibidem Auth. C. de ſent. & interlo. omnium iud. Quapropter non datur illi incompetentis iudi- 15
cis exceptio, apud quem quis recõuenitur. Ediuerſo ſi pars recuſet iudicem, cap. ſi qui contra. Extra. de for. compe. Aut ab eo appellet, etiam alium quàm ordinarium iudicem ſortiri exiſtimatur. iij. q. v. peregrina. Itaq; & per conſenſum & diſſenſum ad non ordinarium iudicem traducimur. Vt igitur acturus quis, ſciat, ad quem iudicem cauſam ſuam deferre debeat, ne exceptione incompetentis iudicis ab agendo repelli poſsit, harum omnium rerum fuſior explicatio colligenda eſt ex titulis.

ff.

De iudicijs, & ubi quis agere uel conueniri debeat.

Cod.

De iuriſdictione omnium iudicum, & de foro competenti.
Vbi de poſſeſsione agi oportet.
Vbi in rem actio exerceri debeat.
Vbi de hæreditate agatur, uel ubi hæredes ſcripti in poſſeſsionem mitti debeant.
Vbi fideicommiſſum peti oportet.
Vbi de ratiocinijs tam publicis quàm priuatis agi opor.
Vbi conueniatur qui certo loco dare promiſit.
Vbi de criminibus agi oportet.
Vbi ſenatores uel clariſsimi ciuiliter uel criminaliter conueniantur.
Vbi cauſa ſtatus agi oportet.

Auth.

Vt omnes obediant iudicibus prouinciarum, & in criminalibus & in pecuniarijs cauſis &c.
Vt clerici apud proprios Epiſcopos conueniantur primùm, & poſtea apud ciuiles iudices. Sed hæc conſtitutio correcta eſt per l. ſtatuimus. C. de epiſ. & cler.

In Dec. Sex. & Cle.

De foro competenti.

DE CITATIONIBVS.

Caput III.

SVMMARIVM.

1. Citatio & defenſio eſt æquitatis naturalis.
2. Citatio fundamentum iudicij.
3. Iudex eſt adeundus pro citando reo.
4. Præſens in iudicio an debeat citari.
5. Finis Citationis eſt uenire in iudicium.
6. Humanitatis eſſe de lite monere aduerſarium.
7. Tres denunciationes obtinere uim peremptorij.
8. Conſuetudo loci in dilationibus ſpectanda.
9. Mos iudicij cuiuſq; uetus ſeruandus.

10. Citatio

10. Citatio facta die feriata est inualida.
11. Dies feriatus quis accipiendus sit.
12. Citatio fit tripliciter, denunciatione uiua, scripto & re.
13. Domus sua cuique tutissimum receptaculum.
14. Citatio an fieri possit ad domum.
15. Verecundiæ personæ citandæ parcendum esse.
16. Scripto quomodo fit denunciatio citationis.
17. Quando quis ducitur ad iudicem, realis dicitur citatio.
18. An liceat priuato præhendere debitorem suum fugientem.
19. Non esse singulis concedendum, quod per magistratum publicè fieri possit.
20. Hodie in usu esse Arrestare bona & corpus.
21. Iniectio manuum in Italia excogitata, quæ dicitur Repressaliæ.
22. Per interpositionem interdicti publici, manus iniectionem siue Arrestationem fieri.
23. Cedere bonis extremum esse refugium.
24. Generalis citatio contra omnes creditores quando fieri possit.
25. Obscuritas omnis in citationibus cauenda.
26. Qui non possint uocari in ius.

VT non procedatur in iudicijs contra quenquam, nisi uocatus sit à competente iudice, ut in iudicio defendendi sui causa ueniat, naturalis æquitas præcipit. Nam cùm defensio, quæ fit extra iudicium tuendi corporis causa, sit iuris naturalis, l. ut uim. ff. de iust. & iur. multò magis ea debet etiam huius iuris censeri, qua quis pro conseruatione sui iuris, ad contestandam suam innocentiam legitimo iudicio ad defendendum admittitur. Vnde rectè iudicasse illum existimandum est, qui censuit naturam hominibus duas dedisse aures, ut meminissent iudices alteram reo seruandam esse uacuam, cùm alteram actori daret. Quare citatio habetur pro fundamento iudiciarij ordinis, cui omnis actionis persecutio innititur. Inst. de pœna tem. litig. §. omnium. Atq; id quidem adeò uerũ est, ut nec potestas plenissimi iuris possit absq; citatione in cognoscenda causa procedere, quia naturalis ratio eam fieri iubet, iuxta Bart. cir. l. filius fam. ff. de donat. Regulariter tamen non debet aliquis citari, nisi hoc pars litigans fieri à iudice petat. l. ad peremptoriam. ff. de iudicijs. Nam cùm iudex ea, quæ facti sunt, supplere per se in iudicio non possit, iux. gl. Epigraphes. C. ut quę des. aduo. par. iud. sup. Et commoueri ad faciendam citationem, facti relatione debeat, non potest eam mandare iudex, nisi à parte rogatus sit, ut eam propter hanc uel illam causam fieri curet.

Proinde postq̃ quis secum constituit, se uelle ius suum in iudicio prosequi, necesse est, ut iudicem competentem adeat, & causa exposita ab eo petat, ut eum, cum quo illi res est, in iudicium uenire iubeat. Nam inde etiam est, ꝙ in citationibus commemorari quoq; soleat partis uocantis, ut uocant, instantia, hoc est, sollicitatio apud iudicem causa citationis facta, non autem necesse est, ut in petitione citationis statim offeratur iudici libellus, quem exhibeat reo citando. Nam libelli oblatio non facit, ut quis citatus dici possit. l. libertus. ff. de in ius uo. Quamuis si cui ita uideatur operæprecium, propter perplexitatem negotij, possit causam scripto magis, quàm uiua uoce explicare.

Præterea non in initio litis solũm, sed & in cæteris omnibus actibus iudiciarijs, qui in magnum aliquod præiudicium litigantium uergere possint, citatio necessaria est. cap. inter quatuor. Ex. de Maio. & obed. & iuxta Ang. cir. l. ad peremptorium. ff. de iudicijs. Nam citatio ideò tantũm requiritur, ne quid in præiudicium partis absentis à iudice fiat. Itaq; Bart. & Bal. cir. l. i. ff. de in ius uoc. contendunt, quòd si præsens sit in iudicio, quem quis conuenire uelit, non sit necesse eum citari, quia uenire in iudicium sit finis citationis. An-

tonius tamen de Butrio cir. ca. fin. Ex. de iudicijs, censet præsenti dandum es. se spacium deliberandi, si grauetur se non citatum in iudicium trahi, id quod & Bart. sentire uidetur, cùm dicit non opus esse citatione uocari præsentem, si uelit litigare. Hæc de necessitate petendæ, & faciendæ citationis, quæ ad iudicia ordinaria, & non ad ea, quæ de plano, & non obseruato legitimo processu fieri iubentur, aut permittuntur.

De modis quibus rei in iudicium uocãtur aut ducuntur.

Porrò antequàm quis accedat iudicem, citationis ab eo faciendæ causa, humanitatis esse iudicatur, ut quis in causa ciuili extra iudicium eum, cum quo illi res est, conueniat, & ei denunciet, sibi litem cum eo futuram, nisi præstet, quod illi debeat. arg. l. debitoris. C. de pignori. 6

Deinde ne quis queri iure possit, se obrui festinata citatione, & grauari impensis iudicialibus, priusquam potuerit secum deliberare, an ei expediat nec ne, ut litem suscíperet, constitutum est l. ad peremptorium, & tribus sequentibus, ff. de iudicijs, & l. tres. C. quomodo & quando iu. &c. hoc ordine in citando esse regulariter progrediendum, ut quis per interuallum decem dierum bis citetur, antequãm peremptorio edicto uocetur, quò ei omnis tergiuersandi licentia adimatur. Ac iudex ei comminetur, se etiam illo absente de causa cogniturum ac pronunciaturum. Potest tamen iudex istum numerum actionum minuere, & interualla, siue dilationes, quæ assignari in citationibus oportere diximus, extendere, pro conditione causæ, personę, aut temporis, iuxta l. nonnunq. ff. de iudicijs, & ibi gl. quæ dat exempla eius rei. Atq; est quidem in contrahendis aut extendendis talibus dilationibus præcipuè spectanda cõsuetudo cuiuslibet loci. Nam in his ferè uariat iudiciorum obseruatio, adeò ut non possit ea satis à quoquam annotari. Hoc tamen ut plurimùm obseruatur, ut loco trium citationum una fiat, facta in ea mentione, q̃ quis peremptoriè per eam citetur. Et in tali citatione solent dari tria interualla dierũ ueniendi in iudicium, nimirum ut secundum ius Romanum in ea dantur triginta dies. iux. Bart. cir. l. si finita. ℣ Iulianus. ff. de damno infecto. Videri tamen potest istud spacium citationum, quod in ff. statuitur esse decem dierum, esse extensum per Auth. de litigiosis. ℣ omnem. Nam ibi imperator constituit, ut si qui ad iudicium citati non ueniant, illis denuo ter denuncietur lis tribus citationibus, quarum quæque det interuallum triginta dierum ad respõdendum, ita ut si in citatione, quæ loco trium fit, triplicandum sit interuallũ nonaginta dies, & non triginta in ea dandi sint, iuxta ius Roman. Sed potest uideri casus eius constitutionis non generalis, ad omnes citationes faciendas, & sicut diximus, est iudici permissum, ut ipse ista interualla moderetur, pro conditione causæ, personæ, & temporis. Et habent quæq; iudicia sua interualla, quæ in dilationibus dandis obseruanda sunt. Vetus enim cuiusq; iudicij mos seruandus est, iuxta l. fin. in fi. C. de iniurijs. Quamuis autem iudex habeat potestatem contrahendi, & extendendi usitata interualla citationum, rebus ita exigentibus, tamen illi cauendum est, ne in die feriato alicui denunciet ueniendi in iudicium mandatum, aut eum ad dicendam causam illi constituat. Nam mandare citationem, ut eam faciat, aut factam renunciet primo quolibet die potest iudex, sed eam denunciare festo die, aut iubere, ut tali die in iudicio sistat citatus, non potest. Festus autem dies accipiendus is est hoc loco, qui cultui diuino dicatus est, iuxta l. fin. C. de ferijs, non qui ob utilitatem hominum indicitur. Nam licet talibus quoq; diebus interquiescant iudicia, ita ut quis contendere pro tribunali in illis non cogatur, tamen citari aliquem illis diebus posse, ut die feriato compareat in iudicio, non est dubium, iux. Bart. cir. l. i. ℣ nunciati. ff. de no. op. nuncia. & cæteri DD. cir. l. fin. C. de ferijs. Atq; sunt etiam hæc de feriatis diebus dicta generaliter solũm uera. Nam multæ sunt causæ, quæ feriatis diebus tractari in iudicijs possunt, iuxta l. i. ℣ sed excipiuntur, & duabus sequen. ll. ff. de ferijs. 7 8 10 11

Præter

12 Præter hęc autem quę generaliter obſeruari circa citationes indicabimus, annotandum eſt quoque, non omnes eodem fieri modo. Nam alia fit uiua denunciatione, alia ſcripto, alia re ipſa, & inter has, ea quæ fit uiua denunciatio ne reliquas regulariter præcedere debet. Ea uerò fieri omnibus in locis, qui ſunt in territorio iudicis, iubentis aliquem citari, poteſt, adeò ut nec templi re ligio obſtet, quò minus alicui in eo fieri poſsit citationis denunciatio, iuxta
13 Bart. cir. l. præſenti. C. de his qui ad Eccleſi. confugi. Ad domum autem denunciare citationem iura prohibent, quia ſua cuique domus tutiſsimum eſſe
14 debeat receptaculum. l. pleraque. ff. de in ius uoc. Ad domum autem fieri dicitur citatio, cùm non perſonæ citandæ denunciatur, ſed familiæ, aut amicis relictis in domo, aut ſi illi in ea non ſint, tali uoce, ut exaudiri citatio à uicinis
15 poſsit. Nam hæc ideò prohibetur fieri, ſi perſona citanda poſsit conueniri, ut parcatur eius uerecundiæ. Itaque hæc fieri non debet, niſi alibi conueniendi non detur copia. Nam iſto caſu permittunt il. etiam denunciationem citationis ad domum alicuius fieri, l. i. §. i. ff. de li. agnoſ. & l. autem qui aliter. §. & ſi forte. ff. Quod ui aut clam, & glo. cir. c. cauſam quæ. Ex. de do. & contu. Illud autem, quod de citatione ad domum facienda diximus, non ita accipi debet, quòd ea tum demum fieri poſsit, cùm omnis nobis alibi conueniendi citandum negetur occaſio. Nam ſi cauſa deſiderat celeritatem ueniendi in iudicium, poteſt citandus etiam prima citatione ad domum facta, uocari. l. iiij. §. præ tor uerſ. abeſſe. ff. de dam. infec. Ad eam autem domum debet fieri denuncia tio citationis, in qua quis familiam habet, ut per eam illi iudicis mandatum poſsit renunciari, iux. Bar. cir. iam alleg. l. & §. Inter hanc igitur, & illam de qua paulò antè diximus, nulla eſt differentia, niſi quòd illa fit per denunciationem ipſi perſonæ citandæ, hæc uerò ad domum abſentis uel occultantis, nam utraq; fit uiua denunciatione.

16 Scripto autem fit denunciatio citationis, cùm per literas locus, dies, hora ſiſtendi in iudicio à iudice competente alicui ad inſtantiam partis ſignificatur. Idq; fit aut miſſa ad illū iudicis epiſtola, aut publico loco propoſito edicto. Per epiſtolam hodie fiunt ſæpiſsimè citationes. Nam poſtquàm receptum eſt, ut acta iudiciorum in literas mittantur, iuxta ca. quoniam contra. Ex. de probat. Citationes quoque ſcribuntur, ut extent earum in actis teſtimonia. Quomodo autem tales epiſtolæ citationum fieri debeant, oſtendit Bart. circa Extrauag. ad reprimendum. cir. uerbum per literas. Verùm ſi neque uiua uo ce præconis, neque per literas alicui denunciari mandatum iudicis poſsit, licet iudici per edictum in loco publico (ut ſi ſecularis ſit iudex, in foribus Curiæ, ſi uerò Eccleſiaſticus, in foribus templi) propoſitum citare abſentem, uel latitantem. l. i. §. præſides. ff. de req. rei & ab. &c. fin. Extr. de dolo & contu. Idem licere uult iudici Bart. cir. Extrauag. ad reprimendum. cir. uerbum per edictum, ſi locus, in quo agat citandus, ſit ita infeſtus, ut non ſit ſatis tutum alicui eum adire. Eſt autem in talibus edictis conſtituendum tempus, intra quod citatis edicti mandatum ſignificari per amicos, uel alioqui innoteſcere poſsit, & ſatis ſpacij habeant ueniendi ad locum aſsignati iudicij, ne quid impoſsibile per edictum præcipiatur. l. ij. §. ſi quis ita. ff. De eo, quod cert. lo. & Cle. i. de iudi. Itaque in Authent. de exhib. re. præcipitur, ut antequàm iudex aliquem per edictum in iudicium uenire iubeat, perquirat, quo ille loco agat, quem ita citaturus eſt. Cæterùm quæ hactenus de faciendis citationib. dicta ſunt, locum habent, cùm iudex citare uult ſubditum agentem in loco ſui territorij, aut in loco, qui & ſi in alieno ſit territorio, tamen ſub eiuſdem princi pis iuriſdictione poſitus ſit. Nam in talibus locis agentes ſubditi, poſſunt uel per uiuam uocem nuncij, uel exhibitis illi per eum literis iudicis ſui, uel per edictum citari, iux. Bald. cir. l. i. ff. de iuriſ. omni. iu. Sed quid ſi ſubditus agat in prorſus alieno territorio, & ſit ſub aliena Iuriſdictione? certè apud talem

non potest esse efficax citatio ā iudice eius missa, uel per edictum facta. Reg. enim iuris uulgatiss. est: Quōd extra territorium ius dicenti impunē non pare atur. l. fin. ff. de iurisd. omnium iud. Proinde iurisconsulti uolunt in hoc casu mitti literas ad iudicem alieni territorij, per quas rogetur, ut pro sua iurisdicti one, agenti in eius territorio mandet, ut isto uel illo tempore ad iudicem sui domicilij ueniat, & causam dicat. text. est in l. i. §. præsides. & Bartol. cir. eandem l. & cir. Extrauag. ad reprimendum uers. per edictum, abundē explicat ea, quæ præterea in hoc casu obseruantur.

Reliquum est tertium genus citandi, quo quis non solūm uocatur, sed du- 17.
citur ad iudicem, & ob id talis citatio dicitur realis. Hac uerò in ciuilibus cau sis non licet uti, nisi constet reum in fuga esse, aut probari possit, reum meditatum esse fugam. Nam si in domo sua latitet, non licet illum extrahere, propter ciuilem causam, cuiusmodi est debitum pecuniarium. l. nemo de domo. ff. de reg. iur. Si uerò causa sit criminalis, extra controuersiam est, reum posse capi, & ad iudicem duci, cūm etiam priuato liceat non expectata iudicis autoritate, eum, qui capitale crimen admiserit, prehendere. iux. l. i. C. de rap. uir. & l. si quis in serui. in fin. ff. de furtis, & ad l. Iuliam de Adul. l. cap. quinto. Quæri autem circa hanc citationem solet, num priuato liceat prehendere fu 18
gientem suum debitorem, ut ab eo extorqueat debitum: & est quidem huius prehensionis casus in l. ait prætor. §. si debitorem. ff. Quæ in fraud. cred. Sed in omnibus alijs casibus regulariter est prohibitum. Neque enim singulis 19
est concedendum, quod per magistratum publicè fieri possit. l. non est. ff. de reg. iur. Imo neque cogi iudex potest per partem, ut prehendat debitorem, nisi antea sit citatus, & factus sit contumax. Bar. cir. l. cum eo. ff. ad l. Iul. pecul. & cir. l. consentaneam. C. quom. & quando Iu. sen. fer. Itaque magis hodie in usu est, ut si cessent debitores soluere debita, creditores ā Iudice petant, publica autoritate eos prohiberi, ne quò abeant, uel merces suas amoueāt, prius 20
quàm satisfecerint creditoribus. Et tale quid contra debitorem facientes, uete
ri forma dicti sunt inijcere manus, nunc uerō dicuntur arrestare bona, aut cor pus. Est quoq; posterioribus temporibus, cūm iam desijssent esse Imperato- 21
res in Italia, ad quorum præsidium creditores confugerent, alia quædam excogitata iniectio manuum, qua inuaduntur bona eorum, qui habitant in ciui tate aut prouincia, in qua habitat debitor illorum, qui talem inuadendi aliena bona potestatem impetrauerunt ā principe, & qui talem habent potestatem, uulgo dicuntur habere Repressalias, iuxt. Barto. in tract. Repressaliarum. Sed eius nullum est in ll. exemplum, neq; arrestationis exemplum in legibus extat. Nam quod in l. penult. ff. de ser. exp. & de in ius uo. l. sed si, de iniectione manuum legitur, pertinet ad uendicationem rei, quam quis alicui dedit, aut uendidit ea lege, ut si contra pactum ea re uteretur, ei liceret non expecta ta autoritate iudicis in eam manus inijcere, hoc est, eam sibi uendicare. Itaque & si non habeam quod allegem exemplum, tamen arbitror olim sicut nunc, 22
per interpositionem interdicti publici, manus iniectionem siue arrestationē fieri solitam, & possunt hæ iniectiones manuum inter citationes reales poni, tanquām extrema quædam subsidia, quibus debitores ad soluendum, aut ue-
niendum in Iudicium coguntur, sicut & debitoribus concessum est, extremū 23
quoddam refugium, ut cedant bonis, si ad carcerem ob debita duci nolint. l. i. C. qui bo. ced. poss. Atq; isti ferē sunt modi, tam in Ciuilibus, quàm in Criminalibus causis, quib. rei in iudicium uocantur aut ducuntur, si constat de eo, contra quem iudicis officium imploratur, uel per instantiam partis agentis, uel ipsa indignitate rei. Nonnunquam enim, ut in notorijs & publicis criminibus iudex non rogatus ex officio citare aliquem potest. Verūm si iudex nesciat quem citare debeat, & tamen rei æquitas aut indignitas ab eo exigāt, ut futurum ea de re iudicium denunciet, tum generali citatione per edictum

pro-

propoſita, poteſt omnes eos uocare, ut in iudicium certo tempore ueniant,
24 qui rem, de qua acturus eſt, ad ſe pertinere exiſtiment. Vt ſi minor, poſtquàm adierit hæreditatem propter magnitudinem æris alieni in ea, ipſi perniciosam, cupiat reſtitui in integrum, poteſt iudex generali citatione omnes creditores, qui ſibi aliquid deberi ex ea hæreditate contendunt, & uocare, & illis indicare diem, ad quam in iudicium ueniant, & ius ſuum proponant. Auth. ſi omnes. C. ſi mi. hær. abſti. Vbi uerò conſtat, qui ſint citandi, nullo modo uti
25 licet generali citatione, ne oratione generali citatio obſcuretur. Nam omnis obſcuritas in citationibus cauenda eſt, lux. Bar. cir. l. aut aliter. ff. quod uí aut clam. & cir. l. qui ante Calen. ff. de uer. obl. Et de generali citatione plura Canoniſtæ cir. c. conſuluit. ex. de offi. deleg. Erat hoc loco quoq; dicendum de ijs, qui poſſunt in ius uocari, aut non. Nam & hoc in citationibus ſpectandum eſt, ut citentur cum quib. nobis lis eſſe poſsit. Vt fruſtra in iudicium eum uocari petimus, qui in noſtra eſt poteſtate, quia contendere cum illo in iudicio
26 leges prohibent. l. lis nůl. ff. de iudic. Prohibentur autem in ius uocari homines, aut propter religionis uel magiſtratus reuerentiam, aut propter neceſsitudinis uinculum inuicem, uel ratione procreationis, aut ciuilis alicuius beneficij cauſa, obſtricti ſunt, aut propter mentis inopiam, uel ætatis imbecillitatem, uel occupationũ, quib. incũbunt, ſanctitatẽ. Vere ſigillatim omnes eas perſonas enumerare, quibus leges hunc honorem tribui uelint, ut abſq; impetrata iudicis uenia in ius non uocentur, non arbitror neceſſe, cũm aliud nihil in toto tit. ff. & C. de in ius uoc. agatur, quàm ut tales perſonæ ſint cognitæ. Atq; id etiam tam perſpicuè, ut diſcentes monſtratore ea in re opus non habeant. Itaq; hoc ſolũm monemus, quòd omnes illi in ius uocari poſsint, qui in iſto tit. uocari in ius non prohibeantur: & his addimus, qui in aliena ſunt poteſtate, ut ſunt filijfamilias, ſerui, pupilli, furioſi, & ſi qui ſunt alij, qui Curatores habent, non poſſe conueniri abſq; ijs, in quorum ſunt poteſtate. Pater enim & dominus conueniuntur, & citantur nomine filijſa. & ſerui pro ea parte, qua ſufficit eorum peculium. l. i. §. ſi cum impubere. ff. de pecul. Ad exemplum eorum conueniuntur domini nomine illorum, qui illis bona fide ſeruiunt. Eum uerõ qui habet curatorem aut tutorem, ſi maior eſt vij. annis, licet quidem conuenire, ſed Tutoris aut Curatoris autoritate interueniente. Poſſumus etiam ſolos Tutores & Curatores nomine illorum, quibus præſunt, conuenire, ſicut licet illis eorundem nomine aliquem in ius uocare per ſe, uel eorum, quibus præſunt, nomine. l. i. §. i. & ij. ff. de admi. & peric. tut. Sic & Procuratores & Syndici conſtituti ã dominis cauſæ, citantur, non ipſi domini, poſtquàm per illos lis conteſtata eſt. Bart. cir. l. procuratoribus. C. de procurat. Sed de procuratorum poteſtate & officio, infrã, ubi agendum erit de ijs, qui non ipſi, ſed per procuratores ſuos cauſam ſuam agunt. Huc autem peculiariter non pertinent alij tit. quàm ille, de quo paulò antè diximus, ff. & C.

De in ius uocando.

QVOMODO PROCEDATVR aduerſum eos, qui in Iudicium uocati non ueniunt. Cap. IIII.

SVMMARIVM.

1. Citationis finis quis ſit.
2. Contumacia qualis uocetur inobedientia.
3. Contumax quis habeatur.
4. Qui dolo facit ut non habeat, quod eum habere oportuit, pro eo habetur, qui illud acceperit.
5. De actore contumace, quomodo contra ipſum procedatur.
6. Cautio actoris de ſiſtendo in iudicio. Et quando teſtes recipere ante litiſconteſtationem liceat.

7. Reo absoluto contumax actor semper in expensis condemnatur.
8. De reo contumace quomodo contra ipsum procedatur.
9. Quomodo creditores mittantur in possess. rerum petitarum.
10. Iuramentum calumniæ ab actore præstandum.
11. Executor ordinarius adiungendus actori creditori.
12. Edictum, ne uis fiat ei, qui in possess. missus est, ad quid pertineat.
13. De missione in poss. ex secundo decreto.
14. Cognitio, potestas, & autoritas iudicis hic requiritur, & ut reus citetur.
15. Sententia in absentes non ualet.
16. Quid ex secundo decreto consequatur.
17. Venditio rei, in quam quis missus est, subitò peti aut permitti quando possit.
18. Humanitatis causa dari biennium ad luendum pignus.
19. Contumax semper condemnatur in expensas.
20. Quæ sententia dicatur Eremodicium.
21. Contumaciæ pœna quæ sit, & de mulcta.
22. Parium delictorum fit mutua compensatio.
23. Iudex contemptum suæ iurisdictionis uindicare potest.
24. Iudex quando militari manu utatur.
25. Reus ad positiones uel interrogationes non respondens habetur pro cõfesso.
26. Appellans intra terminum non petens apostolos, deinceps non auditur.
27. Contumaciæ purgatio quomodo fiat.
28. Exceptio sine dolo absenti tribuitur.

FINIS Citationis est, ut causa apud iudicem, à quo facta est Citatio, definiatur, l. ubi cœptum. ff. de iud. Verũm quia maligna audacia quorundam hominum tanta est, ut iam non metuant iudicia & Magistratus suos, quò minus illorum mandata sæpe non negligant, & per contemptum in iudicium uenire uocati cessent, non frustra post tractatum faciendarum citationum quæritur, quomodo aduersus illos procedendum sit, qui iudicia fugiant. Vocatur autem talis inobedientia subditorum erga iudices suos, contumacia, propterea quòd citra contemptum magistratus sui ea fieri non possit. Non autem dici quis potest contumax, nisi terna citatione, aut una peremptoria uocatus in iudicium non uenerit, argum. l. tres. C quomodo & quando Iud. Neque dubium quidem est, illum habendum pro contumaci, qui accepta citatione in iudicium uenire sine iusta causa recuset, sed & illum uolunt haberi contumacem, qui arte aut dolo efficit, ut citatio illi denunciari non possit. Nam qui dolo facit, ut non habeat, quod eum habere oportuit, pro eo habetur, qui illud acceperit. l. ad ea. §. semper. ff. de regulis iuris. Item illum, qui intempestiuè absque uenia iudicis ex iudicio recedit. l. q. iij. c. certum. Item qui non uult respondere, aut obscurius respondet, quàm ut possit intelligi, argum. l. de ætate. §. nihil. ff. de interrogat. action. Item, qui iudice iubente rem restituere recusat. l. qui restituere. ff. de rei. uen. & c. si quis miss. Ex. de foro compet. Hinc est q̃ alius dicitur euidenter & uerẽ, alius præsumptiuè contumax, quod copiose explicat glo. fin. cir. Cle. i. de dolo & contu. & Bart. l. fin. ff. de in integ. resti. Porrõ contumax fit nonnunquam Actor, nonnunquam Reus. Cũm Actor factus est contumax, uidendum est an id factum sit antequam lis contestaretur, an uerò postea. Deinde refert quoque, an ad terminum simpliciter indictum, uel peremptorium non uenerit Actor. Nam si ante litem contestatam ad unam quandam citationem simpliciter factam non uenerit, in expensas tantùm, quas reum eius iudicij causa, in quod ab eo uocatus est, fecisse apparet, condemnatur. Nec porrò admittitur ad aliam rei citationem faciendam, nisi idonèè cauerit de sistendo in iudicio. l. eum quem temerẽ. ff. de iudicijs. & c. i. Extr. de dolo & contumac. in sexto. Si uerò terna facta citatione, aut

1
2
3
4
5
6

ad unam

ad unam peremptoriam uenire neglexerit ante litis conteſtationem tribus additis per interualla xxx. dierum citandus eſt, & expectandum per annum, ut ueniat in iudicium, & cauſam ſuam perſequatur. Ac ſiquidem intra ſpacium eius anni uenerit, non auditur, niſi reſtituat impenſas in eam litem à Reo factas, & caueat de porrò ſiſtendo. At ſi nec elapſo anno ueniat Actor, Iudex auditis allegationibus rei preſentis in iudicio, & receptis teſtibus pronunciare de ſumma cauſæ poteſt contra uel pro Actore abſente, ut ueritas exigere uidebitur. Ac ſi ita fert cauſa, abſoluere Reum, ut porrò nullo modo poſſit ob eam cauſam Actor illi faceſſere negotium. Authentic. qui ſemel. C. quomodo & quando iud. & c. cauſam quæ. Ex. de dolo & contum. Et hoc eſt uerum, quando reus petierit de cauſa pronunciare. Nam ubi illud non petierit, aut pronunciare definitiuè non poſsit, propterea quòd cauſa non ſit ſatis liquidè probata, Reus tantùm abſoluitur ab obſeruatione iudicij, ſiue inſtantia edicti, uel termini, gloſſ. circa ℣ ſi uerò propoſitis. Auth. de litigioſis, circa uerbum proferre. Quòd autem contra regul. Decret. titul. ut lite non conteſtata teſtes recipiantur, nec ad definitiuam ſententiam procedatur, liceat recipere teſtes, & ferre definitiuam ſententiam, ſuſcepto à Reo onere probandi, teſtatur gloſſ. circa c. cauſ. quæ. Ex. de dol. & contu. Poſt litem autem conteſtatam, ſi Actor fuit contumax, multò magis licet iudici contra eum procedere, & ferre definitiuam ſententiam, ſi cauſa eſt liquida, adeò, ut illi negetur omnis appellandi ab ea ſententia facultas. Itaque neceſſe quoq; eſt, abſentem actorem ad talem ſententiam audiendam, uel ut afferat cauſas, quare id fieri non debeat, citari. Magnum etenim in ea ſententia uertitur actoris præiudicium, cùm ea lata amplius Reum conuenire non poſsit, quippè, qui per eam abſolutus ſit ab inſtantia iudicij, & non ſolùm ab inſtantia edicti, ſiue citationis, hoc eſt, ab obſeruatione iudicij, ſicut fit quando de cauſa non ſatis liquet.

7 Quocunque autem modo Reus abſoluatur, contumax ſemper in expenſis illi condemnatur, etiam cùm ſententia pro actore, re ita exigente, lata eſt. Sola nanque abſentia actoris facit, ut in expenſas damnetur, etiamſi cauſa uincat. l. & poſt. ff. de iudicijs, & C. eo. l. properandum. ℣ & ſiquidem, uſque ad ℣ ſin autem, & Auth. de litig. ℣ omne. Atq; hæc quidem obſeruantur in Ciuilibus cauſis. Quid uerò in criminalibus obſeruetur, ſi actor fiat contumax, dicemus infrà.

8 Eodem ferè modo proceditur aduerſus Reum iudicia fugientem, non tamen ſtatim ut in iudicium uenit Reus, contumax habetur, ſed neceſſe eſt petente actore illum à iudice talem declarari, facta ei fide, quòd peremptoriè citatus non uenerit, iuxta Spec. lib. ij. tit. de contum. ℣ ſequitur. Siue autem reus ad ſimplicem, ſiue ad peremptoriam citationem non ueniat in iudicium, ſemper damnatur in expenſas, iuxta gl. c. de illicita. xxiiij. q. iij. Poſtquàm uerò declaratus eſt contumax Reus, refert etiam an ante uel poſt litis conteſtationem, talis iudicatus ſit. Deinde an actio, quam illi intendit actor, realis, uel perſonalis ſit. Nam ſi ante litem conteſtatam factus eſt contumax Reus, tum locum habet reg. tit. Decretal. ut lite non conteſtata teſtes non reci. & ad defini. ſen. non procedatur. Itaque iſto caſu Actor non poteſt petere, ut iudex

9 ad ferendam ſententiam procedat, ſed ſummatim examinato negotio, ſi actio eſt Realis, poteſt petere à iudice, ut ſe mittat in poſſeſsionem rei, quam petit, ſeruandæ & cuſtodiendæ eius cauſa. Si uerò actio eſt perſonalis, poteſt petere ſe mitti in poſſeſsionem bonorum eius, contra quem agit, pro modo debiti, in libello declarati. c. quoniam frequenter. ℣ in alijs. Ex. ut lit. non conte. &c. & cap. fin. Ex. de eo, qui mit. in poſ. cauſ. rei ſer. & C. de præſcript. xxx. uel xl. ann. l. ſi quis emptionis. ℣ penultim. & l. conſentaneum. C. quomodo & quando iudex ſent. profer. debeat. Vt autem ritè fiat talis miſsio in bona Rei abſentis, neceſſe eſt contumaciter abſenti ad domum denunciari,

ut ueniat

ut ueniat & alleget abſentiæ ſuæ cauſas, ſi quas habeat, propter quas ſe excuſandum de contumacia exiſtimet. Ac ſiquidem ne tum quidem in iudicium perſe, uel miſſo procuratore ueniat, poteſt actor petere, ut in poſſeſsionem bonorum rei iuxta diuerſitatem actionum, quam annotauimus, mittatur. c. ſi. Ex. de eo qui mitti in poſ. cauſ. rei ſer. Deinde poſtquàm ita citatus non ue- 10
nit, iudex exigit (ſi ita ei uideatur) ab actore, ut iuramento ſuſpicionem calumniæ in poſtulando à ſe remoueat. Nam hoc in ſummaria cognitione ut plurimum requiri ſolet. l. theſauros. ff. ad exhib. & c. literas. Ex. de reſt. ſpo. Atque id quidem fit cùm quis rem ſuo nomine poſsidet, ſi uerò alieno nomine quis rem petitam poſsideat, cogitur poſsidens edere nomen eius, à quo illi tradita eſt res poſsidenda, & conſtituendum eſt illi tempus, intra quod domino ſuo denunciare poſtulationem actoris poſsit. Et niſi dominus intra conſtitutum tempus in iudicium ueniat, Iudex eum citabit, & eo non comparente actorem iurantem, quòd malignè rem ab eo non petat, mittere in poſſeſsionem rei petitæ poteſt, ſi actio eſt realis: ſi perſonalis, mittitur primò ad occupandum mobilia, ſecundò ad immobilia. c. quoniam frequenter. §. in aliis. Ex. ut lit. non conteſt. Talem autem miſsionem neceſſe eſt, ut iudex per interlocutoriam ſententiam poſtquàm ſummariè cauſam cognouit, decernat 11
fieri, & adiungat ei executorem ordinarium, qui in poſſeſsionem, quæ ei decreta eſt, ducat, id quod in trito eſt uſu fori, & autoritate. c. i. §. contrahentes. Extr. de for. compet. in ſexto approbatur. Neque uerò creditores in ſolam poſſeſsionem rerum corporalium debitoris mittantur. Sed ſi eas non habeat debitor, poſſunt creditoribus per iudicem obligari debita, quæ ipſorum debitoribus à quopiam debentur loco pignoris. leg. i. C. de prætor. pignor. & ibi gloſſ. Si uerò conuentus neque corporalia, neque incorporalia habeat, in quæ mitti poſſet actor, obſeruanda eſt conſuetudo fori, qua ut plurimùm uinculis mancipantur debitores, aut territorio eis interdicitur, donec ſoluant debita.

Miſſus autem in poſſeſsionem rei petitæ, actione reali, ſtatim conſequi- 12
tur ius poſsidendi ea, ita ut edicto, Ne uis fiat ei, qui in poſſeſsionem miſſus eſt, tueri eam poſſet. Pertinet enim illud edictum ad omnes, qui in poſſeſsionem rerum immobilium miſsi ſunt. l. i. §. i. titul. eiuſdem edicti. Et tamen ſi Reus, in cuius bona miſſus eſt Actor, intra anni ſpacium ueniat, & actori expenſas rependat, atque ſatis illi coram iudice caueat de ſiſtendo, poſſeſsionem ſuorum bonorum recuperat. Elapſo uerò anno ueniens de reſtitutione poſſeſsionis acturus, non auditur. Nam uerus poſſeſſor factus eſſe iudicatur Actor, poſtquàm per anni curriculum rem tenuerit. c. paſtoralis. in fin. Ex. de off. ord. iud. Itaque non poteſt cogi, ut reſtituat illi poſſeſsionem, niſi probet iure dominij illam rem ad ſe pertinere. l. ſi quis emptionis. §. pe. C. de præſcript. xxx. uel xl. an. & c. quoniam frequenter. §. fin. Ex. ut lite non conteſt. Idem fit, cùm quis ex actione perſonali aliquem conueniens, in poſſeſsionem miſſus eſt, ſed ille detinere tantùm rem, in cuius poſſeſsionem miſſus eſt, & non poſſe poſsidere eam iudicatur. l. poſsidere. §. fin. ff. de acquirend. poſſ. Nam Reus in cuius bona actor, ex actione perſonali miſſus eſt, non ejicitur poſſeſsione eorum bonorum, ſed cogitur mandato iudicis permittere, ut actor ea habeat loco pignoris rei debitæ, argumento l. i. §. quæſitum. ff. quorum legat. Itaque niſi iudex, ex officio ſuo iubeat Reum decedere poſſeſsione, motus iuſta aliqua ex cauſa, non exiſtimatur poſsidere. argum. l. ſi cuius. iuncta l. ſeq. quæ aliàs loco §. eſt. ff. de uſufructu & quem. quis ut. Cùm igitur is, qui ex perſonali actione in poſſeſsionem miſſus eſt, non fiat poſſeſſor, parum prodeſſe illi facta miſsio uidetur, nam præter quàm quòd ita detinens rem, acquirere eam iure præſcriptionis non poſsit, propterea quòd eam non poſsideat, hac quoque moleſtia grauatum, ut cuſtodire fructus, ſi quos ex ea

re-

re, in cuius possessionem missus est, Reus perceperit, cogatur, l. is cui. §. qui legatorum. ff. ut in poss. leg. siue fidei. esse lic.

Proinde ne perpetuò sit fraudi actoribus contumacia Reorum, permittitur illis, ut facta primùm missione, denuo petant earum rerum, quæ illis loco pignoris priore decreto iudicis addictæ sunt, possessionem sibi per sententiam iudicis decerni. Hinc est, quòd alia missio in possessionem fit ex pri-
13 mo decreto, alia ex secundo. Neque uerò illis hoc licet statim ubi paululum uisus est cessare Reus, quò minus in iudicium ueniat, & iuri pareat, sed tum demum cùm iusta causa uidebitur. l. si finita. §. non autem. ff. de dam. infec.
14 Itaque in cognitione iudicis erit, ut quis petens secundo Decreto possessionem sibi decerni, iuuetur. Nam cùm l. alleg. non sit definitum tempus interponendi secundi decreti, nec illud etiam in alijs ll. extat, in potestate iudicis esse uidetur, ut ipse sua autoritate illud constituat, arg. l. 1. in fin. ff. de iur. delib. Quia quoque necesse est, hanc missionem quoque fieri per iudicis sen-
15 tentiam, requiritur, ut Reus absens ad eam missionem citetur. Neque enim ualet sententia, nisi illi, quos cõtingit causa, aut fuerint præsentes, aut citati per contumaciam uenire posthabuerint. l. de unoquoq;. ff. de re iud. Postquàm igitur iudici, accepto libello Actoris, quo petit se rerum possessorem secundo decreto constitui, quæ antea ei loco pignoris additæ fuerint, uisum est esse tempus, ut Actor audiatur, tum quocunque modo fieri possit, denuncianda illi est iudicis uocatio. Ac siquidem uenerit solutis expensis, & præstita cautione de sistendo, causa iudicio ordinario cognoscitur. si uerò perseueraue-
rit in sua contumacia, potest iudex Actorem, uerum possessorem earum rerum, quas ex primo decreto detinet, constituere. Sed glo. fin. cir. c. quoniam frequenter. Ex. ut lit. non contest. & c. contendit, quòd ne tum quidem Actor, infra spacium xxx. annorum, præscribere eam rem possit, quõ minus co-
16 gatur Reo offerenti debitum, rem, quam in possessionem secundo decreto acceperit, restituere. Illud enim solum illum ex eo Decreto consequi, ut si fortè Reus postquàm iam illud interpositum ueniat, solutis expensis & præstita cautione de sistendo cum eo litigaturus Actor in possessionem missus secundo decreto, liberetur onere probandi debiti, quia in reum istud onus transferatur, ita ut illi incumbat necessitas probandi, indebitum id esse, quod ab eo petatur. Atq; hoc quidem ferè obseruatur, nisi res propter contumaciam Rei, Actori addicta, in solutum autoritate iudicis Actori data sit, aut iudice permittente ea res uendita sit.

17 Sed neque uenditio rei, in quam quis autoritate iudicis secundo eius decreto missus est, subitò peti aut permitti potest. Nam id tum demum licet, cùm reus fraudandi Actoris causa latitat, nec à quoquam absens defenditur, cũmque constat de debito, & illi constitutum à iudice est tempus, quo in iudicium ueniat. Et tum ipse in contumacia sua perseueret. l. Fulcinius. ff. quib. ex causis in poss. eatur, & l. cùm proponas. C. de bon. auto. iud. poss. Neque Actori res, in cuius possessionem secundo decreto missus est, addici in solutionem debiti potest, donec inuenitur emptor, qui iustum precium pro ea polliceatur. Nam non existente emptore Rei subhastatæ, addici Actori res ex missione iudicis demum solet. l. fin. C. si in causa iud. pignor. cap. sit.
Quamuis autem is, qui secundo iudicis decreto missus est in possessionem, uerus fiat possessor, siue Reus eius rei fuerit dominus, siue non, leg. sicut & aliæ, in fin. ff. de public. in rem actio. Et is cui in solutum data est res, fiat
18 dominus Rei: tamen quia in conuentionalibus pignoribus adiudicatis, causa humanitatis ei, cuius est pignus, datur biennium ad luendum pignus. l. uetustissimam. §. & postquàm. C. de iure dom. impe. Videtur & in iudicialibus pignoribus Actori, propter contumaciam Rei addictis, idem esse obseruandum. Atque ita rei in solutum datæ recuperatio prorsus negatur Reo de

mum elapso biennio, postquã ita data est, argumento iam alleg. l. ℌ sin autem biennium. C. de iur. dom. impe. Vendita autem re pluris quàm debitum fuit, Reus illud quod abundet repetere ab Actore potest, & uicissim si actori ex re uendita non satisfactum est, id quod ei deest, à reo petere licet. l. ult. ℌ pe nult. C. de iur. dom. impe.

Hęc uerò quæ de missione in possessionem hactenus dicta sunt, locum ha bent quando agitur de rebus corporalibus, & conuentus sit contumax ante li tis contest. Quando uerò agitur de re incorporali, ut est seruitus, tum si Reus sui potestatem non faciat, ut possit cum eo agi, Actor petere potest sibi per mitti, ut seruitute utatur, donec probet Reus, ei non esse ius ea utendi, iux. l. is cuius, & ibi gl. ff. si ser. uen. Iam de contumacia rei post litis contestationẽ dicendum est. Nam hoc reliquum est in explicatione diuisionis rerum obser uandarũ, circa contumaciã rei. Et est quidẽ multò expeditior ratio procedẽdi post litis contestationem, ꝙ anteꝙ ea facta sit. Nam aut liquet de causa, nimirũ quia testes recepti sunt, aut eò deducta lis est, ut recipi testimonia possint. Et tandem proceditur ad sententiam, qua reus absens uel condemnatur, uel ab soluitur, prout causæ ratio exigere uidetur: siue autem pro reo, siue contra re 19
um feratur sententia, semper condemnatur actori in expensas propter contu maciam absentiæ. Nec potest ab ea sententia appellari. l. properan. ℌ sin aũt reus, & ℌ sin autem ex gest. C. de iudicijs. & c. pro ut, in fi. & ibi gl. Ex. de dol. & con. Aut non liquet de causa, ut quia neꝙ testes sunt producti, neꝙ instru mẽta exhibita, aut id genus alia facta, ex quib. in certã causæ notitiã perueni tur, tum potest actor petere se mitti in possessionem, & missus statim fit pos sessor, nec à reo, nisi de proprietate rei conueniri porrò potest. c. pro ut. Ex. de dol. & cont. Quoties autem fertur in aliquem absentem sententia, propterea ꝙ iudicium deserat, dicitur ea sententia propter ἐρημοδίκιον, i. desertum uadi- 20
monium lata esse, cuius uocabuli ego mentionem facio, ut discentes probè intelligant, quid propriè per illud significetur, nam eo usi sunt tum ueteres, cũm recentiores Iureconsulti in pleriſqꝙ locis.

Porrò contumaces non hoc solũm incommodi ferunt ex sua contumacia, 21
quòd in expensas damnantur, & pro casuum ratione illorum possessiones oc cupantur, ut tædio affecti in iudicium ueniant. l. is cui. ff. ut in possess. leg. es se lic. Sed potest iudex illis dicere multam, quandocunque, siue ante, siue post litem contestatatam, ei non obtemperauerint. Omnibus enim magistrati bus secundum ius potestatis suæ concessum est, iurisdictionem suam defende re pœnali iudicio. ff. Si quis ius dic. non ob. His uerò datur ius dicendæ mul tæ, quibus publicum iudicium est, & non alijs, nisi hoc specialiter eis permis sum sit. l. ij. in fin. ff. de iud. Quis uerò sit modus dicendæ multæ, ostenditur in C. de modo mulctarum. Cũm igitur uel actor, uel reus iurisdictionem sui iudicis contemnit, potest ille in istum animaduertere, dicta ei mulcta, quam soluat propter suam contumaciam, etiam postꝙ in expensas alter alteri conde mnatus, aut alter in alterius possessiones missus est. Imò liberum est iudici di- 22
cere illis mulctam, si neuter illorum ei obtemperet. Licet enim isto casu neu ter possit de alterius cõtumacia iure conqueri, propterea ꝙ ambo pariter deli querint, & necesse sit parium delictorum fieri mutuam compensationem. l. si uxor. ℌ iudex. ff. ad l. Iul. de adul. & c. significasti. Ex. de diuortijs. Tamen ani 23
maduersione pecuniaria uindicare contemptum iurisdictionis suæ iudex po test. Atqꝙ his quidem modis proceditur aduersum eos, qui citati in iudicium non ueniunt.

Cæterùm in alijs quibusdam casibus etiam durius tractantur contumaces. Vt si quis eum, qui à iudice iussus est in possessionem mitti, nolit admittere, 24
potest iudex etiam militari manu eum possessione deijcere. l. qui restituere. ff. de rei uendic. & l. si quis missus. ff. ne uis fiat ei, qui in poss. mis. est. gloss. pe.

Contumaciæ pœna.

circa

circa ca. tuæ. Ext. ut lite non conteſtat. Item in quibuſdam caſibus propter
25 contumaciam prorſus repelluntur ab agendo litigantes, Vt ſi Reus contumaciter recuſet reſpondere ad poſitiones, ſiue interrogationes ab Actore in ueſtigandæ ueritatis cauſa, apud iudicem propoſitas, habetur pro confeſſo.
26 c. ij. Ext. de confeſſis, in ſexto. Nec appellans porrò auditur, ſi intra terminum conſtitutum Apoſtolos petere negligat. l. præſes. ff. de re iud. Sed de talibus obſeruationibus ſuo loco quoque infrà dicetur. Sicut neque hic dicendum de miſsionibus in poſſeſsionem, quæ fiunt in poſſeſsiones ex decretis iudicum, cauendi, uel ſatiſdandi cauſa. Nam de his commodius infrà, ubi ipſa res dabit occaſionem dicendi de talibus miſsionibus. Neque hoc loco dicendum eſt de contumacia, quæ admittitur in iudicijs capitalibus. Nam de talium cauſarum proceſſu ſeparatim nos dicturos à principio monuimus. Neque de procuratorum, aut Syndicorum contumacia, quatenus ea noceat principalibus litigatoribus, dicemus, quia pòſt de illis agendum erit, ubi indi cauerimus, quomodo illi conſtituantur, & in quibus caſibus eorum opera u-
27 tamur. Quod igitur attinet ad proceſſum, qui fit aduerſum eos, qui contumaces iudicantur, propterea quòd in iudicium uocati non uenerunt, hoc unum reliquum eſt, quod hoc loco uenit obſeruandum, uidelicet, quòd ſi uocatus in iudicium, iuſtis cauſis impeditus ſit, quò minus uenerit, poſsit abſentiam ſu-
28 am de contumacia purgare. Aequiſsimum enim eſt tribui ei exceptionem, qui ſine ſuo dolo malo in iudicium non uenit. l. ij. §. ſi quis municipalis. ff. Si quis cont. in iud. ſiſ. cauſa fac. non obtemp. & cir. eam l. Paulus de Caſtro. Quæ uerò ſint cauſæ, quibus excuſamur à contumacia, paulò pòſt audiemus. Pertinent huc peculiariter tituli:

ff.

Si quis ius dicenti non obtemperauerit.
Si quis in ius uocatus non ierit.

In Dec. Sex. & Cle.

De dolo & Contumacia.

DE EXCVSATIONE EIVS, qui abſque contumacia, in iudicium non uenit. Caput V.

SVMMARIVM.

1. Iudicum autoritas quanti fiat à legibus.
2. Cauſæ quæ excuſant contumaciam ſunt, ualetudo, tempeſtas, auocatio reipublicæ, captiuitas.
3. Aequiſsimum eſt exceptionem abſenti non doloſo dari.
4. Excuſatio contumaciæ quomodo fiat.
5. Nuncius aut procurator mittendus ad excuſandam abſentiam.

1 ANTI leges fieri uolunt autoritatem iudicum, ut etiam eum in iudicium uenire iubeant, qui ex aliena iuriſdictione in iudicium uocetur. l. ſi quis ex aliena. ff. de iudicijs. Et tamen nolunt eum pati pœnam contumacis, quem maioris cauſæ occupatio defendat. l. contumacia. §. pœnam contumacis. ff. de re iudicat.
2 Inter cauſas autem, propter quas quis non ueniens in iudicium uocatus excuſetur, numerantur: Valetudo, nam & l. xij. tab. uolunt diem iudicij eſſe diffiſſum, ſi iudex, aut alteruter ex litigatoribus morbo ſontico impediatur. Item tempeſtas, ut ſi quis ui fluminis prohibeatur. leg. ij. §. ſi quis in iudicio. ff. ſi quis cau. &c. Item auocatio, quæ fit reipub. cauſa. l. ſi Prætor. §. Paulus. ff. de iud. Item captiuitas. Nam capti ab hoſtibus retinent omnia ſua iura, quæ habuerunt cùm caperentur, ac ſi nunquàm capti fuiſſent. l. bona. ff. de capt. & poſtl. reuer. Huic cauſæ adiungi poterunt omnes illæ, propter quas aliquis ex beneficio & clementia iuris, in integrum reſtituitur, de quibus infrà

in cap. de Priuilegijs. Possunt quoque inter causas maioris occupationis numerari omnes illæ, quæ nobis adimunt potestatem ueniendi in iudicium, cũm illud minimẽ nostra uoluntate detrectemus. Nam æquitas causarum, quas enumerauimus, ad alia uiolenta impedimenta rectẽ extenditur, cũm sicut in fine proximi c. dictum est, æquissimum sit exceptionem ei dari, qui sine suo dolo malo in iudicium non uenit. Excusatur quoque de contumacia in iudicium non ueniens, si nihil interfit aduersarij aliquem constituto tempore in iudicium uenisse, puta si feriatus fuerit dies, qua uenire iussus est, aut quia iudex uacare iudicio propter occupationes publicas non possit. l. ij. §. fin. ff. si quis in ius uoc. & de recept. arb. l. arbiter. Extra culpam contumaciæ quoq; esse censetur, qui certus de Iurisdictione iudicis eum uocãtis, cũm non paret, quia eius iurisdictioni se non obnoxium esse nouit, impunè enim tali iudici non paretur. l. fin. ff. de iurisd. omnium iud. Proinde id quod diximus de obtemperando iudicibus, ex aliena iurisdictione aliquem uocantib. locum habet, quando de iurisdictione dubitamus, ignorantes an ei subiecti simus nec ne, non cũm de ea sumus certi. l. ij. §. sed si dubitetur. ff. de iud. Cæterũm si qua causa impedimur ipsi uenire in iudicium, & tamen nihil obstet, quõminus aliquem nomine nostro ad iudicem mittere possimus, qui ei nostram absentiam excuset, profuerit mittere nuncium, aut procuratorem, qui causam nostræ absentiæ iudici contestatam faciat, iux. Bart. & dd. cir. l. diuus Hadrianus. ff. de cust. & exhib. re.

QVI SVO, VEL ALIENO nomine uersari in iudicio possunt, uel non. Caput VI.

SVMMARIVM.

1. Qui rebus suis ipsi præesse non possunt, per alios possunt.
2. Postulare quid sit.
3. Qui in iudicio postulare possunt uel non.
4. Patrocinium aliorum in iudicio suscipere quibus sit prohibitum.
5. Excommunicati in iudicio uersari prohibentur.
6. Qui postulare pro alijs prohibentur.

IAM igitur si quis in iudicium uocatus, nullam habeat causam, propter quam excusari de contumacia possit, si in iudicium non ueniat, debet aut ipse apud iudicem causam suam agere, aut alium ad eum mittere, qui eius nomine causam agat. Neque enim iudex cogere aliquem potest ipse ob quamuis causam in iudicium ueniat, ac non magis alium quempiam, ut mittat, qui illius loco causam agat. leg. præsenti. Cod. de his, qui ad Eccles. confug. Regula itaque est, ut qui rebus suis ipsi præesse uel nolunt, uel non 1
possunt, saltem per alios possint. l. i. §. usus. ff. de procur. paucis exceptis casibus, quibus litigantes ipsi in iudicium uenire coguntur, iux. ca. i. Extr. de iud. & ibi gloss. in quibus annotantur casus ab hac regula excepti. Illi uerò qui suo, uel alieno nomine causam in iudicio agunt, apud Maiores usitato uerbo dicuntur postulare. Est enim postulare desiderium suum, uel amici 2
sui in iure apud eum, qui iurisdictioni præest, exponere, uel alterius desiderio contradicere. l. i. §. postulare. ff. de postul. Non autem hoc pariter omnibus iure licitum est. Quidam enim in totum prohibentur postulare, ita ut 3
nec pro se, uel pro alijs causam agere in iudicio possint, ut sunt surdi, muti, & his similes, qui prætoris edictum exaudire, aut causam exponere nullo modo possunt. Item minor annis xvij. l. i. §. initium. ff. de postul. Verũm hoc cum hac limitatione accipiendum est, quòd nati annos xvij. pro alijs possint postulare, non autem pro se ipsis, iuxta gloss. ibi. circa uerbum compleuit. Nam posterioribus constitutionibus Imperatorum, quæ extant sub titul. C. Qui leg. pers. stan. in iud. hab. cauetur, ne quis minor xxv. annis absque Tutore

uel

uel Curatore agere uel conueniri posit, nisi de adipiscenda, uel retinenda, aut recuperanda possessione agatur. In tali nanque casu etiam impubes ad
4 agendum admittitur. l. fin. C. qui leg. pers. stan. in iud. hab. Quidam suas, & eorum, quorum tutelam uel curam gerunt, causas agere possunt, sed aliorum patrocinium in iudicio suscipere prohibentur, ut sunt fœminæ, luminibus orbati, Infames propter manifestam turpitudinem, cuiusmodi habendi sunt, qui ipso iure fiunt infames, & tale quid admittunt, quod leges detestantur. l. i. §. secundo loco. ff. de postulan. Quidam pro se & certis quibusdam personis solum agere in iudicio causam possunt, ut sunt qui l. aliqua, uel plebiscito, senatusconsulto, decreto principũ, aut etiam statuto postulare prohibentur, & qui sententia iudicis infamia notati sunt. Quæ uero sint istæ personæ, quarum patrocinium suscipere his liceat, indicant l. i. §. ut initio, & ll. seq. omnes
5 usque ad finem, ff. de postul. Iure Canonico excommunicati in iudicio uersari prohibentur, adeo ut nec si aduersarius hoc illi permittat, postulare in iudicio possit. 11. q. 3. c. cum excommunicato, & Ex. de except. c. exceptionum.
6 Prohibentur postulare pro alijs & illi, qui Christianam catholicam fidem non amplectuntur. l. nemo. C. de post. Item qui pactus est cum litigatore de certa parte rei, de qua litigatur, pro salario, & plerique alij prohibentur postulare, tum in iure Ciuili, tum in iure Canonico, quos facilè quisque per se annotabit ex titul.

ff. & C.
De postulando.
& Cod.
Qui legitimam personam standi in iudicio habeant, uel non.

DE INFAMIBVS.

Caput VII.

SVMMARIVM.

1. Declaratio, unde quçque infamia oriatur.
2. Iudicium de æstimatione inter cognitionum genera relatum.
3. Infamia quid sit.
4. Infamiam esse duplicem, facti & Iuris.
5. Flagitia ignominiosa quæ censeantur.
6. Ignominiæ causa dimissus ab exercitu.
7. Lenocinium faciens infamis est.
8. Fœnus exercens de iure Canonico infamis est.
9. Infamia iuris quæ sit.
10. Arbitri pronunciatio non per omnia sententia est.
11. Ob quodlibet crimen condemnatus non fit infamis.
12. Crimen in iudicio confessum, aut transactum infamat.
13. Condemnatus nomine alieno non fit infamis.
14. Prouocatio à condemnatione infamię suspendit infamiam.
15. Non existimatur infamia notatus, in quem uel grauior pœna, uel durior sententia, quàm oportuit, lata est.
16. Aduocatus & procurator esse qui non possit.
17. Infamia facti quæ dicatur, & qui infames infamia facti dicantur.

1 QVIA propter infamiam quosdam non admitti ad agendum causas pro alijs, proximo cap. dictum est, declarandum obiter duximus, unde quæque infamia oriatur, & per quam nobis potestas postulandi pro alio auferatur, Neque enim ob quanque infamiam id accidit. Itaq; accuratè discernendæ sunt infamiæ species, ne iudicando de infamibus impingamus. Nam habere aliquem pro infami,
2 tanti momenti causam esse maiores iudicauerunt, ut inter cognitionum genera iudicium de æstimatione retulerint. l. cognitionum genera. ff. de uarijs, &

Infamia. extra.cog. Est autem infamia imminutio status, ex eo, quod contra dignitatem cuiusque ordinis ab aliquo factum est, orta. Vnde Bartol. circa l. i. C. ex quibus causis infamia irrogatur, dicit infamiam esse statum læsæ dignitatis, moribus & legibus reprobatum: quæ definitio à contrario sensu sumpta est, ex l. cognitionum. §. existimatio. ff. de Extr. cognit. Talis uerò imminutio status duplici fit modo, aut enim quis fit infamis infamia iuris, aut infamia facti. Rursum duobus modis aliquis notatur infamia iuris, nimirum cùm quis tale quid designat, quod publicis legibus turpe & famosum habetur. Et quia talem infamiam quis incurrit sola notatione iuris publici absq; cognitione iudicis, dicitur ea fieri ipso iure, & ipso facto. Atq; ita in usu est, ut sub his formis loquendi sæpe eadem accipiatur infamia, sed & hæc infamia, quæ fit ipso iure & facto, duplex est. Etenim cùm quædam flagitia iure ciuili, quædam iure canonico ignominiosa censeantur, infamia, quæ ex crimine oritur, quod leges Ciuiles detestantur, Ciuilis: ea uerò, quæ aliquem sequitur ex delicto, quod Canones tanquàm flagitiosum scelus damnant, Canonica dicitur, Vt si quis ignominiæ causa, ab exercitu dimissus sit, aut lenocinium fecerit, ipso iure si ue facto, infamis est, infamia Ciuili, quia l. i. ff. de his, qui no. infam. tales pro infamibus habendos præcipit. Si uerò quis improbum fœnus exerceat, ipso iure, & facto fit infamis, infamia Canonica, quia Canones fœnerandi studium inter flagitia famosa ponunt. c. infames. §. porrò. iij. q. iij. Sed, inquis, quę est ist hæc noua religio, quòd lenocinia non ponuntur inter crimina, ex quibus non oritur infamia Canonica, an ne minus crimen est exercere lenocinium, quàm usuras? Respondeo, omnes infames esse regulariter secundum canones, quos ll. Ciuiles infamia notari iubent, iux. c. omnes uerò. vi. q. i. Quippe decet quorum flagitia insectanda publico odio censeant leges Ciuiles, quæ solùm manus hominum regunt, eas multò magis damnent canones, quibus ex professo id agitur, ut mentes & animę extra uitium sint Deo odiosum. Itaq; præter necessitatem quæsita uidetur differentia infamiæ, qua alia ciuilis, alia canonica esse statuitur. Sed huius rei hæc potest reddi ratio, quòd cùm quædam sint flagitia, ut est Simonia, Hæresis, & his similia, quorum cognitio & animaduersio peculiariter ad ecclesiam pertinet, non frustra constitui hanc differentiam inter notationes flagitiorum. Vt autem redeam ad institutum obseruãdum, dico, quòd infames ipso iure, siue facto, infamia ciuili, uel canonica non possunt aliorum in iudicio (seruata autoritate politicæ & ecclesiasticæ iurisdictionis) suscipere patrocinium, iux. l. i. §. secundo loco. ff. de postul. & Panor. cir. c. testimonium. Ex. de testibus. Porrò, secundo modo quis fit infamis infamia iuris, cùm quis per sententiam iudicis, criminis reus iudicatus est, Si tamen iudex habuerit iurisdictionem ordinariam, aut delegatam. Nam si quis ex compromisso inter aliquos factus arbiter, quempiam criminis condemnet, ille non fit infamis, quia arbitri pronunciatio non per omnia sententia est. l. quid ergo. §. ex compromisso. ff. de his, qui not. infa. Nec ob quodlibet crimen condemnatus fit infamis, sed tum solùm, cùm crimen causam publici iudicij habet, aut ex eo genere criminum est, ut eius condemnatio etiam in priuato iudicio infamiam importet. l. infamiam. ff. de publ. iud. Exempla uerò tum publicorum, tum priuatorum iudiciorum, quibus condemnatus fit infamis, notantur in l. i. §. qui iudicio, usq; ad §. qui eam. ff. de ijs, qui not. infa. Nonnunquàm quis fit infamis, infamia iuris, per quasi sententiam, uidelicet, si crimen in iudicio confiteatur, aut ex conscientia delicti de eo transigat, nisi Prætoris iussu pactus fuerit. l. Athletas. in fin. & l. quoniam. & ij. seq. ff. de his, qui not. infa. Videndum tamen est in notatione infamiæ, quæ ex sententia uenit, an quis suo, an uerò alieno nomine condemnatus sit. Nam alieno nomine condemnatus, non laborat infamia. l. furti. §. si quis. ff. de his, qui not. infa. Deinde si quis suo nomine condemnatus, prouocet à sententia, non habetur

Infamia duplex.

infamis,

infamis,nisi denuo à iudice ad quem prouocauit, de eodem crimine conde-
15 mnetur.l.furti.§.i.ff. de his qui not. infa. Postremò, neque ille existimatur infamia notatus,cui grauior,& alia, quàm quæ legibus constituta est,pœna, per iudicem irrogata est, quippe, transactum à prætore de æstimatione cum eo uidetur,in quem durior sententia, quàm ll. oportuit,lata est.l. quid ergo. §.pœna grauior.ff.de his qui not.infa.sed hæc reg. accipienda est secundum distinctionem Bart.& aliorum dd. cir. eam l. Cæterùm aboletur horum infamia,qui actionibus famosis damnati sunt,si in integrum restituti fuerint,iux.
16 l.i.§. Deinde adiecit.ff. de postul. Et nisi quis hoc modo integritatem famæ per condemnationem iudicis amissæ recuperauerit,neq; aduocatus neq; procurator cuiusq; esse potest,exceptis parentibus,patronis,liberis,uxore,sororibus,pupillis,furiosis, & alijs quibusdam personis, quarum patrocinium ut suscipiamus, officij ratio à nobis exigit. Quæ uerò sint istæ personæ,ostendit l. i.in fin.& v.seq.ff.de postul. Atq; hæc quidem de infamia iuris,qua quis
17 fit infamis,aut ipso facto,aut per sententiam iudicis. Verùm infamia facti is dicitur infamis,cuius pudor,aut per increpationem iudicis extra cognitionẽ causæ oneratur,aut notatione parentis in testamento perstringitur. l.ob hæc. ff.de his qui not. infam. & C.eod. l.ea.& l. uerb.& l.interlocutio. Item infamiam facti incurrunt parentes & patroni, si conuenti à liberis uel libertis propter iniuriam, aut fraudem suam condemnantur. Quamuis enim talium personarum honori tribuatur, ut sic damnati nõ fiant infames, tamen opinione hominum non effugiunt infamiæ notam.l.honori.& l.licet.ff. de obsequiis. Vnde est,quòd dicantur esse infames infamia facti,qui apud bonos ac graues uiros malè audiunt. Talis autem infamia non impedit aliquem, quõminus alicui patrocinari in iudicio possit, sed repellit eum à querela inofficiosi testamenti,& impedit in consequenda dignitate, iuxta gloss.l. nullam.C.ex quibus causis infam. irr.

ff.

De his qui notantur infamia.

Cod.

De causis ex quibus infam.irrogatur.

DE PROCVRATORIBVS & Syndicis. Caput VIII.

SVMMARIVM.

1. Excusator quis esse dicatur.
2. Inter procuratorem & nuncium quanta sit differentia.
3. Defensor uoluntarius quis dicatur. 4. Syndicus quis sit. (tur.
5. Syndicus & actor in quo differant. 6. Oeconomi,& uicedomini qui uocen.
7. Procuratoris nomen generale esse. 8. Nomina reb,conuenientia tribuẽda.
9. Procurator quis dicatur.
10. Qui possint constitui procuratores.
11. Inuitus procurator constitui non potest.
12. Qui possint constituere procuratores.
13. In causis criminalibus procurator non ualet, iniuriarum causa excepta.
14. Procuratoris diligentia qualis requiratur.
15. Procurator in rem suam quis esse intelligatur.
16. Procurator ad litem datus quam habeat potestatem.
17. Procurator rei dominus litis.
18. Reuocatio actoris & Syndici.

REDEO ad obseruationes faciendi processus in iudicijs. Si Actor, aut Reus per se in iudicio uersari uel nolint,uel non possint,datur illis potestas mittendi procuratoris, qui ipsorum causas agat. Sortitur autem procurator iudicij causa constitutus, aliud atque

aliud nomen, pro diuersitate rerum, quæ illi committuntur, earumq; respectu à quibus constitutus est. Nam si quis aliquem ad iudicem mittat, absentiæ 1
suæ excusandæ gratia, is dicitur excusator, & talis procurator absque mandato missus, non differt à nuncio, quamuis alioquin magna sit inter procuratorem & nuncium differentia, iux. glo. l. multum. C. Si quis alt. uel sibi subalt. 2
no. Si uerò quis non rogatus, & absq; mandato alicuius defensionem in iu- 3
Defensor uoluntarius. dicio suscipiat, is dicitur defensor uoluntarius. gloss. l. minor. ff. de procur. Nonnunquàm & aduocatus dicitur defensor. ut in c. uenerabilem. Ext. de elect. Quamuis aduocatus propriè is sit, qui præsentis causam suo patrocinio
Syndicus. tueatur, & procurator atq; defensor, qui absentium uices sustineant. Ac siqui- 4
dem quis alicuius ciuitatis, uniuersitatis, aut collegij causam defendat, ille uocatur Syndicus, quasi in defensionem communis causæ incumbens. Idem sæpe dicitur actor, ut in l. item meorũ. ff. quod cuiusq; uniuers. nomine &c. Verùm Actor non semper sicut Syndicus plurium simul procurator est, sed aliquandò etiam à singulis sicut procurator constitui potest. Instit. de Curat. in fin. unde gloss. l. i. ff. quod cuiusc. uniuer. nomine, &c. uult ita quoq; distingui 5
actorem à Syndico, licet aliquoties in legibus alter sub alterius appellatione accipiatur, ut dicat actorem constitui à collegio, ad certam & præsentem causam agendam. Syndicum uerò ad omnes tam præsentes, quàm futu-
Oeconomi. ras collegij causas defendendas. Et his appellationibus non contenti ecclesiastici, usu loquendi inualuit, ut quibus mandata sit cura rerum ecclesiasticarum tuendarum, uel in iudicijs, uel extrà, dicantur Oeconomi. l. omnes. §. 6
hoc nihilominus. C. de Episcop. & Cler. Rursum affectatio eminentiæ in amplitudine nominum, aliam peperit in ecclesiasticarum rerum administratione diuersitatem appellationum, uidelicet, ut illi solùm dicantur Oeconomi, qui Canonicorum res curent. Ille uerò, qui Episcopi causam, aut res ad-
Vicedomini 7
ministret, uocetur Vice dominus, ad exemplum principum prophanorum, in constituendis uicecomitibus in administratione rerum politicarum, glo. circa uerbum præpositum. i. q. iij. c. saluator. Ponuntur quoque inter Procuratores, Tutores, & Curatores, & Orphanotrophi, sicut possunt omnino omnes inter eos numerari, qui aliquam administrationem rerum alienarum
Procuratoris nomen generale. gerunt. Nomen enim procuratoris generale est, & sub eo accipiuntur tam illi, quibus negotia extra iudicium gerenda, quàm quibus causæ in iudicio agendæ mandantur. Sed nostri instituti ratio exigit, ut hoc loco tantùm agamus de procuratoribus iudicialibus, qui aliorum uices in sustinendis iudicijs gerunt. De alijs procuratoribus agitur in schemate obligationum, quæ ex mandato oriuntur. Quòd autem procuratores ad suscipiendas lites constituantur, aut à singulis, aut à plurium collegio, patet ex declaratione appellationum, quibus procuratorum diuersitas iam annotata est.

Sed miretur aliquis, quorsum opus fuerit, tot appellationibus distingui procuratorum iudicialium functiones, cùm idem propemodum sit munus, nempe, ut nomine aliorum lites in iudicio sustineant. Potest autem huius rei hæc reddi ratio, quòd quamuis nomen procuratoris in genere acceptum, omnes comprehendat, qui alieno nomine lites sustinent, tamen quia
Procurator. hi neque eodem modo constituuntur, neque illorum eadem est potestas, non frustra etiam eos appellationibus discerni, ut nomina rebus conueni- 8
entia tribuantur, iuxta legem, si idem. Cod. de Codicillis. Quibus uerò modis quique constituantur, quæqũe sit cuiusque potestas, declarabit singulorum procuratorum sequens descriptio. Procurator dicitur, qui aliena 9
negotia mandato domini administrat. leg. i. ff. eodem. Quam autem uim habeant singula uerba in definitione, declarat glossa eiusdem legis. In ipso uerò mandato, quo constitui debet procurator, tria requiruntur, nempe

nomen

nomen constituentis & constituti, mentio causæ commissæ, in genere, uel in
specie, & quòd constituens ratum habere uelit, quod cum procuratore a-
10 ctum sit. l. si procuratorem. ff. eodem. & gloss. circa c. i. Ex. eod. Atq; tali man
dato possunt constitui procuratores omnes illi, qui ad postulandum pro alijs
admittunt, siue sint patres, siue filijfamilias, mõ nõ sint minores xxv. an. l. mi-
nor. ff. eod. & non sint de crimine accusati. l. Reum. C. eo. Neq; refert, an pr̃
senti uel absenti, aut quibus uerbis alicui tale mandatum datum sit, modò con
stet de domini mandantis uoluntate. l. i. in fin. & vij. seq. ff. eo. Instit. per quos
11 agere possimus. Inuitus tamen quis procurator constitui non potest. l. inui-
tus. C. eo. nisi dominus eo consentiente iudicatum solui pro eo promiserit.
Nam tunc cogitur iudicium accipere. l. filiusfa. in fin. & vij. proximè seq. Mu
tari quoque procurator, uel domino, uel ipso procuratore postulante, lite
contestata non potest, nisi talis aliqua inciderit causa, quales in l. ante litem, &
seq. usque ad l. quæ omnia. ff. eod. enumerantur. Quatenus autem uel ipso
iure, uel per ipsum dominum reuocetur mandatum, ostendimus suprà de ob-
lig. mandati.

12 Constituere uerò procuratores possunt omnes illi, qui legibus non prohi-
bentur istud facere. l. mut. ff. eo. & ibi glos. Ac sunt etiam personæ, quæ abs-
que procuratore uersari in iudicio prohibentur, ut sunt qui inter illustres &
supra illos ponuntur. l. quicunq;. C. eo. & Auth. ut ab illust. & qui super il.
13 sunt, &c. Item Episcopi. v. q. iij. c. quia Episco. Regulare tamen est, quòd in
causis criminalibus, neq; accusare quenquam, nec defendere aliquem quis
possit per procuratorem. c. in criminalib. v. q. iij. prꝫterquãm in causa iniuria
rum, & alijs quibusdam casib. qui annotantur in gl. c. si quando. ij. q. vi. Qua-
tenus autem solis illustribus & non alijs personis, quæ iuris communis esse
censentur, causas iniuriarum per procuratores in iudicio agere & sustinere
liceat, uel non, ostendunt l. pe. & Auth. hoc ius. C. eo. & gl. l. ul. C. de iniur.
Præterea non potest procurator dari in causis popularibus, & quamuis plures
possint alioquí constituere procuratorem in causa communi, tamen propter
condemnationes & adiudicationes, quas in actione familiæ herciscundæ &
communi diuidun. inter diuersas personas fieri oportet, non licet pluribus eo
dem procuratore in talibus causis uti. l. licet. ff. eod.

14 Tenetur autem procurator non solùm tali diligentia, quam ipse in suis re-
bus adhibere solet, causam susceptã tractare, sed quali diligentia omnino pos
sit. Nam in administratione alieni negotij, nihil caret culpa, quod neglectum
aut declinatum est. l. in re. §. ul. C. manda. Sed tamen alius procurator magis,
quãm alius obligatus habetur. Simplex enim procurator, h. e. ille qui datus
est ab autore nulla alia ex causa, quãm ut litem pro eo exerceat, non solũm ad
agendam causam, sed & ad defendendum eum, si recõueniatur ã Reo, teneꝫ.
l. seruum. §. ait prætor, & seq. ff. eodem. At procurator in rem suam factus,
non tenetur ad defendendum reconuentum suum dominum alia actione,
nisi mala fide, & in fraudem aliorum, uel ex causa lucratiua adeptus est actio-
nem, quam sui commodi causa exercet. l. si quis, & circa eam glos. ff. eodem.

15 Is uerò intelligitur in rem suam factus esse procurator, cui alius cessit su-
am actionem, aut cui adiudicata sunt bona, aut data nomina in solutum per *Procurator in rem suam.*
iudicem exequentem, cũm aliud in bonis conuicti non reperireꝫ. l. planè. ff.
famil. hercis. & l. ij. C. quando fiscus uel priuil. deb. sui deb. exig. pos. Qui-
bus autem uerbis constituatur talis procurator, ostendit Bart. & dd. circa l. ij.
§. fin. ff. de ope. no. nun. Tenentur autem & illæ personæ defendere recon-
uentum, ad cuius causam agendam ratione coniunctionis, absque mandato
admittuntur, cuiusmodi sunt, qui nobis aliqua necessitudine sanguinis,
aut ciuili coniuncti sunt. leg. sed & hæ. ff. eodem. Atque ibi etiam expli-
catur, quatenus quis defendisse alium iudicetur. Procurator autem ã reo

datus

datus ſimpliciter, tenetur ad defendendum dominum in ea ſolùm cauſa, quam ſuſcepit, niſi mandatum ſit generale, ad omnes eius cauſas, aut ſpecialiter illi aliquid præter defenſionem cauſæ, mandatum ſit.

Cæterùm procuratores ad lites dati, uel ratione mandati, uel conteſtatæ litis, uel ſatiſdationis, hanc conſequuntur poteſtatem, ut ipſi alios procuratores conſtituere poſsint. Nam ſi cui libera cauſæ adminiſtratio commiſſa eſt, is tanquàm dominus omnia in ea expedienda facere poteſt. l. Procurator cui. ff. eodem. Itaque & procuratorem conſtituere poſſe manifeſtum eſt, præterquàm in illis caſibus, in quibus ſpeciale mandatum, ultra mandatum cum libera requiritur. cap. ad agendum. Extr. eodem. in ſexto, ubi in gloſſa annotantur caſus, in quibus mandatum ſpeciale, ſpecialiter requiritur. Item illi licere, cùm in mandato ſpecialiter hoc expreſſum eſt, quòd poteſtatem ſubſtituendi procuratoris, quoties opus ſit, dominus cauſę illis permiſerit, nō poteſt in dubium uocari, cùm ex talibus uerbis conſtet, talem poteſtatem in illum eſſe translatam. Cui uerò abſque mandato cum libera, & non ſpecialiter talis poteſtas commiſſa eſt, ille ab Actore conſtitutus lite demum conſtituta ſit dominus litis. leg. Procuratoribus. C. eodem. Si uerò Procurator eſt ā Reo conſtitutus, is ſit dominus litis, poſtquàm de iudicato ſoluendo ſatiſdedit de ſuo. l. Titius. ff. eodem. & Bald. circa l. mandatum. C. mandati. Atque hæc quidem requiruntur, cùm cauſa ordinario iudicio cognoſcitur. Nam ſi ea extraordinariē, & ſummatim cognoſcatur, tum ſtatim poſtquàm agitari per procuratorem cœpit, ipſe ſit dominus litis. Bart. circa l. nulla. C. eodem. Ex his igitur conſtare iam arbitror, quòd Procurator ad litem exercendam conſtitui, niſi ā domino litis, non poſsit. Ac proinde, quia neque Tutores, neque Curatores, & quocunque nomine appellari poſſunt, alienarum rerum adminiſtratores, domini ſunt, ante litem conteſtatam Procuratorem dare ad litem non poſſunt. l. neque. C. eodem. Et ob eandem cauſam, hoc quoque omnis generis collegijs negatur. l. nec ciuitatis. ff. eodem. Poſt litem autem conteſtatam tales adminiſtratores, & collegia id poſſe teſtatur l. neque. §. fin. C. eodem. Actorem uerò ad ſingulas, uel Syndicum generaliter ad omnes collegij cauſas conſtitui ab adminiſtratoribus & collegijs poſſe, indicat l. i. §. quibus. ff. quod cuiuſque uni. no. geſt. & l. nec̄. C. eo. In conſtituendo autem Actore intereſt, utrum is conſtituatur ab aliquo adminiſtratore rerum alienarum, an uerò ab aliquo collegio. Nam ſi conſtituitur ab adminiſtratore, ut eſt tutor, tum neceſſe eſt interuenire iudicis autoritatem, qui cognita cauſa adhibendi actoris fieri id ſuo decreto permittat. l. decreto. ff. de adminiſt. & pe. tut. C. de acto. uel ā tut. uel à cur. dando. Itaque in mandatis, quibus conſtituuntur tales actores, adiici ſolet, quòd ad eos conſtituendos interpoſitum ſit iudicis decretum, alioqui in conſcribendis talibus mandatis, eadem ferē obſeruantur, quæ in procuratoris mandatis ſolent. Si uerò actor conſtituitur à collegio, tum ſufficit quòd conſtet in eum communib. collegij ſuffragijs eſſe conſenſum, uel ab eo illum eſſe electum, cui collegium poteſtatem eius conſtituendi permiſerit. Nam Actor uniuerſalis, & Collegij, planē eodem modo conſtituitur, quo Syndicus, tantùm hoc intereſt, quòd Syndicus generaliter ad plures, uel omnes cauſas, Actor uerò ad unam tantùm ſpecialiter ā collegio conſtituitur. Et ſatis eſt utriuſque electione duas partes uniuerſitatis interfuiſſe. l. item eorum. §. i. ff. Quod cuiuſque uni. & c. & de decret. ab ord. fac. l. iij. & C. de decur. lib. x. l. nominationum. Quantum autem fieri poteſt, debet Syndicus eligi ex illorum numero, qui ad uniuerſitatem pertinēt. l. planè. ff. quod cuiuſque uni. & c. Ac ſi collegium fuerit Eccleſiaſticum, non debet admitti laicus. xvi. q. vij. c. in noua actione. Itaq; uolunt etiam poſſe aliquem cogi ad ſuſcipiendum Syndicatum. l. i. & l. fin. §. defenſores. ff. de mi. & hon. Vbi tamen in collegio idoneus non poteſt haberi,

admittitur

48 admittitur etiam alienus.c.i.Ex.de Syndico.Reuocatur autem tum Actor,tũ Syndicus, ob easdem causas, quibus procurator.leg.item eorum.in fine.ff. Quod cuiusq; uni.&c.Quę uerō his omnib. aut singulis prę alijs in recipiendis testibus,& præstando iuramento,& alijs rebus, quibus lites expediuntur, liceant,audiemus infrà in singulis talium rerum tractationibus.

ff. & C.

De procuratoribus.

ff.

Quod cuiusq; uniuersitatis nomine,uel contra eam agatur.

In Dec. Sex.& Cle.

De procuratoribus,& de Syndico.

C.

De Actore ā tut.uel cur.dando.

Auth.

Vt ab illustribus;& qui super eam dignitatem sunt,non modò super pecu.cau.&c.

DE ADVOCATIS.

Caput IX.

SVMMARIVM.

1. Aduocatus quis dicatur.
2. Aduocati,causarum patroni,& causidici uocantur.
3. Aduocatus à procuratore differt.
4. Petulantia morum & uerborum in aduocato repræhenditur.
5. Præuaricationis crimen esse odiosissimum,& simile latrocinio.
6. An quis in eadem causa diuersis partibus patrocinium præstare possit.
7. De officio Aduocati.
8. Iuramentum Aduocatorum de non suscipienda causa improba.
9. Facti species inquirenda.
10. Ex facto ius oritur.
11. Narratio facti in literas mittenda.
12. Probatio sufficiens adferenda.
13. Libri consulendi & peritiores.
14. Ad pœnitendum properat,qui citò pronunciat.
15. Quod à pluribus quæritur,facilius inuenitur.
16. Non quisquam optimus ad omnia.
17. Aduocato licet de honorario pacisci.
18. Dubius est litis euentus.
19. Vitium materiæ,non artificis.
20. Sermo incircumspectus pudorem dicenti adfert, & tela aduersario ministrat.
21. Protestatio Aduocati,quòd nihil præter rem clientis sui sit dicturus.
22. Virtutes morum Vlyssei artibus temperandæ sunt.
23. Prorogatores litium duabus libris auri puniuntur.
24. Iudex rogandus ut suppleat errata aduocatorum.

APPELLATIONE procuratoris nonnunq; uenit aduocatus,& ē diuerso, ut in cap. infamis. & ibi gloss.iij. q. vij. Et tamen magna est inter hos differentia. Quare ne quis fortè existimet, horum functiones esse indistinctas, operæpretium uisum est,earum discrimen annotare. Atque ideō de illo discrimine hoc loco rectè agitur, quia & aduocatus inter eas personas numeratur,quæ alijs in
a iudicio postulant. Dicitur enim aduocatus, qui quoquo studio causæ patrocinium in iudicio præbet. leg. prim. ℣ aduocatus. ff. de uari. & extra.
b cognit. Quare ijdem aliquando uocantur causarum patroni, ut in leg.aduocati. ℣ ultim.C. de aduocat.diuers.iud. Item causidici. l. quisquis. C. de postul.

Vnde

Vnde hæc est inter horum functiones differentia, quòd procurator sit, qui a- 3
lienam uicem in iudicio sustinet. Aduocatus uerò, qui sua autoriate, consilio
aut opera, litigantem in iudicio adiuuat. Quapropter in persona, quę loco ad
uocati adhibetur, non hoc solùm spectatur, quòd talis sit, quæ pro alio postu-
lare possit, sicut de procuratore dictum est, uerumetiam ut talis sit, quæ doctri
na & ingenio polleat, & talibus sit moribus præditus, ut commodè, & cum ali
qua dignitate, causæ præesse possit. Omnis enim petulantia morum & uer- 4
borum in aduocato reprehenditur. l. quisque. C. de postul. Et propter insciti
am iuris & legum, ad talem functionem admitti quis prohibetur. l. petitio- 5
nes. C. de aduo. diuers. iudi. & ibi Bart. Præter alia uerò uitia, quorum nota-
tione quis ab aduocando repellitur, odiosissimum est prævaricationis cri-
men. Nam clientis causam prodere, simile latrocinio habetur. arg. c. irreligio
sum. dist. lxxxvij. Itaq; tali aduocato non solùm interdicitur munus patrocinã
di, sed & punit, & quod perperã ob eius prævaricationem iudicatum est, re-
scinditur. l. i. C. de aduo. di. iud. Et ut citra aliquam suspicionem iudicia exer-
ceantur, prohibitum est eundem esse aduocatũ eius causæ, cuius antea iudex
fuerit. l. quisquis. C. de aduo. di. iud. Quæri quoq; solet, an quis in eadem cau- 6
sa diuersis partibus patrocinium præstare possit. Verũm quia hanc quæstio-
nem planè explicat glo. cir. l. fin. ff. de postul. discentes ad eam remitto. Si-
cut & uolo ut cætera uitia, quæ prohibent aliquem esse aduocatum, ex illis,
quæ suprà de his, qui alie. no. in iur. uers. poss. diximus, & ex Canone infa-
mes. iij. q. vij. colligant. Nam quæ de ineptitudine personarum ibi dicuntur, 7
pariter de utraque functione, procuratoris uidelicet & aduocati, accipienda
sunt, ut non necesse sit, ea hic repetere: de officio autem aduocati, quædam an
notanda uidentur, propter pernicios a multorum huius corruptis. seculi ex-
empla, ne adolescentes talib. exemplis deprauari se sinant.

Est autem ueteris sanctitatis in exercendis iudicijs magnum momentum, q 8
uoluerunt patronos iuratos adhiberi causis, puta se non suscepturos ullam
causam improbam, aut si quam decepti mendacijs suorum clientum suscepis-
sent, se deserturos eam, quãm primũm deprehendissent causæ iniquitatem.
Iustam uerò & probabilem causam, se omnibus uiribus defensuros, ne aliquid
indigni ex illorum negligentia paterentur illi, quorum causas suscepissent. l.
rem non nouam. §. patroni. C. de iud. Præclarè sanè hoc constitutum est ã ma
ioribus, sed huius obseruatio in exiguo est usu. Meminerint tamen adolescẽ-
tes, minimè contemnendam esse hanc constitutionem, imò etiamsi in nullo
esset usu, tamen istud iudicium maiorum eos admonere debet, illos meritò tã
quãm perfidos reprehendi, qui improbas causas suscipiant defendendas, aut
quas propter earum æquitatem dignas defensione iudicarint, non summo
suo studio tueantur. Vtigitur quis peruenire in ueram causæ notitiam pos- 9
sit, diligenter debet aduocatus inquirere facti speciem. Non enim de æquita-
te cauſę iudicare rectè quis potest, nisi factum probè teneat. Nam ex facto ius 10
oritur. l. si ex plagis. §. in cliui. ff. ad l. Aquil. & sæpe leui uariatione facti totũ
ius causæ mutatur, cuius rei exempla sunt in l. hoc legatum. ff. de legat. iij. &
de contrah. empt. l. si empti. §. pe. Itaq; expedire aduocato non frustra existi- 11
mant, ut expetat narrationem facti ã cliente in literas mitti, & exhiberi. Quip
pe utut postea eueniat, inde eum habere testimonium posse, quòd bona sua fi
de causam susceperit, quam crediderat talem esse, qualem illi clíens eius esse
dixerit.

Postquãm uerò percepit, quæ sit facti species, quærat ã cliente, num, si o-
pus sit probationibus in ostendendo tali negotio uel facto, eas adferre, quæ
sufficiant, possit. Parum enim expedit habere ius, si deficiat nos probatio iu-
ris. l. duo sunt Titij. ff. de test. tut. & c. plerunq; ij. q. vij. At si factum est liqui-
dum, nec desunt probationes clientibus ad probandam, uel actionem, uel ex
ceptionem,

13 ceptionem,tertium est,ut ipsum aduocatum si de iure dubitet,non pudeat pe
tere spacium consulendorum suorum librorum,aut etiam conferendi ea de
14 re cum peritioribus,tritum enim est, eum properare ad pœnitendum,qui ci-
tò pronunciet. Itaque si res ita exigere uidebitur, plures etiam consulendi
15 sunt. Nam quod à pluribus quæritur,facilius inuenitur.c.de quibus.distin.
16 xx. Neque quisq; optimus ad omnia, sed certi per certa meliores inueniun-
tur.l.i. §.nunquam hæc.ff.de uet.iur.enu. Atque ita re diligenter explorata,
poterit aduocatus suam operam benignè polliceri clienti suo, non ut aliquid
amplius,quàm causæ difficultas mereatur, loco honorarij ab eo extorqueat,
sed ut illi significet causam talem esse,quæ bona conscientia in iudicium dedu
17 ci possit. Ac siquidem uolet,licet illi statim de honorario paciscí,iuxta reg.l.
i. §.in honora.& seq.& ea quæ ibi annotantur in gl. ff.de uarijs,& extra.cog.
18 & glo.c.infames.cir. §.arcentur.iij.q. vij. In promittenda autem uictoria mi-
nimè debet esse temerarius,quia dubius est litis euẽtus. l.quod debetur. ff.de
pecul.Nam in arbitrio iudicantis est decernere uictoriã,non eius,qui causæ
19 patrocinatur.c.si quem.uers. non facti. ij. q. iij. Deinde ut maximè sit indu-
strius & doctus aduocatus, tamen sæpe uitium est non artificis,sed materiæ,
quò minus efficere possit quod cupiat.l.si seruus. §.si calicem.ff.ad l.Aquil.

In ipsa uerò tractatione causę inprimis caueat,ne quid inconsideratè impe
tu quodam effutiat,quo aduersarius iuuetur, & causa, quam gerit, lædatur.
20 Solet enim plerunq; euenire,ut incircunspectus sermo,aut pudorem dicen-
21 ti adferat,aut tela aduersarijs ministret.Proinde consultũ uidetur,ut in primo
congressu,aut ipse aduocatus protestetur,q; nihil aliud dicturus sit in ea cau-
sa,quàm quod clientis sui causa exigat, & quod ex re eius existimet: si secus
quid fortè non satis attento accidat,istud causæ non præiudicaturum, aut cli-
ens potest per se,uel exhibito scripto testatum iudici facere,se rata habiturũ
quæcunque eius aduocatus dicturus sit pro causæ suæ defensione,& commo
do, non quæ illi per errorem aut incogitantiam in contentione dicendi ex-
ciderint. Quamuis enim cliens reuocare possit confessionem ab aduocato,
contrà quàm se res habeat factam, sicut infrà de probationibus dicemus, ta-
men tutius est talibus protestationibus istud incommodum preuerti.arg.l.iiij.
§.si in uenditione.ff. quibus mod. pig. aut hypo. soluatur, & c.quia diligen-
ti. in fin.Extr.de ele.

Porrò in tractanda causa nihil satis præcipi potest, quomodo se gerere de-
beat aduocatus, ut eius actio apud iudicem & assessores absque offensione
cuiusquam mereatur beneuolentiam,& laudem. Nam hæc posse ubiq; præ-
stare,magis est quædam fœlicitas. Traduntur tamen quædam præceptiones
huius rei, sed tales,quæ nisi pro re, loco & tempore prudenter adhibeantur,
ineptum reddant aduocatum, tanquàm eum, qui ubiq; eandem cantilenam
omnibus occinat. Non enim minus refert foro posse uti in dicendis causis,
quàm in faciendis rerum commercijs. Itaq; consilio potius,quàm præceptio-
nibus talis institutio aduocati constat. Nam in captanda beneuolentia & per-
mouendis animis auditorum,non diligentia,sed ingenij suauitas,atq; morum
22 dexteritas,atq; tractabilitas nos adiuuat. Atq; hæ uirtutes temperandæ sunt
Vlyssei artibus,propter ingeniorum, cum quibus certandum est,uarietatẽ.
Quare ut non reprehendo exempla præfationum,quæ à Speculatore in eam
rem sunt edita,ita studendum Aduocato iudico, ut plura alia similia exempla
in promptu habeat,quibus conciliare audientium animos, iudicem delini-
re,aduersarij causam extenuare, aut si opus sit in odium trahere, argumento
eludere,aut urgere,& iugulum aduersarij premere possit,sed hæc sunt Rhe-
toris,& hominis ad dicendum exercitati.

Cætera quæ requiruntur in aduocato, partim diligentiæ, partim fidei, &
doctrinæ sunt. Vt ne quid per incogitantiã omittat,quod ad causam faciat,di

ligentiæ est. Ne de industria causam protrahat, sed summa contentione in id 23
incumbat, ut non grauentur inanibus sumptibus litigantes, bona fides ab eo postulat. Itaq; ll. publicæ talem prorogatorem etiam puniri iubent duabus libris auri, l. Properandum. §. illo procul dubio, C. de iudicijs. Doctrinę uerò est, ne alleget legem, quæ occasionem præbeat aduersario muniendi suam causam, ac ne alleget leges contrarias: hæc. n. præstare non potest, nisi probè
quis in discendo iure uersatus sit. Proinde cũm non aduocatorum talis sit do- 24
ctrina, ut percipi possit ius suæ causæ, rogari quoq; ab illis iudices solent, ut ipsi suppleant pro sua benignitate, si quid ab illis fortè erratum sit. Non tamen iudici licet quemlibet errorem aduocati corrigere, sed eum solùm, qui in allegando iure factus est, iux. tot. tit. C. ut quæ desunt aduo. part. iud. suppleat. Permittitur ipsi quoq; aduocato, ut emendet errorem ab eo in allegatione iuris admissum, si ante sententiam melius ius ei in mentem ueniat. Si uerò in facto fortè erratum est, licet domino causæ uel statim, si præsens sit, eius relationi contradicere, aut eam ante sententiam reuocare, & tum non præiudicat illi error aduocati, l. i. & ul. & ibi glo. C. de er. aduo. Cæterũm ea quæ procuratores idoneos finiunt uel non, etiam in aduocatis spectantur, præterq; quòd illi absq; mandato constituuntur, quia tanquam subsidiaria auxilia, non ut uicarij causis adhibentur. Itaq; possunt etiam absque reuocatione dimitti, quandocunque id dominis libet. Possunt etiam plures in eadem causa adhiberi. An autem aduocati teneantur dominis, si causa cadunt, sæpe quæri solet, & communis est opinio, quòd si suo officio causa conuinci possit, eos teneri, non autem si uitio causæ id factum sit, arg. l. si ideò. ff. de Euict. & C. eo. l. emptor. & c. fin. Ext. de empt. & uend.

Cod.

De aduocatis diuersorum iudiciorum.
De errore aduocatorum, & libellos seu preces concipientium.
Vt quæ desunt aduocatis partium, iudex suppleat.

DE REO COMPARENTE per se, uel per procuratorem.

Caput X.

SVMMARIVM.

1. Negligentiam in omnibus actibus iudiciorum admitti.
2. Protestatio obedientium in iudicio. 3. Mandatum procuratoris exhibendũ.
4. Exceptio de falso procuratore potest fieri quocunque tempore iudicij.
5. Exceptiones contra iudicis incompetentiam.
6. Causa suspicionis ubi sit proponenda.
7. Lites absque omni suspicione peruersitatis exerceri debent.
8. Iudex an possit recusari, & ex quibus causis.
9. Arbitri de causa suspicionis cognoscunt.
10. Recusari posse assessores & auditores sicut iudices.
11. Exceptio contra iudicem est præiudicialis.
12. De persona actoris, procuratoris, & aduocati recusanda.
13. Protestatio de iure excipiendi quando facienda.
14. Libellus postulationis est à iudice porrigendus reo.
15. Satisdatio actoris de prosequenda lite, & iudicato soluendo.
16. Rei deliberatio de suscipienda lite.

QVANDO procedendum sit in iudicio, si aut actor aut reus non ueniant in iudicium peremptoriè citati, suprã ostendimus. Et ut litigaturi scirent, quibus modis possent occurrere periculis, quę inde illis imminent, simul indicabimus, nobis licitum esse, per procuratores nostros iudicia exercere, cùm ipsi interesse nolumus, aut non possumus. Proinde quid agendum sit litigantibus, quoties accidit,

ut per contumaciam alterius partis iudiciorum autoritas negligatur, ex superioribus petitum est. Neque enim porrō de prosecutione talis negligentiæ dicturi sumus, quamuis non solūm in initio litis, sed in omnibus actibus iudiciorum ea admittitur, cūm id quod fieri à iudice iussum est, ab aliqua parte litigantium contumaciter detrectatur, quia eodem modo ferè ubiq; contra contumaces proceditur. Nunc uerò dicendum est, quid agendum sit illis, qui uocati in iudicium ultrò ueniunt, cūm in ea causa nunquàm sunt facti contumaces. Ac cūm hi quidem ipsi ueniunt, consilium est, ut protestentur se uenisse ut obedientes, audituri quare in iudiciū uocati sint, saluo suo iure, quod ipsis quacunque ex causa, & contra quoscunque competere in eo iudicio possit, arg. c. fin. Extr. de dilat. & ibi glo.

Si uerò misso procuratore reus iudicium subire constituerit, tum necesse est, procuratorem istud innuere iudici, ut hoc actori, uel eius procuratori significari possit, si præsens nesciat eum missum esse, & tali casu, siue alterius, siue utriusque partis procuratores adfuerint, poterit altera pars petere, sibi exhibere mandatum procuratoris, ut certa esse possit de administratione causæ aduersæ partis. Si quoq; ei statim non satisfiat mandato exhibito, potest exemplar eiusdem, & spacium deliberandi de eo petere, Quō minus autem differrentur iudicia, propter morosas deliberationes litigantium, in recipiendis mandatis, facta est à ll. potestas opponendæ exceptionis de falso procuratore, quocunque tempore iudicij id parti uisum fuerit, l. licet. C. de procur. Itaq; ni si omnino recuset aliqua pars mandatum recipere, potest reus, aut eius procurator uti protestatione, de qua paulò antè dictum est. Ac deinde progredi ad opponendas exceptiones, quas sibi competere, aut contra iudicem, aut contra actorem, uel eius procuratorem existimat. Nam tales exceptiones, primū locum sibi meritō uendicant, quia illis ipsum iudicium, non causæ contentio impeditur, ut si iudex, ad quem quis uocatus est, sit delegatus, potest reus, uel eius procurator petere sibi copiam fieri eius rescripti, quo illi per ordinarium eius iudicē, cōmissa sit potestas iudicandi de causa, propter quā ab eo in iudicium uocatus est reus. Neque enim creditur aliquem esse delegatum iudicem, nisi ostendat iurisdictionis delegatæ commissionem. cap. cūm in iure. Extr. de offic. iud. del. Quare si recuset copiam commissionis petenti facere, potest ab eo tanquàm ab incompetente iudice appellari. Si uerò copiam literarum delegatæ iurisdictionis faciat petenti, uidendum est, an excipere contra eas possit, quia in illis non deprehenduntur ea, quæ in talibus rescriptis regulariter solent. Quæ uerò illa sint, dicendum erit infrà de instrum. editione. Si uerò iudex contendat se esse ordinarium, cūm non sit, necesse est reum ostendere posse, quōd neque autoritate legis, neque suffragatione electionis eius sit iudex. Quomodo autem id dignosci possit, partim ex tractatu de iurisdictione iudicum, in ca. de iure personarum, partim in tractatu huius partis, apud quod iudices quæque causæ agi possint, & in cap. de priuilegijs ostenditur. Porrò si contra iudicem non excipi potest ratione iurisdictionis ordinariæ, uel delegatæ, uidendum est, an ratione suspicionis recusari possit. Nam & hoc ante litis contestationem permissum est, ut lites absque omni suspicione peruersitatis exerceantur. l. apertissimi. C. de iud. Debet igitur causa suspicionis coram iudice suspecto ante litis contestationem proponi. c. secundo requi. §. fin. Ex. de appel. & ibi glo. ostendit, quomodo recusatio iudicis proponitur.

Quæ uerò sint causæ, propter quas iudex tanquam suspectus recusari possit, indicat Spec. in titul. de iudice deleg. §. supereſt, & gloss. circa cap. legitima. Extr. de appellat. in vi. ubi passim tales causæ annotatæ inueniuntur. Sed non uidetur ob tales causas iudex ordinarius ita recusari posse, sicut delegatus. Nam Authentic. si uerò. C. de iudic. non uult iudicem ordinarium

propter ſuſpicionem remoueri, ſed iubet illi adhiberi epiſcopum loci, qui ſimul cum eo de cauſa iudicet. Iura uerò canonica uolunt pariter utrunque ob cauſam ſuſpicionis remoueri poſſe. iij. q. v. cap. quod ſuſpecti. Hac ſolùm inter eos obſeruata iuris differentia, quòd probata cauſa ſuſpicionis in ordinario, ipſe poſsit alicui negotium committere, qui partibus conſentientibus, de eo iudicet, aut illud ad ſuperiorem remittere, ca. cùm ſpeciale. §. ſtatuimus. in fin. Extr. de appellat. In delegato uerò iudice, ſtatim cùm probata eſt cauſa ſuſpicionis, ſuſpenditur eius iuriſdictio, ita ut ipſe non poſsit alicui committere negotium, ſed cogatur ſuperſedere cauſæ cognitioni, iudicantibus de illa arbitris, quos partes elegerunt. c. ſecundo requiris. §. conſ. Extr. de appel. & c. iudex. Extr. de off. deleg. in vi. Par uerò utriuſque iudicis conditio eſt, quòd non ipſi de cauſa ſuſpicionis cognoſcant, ſed arbitri, quos in eam rem elegerunt partes, & iſti poterunt partibus aſsignare terminum probandæ ſuſpicionis, ſed ſi ipſi, aut partes in ea re cunctentur, poſſunt iudices recuſati eos cogere ad pergendum, & illis conſtituere terminum probationis, ne principale negotium ob cauſam ſuſpicionis non probatum diutius differatur. c. ſuſpicionis. Ex. de off. iud. deleg. & ibi glo. fin. Atq; hæc quidem nunc, tam in foro Eccleſiaſtico, quàm ciuili obſeruantur. Non autem poteſt iudex propter ſuſpicionem recuſari, niſi id fiat intra ſpacium xx. dierum, poſtquàm eſt aditus, ſecundum iura ciuilia. C. de ſent. & interlo. omnium iud. Auth. & conſequenter. Iure uerò canonico, poteſt iudex etiam poſt litem conteſtatam recuſari, ſi noua cauſa ſuſpicionis probabiliter de eo emergat. c. inſinuante. Extr. de off. deleg. 9

Recuſari quoque poſſe aſſeſſores, & auditores cauſarum ſicut iudices, teſtatur Spec. in tit. de Recuſ. §. cauſa recuſationis. Inter omnes autem exceptiones, quæ opponi poſſunt, primùm opponenda eſt ea, qua iudices recuſant. Eſt enim ea præiudicialis, adeò ut ſi ea probata ſit, procedi in cauſa principali coram iudice recuſato non poſsit. glo. c. quoniam contra. cir. uerb. exceptiones. Ex. de probat. Et cum hac exceptione ſimul incidunt quæſtiones, quæ de citationibus citari poſſunt. Si uerò nihil poſsit deſiderari in perſona iudicis, uidendum eſt, num in perſona actoris, aut eius procuratoris, aut aduocati aliquid eorum, quæ ſuprà in talibus perſonis ſpectari diximus, extet uitij, ut tanq; perſonæ, quæ ſuo uel alieno nomine in iudicio uerſari non poſſunt, nõ ſint admittendi. At ſi in neutra perſonarum talium quicq; eſt, cur cauſam repudiemus, facta proteſtatione de iure excipiendi ſaluo nobis relicto, reus uel eius curator petere poteſt libellum poſtulationis, ſibi à iudice porrigi. Aut. offeratur. C. de lit. conteſt. & c. i. Extr. de lib. ob. In recipiendo autem libello, reus olim poterat exigere ab actore, ut priuſq; illud ab eo acciperet, ei ſatisdaret de proſequenda lite, & iudicato ſoluendo. iuxta Auth. qualiter. C. de Epiſc. & cler. Verùm iſta iura nunc non ſunt in uſu, ſed ſufficit ei, qui ſuo nomine conuentus eſt, cautum eſſe, de proſequenda lite. §. hodie. Inſtit. de ſatisdat. Quia uerò intereſt Rei, ſecum deliberare, an expediat ei litem ſuſcipere, nec ne, poteſt à iudice petere ſibi dari dilationem de ea re deliberandi. Proinde cùm hic de dilationibus dicendum ſit, & poſthac crebra futura ſit mentio præſtandarum ſatisdationum, proximis duobus capitibus dicemus de dilationibus, & ſatisdationibus, antequàm de libellorum conceptione agamus. Nuſquàm uerò ex profeſſo titulorum agitur de rebus, de quibus hoc capite diximus, præterquàm in Decret. in ea parte tit. de Appel. qua de recuſationibus agitur. 10 11 12 13 14 15 16

DE DILATIONIBVS, ET Feriis. Caput XI.

SVMMARIVM.

1. Dilatio quid ſit. 2. Legales

2. Legales dilationes, quæ dicantur.
3. Dilationum differentia, aliæ citatoriæ, præparatoriæ, finitoriæ, executoriæ, appellatoriæ.
4. Iudex ex causa dilationes extendere potest, aut coërcere.
5. Iudex non potest in appellationibus tempus x. dierum prorogare.
6. Quædam causæ possunt expediri die feriato.
7. Iurisdictio contentiosa quæ, quæ item uoluntaria.
8. Pietatis & necessitatis habenda est ratio.
9. Quid in feriis agi liceat.
10. Partes renunciare feriis posse.
11. Quæ feriæ uocentur solennes, repentinæ, imperatiuæ, rusticæ.
12. Lites non esse prorogandas.
13. Viginti dies deliberandi reo dari.
14. Peremptorius dilationis terminus quis habeatur.
15. Lites non esse prorogandas tergiuersatione & malitia reorum.
16. Cui indictus est terminus ad recipiendos testes, eum non est necesse denuo ci-
17. Arg. à particulari ad uniuersale affirmatiuè ductum nõ est necessarium. (tari.
18. Terminum peremptorium quando exprimi opus sit.
19. Occasionem prorogandis litibus Imperatores dare noluerunt.
20. Qui prior appellat, prior agat.

1 DILATIO, est temporum, quæ ad iudiciales actus perficiendos
2 conceduntur, prorogatio. Inter cæteras autem harum differentias, quarum plurimæ ab Hostiense & Spec. annotantur in tit. de dilationib. in primis declarare earum iura uidet ea, qua alię dicuntur legales, hoc est, certo iure constitutę, aliæ arbitrarię, hæc etenim differentia innuit omnium dilationum dandarum facultatem consistere, aut in iuris communis, uel municipalis cõstitutione, uel consuetudine, quibus edita uel recepta sit obseruatio temporum in prosequendis litibus. Aut arbitrio iudicis interualla litigantibus dantur, ad expeditionem eorum,
3 quæ ad sustinendas & explicandas lites necessaria sunt. Reliquæ dilationum differentiæ ferè sumuntur à rebus, quarum ex causa dantur, ut citatoriæ dicuntur dilationes, quæ dantur in ius uocatis ad ueniendum in iudicium, de quibus suprà de citationibus. Item præparatoriæ, quæ dantur ad quærendum aduocatos. glos. cap. i. circa uerb. aduocat. Extr. ut lit. non contest. uel ad producendos testes, uel ad proferenda instrumenta, de quibus l. i. C. de dilation. & c. inducię. iij. q. iij. Finitoriæ, inter quas lites finiri leges iubent, nempe criminalem causam intra biennium. C. ut intra cert. tem. crim. q. ter. Ciuilem uerò intra triennium. l. properan. C. de iudic. Executoriæ, intra quas sententia in ciuili aut criminali causa lata, executioni mandanda est, iuxta glos. c. quæren. circa uerb. quadrimestre. Extr. de offi. iud. deleg. Appellatoriæ, quæ dantur ad prouocandum à sententia, de quibus in c. anteriorum. & ibi gl. ij. q. vi. Tales multæ aliæ species dilationum ã Spec. in tit. de dilat. enumerantur.

Sed ex talibus differentijs dilationum magis eminet, quòd dilationes in diuersis iudiciorum expediendorum actibus dentur, quàm quatenus illæ peti aut dari possint, id quod in tractatione iudiciorum tenere præcipuè necessarium est. Quamuis enim operæprecium sit quoque tenere, quæ spacia temporum nobis in singulis progressionibus iudiciorum litigantibus dentur, tamen quia ipse ordo tractandi processus dabit occasionem, ista annotandi, circa quosque iudiciorum actus, non est cur hoc loco istarum annotandarum operam nobis sumamus. Illud magis ex usu discentium uidetur, ut hic admoneantur, non solũm iure publico constitutas dilationes nos petere à iu-
4 dice posse, sed & nos posse à iudice expetere, ut istas dilationes iuris communis aut consuetudinis nobis proroget aut coërceat. Nam dilationes, quæ le-

gibus publicis constitutæ sunt, aut ex consuetudine fori obseruantur, non sunt usq; adeõ perpetuæ, ut non fiant arbitrariæ, si causæ necessitas & æquitas suadeat, & exigere illud uideantur, exemplo l. ij. ff. de re iud. paucis quibusdam casibus exceptis, ut in appellationibus iudex non potest prorogare 5
tempus x. dierum, intra quos quisq; appellare cogitur. Item non licet iudici tempus restitutionis in integrum petenti prorogare, aut coarctare, iux. gl. c. cũm sit Romana. Ex. de app. His annumerari poterunt dilationes, quę ratione feriarum litigantibus competunt, nam neq; illas tollere, aut prorogare iudex potest. Sed obseruãtur & constitutæ sunt ita, ut litigantes non possint diebus feriatis cogi, ad certamina iudicialia, sed impunẽ sit abstinere illis, quia processus talib. diebus factus est ipso iure nullus. ff. eo. l. si feria.

Sed rerum de quibus agitur apud iudicem diuersitas, & feriarum differentia, faciunt, ut hoc ius dilationum ferialium distinguẽdum sit. Nam ea solũm, 6
quæ expediuntur contentiosa iurisdictione iudicis, non possunt fieri diebus feriatis, non autem quæ sunt iurisdictionis uoluntariæ. Dicitur autem iuris- 7
dictio contentiosa, quæ exercetur in inuitum, Voluntaria, quæ inter uolentes adhibetur. glo. l. ij. ff. de off. pro. & leg. ut citare aliquem ad dicendum causam, ad respondendum die feriato, ad iurandum, ad audiendam sententiam, iudex non potest. & tutores, uel curatores dare, emancipare, testamenta, aut donationes, aut contractus confirmare potest, quia in huiusmodi actib. uolentibus partib. autoritatem interponit, & non in eos, quib. propter ferias parcendum erat, ne quid inuiti facerent, ius dicit. l. actus pub. C. eo. Excipitur tamen 8
ab hoc iure feriarum obseruandarum casus pietatis, & necessitatis. Nam si religio aut charitas proximi requirant, ut diebus feriatis iudicia exerceantur iurisdictionis contentiosæ, non obstat iuris ciuilis constitutio, quò minus id fieri possit. Meritõ enim summa semper ea habetur ratio, quæ pro religione facit. l. hunc personæ. in fin. de rel. & sumpt. fun. Et in operib. misericordiæ prestandis, non est habendus delectus dierum. arg. c. utinam. distinct. lxxvi. Idẽ licitum & honesta necessitate ita exigente, Vt si uicini ædes minentur ruinam, potest is à iudice cogi ad satisdandum de damno infecto, quamuis ista iussio iudicis sit iurisdictionis contentiosæ, quia res celeritatem desiderat, ne mora periculũ adferre possit. l. i. ff. de damno infect. Item si actio peritura sit, nisi ocius ea in iudicium deducatur, nam isto casu potest quis cogi, ut die feriato ueniat in iudicium, & litem contestetur, ad interrumpendam præscriptionem actionis. c. fin. & ibi gloss. Ex. eo. Vnde Scęuola interrogatus, quid in feriis agi liceret, respondisse fertur: quod prætermissum noceret. Hæc uerò in 9
genere pariter de omnibus feriis accipienda sunt. dicendum nunc est, quatenus ad singulas feriarum species obligemur. Ac primùm quidem illis diebus, 11
qui festi propter religionem habentur, & feriæ solennes uocantur, adeò non licet ob alias causas, quàm eas, quas iam annotauimus, exercere iudicia, ut nec 10
partes illis renunciare inter se possint, quamuis regulariter alioqui illis hoc liceat. c. ul. ex. eo. Idem obseruari in feriis repentinis, quæ publicæ gratulationis causa à principe imperantur. Vnde etiam olim Imperatiuæ dictæ sunt, quod colligunt ex l. omnes dies. § nostris. & ibi glo. C. eod. & ff. de postu. l. quod prohibet. Rusticæ autem feriæ, quæ messis, aut uindemiæ causa pro cuiusq; loci consuetudine à præsidib. indicuntur. l. præsides. ff. eo. quib. renunciare posse partes non est dubium, adeò ut etiam ad tacitam earum renunciationem obligentur. l. i. ff. eo. Multæ quoq; causæ in priorib. ll. eiusdem tit. enumerantur, propter quas non obstantibus illis feriis, cogi ad dicendam causam litigantes possint. Iam igitur habetis, quæ dilationes ll. uel consuetudine usitatę, possint à iudice prorogari, uel coarctari, aut non.

Restat ut dicamus quando sit in arbitrio iudicis receptas dilationes moderari, aut propria autoritate absque iuris publici distinctione, quasdam dilatio-

nes

Iurisdictio contentiosa. Voluntaria.

Feriæ solennes.

Repentinæ.

Rusticæ.

nes constituere. Et cautum est ll. ut dilationes iure publico receptæ, non con
trahantur aut extendantur à iudice, nisi magna rerum necessitas illud exigat,
12 l.i.C.de dilat. Nam summo studio iudicibus semper conandum est, ne lites
prorogentur. Itaque nullo modo præstanda est occasio litigantibus indulgen
tia dilationum, ut lites prorogare illis liceat. l.ij.C.de tempor.appel. Itaque de
sideratur in dandis dilationib. ut iudex non inter deambulandum, sed sedens
pro tribunali utracp parte præsente eas concedat. l.à procedente. C.eo. Exem
13 pli gratia, Ad deliberandum dantur reo xx. dies, intra quos post exhibitam,
aut expositam actionem deliberare iubetur, an cedere aduersario, uel con
tendere cum eo uelit. Auth. offeratur. C. de litis contestatione. Verùm si tale
sit negotium, cuius deliberatio amplius quiddam spacium requirere uidea
tur, aut is, qui de eo consulendus est, longius ā loco iudicij habitet, quām ut
consuli intra tam paucos dies possit, permittitur iudici, ut regulare illud spaci
um, à legibus ad deliberandum reo concessum, proroget, iuxta gloss. fin. ca.
dilectus. Ext. de procur. Est quoque in iudicis potestate, ut dilationem delibe
ratoriam iure competentem reo, non solùm coarctet, sed prorsus ei etiam ne
get, si ei in citatione ita fuit causa exposita, ut potuerit de ea suscipienda deli
berare, antequām in iudicium ueniret. c. præterea. Ex. eo. Si uerò nullam ne
cessariam causam prorogandi eius interualli, quod à ll. reo ad deliberandum
datum est, reus afferre possit, neque iudex habeat causam eius denegandi,
suo quasi iure reus petit istud spacium ad deliberandùm sibi tribui. Porrò
sua autoritate tempus lege non proditum, aut consuetudine iudiciorum re
ceptum, iudex constituere præcipuè potest, in dandis dilationib. ad sisten
dum aliquem in iudicio. l. sancimus. C. de fidei. Et ad opponendas exceptio
nes dilatorias. Nam talibus exceptionibus opponendis, non solùm licitum
est iudici, cuique exceptioni opponendæ constituere tempus, pro suo ar
bitrio, uerumetiam omnibus simul opponendis unum terminum præfigere
reo potest, uidelicet, ut opponat exceptiones contra personas, apud aut ad
uersus quas illi pugnandum est, uel ratione obligationis, ex qua conuenitur,
14 sibi competere existimet. cap. pastoralis. Extr. de exception. Quoties autem
reo ita constituitur tempus, ad proponendas exceptiones dilatorias, semper
terminus dilationis habetur peremptorius, licet id non sit expressum. Intel
ligitur etenim hanc dilationem esse datam, cum hac interminatione, ut nisi
intra constitutum tempus omnes dilatorias exceptiones oppositurus sit reus, postea ad eas opponendas non admittatur, argument. cap. pastoralis. Extra. de exception. Quidam tamen contendunt, talem terminum constitui non posse ā iudice politico, quia terminus dilatoriarum opponendarum, sit litis contestatio. leg. exceptionem. Cod. de probation. Itaque liberum debere esse reo, ut eos opponat, quando ei libitum sit, ante litis contestationem. Sed poterit responderi ad istam oppositionem, quòd iudex non possit unum omnibus dilatorijs exceptionibus opponendis terminum constituere, nisi appareat manifestè reum in opponendis illis tergiuersari, ad prorogandam litem. Nam in istum casum prodita est Decretalis epistola, pa
15 storalis. Et quia ista ratio etiam locum habet iure ciuili, nimirum ne lites
prorogentur tergiuersatione, & malitia reorum, in opponendis dilatorijs
exceptionibus meritò etiam iste Canon iure ciuili tanquām optimum exem
plum recipitur.

Cæterùm in assignandis dilationum terminis, regulariter necesse est, ut si iudex uelit terminum esse peremptorium, ita ut porrò nolit eum, cui ad aliquid faciendum data est dilatio, admitti ad illud præstādum, ut euidentib. uer bis illud exprimat. Nisi enim id factum fuerit, denuo ille citandus est ad illud faciendum, donec tres termini effluxerint, sicut suprà de assignatione terminorum in citationibus facienda diximus. Verùm quia dilationes ante &

poſt litis conteſtationem dantur, quidam diſtinguendum putauerunt, uidelicet, quòd ante litem conteſtatam terminus datæ dilationis, non intelligatur peremptorius, niſi illud ſit expreſſum, argumento cap. de illicita. xxiiij. q. iij. non autem in dilatione poſt litem conteſtatam data. Nam poſt litem conteſtatam omnes terminos haberi peremptorios uolunt, ſed hoc nullo iure expreſſe cautum eſt, licet allegent c. conſuluit, Extr. de offic. iudic. delegat. eō quōd ibi dicitur, eum, cui indictus ſit terminus ad recipiendos teſtes (quod regulariter non fit, niſi lite conteſtata) non eſſe neceſſe denuo citari eum, ut uideat teſtes recipi, ſed eſſe in arbitrio iudicis, an hoc pro ſua beneuolentia illi tribuere uelit. Itaque cūm in iſta dilatione poſt litem conteſtatam data, permittatur iudici, ut procedat, ac ſi conſtitutus eſſet terminus peremptorius, & ſi non ſit, contendunt omnium dilationum, quæ ā lite conteſtata datæ ſint, habendos eſſe peremptorios. Sed præterquām quōd argumentum à particulari ad uniuerſale affirmatiuē ductum, non eſt neceſſarium, etiam in ea Decretali agitur de eo ſolūm iudicio, quod per delegatum exercetur, & gloſſ. Clemen. ſæpe. de uerbor. ſignificat. circa uerbum, non peremptoriæ, dicit quōd in iis cauſis, in quibus cognoſcendis iudiciorum ordo ſeruetur, etiam in dilatione ad audiendam definitiuam ſententiam data, quod nunquām fit, niſi lite conteſtata, opus ſit exprimi terminum peremptorium. Itaque cenſeo in dilationibus, tam quæ ante, quām quæ poſt litis conteſtationem dantur, manifeſtè eſſe exprimendum, ſi iudex terminum uelit eſſe peremptorium, niſi aliud ex conſuetudine fori obſeruetur. His omnibus, quæ in dandis dilationibus obſeruanda ſunt, adiiciendum eſt, quòd uſque adeò Imperatores Romani noluerint licentia petendarum & dandarum dilationum dari occaſionem prorogandis litibus, ut M. Antonius conſtituerit, non niſi ſemel dandum eſſe unius rei in iudicio exequendæ dilationem. leg. oratione d. Antonij. ff. de dilation. Quam conſtitutionem Diocletianus & Maximilianus poſtea, tanquām eam, quæ digna eſſet, ut in rep. perpetuò obſeruaretur, repetitam ſanxerunt leg. i. in fin. C. eodem. Neque debet quidem ſecus fieri, niſi rerum neceſsitas id expetere uideatur. Dantur autem dilationes tam actori, quām reo ad exequendum id, quod cuique ad ſuſtinendum ſuam cauſam ex neceſsitate obſeruandi proceſſus iudicialis incumbit, aut cognitione uel decreto iudicis imponitur. Inter hos hic ſeruatur ordo dandarum dilationum, ut iuxta regul. Qui prior appellat, prior agat. l. qui prior. ff. de iudicijs. In iis quidem cauſis, quæ de plano cognoſcuntur, poteſt actori & reo aſsignari terminus probationum, ſed in aliis cauſis ſtultum eſſet, reum petere dilationem ad probandum, antequām actor ſuam probationem probaſſet, iuxta gloſſ. Clemen. ſæpe. de uerbor. ſign. circa uerb. partes.

ff.

De feriis & dilationibus, & diuerſis temporibus earum, & ex quibus cauſis feriæ non impediantur.

C. & in Dec.

De dilationibus.

De feriis.

DE SATISDATIONIBVS.

Caput XII.

SVMMARIVM.

1. Satiſdatio quando peti poſsit.
2. Satiſdare quid ſit.
3. Quibus modis ſatiſdatio præſtetur.
4. Cautio iuratoria quando admittatur.
5. Satiſdationes iudiciales cur fiant.

6. Extra

6. Extraiudiciales qua de causa exigantur.
7. Cautio usufructuaria quæ sit, & à quo exigatur.
8. De satisdationibus iudicialibus.
9. Actoris non satisdantis pœna.
10. Procurator sine satisdatione non admittitur ad defendendum aliquem.
11. Tres satisdationes exigi solent ab ijs, qui alieno nomine actionem in iudicio suscipiunt.
12. Cautio rem ratam haberi, quando exigatur.
13. Reconuenti procurator fit reus, & satisdat de iudicato soluendo.
14. Nectere dolos, quò minus de negotio iudicetur.
15. Qui non cogantur satisdare.
16. De extraiudicialibus satisdationibus.
17. Satisdationes quæ instar actionum sint.
18. Actiones in factum iura petendarum satisdationum esse.
19. Sequestratio rei litigiosæ an permissa sit.
20. Sequestratio rei ex aliquo contractu debitæ prohibita est.
21. Dos quando sequestretur.
22. Missiones in possessionem, pignora prætoria, cautiones, inter satisdationes censeri.

1 SICVT de dilationibus dicendum fuit, antequàm ad declarationem congressuum, quibus de ipsa causa disceptatur, progrederemur, quia non in litis initio solũm, sed quolibet eius expediendę actu petuntur, Ita & de satisdationibus dicendum est, antequàm de actibus perpetuis in ordinario processu cognoscendarum causarum agamus. Non enim satisdationes solũm ante litis contestationem, sed nonnunquam etiam postea peti possunt. Nam fideiussor datus de iudicato soluendo in prima disceptatione litis non tenetur ad soluendum iudicatũ, si is, pro quo fideiussit, in appellatione succumbat. l. cũm apud. ff. iudicat. solu. Itaque si quis prospectum sibi de soluendo iudicato in causa appellationis uelit, necesse est ut denuo sibi in ea satisdari petat. Deinde casus interuenire potest, ut alia satisdatio post eam, quæ iam præstita est, postulanda sit: ut si insignis aliqua calamitas faciat, quò minus benè cautum nobis uideatur illis rebus, quibus nobis satisdatum est, tum possumus petere, ut de integro satisdetur. l. si arbitro. in fin. ff. qui satisd. cog. 2 Est autem satisdare aliud nihil, quàm aduersarium suum securum facere de eo, quod in iudicium uenit, ut in quemlibet iudicij euentũ litigantes habeant, unde consequi id possint, quod 3 ipsis ex lite iure deberi pronunciatum sit. l. i. ff. qui satisd. cog. Redduntur autem homines securi, aut datis pignoribus, aut fideiussoribus, aut nuda stipulatione, aut iureiurando, glo. l. i. cir. uerbum fideiussores. ff. qui satisd. cog. Atque illi quidem, qui datis fideiussoribus aut pignoribus alicui cauerunt, propriè dicuntur satisdedisse. Illi uerò, quorum nuda stipulatio loco satisdationis accepta est, dicuntur cauisse. l. sancimus. C. de uerb. sign. Generali tamen significatione, etiam sub uerbo satisdationis nonnunquàm cautio stipulatione accipitur. l. satisdationis. ff. de uerb. sign. Ad cauendum autem per iura- 4 mentum nemo admittitur, nisi pignora aut fideiussores dare non possit. Nã illud se non posse facere, iuramento testari cogitur, Ac proinde iureiurando promittere, quòd præstiturus sit ea, quæ ab aduersario eius ad satisdandum illi exiguntur. Authent. generaliter. §. autem. C. de Epis. & cle. Et quia talis satisdatio fit per iuramẽtum, dicitur ea iuratoria cautio, tanq̃ certa species cautionum, quæ alioquí per stipulationem aut repromissionem fiunt. Atq; hæ 5 formæ sunt, quibus satisdatur. Fiunt autem satisdationes uel ut extra periculum iudiciorum exercendorum simus, uel ut nobis prospiciatur ad fugienda pericula, quæ non ratione iudiciorum, sed ob causas extra iudiciũ metuimus.

Itaque

Itaque propter res, quarum gratia exiguntur, aliæ satisdationes dicuntur iudiciales, aliæ extraiudiciales, uel cautionales. Iudiciales sunt de sistendo, de iudicato soluẽdo, de ratum habendo. Nam tales satisdationes exiguntur iudicij subeundi causa, absque periculo. Extraiudiciales sunt de damno infecto, de 6
sequestranda re mobili, quæ apud personam est, de qua suspicio est, ne cum re aufugiat. Item quæ exigitur ab eo, cui legatus est usufructus, ut utatur, 7
fruatur, salua rerum substantia. Quamuis enim & hæ iudicis autoritatem desiderent, tamen effugiendi periculi causa, quod ex iudicio metuimus non postulantur. Dicemus igitur de utrisque: non quòd extraiudiciales satisdationes ad tractatum iudiciorum pertineant, sed quòd nonnihil lucis inde illis accedat, si cum his explicentur, Et quòd supra de uerborum obligationib. polliciti sumus, nos hoc loco dicturos de omnibus stipulationibus, quæ apud iudices interponi, & non sola contrahentium conuentione fieri solent.

Porrò cũm in explicatione earum rerum, quæ iudicij exequendi causa fiunt, uersamur, exigit instituti nostri ratio, ut primũm de iudicialibus satisdati 8
onibus agamus. Exiguntur autem satisdationes, tam ab actore, quãm à reo. Ac ne temerè, aut calumniandi studio alijs negotium in iudicio faceſſere, im- 9
pune esset, prudenter constitutum est, ut iudex discerpat, uel non recipiat libellum actoris, nisi caueat, quòd per se, uel per procuratorem suum prosecuturus sit causam in iudicio usq; ad finem litis. Ac si fortè causa cadat, quòd decimam partem rei in libello petitæ soluturus sit reo. Auth. generaliter. C. de Episc. & Cleric. Deinde permissum est reo, ut oblatum libellum actionis nõ recipiat, nisi actor ei satisdet, quòd si intra duos menses litem non contestetur, in duplo resarturus sit ei damnum, quod ex temerè mota ab eo lite tulerit. Auth. libellum. C. de litis contestat. Verũm quæ est hominum in conseruandis bonis & honestis rebus negligentia, fecit, ut nihil horum nũc in foro seruetur. iux. gloss. c. inducíæ. cir. §. viij. q. xxxij. Ferè tamen simile quiddã in usu est, secundum cuiusque regionis consuetudinem, ut in his regionibus, ut plurimùm exigit reus ab actore, non habente bona immobilia in eo territorio, quo reum in iudicium traxit, ut illi satisdet, de reddendis impensis, quas in eam litem facere coactus sit, si iudicio succumbat actor. Item de sistendo in eo iudicio, ad reconueniendum eum ob quamcunq; causam, quam ex ea lite contra eum nanciscatur.

Atque hæc quidem obseruantur, si ipse actor in iudicium ueniat: si uerò 10
procuratorem suo nomine in iudicium mittat, aut ultrõ quis se ad defendendum reum absentem offerat, ab illis semper satisdatio exigi potest. Nemo enim alienæ litis defensor idoneus sine satisdatione intelligitur. Institut. de satisdatione. §. si uerõ. l. qui proprio. §. qui alium. ff. de procurator. Sunt au- 11
tem tres satisdationes, quæ exigi solent ab ijs, qui alieno nomine actionem in iudicio suscipiunt, uidelicet de ratum habendo, de defendendo domino litis, si reconueniatur à reo. De iudicato soluendo ratum habiturum dominum causæ, quod per procuratorem actum sit, ut satisdet alieno nomine a-
Mandatum suspectum. gens, expetere possumus, quando propter aliquas suspiciones metuimus mandatum, quod ostenditur non esse profectum ã domino litis, aut alioqui esse ementitum, & non ritè factum. Isto tamen casu in optione exhibentis 12
mandatum esse habetur, ut probet se habere mandatum, aut caueat de ratum habendo. Nam cũm quis tenetur alternatiuè ad alterum duorum, præstando, quod uoluerit, liberatur. leg. plerumque. §. fin. ff. de iure dot. Si uerõ manifestè constet, eum non habere mandatum, non auditur, etiamsi satisdare de rato uelit. capi. primo. Extra. de procuratoribus. & ibi gloss. Sicut nec exigi ab eo hæc satisdatio potest, cũm certum est, eum habere mandatum. C. de satisdando. leg. unica. Vt uerò de defendendo domino litis, si reconueniatur,

ueniatur, caueat, adeò exigitur, ut inter clausulas mandatorum concipiendo rum etiam numeretur, ꝙ constitutus sit procurator, non solùm ad agendum, sed ad defendendum quoꝙ. C. eo. & de procur. l. nulla, &c. accedens. Ex. de prōcur. Nam constitutus solūm ad agendum, & non ad defendendum quoꝙ, repelli potest ab agendo, tanꝙ parum idoneus procurator. l. mutus. §. pœna. ff. de procur. & C. eo. l. actionem. Imō si reconueniatur is, qui datus est procurator ad agendum, nec habeat in mandatis, ut defendat dominum causæ, tū dominus condemnatur in expensis iure canonico, ac si nullum procuratorem
13 dedisset, & factus esset contumax. c. constitutus. Ex. de proc. Et quia in reconuentione actoris, eius procurator fit reus, cogitur in eum casum etiam satisdare de iudicato soluendo, sicut procurator rei. Et hoc siue habeat mandatum, si ue non habeat. Nam procuratores reorum non subleuat mandatum, quò minus de iudicato soluendo satisdare cogantur. Ac siquidem reus in iudicio presens fuerit, cùm hæc satisdatio ab eius procuratore exigitur, potest ipse sui procuratoris fideiussor, hac in re præstanda, fieri, uel facta stipulatione in iudicio, uel extra, suas possessiones eo nomine obligare, ut sint loco hypothecæ. Si uerò conuentus non est presens in iudicio, tum cogitur ipse procurator fideiussores de iudicato soluendo adducere. Instit. eo. §. sin autem, & sequenti. Huius uerò satisdationis uerbis, non hoc tamen intelligitur promitti, ꝙ is, qui promittit iudicatum solui, obligetur tantūm ad soluendum id, quod pro
14 nunciatum sit, eum actori debere, uerumetiam, quōd in defendenda ea causa, nullos uelit nectere dolos, quibus efficiat, quō minus aut de eo negotio iudicetur, aut si pronunciatum de eo sit, præstari iudicatum non possit. l. iudicatum. ff. iudicatum solui. Ex his igitur manifestum est, quōd procurator rei
15 conuenti, aut actoris reconuenti, semper teneatur satisdare de iudicato solue̅ do. Nonnunquam procurator Rei, etiam de rato cauit, licet rarissimè, iuxta glo. l. Pomponius. ff. de procurat. Indicat quoque text. Instit. eod. §. sin autem. in fine, Quōd à reo, qui fideiubeat, pro suo procuratore de iudicato soluendo, possit exigi, ut satisdet, seipsum interfuturum iudicio, cūm sentētia definitiua proferatur, sed non ualde refert, an hæc satisdatio exigatur nec ne. Nam postquàm legitimē citatus est reus, & placuit illi per procuratorem causam agi, tum si liqueat de causa, potest etiam absente ferri sententia, in causa ciuili, sicut infrā de proferendis dicemus. Ipse uerō reus cogitur satisdare de sistendo in iudicio usque ad finem litis, si immobilia bona non possideat. l. sciendū. in prin. ff. qui satis. cog. Ac si actor in aliquo est metu, ne reus interuertat rem, quam ab eo postulat, potest exigere, ut satisdet, de re exhibenda, quoties opus erit. Et ne eam aliò transferat. l. Senatusconsulto. in fin. ff. de offi. pre̅
15 sidis. De iudicato autem soluendo, reus non tenetur satisdare, quia satis est, ꝙ expectet sententiam iudicis, & quōd rem, quę ab eo petitur, non interuertat, quō minus iudex sententiam suam in ea re exequi possit. Neꝙ Tutores, uel Curatores, uel Syndici, & his similes, qui alienarum rerum sunt administratores, de ratum habendo, aut iudicato soluendo, satisdare coguntur, si conueniantur nomine illorum, quorum res administrant, quia illi sunt quasi domini, ut sufficiat eos satisdare, sicut ipsi rei, non ut procuratores, qui non sunt causarum domini. iux. gloss. Instit. eo. cir. uerbum per alium. Si uerō tales personæ agant, tum necesse est eas satisdare, sicut de Actoribus dictum est. Tenentur quoque procuratores ab ipsis ad agendū dati eodem modo, quo alij procuratores actorum. Instit. de satisdatio. §. sin autem. Omnino autem non est in frequenti usu, ut à reis expetantur satisdationes, præter eam, quæ est de sistendo in iudicio. Hæc ferè sunt, quæ in exigendis satisdationibus iudicialibus obseruantur.

Porrō ut & de reliquis satisdationib. dicamus, quę nō exiguntur, ne iudicia eludi à litigantibus in mutuā perniciem possint, sed ut in turo sint res nostrę,

aut

aut nobis debitæ, obseruandum est, quõd tales omnes satisdationes instar acti 17
onum sunt. Nam ut iudex has interponi iubeat, requiritur, ut causa earum interponendarum ei exponatur, & petatur, ut pro sua autoritate mandet, huius aut illius rei causa, sibi caueri, per eum, à quo imminere periculum uidetur. Itaque in exigendis his, sicut in actionibus proponendis, proceditur. Est autem omnium harum causa factum, ob periculum metuendum. Proinde iura 18
petendarum harum satisdationum rectè quoq; inter actiones in factum collocantur, sicut & nos satisdationem de demoliendo ædificio, quod in alieno solo extructum iudici interuenienti apparuerit, & de damno infecto, si ruinosam uicini domum damnum dare lapsu suo contingat, & aliarum similium satisdationum petendarum iura inter actiones in factum suprà retulimus. Atq; ob id etiam repetere eas hic intermittimus. Inter alias autem huius generis satisdationes tum præcipuè referenda est ea, quæ exigitur, ut res, de quibus est 19
controuersia, sequestrentur. Nam hæc proximè ad superiorum naturam accedere uidetur, cùm & ea non tam ob periculum ne intercipiatur res litigiosa, q̃ ut possit sententia mandari executioni, si de causa pronunciatum sit, interponatur. Est autem regulariter prohibita sequestratio rei ex aliquo contractu 20
debitę. Iuris nanq; ratio exigit, ut is, qui uelit rem petere, prius ostendat eam sibi debitam. C. de prohibita seq. tamen si ita uideatur disceptantibus, ut res litigiosa apud aliquem custodiæ causa deponatur, non prohibentur, scilicet istud facere. l. interest. ff. de acq. pos. Potest quoq; casus afferre causam, ut quis 21
cogi ad ferendam sequestrationem possit, ut si maritus spreta infelicitate uxoris res in dotem illi datas dissipat, tum oportet eum ferre, ut res dotales sequestrentur. l. si cùm dotem. §. si autem sæuissimo. ff. solut. mat. Idem fit in multis alijs casibus, qui annotantur à gl. c. dilectus. Ex. de do. & con.

Et possunt inter satisdationes, quæ fiunt per sequestrationem, poni istæ 22
missiones, per quas obedientes iudici in possessionem contumacis mittuntur. Nam & ideò possessiones, in quas ita à iudice quis missus est, dicuntur pignora prætoria, quia loco pignoris ad satisdandum assignantur, sicut & exequendę definitiuę sententię causa nõnunq; uictorib. in pignus possessiones dant, sicut infrà de executiõe rei iudicatę audiemus. Quare sequestratio meritò cõiungitur reliquis satisdationibus, quæ iudiciorum causa petuntur. Quæ uerò extra metum periculi, in quod incidere non litigantes possumus, petuntur ad occurrendum fraudi eorum, cum quibus negotium nobis uel nostra uoluntate, uel casu esse cœpit, magis cautiones circumscriptę negotiandi quàm litigandi possint dici. Nam his prospicimus, ne malum dent nostris reb. incũbentes (ut est cautio de præstandis legatis, rem pupilli saluam fore, & his similes) illis uerõ, ne ludibrio nostro nobis uincentibus litem exercuisse nobiscũ iactare illi possint, qui nos prouocauerunt. Fiunt autem tales cautiones ut plurimũm interposita stipulatione. Itaque & inter prætorias stipulationes in digestis ponuntur. Cæterũm uideri possunt & illæ missiones, quę fiunt uentris, aut legatorum nomine in bona defuncti inter satisdationes numerandæ. Verũm quia illæ non iudiciorum, sed pignoris causa petuntur, eas inter pignora prętoria relinquimus. De illis uerò cautionib. quę non iudice cognoscente & iubente, sed sola partium uoluntate & conuentione constituuntur, prorsus hoc loco non est dicendum, quia earum constituendarum ratio ex uerborum, pignorum, & fideiussorum obligationibus petenda est.

ff.

Qui satisdare cogantur, uel iurato promittant, uel suæ promissioni committantur.

Si ex noxali causa agitur, quemadmodum caueatur.

De prætorijs stipulationibus.

Rem ratam haberi, & de ratihabitione.

Iudicatum

Iudicatum ſolui.
Vt legatorum ſeu fideicommiſſorum ſeruandorum cauſa caueatur.
Vt in poſſeſsione legatorum uel fideicommiſſorum cauſa eſſe liceat.
De uentre in poſſeſsionem mittendo.
Cod.
De ſatiſdando.
De prætorio pignore, & ut in actionibus etiam debitorum miſsio prætorij pignoris procedat.
Vt in poſſeſsionem legatorū uel fideicommiſſorum ſeruandorū cauſa mittatur, & quando ſatiſdari debeat.
De prohibita ſequeſtratione.
In Decret. & Cle.
De ſequeſtratione poſſeſsionum & fructuum.

DE LIBELLIS, QVIBVS Actiones proponuntur. Cap. XIII.

SVMMARIVM.

1. Aedendam eſſe actionem.
2. Aedere actionem quid ſit.
3. An in omnibus cauſis neceſſarius ſit libellus.
4. Libellus quare exigatur.
5. Libellus conuentionalis quid ſit.
6. Duas eſſe partes libelli conuentionalis.
7. Narratio facti ſit circumſpecta.
8. Cauſarum, ex quibus actiones oriuntur, ſeries ob oculos habenda.
9. Rei uendicationis cauſa eſt dominium.
10. Titulus acquiſiti dominij in libello exprimendus.
11. Origo ſui iuris in libello exponenda.
12. In perſonalibus actionibus cauſa obligationis ædi requiritur.
13. Facti narrationem, & ius ex facto agendi in libello eſſe ponendaſ
14. Nomen actionis in libello an debeat exprimi.
15. Actionis uocabulum uariè accipi.
16. Actio eſt ſolennis quædam formula.
17. Actio eſt facultas & ius conueniendi aliquem in iudicio.
18. Nemo abſq; actione experiri poteſt.
19. Actio eſt legitima petitio à legibus conſtituta.
20. Non eſt neceſſarium, ut nomen actionis in libello exprimatur.
21. Quoties occurrunt plures actiones eiuſdem rei nomine, neceſſe eſt actorem eligere, qua experiri malit.
22. Alia actio per aliam an tollatur.
23. Contraria proponens uel allegans non eſt audiendus.
24. Ius agendi in libello exprimendum.
25. Alio pro alio ex æquipollentibus uti poteſt.
26. In contractibus obſeruatio uerborum requiritur.
27. In perſpicienda cauſa, ex qua competat ius agendi, magnam eſſe difficultatem.
28. Iure ſucceſsionis res debita quomodo petenda.
29. Petitio hæreditatis non datur contra titulo poſsidentem.
30. Duæ actiones pariter in eodem libello proponi poſſunt.
31. Res in libello quemadmodum deſignentur.
32. De plus petitionibus. Quatuor modis plus peti, re, tempore, loco & cauſa:
33. Titulum de interrogationibus in iure faciendis ſublatum, quomodo & quatenus ſit intelligendum.
34. Condemnatio plus petentium.
35. Propter ineptitudinem libelli, actio non perit.

36. De libelli emendatione. 37. Mutare libellum quis dicatur.
38. Vitium in ipsa materia libelli hæret, cùm plus aut minus quàm oportuit, petitum est.
39. De alternatione actionum.
40. Cedere iure suo nemo prohibetur.

Aedere actionem.

AEDENDAM esse actionem, qua quis experiri contra quempiam in Iudicio uelit, ut conuentus scire possit, an cedere uel contendere debeat, nemo est qui possit dubitare. Nec enim potest cum eo cuiquam esse lis, quem nesciat, quid ab eo petat. Aedita nanq; actione demũ conspicitur litis futuræ species. l. ædita. C. de æden do. Aedere uerò actionem, est dictare, uel libello complecti, qua in re ius 2
suum sibi à Iudice conseruari aduersum eos, qui illi in eo fruendo obstent, de sideret. l. 1. §. ædere. ff. de ædendo. Est autem talis ædítio actionis, uel statim in prima aditione Iudicis facienda, ut Iudex possit aut Actoris petitionem Reo in citatione denunciare, uel post quam Reus in iudicium uenit, & porrigi sibi libellum actionis à Iudice petit. iuxt. Aut. offeratur. C. de lit. contest. Quòd uerò Iudici primùm, deinde per illum Reo offerendus sit libellus, non obscurè innuitur in Aut. litigiosa res. C. de litigiosis. An autem in omni 3
bus causis tractandis necessarium sit, ut actio per libellum exponatur Iudici, queri solet, & Iura quidem Canonica uidentur indiscriminatim hoc exigere, cap. 1. Ex. de obla. libelli, tamen eadem iura permittunt, ut in causis, quæ de plano cognoscuntur, & quæ leuis sunt momenti, quæq; notoriæ sunt, & in multis alijs casibus, quos recenset Specula. in tit. de libel. concept. §. nunc dicendum. Nam in plerisq; causis satis est dictari actionem, cùm in ea facilè con
stare Iudici possit, quatenus de ea concipienda sit sententia. Nec enim libel- 4
lus ob aliam causam magis exigitur, quàm ut certò constet de petitione actoris, ad concipiendam secundum eam petitionem iustam sententiam. Porrò exhibentur Iudici tam in ciuilibus quàm in criminalibus Iudicijs actionum libelli. Itaq; alius libellus dicitur Conuentionalis, uidelicet quia offertur Iu- 5
dici in ciuilibus iudicijs, alius uerò accusatorius, quo crimen alicui intẽditur.

Libellus Conuentionalis.

Est autem Conuentionalis libellus (de quo nos hoc loco solùm dicemus) breuis quędam demonstratio eius iuris, quod nobis ex certa aliqua causa tribuendum à Iudice contendimus. Vnde uideri possunt duæ esse partes conuentionalis libelli, prior, qua exprimitur causa, ex qua competere nobis ius conue- 6
niendi quempiam apud Iudicem existimamus, posterior, qua subiungitur causę, quid nobis tribuendum ex ea iudicem pronunciare cupimus. Et quia talis postulatio non potest fieri, nisi personæ quoq; à quibus, & contra quas ea fit, solet requiri, ut in libello nomen Iudicis, Actoris, & Rei exprimatur, iux. glo. c. 1. extr. de obla. lib. Nec eget quidem talis nomenclatura aliquo monstratore, per se satis manifestum est, quomodo fieri eam oportet: plus curæ adhibendum est in ponẽda causa agendi, & urgenda petitione, quam ex ea com

Causa agendi, et petitio.

petere nobis, cõtendere uolumus. Nisi enim causa & petitio conuentionis ita fuerint libello cõceptæ, ut aptè inter se cohæreãt, & petitio causæ conueniat, libellus tanq; ineptus reijcitur, & Reus ab instantia iudicij absoluitur. Atq; id quidẽ statim in initio facere Iudex potest, si manifestè ineptus est libellus, ut si quis agat rei uẽdicatione cũ eo, qui rem petitã nõ possideat. Si uerò dubiũ sit, potest expectare donec ex progressu intẽtionis intellexerit, immaturè, intempestiuè peti, & conclusionẽ libelli ex narratione nõ sequi. c. examinata. & ibi glo. fin. Ex. de iud. Vt si ex obligatione petat quis sibi aliquid præstari, & cõuentus doceat obligationis diem nõdum uenisse, Actor tanq; is, qui non habeat iustã causam, ab agendo repellit. Refert igitur plurimũ Actorẽ in nar 7
ratione facti, ex quo ortũ ius agendi sibi existimet, esse circũspectũ, ne causam parum idoneam ad petendum id, quod ex eo iudicio consequi cupit, afferat.

Id

8 Id uerò ut quis perſpicere ſecum poſsit, neceſſe eſt habere ob oculos cauſa-
9 rum, ex quibus actiones oriuntur, ſeriem. Quia uerò rei uendicationis unica eſt cauſa, dominium quocunq; tit. per traditionem, uel uſucapionem acquiſitum, uolunt quidam ſatis eſſe, quòd in libello mentio fiat rei uẽdicationis, & non eſſe neceſſe, ut cauſa ex qua res, quam petimus, nobis obuenit, adĳceretur. Ipſam enim appellationem rei uẽdicationis oſtendere, ex qua cauſa, nempe dominĳ, agatur. Et in probanda hac opinione utuntur argumento ex §.
10 1. Inſtit. de actio. ducto. Tutius tamen eſſe fatentur, titulum acquiſiti dominĳ exprimere in libello. Namhoc incõmodi metuendum eſſe illis, qui certũ titulum Iuris, cuius occaſione dominium acquiſiuerũt, nõ adĳciant, ut poſtquàm ſuccubuerint, non probato dominio, porrò non audiantur, quia omne ſuum ius acquiſiti dominĳ in iudicium produxiſſe exiſtimentur, cũm cauſam, ex qua ſe nactos dominium crediderint, in libello non diſtinctẽ expreſſerint, ut erraſſe in propoſita cauſa uideri poſsint, cũm ex alia, quàm putarint, illis acquiſitum dominium, ſicut facere poſſent, ſi certum titulum adepti dominĳ in libello adieciſſent. l. ſi mater. §. eandem cauſam. ff. de Except. rei iud.

11 Conſultum itaq; eſt, ut quis originem ſui Iuris in libello exponat, quacun
12 que actione experiatur. In perſonalibus autem actionibus, illud etiam neceſſariò requiritur. Cũm enim obligationis, ex qua actiones perſonales naſcuntur, non una, ſed uariæ ſint cauſæ, neceſſe eſt ædi cauſam, ex qua quis eum, quem conuenit, obligatum ſibi contendat, ne incertitudo cauſæ in tanta uarietate talium actionum, & iudicem & Reum impediat, quò minus diſcernere poſsint, qua in re iudicium experiri, & quo Iure ſibi deberi Actor exiſtimet, quod ā Iudice ſibi tribuendum petat. Itaq; regula eſt, quòd conuentus actione perſonali non teneatur ad reſpondendum, ſi cauſa petendi in libello non ſit expreſſa. cap. ultimo. Ext. de libel. oblat.

13 Sub cauſæ autem appellatione, quæ in libello ponenda eſt, duo continentur, facti uidelicet Narratio, & Ius, quod inde colligitur Actori competere ad agendum, ut Titium uendidiſſe Sempronio fundum, quem iam per annum tenuerit, nondum tamen ſolutum eſſe precium, quo ei uenditus ſit, narratio facti eſt. Teneri uerò Sempronium ex obligatione emptionis ad ſoluendum promiſſum precium, eſt Ius, quo eum ut ſibi obligatum proſequitur, & ad ſoluendum legitima executione Iuris per poteſtatem Iudicis cogi eum petit.
14 An uerò ſufficiat facti relationem in proponenda actione feciſſe, an uerò etiam neceſſe ſit Ius illud, quod nobis ex facto competere ad agendum contendimus, nominatim, & ſpecialiter exprimere, ut ex uendito, mandato &c. quæri ſolet. Et exercuit quidem hæc quæſtio multos ex ſcriptoribus Canoni
15 ci pariter & Ciuilis Iuris. Omnis tamen diſceptatio inde orta eſſe uidetur, quòd uocabulum actionis alio atq; alio loco in legibus atq; Canonibus aliter
16 accipitur. In l. ĳ. §. deinde. ff. de orig. Iur. Actiones uocantur ſolennes quædam formulæ uerborum, quas populus ā Pontificibus petere cogebatur, cũm intendere alicui litem quis uellet, ne aliam, quàm opus eſſet, actionem inſtitueret. Et talium formularum tam ſuperſtitioſa fuit obſeruatio, ut Actor cauſa caderet, ſi quam ſyllabam ex illis omiſiſſet, iuxta Cic. de Orato. Quare ſublata eſt omnis illa ſuperſtitio proponendarum actionum, iuxta titul. C. de for. & impet. Acti. ſubla. Non igitur ſuſpicandum eſt de huiuſmodi formulis controuerſiam eſſe, cũm quæritur, an Actio in libello ſpecialiter exprimen-
17 da ſit. In l. ſi pupilli §. uideamus. ff. de neg. geſt. Actio ponitur pro facultate & iure conueniendi aliquem in Iudicio, qua ſignificatione accepto uocabulo
18 actionis, rectè ac ueriſsimè dicitur, neminem abſq; actione experiri poſſe. Non enim permittitur, ut quis alienum debitorem conueniat abſq; mandato, quia nullum Ius eius conueniendi illi competere manifeſtum eſt. Sed inde non ſequitur, quòd is, qui habet talem facultatem, cogatur nominatim ſuum

Ius speciali appellatione actionis in libello proponere, in cap. 1. Ex. de mut. pet. & 11. quæst. 1. c. experientiæ. iubentur actiones proponi, hoc est, petitiones, sicut gloss. ibi exponit. Inde uerò nihil aliud euinci potest, quàm in libellis disertè ponendum esse quid petat, & sibi deberi pro Iure suo quis existimet. Nam & uocabulum actionis sæpè pro legitima petitione secundum uarietatem casuum à legibus constituta accipitur. Et Iura Canonica in capit. dilecti. Ex. de iudicijs, manifestè liberant actores ab anxia obseruatione proponendarum actionum, & statuunt sufficere, si ita narretur factum, ut Ius agendi ex illo colligi possit. Ergo non uidetur necessarium, ut nomen actionis specialiter in libello exprimatur, atq; hoc quidem ita obseruatur, & rebus atq; Iuri ita consentaneum est, ut ita fiat, si talis sit casus, ut inde nisi una nascatur actio. Nam tum facilè instrui Iudex & Reus possunt, qua actione quis experiri uelit. At quoties occurrunt plures actiones eiusdem rei nomine, necesse est Actorem eligere, qua experiri malit. l. nemo ex his. §. quoties. ff. de regul. Iur. Verùm hæc regula, tum demùm locum habet, quando non est eadem petitio earum actionum, quæ ex eodem facto oriuntur. Nam tum ut certa possit fieri sententia, necesse est exprimere, qua actione quis experiri uelit. Vt si cui res sua furtim surrepta sit, competit illi condictio furtiua, & actio furti aduersus furem. Sed quia condictione furtiua res ipsa repetitur, actione uerò furti ad pœnam furi imponendam agitur, l. si pro fure. §. furti. ff. de condi. furt. Necesse est exprimi in libello, qua quis actione contra furem experiri uelit.

Quid igitur, inquiet aliquis, faciendum est, cùm plures quidem ex eodem facto actiones competunt, & quamuis diuersæ sint earum petitiones, tamen idem ex omnibus Actor consequitur, ut non referat, quam pro alia Reo potissimùm intendat. Respondeo in tali casu duo esse consideranda. Primùm quòd & si Actor idem ex omnibus consequatur, tamen propter conceptionem sententiæ referre, ut una aliqua certa actio proponatur. Vt si seruus quispiam permittente domino negotietur re peculiari, potest dominus à Creditoribus eius conueniri actione Tributoria, uel actione de peculio, quarum utraque petitione idem consequuntur, iuxta ea quæ suprà annotauimus de actione Tributoria, in cap. de actionibus. Nam utraque actione cogere creditores dominum possunt, ut ex peculio serui soluat debita. Sed quia actione Tributoria agitur cum domino, ut si quid illi fortè debeat seruus, cum quo ipsi contraxerunt, tanquam extraneus creditor illis contribuat res seruí, quas apud se habeat,

Quãdo plures actiones ex eodem facto cõpetũt.

Actio de peculio.

Actione uerò de peculio, petitur solutio debiti de peculio serui fieri, necesse est in libello exprimi actionem, ut in eam disertè sententia concipi possit. Itaque iubent leges in tali casu eligi actionem. l. quòd in hæredem. §. eligere. ff. de Tributoria actione. Deinde uidendum est, an ex eadem causa & Iure omnes competant, an ex diuersa. Si ex eadem causa ad idem competunt, ut in proximo exemplo, tum alia per aliam tollitur, nec datur regressus ad alteram. Itaque refert omnino ex illis eligere, quam existimet Actor esse expeditissimam. Si uerò ex diuersis causis ad idem competunt, tum non est tantum periculi in eligenda actione, quia postquam ex una causa agens succubuit, potest ex altera causa nihilominus agere. Vt si quis agat Tributoria actione cum domino, quia eius seruo merces quasdam crediderit, existimans eum negotiari uolente domino, tum etiamsi dominus neget id factum esse, se sciente & permittente, tamen potest eum conuenire de peculio, si illud habeat seruus, ut illi soluat ex eo creditum, iuxta iam alleg. l. & §.

Act. tributoria cum domino.

Præterea in omnibus his casibus, in quibus ex eodem facto diuersa Iura agendi

agendi competunt, uidendum est an solo genere agendi uarient, an uerò ratione inter se pugnent actiones, ex illis iuribus competentes. Nam si ratione inuicem sibi sunt contrariæ actiones, tum licet causæ earum sint diuersæ, tamen neq; simul pluribus uti, neq; una earum electa, ad alteram regredi quis potest. Vt si quis ex mea pecunia emat prædia, me inuito, hoc illi mandantibus meis seruis, aduersus eum mihi primùm competit actio furti, quia me inuito pecuniam meam contrectauit. Deinde possum quoque eum conuenire actione mandati, quia ex mandato eorum, per quos mihi acquiritur obligatio, id facit. l. 1. C. de furtis. Sed utraq; actione neq; simul, neq; per uices aduersus eum experiri possum. Neq; enim patitur ratio, ut eundem alium aliquid fecisse ex mandato meo, aut meorum, & in eodem facto eum furti accusem. Quod enim mandato meo fit, id non possum contendere me inuito esse factum. Proinde una tantùm earum actione experiri mihi licet, nec datur mihi
83 ad alteram regressus, cùm actiones ratione inter se pugnent, quia contraria proponens uel allegans non est audiendus. l. Titiæ non nupserit. ff. de condict. & demonstr. Si uerò genere agendi tantùm uariant actiones ex uno aliquo facto competentes, ut si alia est pœnalis, alia rei persecutoria, tum neutra per alteram tollitur. Itaq; nihil est periculi, utra actione quis magis aut prius experiatur. l. si pignore. ℣ si furti. ff. de furtis. Eiusdem autem generis actiones ex uno eodemq; competentes tolluntur inuicem eatenus, quatenus altera excedit alteram in persecutione. Exempli gratia: Locatus est alicui hortus, in quo arbores quasdam succidit uicinus propter inimicitias, quas cum conductore habet, ibi licet locatori emendationem damni, quod ex succisione arborum sentit, uel actione ex locato, uel actione l. Aquil. petere. Ac siquidem ex locato cum eo egerit, potest tamen postea experiri aduersus eundem Aquilia, ut illud ab eo consequatur, quod illi ratione culpæ, qua damnum datum est, pluris debetur pro emẽdatione damni, quàm si absq; eius culpa illud in re locata datum esset. l. si merces. ℣ culpæ. ff. locati. Item si quis in contumeliam domini seruum uerberet, potest is conueniri actione iniuriarum, & actione l. Aquiliæ. Iniuria enim ex affectu faciendę contumeliæ, & damnum ex uerberatione in eo facto est. Quãcunq; igitur istarum actionum illi interit primùm, si in amplius quoddam ex altera actione sibi obligatum existimet, potest deinceps & illud ab eo exigere. l. qui seruum. ff. de act. & oblig. Et
84 de his omnibus, gloss. cir. l. nunquam actiones. ff. de regul. Iur. Iam igitur habetis, quòd duę sint causæ, quæ nos mouere debent, ut nominatim actionem, hoc est, Ius agendi in libello exprimamus. Vna, ut Iudex & Reus intelligere possint, qua experiri actione uelimus, cùm diuersæ nobis competant. Altera, ut ex pluribus commodissimam eligamus, ne nobis negetur facultas ex commodiore actione agendi, si ea primùm usi sumus. Quamuis autem non sit dubium, actionem in his casibus, de quibus hactenus diximus, exprimendam esse, tamen usq; adeò seuerè illud non requiri ausim contendere, ut necesse sit illis ipsis uerbis, quibus ea in legibus appellatur, & eo nomine, quod uel casu quodam fortita est, eam proponi. Sed satis esse, si ita circumscribatur factum, ut intelligi ex eo perspicuè possit, ex qua causa agendi quis litem
85 Reo intendat, & hoc aut illud se iure suo petere existimet. Nota nanq; est regula: Nihil prohibere, quò minus quis aliquo ex æquipollentibus pro alio utatur, arg. l. si mater. C. de Instit. & substit. Atq; id quidẽ maximè licere uidetur, cùm nomenclatura actionis, non actio mutetur, si ea alijs uerbis circum-
86 scribatur, quàm quibus propria appellatione denotari solet. Nam & hoc in Contractibus permittitur, qui rebus contrahuntur, ut obseruatio seruorum in illis præcipuè requirenda uideatur. l. omnes. C. de Contract. & con. stip. Neq; gloss. c. dilecti. Ex. de iudicijs, aliud uelle uidetur, etsi de iure Canonico loquatur. Indubitati igitur iuris est, absq; actione (pro Iure & causa agendi ea

Actio furti.

Acti. mãdati.

Actio locati.

Actio iniuriarum.

Act. l. Aquil.

accepta) neminem experiri in Iudicio posse, & necesse esse, certam & unam proponi, sed sufficere, eam quibuscunq; uerbis in libello describi, modò diserte ex illis intelligi possit, quo iure experiri quis conetur. Proinde nec in proponenda causa agendi magna est difficultas libellum concipere. Sed in perspicienda causa, ex qua competat Ius agendi, ac, si plures simul occurrãt, utra magis expediat experiri: hic labor, hoc opus est. 27

Cæterũm nonnunquam euenit, ut quis non sit incertus de actione, quia nesciat quo iure aduersarium conuenire possit, sed cùm sciat sibi competere aduersum illum actiones, nescit quam illi intendat, propterea quòd non constet, quo Iure ille rem teneat, quam ab eo petiturus est. Vt si sciam, rem Iure successionis mihi debitã, ad aliquẽ peruenisse, nec sciam quo iure eam teneat, an ut nudus possessor, an uerò aliquo cum titulo rerum acquirendarum. Etenim si certus sum, rem mihi ex hæreditate delatam, apud illum absque titulo esse, non est dubium, me illum petitione hæreditatis cõuenire posse. Si uerò eam non tenet, ut nudus possessor, sed eam emit, uel alio titulo consecutus est, tunc non possum eam petitione hæreditatis auferre, sed necesse est, rei uendicatione eam illi extorquere. Nam hæc natura est petitionis hæreditariæ, ut ea agere non possimus, nisi cum eo, qui absque titulo rem hæreditariam tenet. Quare cùm incerti sumus, qua actione experiri nos cum eo oporteat, quem nescimus, quo Iure rem, quam petituri ab eo sumus, teneat, permittunt leges, ut duæ actiones simul proponantur in eodem libello, cũ hac protestatione, quòd altera earũ processuri simus ad consequendum id, quod nos contingat, postquam ex congressu aduersarij comperimus, qua nobis præcipuè sit experiendum. l. 1. §. quia autem. in fin. ff. quorum legat. &c. 28 29 30

Hæc ferè sunt, quæ in concipienda priori libelli parte obseruanda ueniunt. In posteriore eius parte, qua causæ conueniens petitio subiungitur, uidendum est, ut res, quæ petũtur signatæ, pro natura cuiusq; actionis notẽtur.

Est autem in designandis rebus magna inter Actiones singulares, generales, & uniuersales differentia. In Actione singulari, qualis est rei uendicatio, non sufficit sua appellatione rem notasse, sed requiritur, ut omnibus suis circumstantijs describatur, ut si quis fundum, aut domum, aut aliquam rem immobilem petat, debet eius situs plena demonstratione ita describi, ut nulla incertitudo in ea cognoscenda hæreat. l. Titius hæres. ff. de act. emp. & uen. Si uerò mobilis est res, refert an rudis sit materia, aut aliqua species rei natæ uel opera hominum factæ. Rudis materiæ certitudo demonstratur eius qualitate, & quantitate, mensura, pondere. Species rei natæ & factitiæ, demonstratur descriptione formæ & usus. l. si in rem. ff. de rei uendic. Nec enim sufficit generali appellatione denotasse res, quia diuersitas rerum, quæ sub quolibet genere earum est, parit obscuritatem. l. ita. uers. quamuis te fundum. ff. de Iur. Fis. In actione autem generali, quia non tam res, quàm ratio earum administratarum exigitur, satis est eas nomine, quo in alicuius administratione fuerunt, peti. Vt si quis conueniatur propter administrationem rerũ socialium, sufficit ab eo peti, ut reddat rationem earum rerum, quas ex conuentione societatis communes habuerunt. Nam mentione societatis comprehenditur omnium earum petitio, quas sibi deberi à socio contendit. Si tamen ei operæ precium uideatur, potest Actor sigillatim eas res in progressu contentionis designare, quas generali appellatione negotij complexus est in libello, argumento l. licet. C. de Iudicijs. Sic & in uniuersalibus actionibus, quia uniuersum quiddam petimus, ut sunt, quibus hæreditates petuntur, sufficit res in libello communi omnium designatione annotasse. Atq; hoc quidem uerum est, cùm Actor in solidum hæres est, secus, si ex aliqua tantùm parte se hæredem contendat. Et est illa ipsa petitio uniuersalis, quia exigit partem ex uniuersa hæreditate, non singulas hæreditatis res. l. 1. in prin. ff. Si pars hære. petatur. 31

catur. Et de hac demonstratione rerũ in petitionibus Actionũ diximus suprà de differentijs actionum, in c. de Actio. Porrò non solũm ineptus habetur libellus, cuius petitio propter rerum disignationem est incerta, uerùm etiam
32 cũm quis plus petit, quàm ei debetur. Plus autem quis petit quatuor modis, uidelicet, Re, Tempore, Loco, & Causa. Re, ut qui totam hæreditatem petit, cũm ei pars tantũm debeatur. Instit. de Acti. §. Re. Item qui eum sibi debere contendit, qui nihil ei debet, aut minus debet quàm ab eo expetat. Vt cùm quis existimaret Seium hæredem Titij, cui mutuo dederat 100. eum conueniat tanquam hæreditatis nomine, sibi ad soluenda 100. obligatũ, & ille ostendat se non esse hæredem, ut certum sit, eũ nihil illi debere, tum Actor damnatur in expensis, quas Reus facere eius Iudicij causa coactus est. Extr. de plus pet. in prin. & ibi glo. in uerb. amplius. Ita uerò quis effugere hoc periculum potest, ut si Actor dubitet, an Reus in sua possessione habeat rem, quam ab eo petiturus est, implorato Iudicis officio, petat eũ interrogari, an possideat, ut exploratum habeat, an intendere illi actionem eius rei nomine, quam peti-
33 turus est ab eo, possit, uel non. Quamuis enim tit. ff. de interrog. in Iudi. faci. indicet actiones interrogatorias esse sublatas, tamen ideo non est cogitandum, quòd non & hodie interrogationes in iudicijs fiant. Nam uetus obseruatio & solennitas, in faciendis illis interrogationibus per oblationem libelli, non Ius aut facultas interrogandi sublatum est. Sed ubicunq; æquitas mouerit Iudicem, ut interrogationem fieri censeat, æquè eam fieri oportere, atque olim, non est dubium. l. penult. ff. de inter. in Iur. fac. Proinde si quis nesciat, quota parte Seius sit hæres Titij, cui mutuo dederit 100. Actor tunc potest petere à Iudice, ut interrogetur Seius, an sit hæres Titij debitoris sui. Ac si responderit se tantùm ex semisse esse eius hæredem, petat ab eo 50. quia tantam summam solũm debiti proportione dimidiæ hæreditatis ab eo petere potest,
34 & sic effugiet periculum condemnationis, quod imminet illis, qui re plus petunt. l. de ætate. §. si quis cum hærede. ff. de inter. in Iud. fac. Idem licet in similibus casibus, & quicquid responsum ab interrogato fuerit, illud retractare non potest, iux. eandem l. Et sunt tales interrogationes faciendæ ante litis contestationem, quia post illam nõ licet libellum emendare, sicut paulò pòst dicemus. Casus aũt in quibus necessariò fiunt tales interrogationes, annotat gl. l. ff. de inter. in Iur. fa. Fiũt & aliæ quædam interrogationes in iudicio post litẽ contestatã, sed istæ non fiunt, ne quis frustra experiatur, sicut superiores, sed ut responsionib. factis ad interrogata, quædã probatio causæ principalis eliciatur. Vnde ad differentiã aliarũ interrogationũ hæ uocantur positiones, & Dy. cir. Epigra. ff. de cõfessis, hãc dicit esse iudicialiũ interrogationũ differentiam, quòd illæ fiant ad præparationẽ causæ futuræ, hæ uerò ad decisionẽ causæ. Itaq; de eiusmodi interrogationib. dicendũ erit, infrã post litis cõtestationẽ. Redeo igitur ad declarationẽ earũ petitionũ, quib. modus in petẽdo excreditur. Ac proinde dico eũ tẽpore plus petere quàm oportuit, qui antecq; extiterit cõditio, aut dies uenerit, in quam cõcepta est obligatio, alicui litẽ ex ea intendit. Et hoc casu temeritas & incogitãtia actoris ita punitur, ut cõuento dupletur dilatio solutionis, quam aut actor ultrò in cõuentione dedit, aut natura actionis indulget, Inst. de exc. §. hodie. Loco plus petit, qui alio, q̃ promissum est, loco, solutionẽ sibi fieri exigit. Cũ enim in alijs atq; alijs regionib. alia sint rerũ precia, ut nõubiq; pariter cõmodũ sit facere solutionẽ, nõ frustra Reus grauari uidet, qui alio loco, q̃ de quo cõuentione cõstitutũ est, cõuenit. Quia tamẽ iniquũ esset, si ꝓmissor eũ locũ, in quo daturũ se ꝓmisisset, nunq; accederet, nõ posse stipulatorẽ ad suũ puenire, cõcessum est ll. ut quis suũ ꝓmissorem in alio loco, q̃ in eo, in quẽ cõsensum est, ut ibi fiat solutio, cõuenire apud cõpetẽtẽ iudicẽ possit. l. 1. ff. de eo quod cer. lo. Itaq; ꝓpter talẽ petitionẽ quis nõ ita repellitur ab agẽdo, sicut ꝓpter superiores, in quib. plus petitũ est.

Quatuor modis plus peti.

Re.

Interrogationes.

Tempore.

Loco.

Sed actio,quæ directò competebat Actori,solũm fit arbitraria.Ita uidelicet, ut si rei interfit,solutionem constituto loco fieri, Reus in minus condemnetur,quàm intentatũ sit.Si actoris interfit,Reus in maius condemnetur,quàm alioqui in obligatione actionis est, iusto iudicis arbitrio. l.arbi.ff. de eo quod cer.loc.Si uerò temerè, aut insidiosè promissorem suum quis alio loco,quàm in eo,in quem cõsensum est, petet promissum,tum Actor damnatur in expensas,& propter damnũ,quod ex eius inquietatione Reus tulit,in triplum conueniri potest, sicut propter alias petitiones,quibus modum petendi quis malitiosè egressus est,Instit. de act. §. tripli.& §. sed hoc quidem antea. Neq; aliter fit,si causa plus petitum sit, id quod factũ esse iudicatur,cũm quis aliquid, quod illi in genere, aut alternatiuè promissum, petit sibi simpliciter præstari in ea specie, quæ ei magis placet, quippe est in tali petitione causa,propter quam plus petere,quàm ei debeatur,dici possit,nimirum quòd uideatur uelle cogi Reum ad soluendum id, quod in arbitrio sit, an uelit illi dare,uel aliud. Instit.de act. §. hinc autem.Quæ uerò dicta sunt de immodicis petitionibus, locum habent, cũm petitionem litis contestatio secuta est. Nam qui per errorem plus petiuit,nec in eo usq; ad litis cõtestationem perstitit, is non petisse, sed petere uoluisse uidetur, argumento l.quamuis.ff.de in ius uo.Itaque licitum est actori ante litis contestationem errorem suum in plus petendo corrigere, ut effugiat pœnam, quæ in eos, qui plus petunt,statuta est. Post litem autem contestatam ideo non est alicui impunè plus petijsse, quia malitiosè perstitisse in petendo iniquo existimatur,qui oppositionibus cõuenti admonitus quasi, ut ius suum diligentius expenderet, & caueret,ne quid ultra id, quod sibi deberetur,peteret,noluit errorem suum ad animum reuocare.Adhęc autem,si hoc quoq; accesserit,quòd dolo induxisse Actor reum uideatur, ut illi plus permitteret extra iudicium, quàm ei debebat,& tamen ausus sit illud ab eo lite iam contestata petere, tum amittit uniuersum debitum. C.de plus pet.l.uni.Habetis iam quæ sint obseruãda in concipiendis libellis actionum, ne tanquam inepti reijciantur:nam si libellus est secus conceptus quàm indicauimus, & eius ineptitudo manifesta est, potest Iudex statim illum liberare pro autoritate sui officij.gloss.cir.l.1. ff.de offi.asse.Si uerò demũ in progressu litis appareat,quòd libellus sit ineptus, Iudex Reum absoluet ab instantia Iudicij,ita uidelicet, ut Actor urgere litem, iuxta æditum libellum non possit, quò minus conuentus euadat Iudicium,propterea,quòd sententia de eius inepta petitione diserte concipi nulla possit. Itaq; Reus etiam petere potest Actorem ob ineptum libellum in expensas,quas in eo iudicio fecit, condemnari officio Iudicis.Durum nanq; esset Reũ de suo facere sumptus propter Actoris ineptitudinem. Verũmetiam si Reus ob talem causam ab instantia iudicij liberetur,tamen ob id Actori non perit Ius aduersum eũ agendi,quia lis nihilominus illi salua manet,& est ei integrum alium libellum proponere, & denuò cum eo litigare. gloss.l.1.ff.Si men.fal.mo.dix.& c.examinata. Ex. de Iudicijs.

Causa.

Antelitiscõ.

Postlitiscon.

Cũm autem propter ineptitudinem libelli non pereat nobis actio,sed ob eam solùm instare actioni,perperam propositæ prohibemur,non abs re quæritur, an ne actori libellum redditæ actionis emendare liceat, quoties in eo concipiendo erratum esse deprehendat,& in explicanda hac quæstione non parum difficultatis adfert locorum, quæ ad exemplum Iuris in hac re sequendi adducuntur, allegatio. Vix enim dici potest,quàm facilè cogitationes specie talium exemplorum distrahantur,ubi obiter,& non iuxta rerum inquirendarum methodum adducuntur ad generalem regulam constituendam. Est autem primùm omnium in explicatione huius quæstionis obseruandum, quòd aliud sit emendare, aliud mutare libellum.Nam mutare libellum ille dicitur, qui ab ædita actione ita recedit, ut planè nouam proponat, ut si quis

Mutare libellum.

actione

actione depositi petat scyphum, postquam intellexerit actionem commodati sibi in eo petendo non competere. Nam cũm planè aliam proponat actionem, necesse habet, ut nouum libellum concipiat: quia uero talis uariatio libelli non potest fieri absq; incommodo rei, constitutum est nouissimo Iure, ut hoc nemini liceat, sed statim postquam ædita est actio, cogitur Actor eam, aut prosequi, aut peti, ut Iudex perspecta ineptitudine libelli, Reum ab instantia, sicut dictum est, absoluat. Authent. de litigiosis. §. omnem. & C. Quomodo & quando. Authen. qui semel. Cy. cir. l. ædita. C. de ædendo, abundè hoc Ius libelli non mutãdi declarat, refutatis illis, quæ uidentur cum eo pugnare.

Porrõ emendatur libellus, quando non mutata actione uitia ipsius libelli tolluntur aut corriguntur, ut si oratio libelli propter ambiguitatem uerborum uel inusitatas loquendi formas sit obscurior, quàm ut res propositæ satis percipi ex ea possint, permissum est Actori, ut eum reddat, quibuscunque uerbis possit, lucidiorem, eò usque donec pronuncietur. l. si quis intentione. ff. de Iudicijs. Si peccatum est in libelli forma, uidelicet, quòd narrationi non sit subiecta consequens ex ea petitio, aut aliud quiddam eorum, quæ suprà in conceptione libellorum necessaria esse diximus, omissum sit, tum licet Actori secundum Ius commune, suum delictum corrigere, quàm diu lis contestata non fuerit, nisi tempus effluxerit, quod ex consuetudine, aut statuto, uel etiam à iudice fortè ad talem emendationem faciendam datum est, uel alioqui ad tollendas lites publica lege constitutum est. l. accusaturus. ff. ad l. Iuli,
88 de adult. & ibi gloss. Nonnunquam hæret uitium in ipsa materia libelli, nempe quòd inconsideratè plus aut minus quàm oportuit, petitum est, tunc refert an omissum eodem Iure debeatur Actori uel non. Nam si illud eodem Iure ei non debetur, non permittitur, ut illud addat, quia alia actione illud petere eum necesse est. Itaque in tali casu idem Ius est, quod suprà in mutatione actionis obseruari diximus. Si uerõ eodem Iure debetur omissum, tunc rursum refert, an lis contestata sit uel non. Nam ante litis contestationem licet illud adijcere petitioni, iuxta gloss. l. ædita. C. de ædendo.

Post litis autem contestationem uidendum est, an omissum actione proposita peti possit, ut principale, uel ut accessorium. Nam ut principale nihil adijci potest post litis contestationem. l. non potest. ff. de Iudicijs. Vt accessorium (sicut sunt fructus, & aliæ accessiones) licet, si post litem contestatam pendente lite percepti sunt, & non ante. l. ædiles. §. idem sciendum. ff. de ædilit. Edicto. Demere autem de rebus petitis abundans semper licet, nisi temerè aut fraudulenter plus petitum sit. Cũm enim toti liti renunciare aliquis possit. l. postquam. C. de pactis, cur non & parti renunciaret?

89 Ponitur autem & inter emendationes libellorum, etiam alternatio Actionum, quæ ex eadem causa diuerso modo competunt. Vt cùm ex eodem delicto Ciuilis & Criminalis actio oritur, quæri potest, an eam, quam quis proposuerit, in alteram transfundere liceat, ita, ut qui ciuiliter agere, aut non cœperit, postea eodem libello petitione mutata criminaliter agat. Sed quia tali alternatione quasi mutatur actio, non minus, nec aliter hoc licet, quàm prorsus mutare actionem. l. Prætor. §. hoc edicto. ff. ui bonorum raptorum. Si tamen actio non usque adeo mutetur, sed eius condemnatio tantũm ex tali alternatione crescat, licet sanè id facere exemplo l. in delictis. §. si detracta. ff. de Noxalib. actionib. Et contra has regulas mutationum & emendationum nemo admittitur, etiamsi protestatus sit, se saluo iure addendi, mutãdi & corrigendi libellum proponere, iuxta Bart. cir. l. Nesennius. ff. de nego. gest. Rursum non adiuuant aliquem Regulæ, quæ dant licentiam mutandi, aut emendandi libelli, si Actor in eo uersetur casu, ut oportuerit eum eligere unam actionem ex pluribus ei competentibus. Nam ea electa, non datur illi ad aliam regressus, sicut suprà dictum est. Deinde tacitè

circa

circa omnes has regulas hæc condictio subintelligenda est, quòd illis regulis prohibentibus non liceat Actori mutare, aut emendare libellum, nisi hoc ei Reus ultrò permittat. Nam de iure suo cedere nemo prohibetur. 40

Cæterùm quoties Actor exhibitũ libellum mutat, aut ita emendat, ut Reus ex priore eius editione non possit esse instructus ad respondendum, tunc Reus potest petere nouas dilationes ad deliberãdum, an expediat ei, ut litem suscipiat, nec ne, & ad opponendum exceptiones dilatorias, quæ ex innouatione libelli competere cœperint.

Item potest etiam in tali casu Reus implorare officium Iudicis, ut ei reddantur expensæ, quas facere in sustinendo eo iudicio coactus est, iuxta l. ædita. in fin. & ibi. gloss. C. de edendo, & l. eum quem. ff. de iudicijs. Si uerò posterior libelli æditio talis fuerit, ut non opus habeat Reus noua deliberatione, tum non potest petere nouas dilationes. c. præterea. Ex. de dilat.

ff.

De Edendo.
De Interrogat. in Iur. fac. & interrogat. Act. sublat.
De eo, quod certo loco dari oportet.

Cod.

De formulis & impetrationibus Actionum sublatis.
De Edendo.
De plus petitionibus.

In Decretal.

De libelli oblatione.
De plus petitionibus.

QVANDO QVAEQVE EXCEptiones opponi in Iudicio possint. Caput XIIII.

SVMMARIVM.

1. Quomodo Reus ad certamen descendere debeat.
2. Defensiones rei, exceptiones uocari.
3. Declinatoria fori, quando opponi possit.
4. Quæ sint exceptiones dilatoriæ.
5. De exceptione dilatoria solutionis.
6. Exceptiones excommunicationis, & falsi procuratoris semper opponi posse.
7. Exceptiones anomalæ quæ dicantur.
8. Peremptoriæ exceptiones quæ sint.
9. Actori onus probandi incumbit.
10. Iudex an possit statuere terminum opponendis exceptionibus.

OSTENDIMVS hactenus quomodo causæ in iudicium deducantur. Quia uerò lis non existit, nisi sit qui contraueniat, dicendum nunc est, quomodo Reus ad certamen descendere debeat, si pugnandum sibi post oblatum libellum existimet. Vocantur autem 1 2
ex consuetudine fori omnes defensiones Rei, quibus aduersarium aut prorsus à se depellit, aut saltem eius ictus declinat, Exceptiones generali uocabulo. Et quia seueritas iudiciorum non patitur, ut uelitaria quasi pugna exceptionum dilatoriarum mutuõ se exerceant Actor ac Reus, quoties libeat, atq; ita admodum stataria pugna congrediantur, consultum est, ut certum tempus opponendarum exceptionum illis constituatur. Itaq; l. ulti. C. de Except. præcipitur, ut Exceptiones, quibus forum declinatur, statim in 3
initio proponantur, nec post litis contestationem admittantur, id quod de 4
omnibus dilatorijs Exceptionibus sentiendum est, quibus processus Iudicij, non causæ impeditur. Quæ uerò illæ sint, ex superioribus liquet. Quando enim

enim aliquid eorum, quæ suprà de competenti foro, de Citationibus, de Postulationibus, de Procuratoribus, de Dilationibus & Feriis, De Libellis diximus, non est obseruatum, potest Reus declinare Iudicium, allegans legitimam obseruationem iudicij esse neglectam. Nam si quis sciens donec lis sit contestata, hæc præterierit, tum consensisse in id, quod actum est, iudicatur, nec postea ei permittitur, ut postquam de principali controuersia agi cœptum est, ea opponat. l. ita demum. C. de Procurat. Et quia talibus Exceptionibus disceptatur de progressu ad litem mouendam, non de ipsa causa, quæ ad iudicium uenit, necesse est eas probari antequam ad litis contestationem perueniatur. l. non ignorat. C. de his qui accusare poss. uel non. Aliæ Dilatoriæ Exceptiones, quibus non iudicium, sed causæ urgendæ facultas impeditur, proponũtur quoq; ante litis cõtestationem. Sed eas probare nemo cogitur. l.
5 Exceptio. C. de probat. & de Except. l. siquidem. Tales uerò sunt Exceptiones, quæ dicuntur Dilatoriæ solutionis, siue ex pacto nostro, siue ex lege publica, siue ex iudicis decreto eæ nobis competant. Vt si quis à me petat conditionaliter promissum, antequam extiterit conditio, possum allegatione pacti conuenti eius impetum excipere, ut non possit progedi ad extorquendum à me promissum, nisi probet aliter inter nos pactum esse. Si tamen quis occurrere tali probationi actoris uelit, tum necesse est, ut exceptionem suam probet, antequàm ea quæ à testibus Actoris deposita sunt, publicentur. Nam publicato testimonio contraria probatio circa eandem rem non admittitur. Authent. de testibus. §. quia uerò. Ne autem Exceptionibus Dilatorijs, lites de industria & malitiosè protrahantur, sicut sæpe fit, permissum est Iure Canonico, ut Iudex unum aliquem terminum constituat, intra quem si eas non opponant, quas sibi competere exceptiones Dilatorias putant, deinceps non
6 audiantur, nisi in casibus exceptis c. pastoralis. Ex. de except. Inter omnes aũt Exceptiones dilatorias proponendarum earum Iure exemptæ sunt, exceptio excommunicationis, & falsi Procuratoris. Nam hæ duæ exceptiones, tam ante, quàm post litis contestationem, immo etiam iam lata sententia opponi possunt. l. licet. C. de except. & Ex. de except. c. exceptionem. ibi gloss. Quare quoq; dicuntur Anomalæ exceptiones, quasi eæ quæ extra aliarum curri-
7 cula uagentur & opponantur.

8 Porrò peremptoriarum exceptionũ, aut ea est ratio, ut oppositæ iudicium impediant, & causam perimant, ut est exceptio rei iudicatæ, transactionis, litis finitæ, siue Iurisiurandi, & hæ possunt tum ante, tum post litis contestationem opponi, aut solam causam perimunt, ut est Exceptio pacti de non petendo, & istæ rectè opponuntur demum lite contestata. Sed potest quis protestando, etiam ante litis contestationem harum mentionem facere. Nimirum ut testetur, sibi eas nolle perire, etiamsi eas in initio non opponat. Neutras uerò harum probare quis cogitur, antequam Actor suæ intentionis fundamenta produxerit. Quia Actori magis incumbit onus probandi, cùm ipse
9 actionem sibi cõpetere asseueret, iuxta l. emptor. C. de prescript. long. temp. xxx. uel xl. annorum, & l. peremptorias. C. sententiam rescindi non posse.

Itaque illi, qui diligentius de iudicijs scripserunt, monent cautos nos esse debere in opponendis exceptionibus, ne nobis nostra improuidentia onus probandi imponamus. Est autem hoc præcipuè procliue in exceptione intentionis. Nam si quis in ea aliquid affirmet, necesse est ut probet. Si uerò quid negat, quod Actor paulò pòst probet, punitur, iuxt. Auth. contra. C. de non num. pecun. Quare omnino uidendum est illis, qui in iudicijs uersantur, ut diligenter considerent, quid Actor præstare in probanda sua inten-
10 tione possit, consilio l. si quidem. C. de except. An autem Iudex constituere terminum opponendis omnibus exceptionibus peremptorijs possit, sicut

de

de Dilatorijs dictum est, quæri solet. Et cũm talis potestas Iudicis conducat ad finiendas lites, cui rei bonus Iudex præcipuè studere debet, non uidetur hæc facultas ei deneganda. Verũm quia regulariter exceptiones peremptoriæ opponi possunt, usq; ad sententiam, nõ uidetur Iudici licitum esse, ut ipse hanc licentiam litigantibus adimat. Nihilominus tamen rectè eos sentire arbitror, qui hoc licitum esse Iudici uolunt. Nam nihil admodum detrahitur Iuri litigantium in opponendis hisce exceptionibus, etiamsi hoc iudici permittatur. Liberum enim manet litigantibus, ut exceptiones, quæ illis competere cœperunt, postquãm constitutum à Iudice tempus præterijt, opponat, iuxta c. pastoralis. Ex. de Except. Deinde possunt etiam in causa appellationis non oppositæ opponi, & non producta produci. l. per hanc. C. de tempor. appel. Cæterũm quod dictum est de Exceptionibus peremptorijs, idem sentiendum est etiam de Replicationibus & Duplicationibus. Nam & istæ possunt usque ad sententiam per mutuas uices ab Actore & Reo produci. l. ij. ff. de Exceptio. & C. eodem. l. non except. & Instit. de Replicat. Extra cursum omnium peremptoriarum Exceptionum est, exceptio compensationis. Nam ea semper etiam post sententiam opponi & probari potest, iuxta Cy. cir. l. Exceptionem. C. de probat.

Appellationis causa.

Except. Compensationis.

DE MVTVIS PETITIONIBVS. Cap. XV.

SVMMARIVM.

1. De Reconuentione.
2. Reconuentio est iure Romano permissa.
3. Quatenus admittatur reconuentio.
4. Coram arbitro Reconuentio non habet locum.
5. Arbiter non potest iudicare de causa, in quam litigatores non cõpromiserunt.
6. Non potest quis eodem tempore ad diuersa iudicia trahi.
7. Mutuæ petitiones, mutua uicissitudine iudiciorum simul tractentur.
8. Reconuentio fiat ante litiscontestationem.
9. Non in omnibus causis locum habet Reconuentio.

De Reconuentione.

NONNVNQVAM accidit, ut is, cui exhibitus est libellus, non opponat Exceptionem ad declinandum iudicium, uel ad deprimendam actionem, sed uicissim illi, à quo conuentus est, oblato libello actionem intendat, cuius rei exemplum est in l. neq; scriptura. C. de Compensat. ubi permittitur, ut maritus nomine dotis post diuortium conuentus, cum ea agat rerum amotarum ab ea ipsi sublatarum, ne soluere cogatur id, cuius subtractionem ostendere possit. Talis uerò reconuentio adeo est iure Romano permissa, ut à iudice appellare possit, qui eam admittere nolit. l. 1. §. ult. ff. quæ senten. sine appel. rescind. Neq; Actor reluctari potest, quò minus reconuentionem rei ferre cogatur. Non enim potest recusare, ut eundem aduersum se habeat iudicem, quem pro se approbauit. leg. cum Papinian. §. final. C. de sententijs & interlocutionibus omnium iudiciorũ. Eatenus tamen admittitur recõuentio, quatenus ea facta fuerit apud eundem iudicem ordinarium, uel delegatum, Authen. de executorib. §. sancimus. Non aũt potest Reus Actorẽ reconuenire apud arbitrũ, nisi de omnibus controuersijs, quæ inter eos sunt, in illum compromissum sit. Arbiter enim non potest iudicare de causa, in quam litigatores non compromiserunt inter se. l. de his. ff. de recept. arb. Apud alium quoq; Iudicem, quàm apud quem conuentus est Reus, reconuenire Actorem non potest, etiamsi ille ordinarius sit rei Iudex, nisi lis apud illum, apud quem cõuentus est Reus, iam dirempta sit. Non enim potest quis eodem tempore ad diuersa iudicia trahi. Authen. & consequenter. C. de sentent. & interlocu. omnium iud. & c. dispendia. Ext. de rescript. in vi. & gloss. Extr. eo. c. fin. Deinde quia par est, ut

1 2 3 4 5 6 7

ut mutuę petitiones mutua uicissitudine iudiciorū simul tractentur. c. 1. Ex. de mutuis petit. ne reconueniens conuenientem remoretur in urgendo iudicio,
8 par esse non immeritò censetur, ut reconuentio fiat ante litis cõtestationem, ut utrinq; simul possint deliberare conueniens & reconueniens de suscipienda lite, & postea uno quasi cursu metam litis contingere. Bartol. tamen cit. Authent. de execut. in fin. sentit reconuentionem etiam posse fieri post litis contestationem, si Reus non hoc agat, ut reconuentionis quæstio cum petitione conuentionis simul dissoluatur, sed satis habeat, si ut separata conuentio audiatur, & de ea cùm possit pronuncietur, non simul cũm de conuentio-
9 ne fertur sententia. Præterea non in omnibus causis locum habet reconuentio, quia pleræq; causæ tales sunt, ut earum cognitio simul haberi non possit, sicut proximo titulo audiemus.

Auth.

De Execut. & de his qui conueniunt, & reconueniuntur.

In Decretal.

De Mutuis petitionibus.

DE ORDINE COGNITIONUM. Caput XVI.

SVMMARIVM.

1. Pluribus quæstionibus propositis iudex uideat, de utra prius cognoscat.
2. Actiones plures propositæ, nisi fuerint contrariæ, simul cognoscuntur.
3. Si actio sit Ciuilis, alia criminalis, simul proponi non possunt.
4. Is prius audiendus, qui prius agere cœpit.
5. Reconuentio quibus casibus admittatur, aut non.
6. Exceptio peremptoria simul cum causa finitur.
7. De præiudiciali primùm iudicandum.

1 QVANDO igitur aut proponendo, aut opponendo plures quæstiones in iudicium ueniunt, uidendum est iudici, de utra prius ipsi cognoscendum & iudicandum sit. Pertinet enim hoc ad officium iudicis, ut spectet, ne præpostera cognitione quæstionum iudicia aut impediantur, aut eludantur. Primò autem ueni rent plures quæstiones in iudicium proponendo his modis, quòd aut unus proponit plures actiones ex una eademq; causa, uel ex diuersis causis contra eundem, uel diuersos ei competentes. Ex una eademq; causa contra eundem
2 ab eodem propositæ actiones simul cognoscuntur, nisi fuerint contrariæ, aut ita se consequantur, ut necessariò unius cognitio præiudicet alteri, ut statim postquam de altera iudicatum sit, altera cesset, aut tollatur. Quarum actionum concurrentium exempla suprà quædam annotauimus, de Libellis, & extant singularum singula exempla, C. si seruus extero se emi manda. ℌ penult. Et de hæreditarijs actionibus, l. ut debitum. & ff. de Exceptionibus. leg. fundum Titianum, & de Tribut. l. in hæredem. ℌ eligere. At si quis ex diuersis causis plures contra eundem proponat actiones, nihil obstat, quò minus Iudex simul de illis cognoscat, nisi fortè idem factum præbeat eas causas.
3 Nam isto casu, si inter actiones ex illis ortas, alia sit Ciuilis, alia Criminalis, tum neq; simul proponi, neq; de illis cognosci simul potest, sed differendum est alterius iudicium, donec de altera sit iudicatum. l. interdum. ff. de publ. iud. Secus fit, cũm ex una eademq; causa, aut ex diuersis contra diuersos plu-
4 res actiones proponuntur. Nam si hoc fiat apud eundem iudicem, is prius audietur, qui prius agere cœperit, iux. reg. l. qui prior. ff. de iud.

Secundò ueniunt in iudicium plures quæstiones, cũm per mutuas petitiones Actor atq; Reus sese impediunt, & in tali conflictu primùm non licet eas actiones ad reconuentum reducere, quas paulò antè diximus simul intendi

alicui non posse. Deinde excipiuntur quidam casus, quibus negatur Reo facultas reconueniendi Actorem, Vt accusatus criminaliter non est audiendus, si reconuenire accusantem ciuiliter uelit. l. ij. §. sed si agam. ff. de iudicijs. Necp criminaliter eũdem reconuenire potest, quia accusatus non est audiendus, nisi prius probet suam innocentiam. l. is qui. ff. de pub. iud. & iij. q. xi. c. i. 5
Item contra spoliatum petentem se restitui in possessionem, non audiuntur spoliatores, si reconuenire illum rei uendicatione uelint, antequam spoliationis quæstio finita sit, nisi eidem opponere parem uiolentiam ab eo perpetratam esse in ea re possint. c. super spoliatione. Ex. de ord. cognit. In reliquis uerò casibus, in quibus reconuentio non nominatim prohibita est, Iudex in cognoscendo procedit, sicut prox. tit. dictum est. Mutua uicissitudine admittens Actoris conuentionem & reconuentionem rei, eorumcp probationes, ut de utriuscp petitionibus simul pronunciare possit. Atcp his quidem modis plures quæstiones in iudicium ueniunt, opponendo & petendo, sed multò sæpius istud accidit excipiendo. Haud enim unquam litigatur, quin circa principalem quæstionem excipiendo & replicando aliæ oriantur quæstiones. Itacp cũm exceptiones sint quasi obices, quibus actionum cursus remoratur, uidendum est iudici, quando remouendi sint isti obices, ne sua indulgentia aut difficultate iudex alterius causæ noceat.

Omissis autem disceptationum opinionibus, quibus scriptores hac de re inter se certant, æquissima esse uidetur iuris distinctio, quam tradit gloss. cir. c. i. Ex. de ord. cog. uidelicet, ut Iudex de exceptionibus, quæ in ipso iudicio extractatione litium existunt, ante definitiuã sententiam interloquendo pronunciet, quoties progressus principalis causæ illud desideret. De illis uerò exceptionibus, quæ ex negotij circumstantijs ducuntur, & non cursum iudicij, sed ipsam causam impediant, non pronunciet, sed tamen cognoscendo diligenter eas obseruet, ut de tota causa ex earum cognitione rectè iudicare possit. Et est huius distinctionis ratio, quòd ad causæ cognitionem Iudex progredi non possit, nisi amoueat obices exceptionum, quæ processum Iudicij impediunt, ut si quis neget Actorem habere ius postulandi, uel dicat productum testem non esse sufficientem ad dandum in ea causa testimonium, necesse habet Iudex ea de re pronunciare ad parandum aditum tum sibi, tum litigantibus ad causæ disceptationem. Idem cogitur facere in omnibus dilatorijs exce 6
ptionibus Iudicij. Verũm si exceptio opposita est peremptoria, cuiusmodi sunt omnia impedimenta, quæ perpetuò obstant agere uolentibus, quò minus prosequi conuentos possint, de ea non est necesse, ut Iudex ante sententiam causæ definitiuam pronunciet, quia tali exceptione probata, Actoris ius extinguitur, & Reus absoluitur: ea uerò non probata, Reus damnatur. Atcp ita utrocp casu de tali exceptione simul cum causa pronunciatur. Vt si mulieri repetenti maritum, obijciatur consanguinitatis necessitudo, quæ prohibeat inter eam & maritum esse coniugium, palãm est exceptionis quæstionem simul cum causa finiri. c. i. Ex. de ord. cog.

Cæterũm refert tam in quæstionibus quæ ex diuersis petitionibus, quàm quæ ex oppositis exceptionibus oriuntur, utra sit Criminalis uel Ciuilis, an uerò ambæ sint eiusdem generis. Nam ex duabus petitionibus ortæ quæstiones, de ea quæ criminalis est, primò iudicandum est. Si criminalis quæstio ex exceptione est, simul de utriscp iudicatur. iux. l. penult. & ult. C. de ord. iud. Si uerõ utracp ciuilis est, tum si ea, quæ ex exceptione uenit, præiudicialis est, 7
de ea primũm iudicandum est, iux. tot. tit. C. de ord. cog. Nam & in causa criminali de præiudiciali quæstione prius cognoscitur. l. quoniam Alexander. C. ad l. Iul. de adult. Quando autem Ciuilis quæstio præiudicet criminali, aut quando utracp simul possit exerceri, ostendunt ll. tit. C. Quando Ciuilis act. præiud. crim.

Cod.

Cod.

De ordine Iudiciorum.
De ordine cognitionum.
Quando ciuilis Actio præiudicet criminali, & an utraq; ab eodem exerceri possit.

In Decretal.

De ordine cognitionum.

His adiungi poterunt Canones, iij.q.xi.

DE LITIS CONTESTATIONE. Caput XVII.

SVMMARIVM.

1. Clarigatio iustum bellum præcedit.
2. Litis contestatio quid sit.
3. Lis quomodo contestetur.
4. An lis contestetur confessione rei.
5. Contestatione litis lis demum oritur.
6. Quando lis dicatur contestata.
7. Explicitè respondere quid sit.
8. Implicitè lis quando contestetur.
9. Litiscontestatio iuxta Curiæ Rom. usum.
10. Iniuriarum quæstio de pluribus iniurijs.
11. Copulatiuæ propositionis natura quæ sit.
12. Generale responsum ad plura copulatiuè proposita non esse permittendum.
13. Socij conuentio de damno præstando quando teneat.
14. Cur litiscontestatio in causis tractandis exigatur.
15. Ex uendito aliquem conuenire.
16. Lis non ordinatur per Exceptiones.
17. De Exceptionibus peremptorijs.
18. Publicæ tranquillitati expedire, lites sopitas denuò non suscitari.
19. De ui exceptionum solutionis & acceptilationis.
20. Causæ constitutio apud Rhetores, quod apud Causidicos litiscontestatio.
21. Litiscontestatio potest fieri per procuratores.
22. Litiscontestatione actio fit perpetua.

1 QVAE hactenus de Iudicijs annotauimus, ad litium tractationem pertinent, sicut clarigatio iustum bellum præcedit. Nam huiusmodi obseruationibus non de causa principali, sed de iure mouendi litem, & modo legitimo ad eius disceptationem perueniendi agitur. Post hæc uerò dicendum erit de obseruationibus Iudiciorum, quibus agitur de summa litis, & ad pugnam quasi descenditur. Vnde sicut non tam refert, quibus præliis hostem hostis lacessat, aut superet, quàm quomodo acies instruatur ad certãdum de uictoria. Ita multò plus momenti est in illis disceptationibus Iudiciorum, quibus de principali causa controuertitur, quàm quibus ad eam aditus in Iudicio paratur, aut obiter eæ, quæ circa principalem causam existunt, quæstiones, diluuntur. Inter has aũt obseruationes primum locum habet litis contestatio. Nam ea tanquam pu-
2 gnãtium cõgressus indicitur. Est enim litis contestatio ea dissensio litigantiũ, qua hinc inde alter contra alterius contentionem in principali causa perseuerare statuit. Nam ut mihi uidetur, contestatio litis dicta est à contraria contestatione litigantium in ea causa, de qua lis mota est. Vnde Canonistæ dicunt litis contestationem esse initium litis, non quòd ea primùm moueatur lis, sed quòd ex ea demum uerè existat lis, & in ea uersetur. arg. c. ex parte. Ex. de uerb. sig. In reliquis enim, de quibus aut ante, aut post eam circa causam disce

ptatur, controuersia litis magis protrahitur, quàm producitur. Vocatur igitur litis conteſtatio, contraria litigantium aſſertio, in ipſa cauſa, non in diſceptationibus, quæ circa eam oriuntur. l. rem non nouam. §. patroni. C. de iudicijs, & Ex. de litis conteſt. ibidemq; gloſſ. Porrò gloſ. c. dudum. cir. uerbum reſponſionem, Ex. de elect. contendit litem conteſtari non tum ſolùm, cùm Reus negando actioni aduerſus eum propoſitæ reluctatur, ſed & cùm exhibito iam libello eam confitendo contra ſe admittit. Et ducitur hac ratione, quòd aduerſus confitentem propter confeſsionem ab eo factam pronunciari de tota cauſa poſsit, Perinde ac ſi iuſta concertatione litis exequendæ ad decernendam uictoriam res deducta eſſet, iux. l. Iulianus. ff. de confeſsis. An aũt hæc ratio ſufficiat, nunc non diſputo. Certè ſi lis dici poteſt eſſe conteſtata, ubi ſic eſt reſponſum ad actionem, ut de cauſa principali pronunciari poſsit, negari non poteſt confeſsione rei litem conteſtari. Verùm cùm res ipſa teſtetur, nullam inter eos exiſtere controuerſiam, qui inter ſe de re apud Iudicem propoſita conſentiant, non uideo cur dicamus confeſsione rei litem conteſtari; hoc quidem uerum eſt, agnitionem debiti coram Iudice petiti, quę inſtar confeſsionis eſt, habere uim conteſtationis in litigando factæ, quod ad interrũpendam præſcriptionem attinet. l. cùm notiſsimi. §. ſed etſi. C. de præſcript. triginta anno. Sed & miſsio in poſſeſsionem interrumpit præſcriptionem, tamen ob id nemo ea litem conteſtari dixit. Et cùm omnes fateantur conteſtatione litis exoriri demũ litem, mirum eſt, cur litem conteſtari dicant, cùm Reus confitendo non congrediatur cum aduerſario ad pugnandum cum eo, ſed ei ſe dedat. Iſto igitur reſpectu, quòd facta confeſsione poſsit pronunciari de cauſa, fortaſſe dici poterit, confeſsione litis conteſtationem fieri. Sed propriè lis non poteſt dici conteſtata, niſi cùm Reus in principali cauſa negatiuè reſpondendo Actori reluctatur. Id uerò fit aut explicitè, aut implicitè. Explicitè, cùm ſigillatim ad actionis cauſam & petitionem reſpondet Reus. Et rurſum hoc fit aut purè, aut annexa conditione. Purè, cùm ſimpliciter Reus inficiatur ea quæ ab Actore contra eum ſunt dicta. Vt ſi dicat Titius ſe dediſſe Sempronio mutuò centum, ut ea redderet kalend. Ianu. Itaq; cùm iſte dies uenerit, & Sempronius ceſſet creditum ſoluere, petere ſe eum cogi à Iudice ad reddendum mutuo data. Sempronius uerò contrà neget quicquam ſibi ab eo unquam mutuo datum eſſe, ac proinde ſibi hanc neceſſitatem non eſſe imponendam contendat, ut ſoluere id, quod non acceperit, cogatur. Conditionaliter uerò, ſi Sempronius dicat ſibi quidem non conſtare, quòd ei ex mutuo centum debeat, & ut maximè oſtendat, quòd ei mutuo dederit centum, tamen ſe poſſe, cùm opus ſit, exhibere eius Apocham, qua eum iſto debito liberarit.

Explicitè reſpondere quid ſit. *Purè.* *Conditionaliter.*

Implicitè autem lis conteſtatur, cùm non ſigillatim ad ſingula capita actionis, ſed ad omnia ſimul unum datur reſponſum, ſicut teſtatur Specul. in uſu Curiæ Romanæ eſſe, quòd lis conteſtetur his uerbis: Nego narrata prout narrantur, & dico petita fieri non debere. Talem uerò litis conteſtationem eſſe licitam & ſufficientem, colligitur ſtipulationum exemplo. Sicut enim firma obligatio oritur ex uno reſponſo, quod ad plura ſpecialiter pacta datum eſt, l. Titia. in fin. ff. de uerb. oblig. Ita & litis conteſtatio ex generali negatione eorum, quæ in libello actionis narrata & petita ſunt, exiſtit. Tamen Doctores contendunt hoc tum fieri, ſi plura copulatiuè propoſita ſunt in libello. Vt ſi quis queratur de pluribus iniurijs cuiuſpiam, & dicat eum cœtu facto in ſuam domum irrupiſſe, & conuicium ipſi feciſſe, & uerberibus ſe ab eo cæſum eſſe. Nam ſi aliud horum uerum, aliud autem falſum ſit, & conuentus ſimul ad omnia reſpondeat, ac ſimpliciter neget ea nõ eſſe uera, tum etiam ſi Actor probet ea eſſe uera, quæ uera ſunt, tamen certa ſententia aduerſus ſic negantem *Implicitè.*

negantem fieri non poteſt, quia hoc ſophiſmate eludere iudicium poſsit, ſi dicat, non eſſe probatum, quod negatum ſit. Etenim ſe negaſſe ea quæ propoſita ſint, ſimul non eſſe uera. Quamuis igitur quædam ex negatis ſint probata, tamen iſtud quod negatum ab eo ſit, non eſſe probatum, nec poſſe probari, quia ut maximè quædam inter negata uera ſint, tamen coniunctim & ſimul
11 non eſſe uera. Eſſe autem hanc naturam copulatiuę propoſitionis, ut ſi quis tueri eam uelit, neceſſe ſit ut omnes eius particulas pariter defendat, iux. §.
12 penul. Inſtit. de hæred. inſtit. Proinde rectè ac utiliter monent, non eſſe permittendum, ut quis generali reſponſo pluribus copulatiuè propoſitis in libello abſolutè negando reſpondeat. Nam ſicut eſt cernere ex illis quæ iam anno tauimus, iſtiuſmodi reſponſionibus iudicia eluduntur, ut nec conſtet de lite inter Actorem & Reum, nec Iudex dirimere eam iuſta ſententia poſsit, niſi denuo actio inſtituatur, & ſigillatim ad propoſita reſpondeatur. Eodem conſilio uidendum eſt, ne ad unam ſaltem partem libelli reſpondeat conuentus. Narratio enim atq; petitio in libello ſunt ſicut antecedens & conſequens in Enthymemate. Itaq; refert ſanè quatenus iſtorum alterum neget conuentus, ut enim conſtare de lite poſsit, neceſſe eſt diſertè exprimi, an dicat omnino
13 ea inter ſe non cohærere, an uerò alterum tantùm neget ex altero ſequi. Nam euenire utiq; poteſt, ut narratio uera ſit, ex qua tamen petitio nõ ſequatur, ut ſi quis ſocium conueniat de præſtando damno, propter contractam cum eo ſocietatem, poteſt quidem uerum eſſe, quòd ſocij fuerint, & damnum acceptum ſit, & tamen ſi damnũ ſit culpa petentis datum, non ſequitur inde, quòd ſocius ad id præſtandum teneatur, quare Spe. eo. titul. conſultum uidetur, ut quantum fieri poſsit, diſerta & diſtincta reſponſio rei in litis cõteſtatione exigatur. Id quod & rerum ratio, quarum gratia litis conteſtatio fit, facilè quenq;
14 monebit eſſe neceſſarium. Nam cùm litis conteſtatio exigatur in cauſis tractandis, ut inde liquere poſsit, quæ ſit inter litigantes de principali negotio controuerſia, nemo eſt qui non intelligat, de illorũ diſceptatione non poſſe conſtitui, qua in re controuerſia præcipuè uerſetur, niſi perſpicuè teſtentur, quid utrinque contendant aut negent. Quia uerò illi, qui non ſatis certus eſt de probatione ſuæ cauſæ, non eſt tutum aperta reſponſione cauſam periculo probationis committere, quæri ſolet, an ne ſatis ſit ad litem conteſtatam, ſi quis dicat ſe neque fateri, neq; negare, quod aduerſus eum narratum & petitum ſit ab Actore. Neq; deſunt autores, qui talem reſponſionem probent, ſed doctiores eam æquant taciturnitati, uidelicet, ut ſicut qui interrogatus à Iudice nihil reſpondeat, propter contumaciam in ſolidum conueniatur: Ità & hic qui reſpondeat ſe neq; fateri, neq; negare contra eum propoſita. Nam obſcurè reſpondere, perinde eſt, ac ſi nihil reſponſum ſit. l. de ætate. §. qui tacuit. & §. nihil. ff. de Inter. in Iure fac. Tutius igitur omnino eſt urgeri Reũ, ut certum quid reſpondeat. l. certum. ff. de confeſ.

Sophiſma.

aliàs cõdemnetur.

Porrò nonnunquam non negantur narrata, aut petita, ſed Ius quoddam al-
15 legatur, quod opponitur ad depellendum Actorem. Vt ſi quis aliquem conueniat ex uendito, & ille non neget uenditionem eſſe factam, ſed dicat eam non ritè eſſe factam, ac proinde ex ea illi non competere Ius agendi, cuiuſmodi quidem reſponſio non admittit litem magis, quàm ut eam cõteſtetur. Neq;
16 alio modo Exceptiones peremptoriæ opponuntur, & nota eſt de exceptionibus regula, qua dicitur, quòd Exceptionibus lis non ordinetur, iuxta c. cum dilectus. Ex. de ord. cognit. Si tamen quis contendat ex talibus reſponſionibus litem quoq; explere, cum eo non rixabimur, modò fateatur quòd ea lis non in principali cauſa, ſed circa eam uerſetur. Vbi enim hoc fatebitur, nulla nobiſcum erit contentio. Nam in contentionibus, quæ de litis conteſtatione habentur, hoc ſolùm agitur, ut litigãtes obſeruent, quatenus lis circa principalem quęſtionem conteſtetur, ne aliæ quęſtiones cum principali miſcean

tur, extra quam obseruationem in qualibet disceptatione potest dici, quòd lis contestetur, ubi inter disceptantes fit dissensio. Vt autem planè possit percipi quatenus Exceptionibus lis contestetur aut non, distinguendum est inter eas. Nam dilatorijs Exceptionibus lis prorsus non contestatur quia eæ non cohærent causæ, & ob id ante litis contestationem opponi solent, sicut suprà de oppositione Exceptionum indicauimus. Inter peremptorias uerò, quædam sunt tales, ut ante litis contestationem oppositæ, fieri eam impediant, cuiusmodi sunt Exceptio transactionis, rei iudicatæ, litis finitæ per Iuramentum. c. Exceptionis. Ext. de litis contest. in sexto. Nam tranquillitati publicæ expedit, lites sopitas denuò non suscitari. l. causas. C. de transact. Itaque permissum etiam esse iudici contendit Spec. in titul. de Except. §. dicto in fin. Vt de talibus exceptionibus ante litis contestationem cognoscat ac pronunciet, agentem contra talem Exceptionem non esse admittendum, nec caret eius opinio ratione. Quia tales exceptiones non solùm ius agendi tollunt, sed & facultatem cognoscendi de causa iudicibus adimunt. Quædam peremptoriæ Exceptiones tales sunt, ut agentibus non obstent, quò minus intendant, atq; in iudicio urgeant actiones, quas sibi competere existimant: Sed propositis illis ita occurritur, ut agentes perrumpere non possint, quin agitationem causæ intermittere, & de opposita Exceptione disceptare cum Reo cogantur. Neque tales exceptiones eiusdem sunt generis. Nam quarundam ex illis tanta est uis, ut etiam non deductæ in Iudicium, suo Iure tueantur Reos aduersus Actores, ut est exceptio solutionis & acceptilationis. Illis enim omnis obligatio ipso Iure tollitur, adeo ut earum præsidio tutior sit Reus, etiamsi iudiciorum agitatione non sint exploratæ, ut publico testimonio impetum agentium sustinere possint. Instit. quibus modis tollitur obl. in prin. §. Item acceptilatio. Eiusdem generis sunt omnes modi, quibus Ius in re aut persona constitutum extinguitur. Quapropter tales Exceptiones uocantur defensiones, cùm reliquę, de quibus iam dicturus sum, propria significatione dicantur Exceptiones. Etenim talis est earum conditio, ut nisi in Iudicium deductæ sint, tanquam milites sine autoramento contemnantur, sicut est exceptio de non petendo, exceptio præscriptionis, & similes. Nisi enim tales exceptiones disceptatione iudiciali declaratæ fuerint, agentes depelli earum ui posse non creditur. §. præterea. Instit. de except. Vtriusq; autem huius generis exceptionibus litis contestatio non impeditur. Nam is qui eas adducit, nõ negat Iudicium de proposita actione fieri debere, sed causam agendi exoleuisse contendit. Ac proinde non tollit litem, sed eam contrarij Iuris allegatione constituit causam in disputationem, de eo Iure deducens, qua explicata, de causa iuxta eam pronuncietur. Itaque post litis etiam contestationem demũ rectè opponuntur. Neq; est quidem talis contestationis alia, ab ea, quæ fit inficiatione narrationis & petitionis, differentia, quàm quòd hæc directè, illa uero indirectè fit. Quippe recta inficiatione per oppositionem exceptionis, cuiusmodi contestationis exemplum esse Spec. uult in c. cum causam. Ex. de appellat. Vera itaq; est regula, quòd lis non ordinetur per Exceptiones, uidelicet, directè, sicut per inficiationem narrationis & petitionis fit, secus si opponantur, ut dictum est.

Defensiones.

His aũt omnibus, quę de litis cõtestatione dicta sunt, multum accesserit lucis, si conferãtur ad ea, quæ in Rhetoricis de statibus causarũ traduntur. Neq; enim aliud in illis spectatur, quam quòd litis contestatione fieri dicitur. Nam sicut litis contestatio in causis tractandis requiritur, ut constare possit, quæ sit in disceptatione litigantium de causa principali controuersia, ita Rhetores iubent statum causæ inuestigari, ut dicentes sciant, quæ sit summa contentionis quæstio. Quare quoq; Rhetores eã cõflictationẽ litigantiũ, unde existit talis quæstio, uocant causæ constitutionẽ, & Iurisconsulti eã appellant, litis contesta-

conteſtationem. Deinde modum quo fit talis conflictatio, etiam ſic diuidunt, ut dicant eam fieri, aut nuda inficiatione facti, aut Iuris in facto defenſione. Ex ea quæ fit inficiatione dicunt naſci ſtatũ coniecturalem, quia factum non euidens ſignis atq; coniecturis collectum oſtenditur. Ex ea uerò quæ fit defenſione, ſiue exceptione Iuris in facto, dicunt naſci ſtatum Iudicialem, eò quòd Iuris rationibus & autoritate ll. talis quæſtio explicetur atq; probetur. Vnde & apud recentiores iuriſconſultos recepta eſt diſtinctio probationum in hac diuerſitate diſceptationum de cauſis, ut eæ quibus factum colligitur dicantur poſitiones & articuli, eæ uerò quibus Ius in facto probatur, dicantur rationes. Et ſatis quidem inde apparet, quòd etſi noua his rebus indiderint nomina, tamen re ipſa fateantur lites ijſdem modis conteſtari, quibus Rhetores ſtatus cauſarum conſtitui dicunt.

Addunt autem Rhetores huic diſtinctioni modorum, quibus exiſtunt ſtatus, aliam quandam diuiſionem ſtatus Iudicialis, & dicunt eum eſſe, aut legitimũ, ſiue finitiuũ, aut abſolutũ, aut aſſumptiuũ. Et eſt hæc diſtinctio prodita ab ipſis, ut admonerent ſtudioſi, quęſtionẽ Iuris in facto expediri, aut diſſione pugnantiũ de Iure in facto opinionũ, aut indubitati iuris autoritate, aut Iuris ex facti circũſtãtijs quæſita mitigatione, ſiue limitatione. Atq; habet quidem hoc auctariũ diſtinguendorũ ſtatuũ ad illos tractandos utilitatem nõ contemnendam. Sed hæc ex ipſa arte petenda ſunt, & in probationibus rurſum de illis dicendum erit. Cæterũm ut ut dimicatum de cauſa fuerit, inter litigantes, lis non habetur conteſtata, niſi conſtet ea mente eſſe reſponſum ad cauſam, ut lis de ea conſtitueretur. Vnde Azo in ſumma huius tit. in C. dicit, quòd ſi quis aliud agens reſpondeat ad cauſam, inde ei nullum præiudicium exiſtere. Maximẽ uerò extra periculum alicui eſt reſpondiſſe ad cauſam abſque mentione conteſtationis in lite facienda, ſi proteſtatus fuerit, ſe nolle in præiudicium ſuum factum, ſi quid negando aut excipiendo dictum ab eo ſit, unde lis conteſtata uideri poſsit. argument. l. ſi debitor. §. ſi in uenditione. ff. quib. mod. uel pig. uel hypo. ſol. ſi tamen Reus tergiuerſetur in conteſtanda lite, poteſt Iudicis autoritate cogi, iux. gloſ. Auth. qui ſemel. C. quomodo & quando Iudex &c. & Alex. de Imo. circ. l. ſi finita. §. Iulianus. ff. de damno infecto. Eſt autem ea facienda, poſtquam deſijt eſſe in poteſtate rei, ut declinatoriam aliquam exceptionem opponat. Nam ſi deinceps ceſſet Reus reſpondere ad cauſam, lis conteſtata habetur, & Actor in eius poſſeſsiones mitti
21 poteſt, iux. l. ij. C. ubi in rem Act. exer. Neq; uerò refert, an per autores litis, uel eorum Procuratores fiat litis conteſtatio, iux. l. rem non nouam. §. patro-
22 ni. C. de Iudicijs. Ea uerò facta, actio propoſita fit perpetua, & omnis præſcriptio contra eam interrumpitur, & incipiunt deberi uſuræ rei petitæ, iux. Spec. eo. tit. §. fin.

Cod. in Decretal. & Sex.

De litis conteſtatione.

DE COERCENDA MALITIA litigantium religione Iuriſiurandi. Cap. XVIII.

SVMMARIVM.

1. De Iuramento Calumniæ.
2. Iuramentum Calumniæ quid contineat.
3. Iuramentum Calum. uniuerſam litem reſpicit.
4. Iuramentum malitiæ ad quid dirigatur.
5. An iuramentum malitiæ exigi poſsit cùm de calumnia iuratum eſt.
6. Iuramentum ueritatis dicendæ clericorum eſſe.
7. In cauſis ſpiritualibus iuramentum Calum. non præſtari.

8. Iuramentum malitiæ ante uel post litis conteſtationem exigi poſſe.
9. Iuram. Calum. inter legitimas obſeruationes iudiciorum numerari.
10. Primùm actor, deinde reus litium domini iurant.
11. Procurator non præſtat iuramentum Calum. quòd ſit ſolennitatis.
12. Iura. Calum. qui ſubire poſsint, aut non.

WS V & ſanctionibus publici Iuris receptum eſt, ut litè conteſtatâ, aut ab ipſo iudice, aut inuicem inter litigantes exigatur Iuramentum calumniæ, quo iurent litigantes, ſe credere quòd iuſtam habeant litigandi cauſam, ac promittant ſe nulla tergiuerſatione uſuros, quin interrogati uerum fateantur, nec ſe dolos in probationibus nectere, aut dilationem aliquam in fraudem aduerſarij, uel ad protrahendam litem petere uelle. Ac teſtentur ſe nec̃ dediſſe, nec̃ daturos eſſe cuiquam aliquid, ut ſuam cauſam, contra quàm mereatur, adiuuet. iux. l. ij. C. de iur. Calum. & Authen. ut litig. iur. in prin. tit. & glo. c. 1. circa uerbum calumniæ. Ex. de iur. calum. Atq̃ hoc quidem iuramentum ſolet poſt litis conteſtationem, & ſemel tantùm præſtari, quia cùm reſpiciat uniuerſam litem, in qualibet litis parte eius religio exacta uidetur. Aut. hoc ſacramento. C. de Iura. Calum. Si tamen illud ſtatim à litis conteſtatione fortè non ſit exactum, poteſt illud exigi in quauis alia parte litis antequam de cauſa pronunciatum eſt, cap. 1. Ex. de iur. cal. in ſexto. Sed eſt & aliud iuramentum huic non diſsimile, quod ante litis conteſtationem exigi poteſt, quoties aliqua præſumptio eſt malitioſè prætendi, quod proponitur, cuius exemplum eſt in l. theſaurus. ff. ad exhib. & c. cum dilectis. Ex. de elect. Itaq̃ hoc iuramentum non ad totam litem, ſed ad illud tantùm dirigitur, quod malitioſè proponi præſumitur, ut proponens iuret, ſe ſibi non eſſe conſcium ullius malitiæ aut fraudis, qua aduerſarium exagitare, aut circumuenire in eo proponendo ſtudeat. Quapropter & appellatione hoc iuramentum ab illo priore ſic diſtinguitur, ut hoc dicatur iuramentum Malitiæ, illud uerò iuramentum Calumniæ, cùm tamen utrunq̃ calumniarum prohibendarum cauſa exigatur.

1 2 3 4

An autem iuramentum malitiæ exigi poſsit poſtquam iam de Calumnia non quærenda ſemel in cauſa generaliter iuratum eſt, dubitari ſolet propter diuerſa textuum teſtimonia. Nam tex. Aut. de his qui ingred. ad appel. §. fin. manifeſtè prohibet exigi denuo iuramentum, poſtquam de non utenda calumnia in tota lite iuratum ſit. Rurſum tex. Aut. de teſtib. §. quia uerò manifeſtè permittit, ut exigatur iuramentum, etiam poſtquam de calumnia iuratum ſit. Et tamen ratio magis dictat, ut non exigatur, quia generale iuramentum de non calumniando in tota lite præſtitum iure ad omnes litis actiones, quæ iſtud ſequuntur, refertur. Itaq̃ gloſ. Aut. de teſtib. cir. uerbum ſacramento, ſentit eius conſtitutionis ius non eſſe generale, ſed in illo ſolùm caſu, quo ibi permiſſum eſt, obſeruandum. Præterea cùm Imperatores honorificè ſentiendum de religioſorum ordine iudicarent, eius reuerentiæ hoc tribuerunt, ut Clerici non poſſent cogi ad præſtandum iuramentum de Calumnia, quaſi iniquum eſſet de eorum innocentia, tale quid ſuſpicari. c. 1. Ex. de iur. calum.

5

Iuramentum ueritatis.

Vnde uſu poſtea quoq̃ inoleuit, ut loco eius iuramenti Clerici iurent de ueritate dicenda, id quod eſt cernere in c. dudum. §. licet. ibidemq̃ gl. Ex. de Electione, & de Iure. c. ex literis. Atq̃ inde poſtea quoq̃ euenisſe arbitror, ut in cauſis ſpiritualibus (ſicut eſt matrimonij, decimarum, ſimoniæ, hiſq̃ ſimilib. rerum) iuramentum Calumniæ non præſtaretur. Verùm illa conſuetudo poſtea rurſum ſublata eſt in cauſis ſpiritualibus c. 1. §. fin. Ex. de iura. cal. in ſexto. Peperit autem iſta conſuetudo iurandi in ſpiritualibus de ueritate dicenda magnam diſputationem inter Canoniſtas. Nam cùm per iſtud iuramentum is qui iurauerat tantùm obligaretur ad reſpondendum ſine tergiuerſatione, de iis quæ comperta haberent, iux. gloſ. c. ex literis. Ex. de iure iur. multis uiſum

6

Cauſæ ſpirituales.

7

eſt

est permittendum esse, ut si quid ille in medium afferret, de quo dubitari possit, an compertum ei illud fuerit, cùm de ueritate dicenda iuraret, denuo ab eo exigeretur, ut iure iurando testaretur, se illud non cogitasse in fraudem ad uersarij sui, atq; ita multorum autoritate firmata est opinio, quòd licitum sit iuramentum malitiæ etiam post litis contestationem exigere, si de ueritate dicenda iuratum tantummodò sit, non etiam de calumnia, iux. glos. c. præsentium. Ex. de testib. Sed hæc opinio abolita est decretali constitutione Bonifacij octaui, qua liberũ fecit iudicibus, ut in omnibus causis, siue Ciuiles, siue Spirituales fuerint, non solũm cùm de dicenda ueritate, sed & cùm de Calu-
8 mnia iuratũ est, scilicet, solenniter, quoties expedire illis uideatur, ante uel post litis contestationem iuramentum malitiæ à litigantibus exigant, ut religione iurisiurandi deterreantur, ne artibus insidiosis iudicia circumueniant, & malignè quæsitis contentionibus sese inuicem onerent, & iniquè exagitent. c. ij. §. fin. Ex. de iuramento calum. in sexto, & hoc ferè in iudicijs obseruatur. Quamuis iura ciuilia nolint exigi aliud iuramentum à partibus, postquam de Calumnia in totam litem iuratum est, nisi hoc specialiter permissum sit ã ll. Porrò de Calumnia & Malitia nunquam potest quis cogi ut iuret, nisi Prætore autore illud exigatur. l. de pupillo. §. qui opus. ff. de ope. no. nunc. Neq; enim satis est partem expetere, ut istud iuramentum præstetur, nisi Iudex quoq; cognoscat esse præstandum. Si tamen illud exactum sit à
9 parte, & Iudex eo posthabito pronunciet de causa, potest talis sententia impugnari, quia huius iuramenti præstatio inter legitimas obseruationes Iudiciorum numeratur, in glos. l. prolatam. C. de sentent. & interlo. omnium iud.

Potest autem iuramentum Calumniæ & Malitiæ exigi in omnibus causis, siue ordinario, siue extraordinario iudicio, & de plano de illis cognoscatur. iux. Cle. sæpe. §. citationem, de uerb. sig. Cùm enim hoc iuramentum exigatur, ne religio iudicantis facilè circũueniri à partibus possit, ut ueritate non satis explorata aliquid pronunciet, naturalis iustitiæ amor postulare uidetur, ut in quacunq; actione, siue exceptione metus Calumniæ sit, istud exigatur. Itaq; neq; consuetudo huic obseruationi iudiciorum prorsus contraria Iuris
10 appellationem meretur. c. cæterũ. Ex. de iur. calum. In quacunq; uerò causa iuramentũ calumniæ exactũ fuerit, prẽstandũ illud est à dominis litiũ, ita quidem ut primò Actor, deinde Reus iuret. l. ij. §. i. & ij. & ibi. Aut. principalis. C. de iura. calum. & ex. eo. c. 3. Atq; id quidem tum maximè requiritur, cũ exigitur iuramentũ, quo iuratur de Calumnia non quærenda, in tota lite, secus cùm probationis causa propter suspicionem, quæ in una aliqua parte litis forte existit, requiritur. Nam illud etiam à Procuratore præstari potest, unde
11 Bart. cir. l. qui bona. §. si alieno. ff. de damno infecto, dicit, quòd Procurator non possit præstare iuramentum Calumniæ, quod sit solennitatis. Illud uerò quod sit probationis, rectè ab eo præstari, etiamsi alioqui regulare sit, quòd iuramentũ Calumniæ sine speciali mandato domini à Procuratore præstari non possit, nisi generalis administratio fortè ei commissa fuerit, qualis est Tutorum, Curatorum, Syndicorum, Actorum, iux. l. ij. §. quod obseruari. C.
12 de iur. calum. Et qui omnino possint hoc iuramentum subire aut non, ostendit copiosè Bartol. in loco allegato. Cui uerò iniunctum fuerit, ut iuret de Calumnia, aut malitia, is si facere id recuset, cadit causa, l. ij. §. quòd si Actor. C. de iura. Calum. & Ex. eo. c. fin.

Cod.

De iureiurando propter Calumniam dando.

Auth.

Vt litigantes iurent in exordio litis, quo neq; &c.

De his qui ingrediuntur ad appellandum. §. quia igitur tantùm constitutum est, ut iuretur de non malitiosè proroganda lite.

In

In Decretal.& Sex.
De iuramento Calumniæ.
In Instit.
De pœna temerè litigantium.

DE PROBATIONIbus. Cap. XIX.

SVMMARIVM.

1. De discrimine confessionis inter eam, quæ fit ad principalem intentionem,& eam, quæ fit ad positiones eiusdem.
2. Confessus in iudicio habetur pro iudicato.
3. Iudicantis nullas esse partes in confitentes.
4. Confessio sua quatenus cuiq; in sua causa donat præiudicium.
5. Probatio quid sit.
6. Illud est probandum, quod in iudicium deductum est.
7. Aedes suas uendicans probare debet, quòd sit dominus ædium.
8. Probatio docendi iudicis, non partis causa fit.
9. Modum deprehendendi dubiũ Rhetores iudicationem uocant.
10. Orestis causa accusati parricidiũ.
11. An liceat filio mortem patris priuata uindicta ulcisci.
12. Iure ne an iniuria Orestes matrem suam occiderit.
13. Iudicationem, iugulum aduersariũ uocat Plinius.
14. Negatio facti imponit actori necessitatem probandi facti.
15. Actore non probante reus absoluatur.
16. Ei qui dicit, non ei qui negat, incumbit probatio.
17. Duo probationum genera, inartificialium & artificialium.
18. Aliam probationem esse facti, aliam iuris.
19. Tractatio atgumentorum ab artificibus dicendi petenda est.
20. Probatio plena, & semiplena quæ sit.

HACTENVS diximus de obseruationibus Iudiciorum, quæ necessariæ sunt ad legitimè constituendam litem. Dicendum nũc est, quibus modis in lite tractanda procedendum sit, ut ritè & ordine eius cognitio & decisio fiat. Cũm autem euenire possit, ut conuentus non reluctetur aduersario, sed simpliciter fateatur, quod ei in libello conuenientis imputatum est, solet tradi, quo modo aduersus confitentem procedendum sit in Iudicio, antequam de conuincendo eo, qui negat contra eum producta, agatur. Est autem discernendum inter confessionem, quæ fit ad principalem intentionem agentis, & eam, quę fit ad positiones eiusdem, quas in ostendendo facto facit, ut confessione conuenti ab onere probationis releuetur, aut saltem in ea faciendа iuuetur. Nam si conuentus id fateatur, quod ab Actore in libello & principali actione propositum est, nihil aliud restat, quàm ut tanquam conuictus condemnetur in id, quod petitũ est. Quid enim opus est causam in examen trahere, quam Reus sua confessione fecit indubitatã & perspicuam. Regula itaq; est, Iudicantis nullas esse partes in confitentes. l. proinde. in fine. ff. ad l. Aquil. Et quatenus ad talem confessionem referenda sit sententia, aut non, indicat glos. uer. confessum, cir. c. i. ĩ. q. i. Gignit enim talis confessio solidam probationem facti in libello propositi, ut non sit necesse aliam requirere. At illa quæ fit ad positiones, quæ in declaratione facti sparguntur, tantũm aliquam fidem concíliat narrationi, ut possit probabiliter de facto concludi, & sententia de causa à Iudice peti. Hanc igitur inter species probationum collocabimus, & de ea sicut de reliquis probationum speciebus separatim agemus, indicaturi quatenus alicui sua confessio pariat in causa præiudicium, aut non, cuius quæstionis tractatio ad illam alteram quoq; confessionem pertinet, si Reus eam reuocare conetur.

1
2
3
4

conetur. Sicut certis ex cauſis poteſt, extra quas ad id faciendum non admittitur, quin Iudex contra eum executionem fieri mandet. leg. ſi debitori. ff. de Iudicijs.

Proinde non eſt quærenda probatio, cũm Reus id, quod contra eum principaliter propoſitum eſt, fatetur. Probatio enim eſt rei dubiæ per legitima documenta oſtenſio. Confeſsio aũt non uocat rem in dubium, ſed cõſenſum de ea conſtituere illam manifeſtũ eſt. Itaq; probatio ſolũm ibi eſt neceſſaria, ubi propter diſſenſionẽ litigantium res in dubium uenit. Neq; tamen quælibet diſſenſio talem dubitationem parit, quæ legitima probatione diſcutienda ſit. Ridiculum nanq; eſſet, ſi alter de cœpis, alter de allio diceret, uelle talem contentionẽ probationib. in iudiciũ deducere, ut de ea decernatur, cũ per ſe manifeſtũ ſit, inter eos nullam exiſtere cõtrouerſiam, qui nõ de eadem re, ſed de diuerſis diuerſum quid dicãt, id quod euenire tũ poteſt, ubi nõ ſatis diſertè libelli actionũ concipiunt. Deinde etiamſi diſertè cõceptus ſit libellus, diſertẽ etiã ad illum reſponſum ſit, ut ſatis appareat in qua quæſtione lis conſiſtat, tamen nõ ſtatim eſt cernere, quæ ſit ea probatio, quæ præcipuè probanda eſt, ut de tota cauſa pronunciari rectè poſsit. Tritũ itaq; eſt, in foro, illud eſſe probandum, quod in iudicium deductũ ſit, & de quo iudicium eſſe poſsit, quod probanti proſit ad cauſæ uictoriã. Quis enim non intelligit iudicia fruſtra agitari, ſi aliena à negotio probent. Vt ſi quis cum poſſeſſore ſuarũ ędium, agat rei uendicatione, & dominium ſuũ in illis ita probare conetur, ut oſtendat ſe eas ædes locaſſe tanq; ſuas, non poteſt de cauſa pronũciari, quia illud quod in Iudicium uenit, nimirum an ſit dominus talium ædium, palàm eſt, eum non probaſſe. l. ad probationem. C. de probat. Quare illi qui de iudiciorum proceſſu & tractatione ſcripſerũt, monent diligenter conſiderandum eſſe in contentione cauſarum, quid tandem ex mutua intentione & depulſione litigantium in dubium ueniat, quo ſublato iudici liquidum fiat, quid de cauſa ſtatuendum ſit. Nam probatio docendi iudicis, non partis cauſa fit, quamuis in partis præſentia ea fieri debeat. iux. l. ſi quando. §. ſed cum. C. de teſtibus. Sed multò lucidius Rhetores tradunt depræhendendi eius dubij in cauſa modum, quàm cauſidici. dicunt enim in qualibet cauſa aliquid uerti in quæſtionem, in qua totius controuerſiæ hæreat dubitatio, adeò ut ea explicata nihil amplius obſtet Iudici, quõ minus de ſtatu cauſæ, ſiue ſumma litis pronunciare poſsit. Ob id dicunt eam à Græcis dictam eſſe κρινόμενον, hoc eſt Iudicationem, ſicut Cicero illud uerbũ interpretatur. Eam uerò depræhendi ex collatione cauſarũ in defenſione, & firmamenti in actione, quam Græci uocant αἴτιον, & ſub ea uolunt accipi omnes Exceptiones, quas cõuentus ad defendendam ſuã cauſam opponit. Firmamentum uerò Græci uocant συνέχον, quaſi continens controuerſiam, & uolunt Rhetores ea appellatione comprehendi omnes cauſas, quas Actor ad confirmationẽ ſuæ actionis aduerſus defenſiones conuẽti in Iudicium adfert. Exempli gratia, Oreſtes accuſatus parricidij propter cædem matris, contendit ſibi ignoſcendum, quia ultus ſit patrem, quem mater eius occiderat, accuſator contra dicit, abſq; iudicio illi non licuiſſe patris necem uindicare, ex qua contentione oritur quæſtio, an liceat filio mortem patris priuata uindicta ulciſci, & hæc quæſtio eſt κρινόμενον in hac cauſa. Hac enim explicata facilè apparebit Iudici, quid ei de ſtatu cauſæ iudicandum ſit, uidelicet, Iure ne an iniuria Oreſtes matrẽ ſuã occiderit. Ad hãc igit̃ probandã & improbandã neceſſe eſt Actorẽ & Reũ omnes neruos ſimul intẽdere. Actor, ut probet, nõ licere filio ulciſci necẽ paternã, nõ cognita per Iudicem cauſa. Reus, ut probet contrarium: nam iudicatio in cauſa eſt (ſicut Plinius inquit) iugulum aduerſarij, quod premendum eſt. Atq; eſſe quidem in omnibus forenſibus controuerſijs talem quandam dubitationem, quæ mutua probatio

probatione & declaratione litigantium præcipuè tollenda sit, ut Iudex decernere de causa possit, ostendunt exempla controuersiarum, quæ continentur in orationibus Ciceronis, & usus fori facilè quemque docebit. Verùm ea non semper collatione causę & firmamenti, siue exceptione & Replicatione existit, sed tum solùm, cùm Reus factum suum aliqua Exceptione defendere conatur. Nam si pura negatione Reus factũ inficietur, ipsa negatio facti im- 14
ponit Actori necessitatẽ probandi facti, nec est quærendum, quæ sit ista propositio, cuius dubitatio præcipuè submouenda sit probationibus. Nam cùm Reus nihil attulerit contra Actorem, nihil dum aliud in iudicium uenit, an fecerit Reus an non, quod ei imputet Actor, & ipse neget. Itaq; quoq; in tali casu regula est, quòd Actore non probante Reus absoluatur, etsi nihil præsti- 15
terit Reus, l. qui accusare. C. de ædendo. Donec enim Reus non opponit Actori aliquid, de quo dubitare Iudex possit, soli Actori incumbit probatio. Nam ei qui dicit, non ei, qui negat, incumbit probatio. l. ij. ff. de probat. Itaq; 16
quando Reus Actori nihil opponit, de quo Iudex dubitare possit, non potest Reus probatione onerari. Quatenus aũt Reo incumbat onus probandi, cùm non pura negatione factum inficietur, sed tale quid neget, cuius præsumptio possit esse eius negationi contraria, abunde explicat glos. c. ult. vi. quæst. v. Itaq; discentes ad eam remitto.

Duo probationũ genera. Porrò secundum Aristotelem duo sunt probationum genera, sub quorum 17
altero comprehendit ἄτεχνους, hoc est, inartificiales, altero ἐντέχνους, hoc est, artificiales probationes. Inartificiales dicuntur, quæ cum causa gignuntur ex facti circũstantijs, & casu, ut sunt, Rumor, Tabulę, Testes, Iusiurandum. Nam nemo est, qui huiusmodi probationes adhibere suæ causæ non possit, cũ has ei casus ministrat. Itaq; Aristoteles eas dixit esse Inartificiales, quasi eas quæ ingenio dicentis non excogitarentur, sed cum causa ad eum deferrentur. Argumenta autem quæ inuenirentur solertia & diligentia dicentis, dixit esse artificiales probationes, quia à solis artificibus inueniendi & dicendi adhiberi posse. Hanc diuisionem probationum Iureconsulti his uerbis tradunt, ut dicant aliam probationem esse facti, aliam iuris. Nam probationem facti appel- 18
lant, quam Aristoteles dixit inartificialem. Iuris uerò, quam ille artificialem uocat, & ex consuetudine loquendi in foro ea qua factum probatur ferè sola dicitur probatio. Nam eam, qua Ius in facto ostenditur, sæpius disputationem

Factũ quomodo probetur. quàm probationem uocant. Deinde uolunt factum probari, aut euidentia ipsius facti, aut confessione rei, aut fama, aut communi opinione, aut testibus, aut denunciatione publicarum personarum, aut instrumentis, aut alijs antiquis monumentis, aut præsumptionibus, aut signis, aut iureiurando. Ius uerò

Ius in facto quomodo ostendatur. in facto, ostendi uolunt autoritate publicarum legum, Canonum, atq; consuetudinum & statutorum, & argumentis ex rerum natura & ratione ductis. In argumentis autem inueniendis & tractandis magno subsidio esse poterunt ea, quæ de locis inuentionum & argumentorũ formis & paralogismis, in Dialecticis, & Rhetoricis traduntur. Nam tractatio argumentorum ab artifici- 19
bus dicendi petenda est, quia iura & ll. colligendarũ aut refellendarum probationum rationem non ostendunt, sed quatenus probatio per testes, aut instrumenta, uel alias probationum species facta sufficiat constituunt. Quare de singulis probationum speciebus singulatim (ut eas in diuisione earum recensuimus) ordine dicemus, ut in foro uersaturi iudicare de qualibet probationum specie possint, quatenus ea ad probandum propositum sufficiat, aut non. Nam eam diuisionem probationum, qua alia dicitur esse plena, alia semi 20
plena probatio, superuacuum esset hic adtexere, cùm eam res ipsa ostensura sit, ubi exposuerimus quatenus ex quaque specie plena probatio rei existat.

ff. C. in Decretal. & Clem. De probationibus.

De

DE EVIDENTIA FACTI.
Caput XX.

SVMMARIVM.

1. Euidentia facti qualis sit probatio.
2. Lotharij Imperatoris factum ducentis pellicem relicta uxore.
3. Corinthij ciuis factum, qui nouercam loco uxoris habuit.
4. In facto notorio, quod patet oculis, iudiciarius ordo non requiritur.
5. Euidentia facti magis in flagitijs, quàm in contractibus conspicitur.
6. Contractus magis testibus & instrumentis, quàm ex euidentia facti probantur.
7. Notorium tripliciter, facti, iuris, præsumptionis.
8. Euidens est, quod ex necessarijs signis colligitur.
9. τεκμήρια, proprias rei notas uocari.

1 NVLLA probatio plus uirium habet ad conuincendum negantem, quàm ea, quæ ex euidentia facti est, iux. gloss. c. ad nostram. Ex. de Iureiur. Sed hoc accipiendum est de facto, quod ita notum est, ut negari aliqua cum specie non possit, cuiusmodi fuit 3 Lotharij Imperatoris, cùm relicta uxore pellicem duceret, & Corinthij ciuis, qui nouercam loco uxoris habuit, primæ ad Corinthios sexto. 4 Nam in facto notorio, quod patet oculis, Iudiciarius ordo non requiritur, nisi ut de eo pronuncietur, & executio sententiæ fiat, cùm absq; probatione manifestum sit, iux. gloss. c. manifesta, & duorum sequentium, ij. quæst. i. 5 Talis autem euidentia facti magis in flagitijs, quàm in contractibus conspicitur. 6 Nam cùm minus tumultuum sit in contractibus, quàm delictis, minus etiam in illis euidentię est, & haud ferè unquam contractus ex euidentia facti probantur, sed magis testibus & Instrumentis. Vnde est quòd tam multa passim de notorijs criminibus, & maximè à Canonistis, cir. c. euidentia. Ex. de Accus. 7 traduntur. Cùm autem aliud notorium sit facti, aliud Iuris, aliud præsum 8 ptionis, iux. gloss. c. manifesta, ij. q. i. Obseruandum est, illud solùm euidens 9 iudicari, quod ex necessarijs signis, quæ à Rhetoribus τεκμήρια uocantur, non ex illis, quæ per se ad tollendam dubitationem nõ sufficiunt, colligitur. Nam de illis infrà de præsumptionibus dicendum erit.

i. proprias rei notas.

DE CONFESSIONE.
Caput XXI.

SVMMARIVM.

1. De aduersariæ partis confessione.
2. Testis facti certus quis sit.
3. Hortensius eliciendæ confessionis artifex.
4. Positiones quæ dicantur, & quid in eis cauendum sit.
5. Modos, & causam cuiusq; actionis tenere plurimùm refert.
6. Realis actio, & personalis quomodo ponenda.
7. Per confessionem res fit notoria.
8. Quando & quomodo faciendę sint positiones.
9. Iudex interrogare partem potest.
10. Respondendum ad positiones sub pœna confessionis.
11. Glossæ huius capitis poterunt esse uice longi commentarij.
12. Confessio errans reuocari potest.

1 PROXIMAM uim probandi post euidentiam facti habet aduer-
2 sariæ partis confessio. Neque enim certior testis alicuius facti quisquam esse potest, quàm is, à quo illud profectum est. Vsitatũ itaq; in foro est, ut quoties in dubium ueniat id quod factum esse à litigantibus in actione, uel Exceptione dicitur, is à quo illud propositum est, in declarando eo ita eius circumstantias urgeat, ut ad ea

respondens aduersarius etiam inuitus sese prodere sua confessione cogatur. Et est hæc contentio probandi factum per confessionem aduersarij, haud dissimilis uenationi, sicut enim arte quadam opus est, ut feræ exigantur suis latibulis, ita difficile est, aduersarium inducere ad confitendum, nisi eius deliberatio insidiosa facti commemoratione præcipitetur, qua in re singularem artificem fuisse Hortensium ostendit Cicero in prima actione in Verrem. 3 4 Placuit autem posteriorum seculorum Iureconsultis, ut tales relationes, quæ à partibus in Iudicio fierent, ad ostendendum factum ab ipsis propositum, quadam congerie earũ rerum, quæ præcedere aut sequi talis facti casum solent, ut aduersarius sibi non satis constans in respondendo ad eas sese prodat, uel saltem in suspicionem sua titubatione ueniat, dicantur Positiones, propterea quòd citra solennitatem, quæ olim proponi solitæ sunt, in Iudicium deducantur, iuxt. Epigraphen. ff. de inter. in Iure fac. & inter. act. subla. Nihil autem magis in faciendis his positionibus cauẽdum est, quàm ne sint alienæ à probatione eius, quod propositum est. Nam tali positioni aduersarius non minus, quàm ad libellum ineptum respondere cogitur. Vt autem cauere quis hoc possit, refert plurimũm tenere cuiusq; actionis causam & modos, quibus ea constituitur, ut qui Reali actione experiri contra quempiam uelit, eum necesse est ponere, quo titulo, quaq; traditione, aut præscriptione dominium rei, quod petit, adeptus sit. Qui uerò actionem personalem alicui intẽdit, illum ponere cogitur, ex quo contractu, aut delicto, sibi competere actionem propositam contendat. Nam si ea, quæ ita proponuntur, omnia aduersarius fatetur, sua cõfessione conuictus habetur, & peti à Iudice potest, ut de causa pronunciet. Per confessionem enim res fit notoria. c. fin. Ex. de coh. Cle. & mulie. Si uerò ea omnia neget, reliquum est, ut petat sibi dari dilationem, ad afferendum alias probationes. Idem faciendum ei est, si quædam tantũm in positionibus adducta negauerit aduersarius. Nam & isto casu quærenda est alia probatio negatorum, si ex illis, quæ confessus est, non satis constare Iudici de facto proposito appareat. Quando uerò, & quomodo faciendæ sint positiones, ostendunt glos. cir. c. statuimus. Ex. de confessis in sexto.

Positiones.

Actio personalis quomodo ponenda.

Porrò non solũm à parte quæritur confessio partis, sed & à Iudice. Nam is, ubicunq; æquitas eum mouerit, interrogare partem de eo potest, cuius notitia ad iustã decisionem causæ peruenire possit. l. ubicunq;. ff. de interrogat. actionũ. Et est hac in re tam plena potestas, ut de eo quod ad causæ notitiam & ueritatem facere uideatur, etiam postquam in causa ã partibus conclusum sit, interrogare possit. iux. glos. c. secundi. Ex. de off. Iud. cir. uerbum iudicis. Cæterũm nisi quis pro confesso haberi uelit, cogitur ad positiones aduersarij sui respondere, iuxt. c. si post. Ex. de confessis in sexto, glos. tamen eiusdem capituli annotat quasdam causas, propter quas aliquis liberatur ã necessitate respondendi ad positiones contra eum ab aduersario factas. Neq; uerò statim cuiq; sua confessio præiudicium parit, etiamsi ad positiones respondet, sed multa sunt, quæ tum in personis respondentibus, tum ipsis rebus, de quibus respondetur, desiderantur, ut confessio facta teneat: quæ uerò ea sint, indicat glos. l. unicę. C. de confessis, & glos. c. ex parte. Ex. de confessis. Et quę in hoc capite allegatæ sunt glosæ, poterunt esse uice longi commentarij in hac specie probationum cognoscenda. Vbi autem illis omnibus interuenientibus, quæ ad solidam confessionem requiruntur, confessio facta est, non potest ea reuocari, nisi quatenus ostendi possit manifestẽ in facto ã confitente erratum esse. Nam qui errat, non fatetur, nisi Ius ignoratur. l. ij. ff. de confessis, & l. error. C. de fact. & Iuris ig. & ibi glos. Hæc uerò de reuocatione confessionis locum habent in Ciuilibus Iudicijs, non in criminalibus, ubi quæstionibus confessio extorta est, de qua infrã in processu criminalium Iudicio rum dicemus.

3 4 5 6 7 9 10 11

ff. Cod. In Decret. & Sex.
De Confessis.
In solis ff.
De Inter. in iure fact. & de interrogatorijs actionibus sublatis.

DE FAMA, ET COMMVNI opinione. Caput XXII.

SVMMARIVM.

1. Fama quid sit.
2. Carolus dux Burgũdiæ dicitur in Germania sub mendicantis persona uagari.
3. Rumor quis dicatur.
4. Multa in bellis esse inania.
5. Communis opinio quid sit.
6. Notorium quid dicatur.
7. Constans fama plus ualet, quàm unus testis.
8. Rumor suspicionem facit.
9. Communis opinio probat.
10. Testes de auditu alieno.

VT quis scire possit quatenus ualeat probatio à fama ducta, necesse est exquisitè discerni, quid intersit inter famam, rumorem, communem opinionem, & notorium. Nam hæc ita inter se cognata sunt, ut generis notitia discerni non possint. Etenim ex eo, quod uulgo uotum est, omnia hæc existere manifestum est. Proinde
1 iuxta specificam earum differentiam, sic ea discernimus, quòd fama sit sermo Fama.
2 uulgatus à certis autoribus aliqua de re in uulgũ sparsus. Sicut diu creditum est Carolum ducem Burgundiæ ex clade, quam ei Heluetij cum Lotharingis intulerant, elapsum esse, & in Germania sub mendicantis persona uagari,
3 quia hoc multi constanter affirmabant, quamuis extinctus esset. Rumor uerò Rumor.
dicitur sermo aliqua de re uulgatus, cuius autores ignorantur, cuiusmodi ser
4 mones multi solent spargi temporibus belli, ut prouerbium inde natũ sit, Mul
5 ta in bellis esse inania. Communis autem opinio, est multorum consensus ex Communis opinio.
longa obseruatione alicuius rei ortus, sicut est consuetudinis inolitæ obserua
6 tio. Notorium uerò dicitur, quod propter præsentem euidentiam uulgo no- Notorium.
tum est, ut sunt flagitia in conspectu populi admissa. Iam igitur Iura ita con-
7 stituunt ex his probationem fieri, quòd cõstans fama plus ualeat quàm unus testis, per eam uerò solam nihil satis probari, nisi accedat aliquis testis fide dignus, iuxta gloss. c. si testes. §. sæpe. iiij. q. iij. cir. uerbum fama, multò minus
8 uirium habet rumor ad probandum. Nam per eam sola suspicio fit, nulla aũt
9 rei euidentia inde colligi potest. iux. gloss. fin. c. super eo. Ex. de eo qui cogno. consang. uxo. suæ. Communis uerò opinio firmissimam præbet probationem, si talis est, ut eius obseruatio superet hominum memoriam. l. si arbiter. ff. de probat. Hac autem præcipuè probantur consuetudines, priuilegia, seruitutes, immunitates, præscriptiones. Et est huius probationis exemplum
10 in l. in summa. §. apud Labeonem. ff. de aqua plu. ar. Est autem in probatione cõmunis opinionis hoc speciale, quòd in hac admittaẽ depositio testiũ de audi tu alieno, uidelicet, ut testentur, neq; se, neq; alios in ea uicinia unquam audi uisse, aliter se hanc aut illam rem habere, quàm propositum sit, non tamen ha bet locũ hæc probatio, nisi in iure expressum sit, quòd talis præscriptio, cuius nõ extat memoria, in ea re probãda, de qua est quæstio, admitti debeat. arg. c. quid per nouale. Ex. de uerb. signi. & de priuilegijs. c. fin. De Notorij uerò probatione suprà de euidentia facti diximus, & dicemus infrà de præsumpt. Quæ uerò ducuntur probationes à fama, rumore, communi opinione & notorio, publica sunt testimonia. De his igitur postq; diximus, dicemus porrò de priuatis testimonijs, quod à singulis pro sua conscientia præstatur.

DE TESTIBVS.

Cap. XXIII.

SVMMARIVM.

1. Testium productio ante litem contestatam non admittitur.
2. Testes ad æternam rei memoriam quando recipiantur.
3. Articuli probationis ex media causa depromendi.
4. Non debet quisquam ad probandum admitti, quod probatum eius causam non adiuuet.
5. Modi quibus quodq; ius constituitur, probanti noti sint.
6. Ponere articulos probationis quid sit.
7. Dominium si sit probandum.
8. Modi cuiusq; iuris agendi & excipiendi.
9. Articuli probationis, & positiones idem sunt.
10. Suspecti testes qui habeantur.
11. Quæ personæ exemptæ sint onere dicendi testimonij.
12. An testes inuiti possint cogi ad dicendum testimonium.
13. Articulorum copia parti facienda.
14. Interrogatoriorum genera duo.
15. Personæ fides quomodo exploretur.
16. Non testimonijs, sed testibus credendum esse.
17. Notitiæ certitudo quando à teste exploratur.
18. Ad officium iudicis pertinet omissa supplere.
19. Protestatio partis de excipiendo contra personas & dicta testium.
20. Iuramentum testium ad dicendam ueritatem.
21. Testibus iniuratis an credatur.
22. Remissio iuramenti testium à partibus fieri potest.
23. Testes iurare nõ debent feriato die, licet examinari quocunq; tempore possint.
24. Impositio silentij de non reuelando.
25. An citatio testium semper requiratur.
26. Quando pars aduersa contra producentem possit producere testes.
27. De testium reprobatione.
28. Enumeratio personarum, quæ non possint esse testes.
29. An reprobatio testium possit fieri ante examen, uel post.
30. Obiecta testibus in reprobatione personarum non præbeantur, antequam testes sua testimonia deposuerint.
31. Probatio in continenti quãdo fiat.
32. Certus sit testium numerus.
33. Vnus testis quid probet.
34. In qualibet causa duos testes sufficere.
35. Terminus ad excipiendum contra testes à iudice statui potest.
36. Modus reprobandi dicta testium.
37. Articulorum Rubricæ faciendæ.
38. Causa asseuerationis à teste adferenda.
39. Agnitio hæreditatis quomodo probetur.
40. Pro hærede qui se gerere dicatur.
41. Testimonium de aliena scientia reprobatur.
42. Testis an semper teneatur rationem dicti reddere.
43. Præsumptio iuris ex depositione testium colligi potest.
44. Testimonia quomodo publicentur.
45. Post publicationem attestationum an liceat alios testes producere.
46. Præscriptio xxx. annorum si probanda sit. Item præscriptio x. annorum.
47. Reprobatorios testes quando liceat producere.
48. Iudex ex officio etiam post conclusionem repetere testes examinatos potest.
49. Testi in uno articulo falsum dicenti, in nullis articulis fides habenda.

SI aduersarium non conuincat palàm euidentia facti, nec possit induci, ut, ultro fateatur quod factum dicitur, aut eum non pudeat tergiuersari in re, quæ publica fama iactetur, reliquum est, ut testibus productis conuincatur. Est autem in hac specie probationis primùm omnium considerandum, an ea in principali quæstione exigatur, an in accessoria, et circa causæ cognitionẽ emergẽti.

Nam

1 Nam ad ſummouendam principalem dubitationem in cauſa, regulariter non admittitur teſtium probatio, niſi lis conteſtata ſit. Et eſt huius obſeruationis manifeſta ratio, quia antequam lis conteſtata ſit, non poteſt conſtitui, quæ ſit inter litigantes principalis controuerſia. Non enim poteſt uenire in iudicium, quod in iſtud non eſt deductum. l. non poteſt uideri. ff. de iudicijs: ineptus itaq; eſſet iudex, qui admitteret eius rei probationem fieri, de cuius controuerſia nondum ei ſatis conſtaret. Cũm aũt hæc probatio exigitur in quæſtione, quæ incidit circa cauſæ principalis tractationem (cuiuſmodi ſunt quæ ex oppoſitis exceptionibus Dilatorijs, & declinatorijs iudicij, atq; etiã peremptorijs quibuſdam, ut eſt exceptio tranſactionis, rei iudicatæ, litis finitio per iuſiurãdum, oriuntur) non eſt opus, ut expectetur litis cõteſtatio, quia talium controuerſia ſtatim cũm opponitur, apparet, & obſtant quò minus fieri iudicium de principali quæſtione poſsit, niſi de illis prius conſtet, an competant opponẽti nec ne. Id quod dici nõ poteſt, niſi adferãtur probationes. Ergo neceſſe eſt, teſtes ad probandas tales exceptiones ante litis conteſtationem in principali cauſa factam admitti. iux. gloſ. cir. l. exceptionem. C. de probat. &
2 c. exceptionib. ex. de litis conteſta. in vi. Nonnunq; & principalis negotij teſtes recipiuntur ante litis conteſtationem: ſed hoc fit certis ſolũm ex cauſis, & ex beneficio quodam iuris, ut ſi quis diuturnã abſentiam, aut mortem eorum metuat, quibus compertum ſit negotium, quod in controuerſiam uenire poſſit, ſcilicet, ne ſi id aliquãdo accidat, ei deſit probatio, poteſt curare, ut ad æternam eorum memoriam, publico inſtrumento eorũ teſtimonium deſcribatur, uel, ut à Iudice ſi lis iam mota ſit, examinentur lite nondum conteſtata. Vbicunq; autem id fuerit factum, neceſſe eſt, ut depoſitiones teſtium conſignentur, & quàm primũm fieri poſsit denuncientur illis, quos metuat quis ſibi futuros aduerſarios ea in re, nec publicentur, donec elapſus ſit annus poſt receptionem talium teſtium, aut lis ſit conteſtata, ne fraudi ſit illis, ignoraſſe, ea de re receptos eſſe teſtes, & teſtimonium eorum eſſe publicatũ, iux. c. quoniam frequenter. Ex. ut lite non cõteſt. teſt. non recip. ubi gloſſ. annotat reliquos caſus, in quibus recipi teſtes ante litis conteſtationem permiſſum eſt.

Porrò quando lis aut de ea re exiſtit, ad cuius probationem teſtes ante litis conteſtationem admittuntur, aut iam facta litis conteſtatio de principali negotio, tunc ea pars, cui incumbit probatio, poteſt petere ſibi dari dilationem à Iudice, ad producendos teſtes, quam ei dare Iudex tenetur, adhibita competenti moderatione temporis, ſecundum ſpacia, quibus diſtat teſtium habitatio à Iudicis domicilio, iux. c. inducias. §. ſpacium. iij. q. iij. Donec autem durat tempus datæ dilationis, poteſt producens, uel una, uel terna uice ad Iudicem nomina eorum, quos producturus eſt teſtes, referre. Quarta uice hoc ei non conceditur, niſi iuret de calumnia, iux. Aut. de teſtib. §. quia uerò collat. vij. & Ex. eo. c. ultra. Relatis ad Iudicẽ nominibus teſtium ſimul exhibenda ſunt capita dicendi teſtimonij, quæ nunc uocantur articuli probationis. c. fin. Ex.
3 de teſtib. cogendis. Iſti uerò articuli depromuntur ex media cauſa ad confirmationem facti, ex quo nobis competere ius agendi contendimus. Itaq; probaturum aliquid, oportet accuratè circumſpicere, ut ſuis articulis id complectatur, unde exiſtit illud ius, quod ſibi competere contendit. Nam ſi quid alienum à confirmatione eius iuris teſtibus conſtare in articulis probatorijs quis
4 dixerit, nõ eſt admittẽdus ad id probandum. Vulgata etenim eſt regula iuris, non debere quempiam ad probandum admitti, quod probatum eius cauſam non adiuuet, iux. gloſſ. c. cũm contingat, circa uerbũ nihilominus. Ex. de offi. & poteſtate Iudicis delegati. Vt ſi quis probaturus aliquem eſſe ſeruum, & loco articuli probatorij ponat, quòd mater eius ſeruitutem ſeruierit, non eſt admittendus ad illud probandum, eò quòd etiamſi hoc probatum ſit, tamen inde non ſequatur, eum eſſe ſeruum, quia ex manumiſsione poſsit eſſe liber

ex serua matre natus. l. ad probationẽ. C. de proba. Prodest igitur plurimũ ad 5
concipiendos articulos probationis in quolibet negotio, alicui notos esse modos, quibus quodcp ius cõstituitur & perit, ut iuxta eorũ notitiã ex quacp facti specie sine casu possit colligere, an istud ius, quod probaturus est, inde existat uel nõ. Ponere enim articulos probationis nihil aliud est, quãm in facto cau- 6
sas iuris, de quo est cõtentio, ostendere, ut si cui probandum sit dominium, ne 7
cesse est ponere in articulis, quòd ex facto testib. constet, illo aut illo titulo, atcp traditione comparatũ esse dominiũ. Item in probandis cõtractibus hanc rem, illa uerba, hũc cõsensum interuenisse, quibus quiscp contractus existit. In delictis hanc adhibitam uim aut fraudem, aut talem extare in facto culpam committentis, ut pro illo aut illo delicto meritò habeatur. Sic & in exceptionibus probandis ea ponenda sunt accidisse in facto, unde oriri & cõpetere eas iura statuunt. Nihil enim prodest factum probasse, nisi in eo ostensæ sint 8
causæ Iuris, cuius probatio nobis incumbit. Eæ uerò causæ non possunt colligi ex facto, nisi ab ijs, quibus noti sunt modi, per quos unũquodcp Ius agendi & excipiendi, & existit, & tollitur.

Obseruabunt autem discentes nihil interesse inter articulos probationis & 9
positiones, nisi quòd illi proponũtur, ut testium cõfessione id probetur, quod est in causa dubium. Hæ uerò sparguntur in declaratione causæ utrincp à litigantibus, ut ipsorũ confessione causa explorata iudici fiat. Quare nec necessariò requiritur, ut positiones fiant antequam testes producantur. Nam mutua sunt positionũ & testium præsidia, ut quocunch loco res exigatur, altero præsidio succumbentes ad alterũ confugiamus. Itacp gloss. inter notabilia. c. præsentium. Ex. de testib. sexto, hoc quocp ponit, Quòd si ante examinationem testium non sint factę positiones, possit à Iudice peti, ut is, contra quem faciendа probatio est, cogatur respondere nostris positionibus ad exsculpendum ex eo id, quod per testes probare nõ potuerimus. Sed redeo ad exhibitionem Articulorum, & productionem testium, nam & hoc in his obseruandum est, ut producens curet testes à iudice citari, & eis constitui certum terminum de- 10
ponendi suum testimonium. Suspecti enim habentur testes, qui ultro se obtrudunt iudici ad perhibendum testimonium. Auth. rogati. C. de testibus. Et ne si citati uenire recusent, iudicia impediantur, licitum est Iudici, eos comminatione indictæ pœnæ cogere ad dicendum testimonium, nisi iustas suæ recusationis causas habuerint. Quæ uerò personæ beneficio legum eximantur 11
onere dicendi testimonij, indicat l. iiij. v. viij. xix. ff. de testibus. Et sunt istæ leges insertæ canonibus, iij. q. iij. c. si testes. & lege Iulia, & sequentibus. An 12
uerò testes inuiti cogi possint ad dicendum testimonium ueritatis explorandæ causa, si nulli alij præter illos sint, qui interrogari de re in iudicium deducta possint, & quatenus in ciuilibus, uel criminalibus causis liceat id, uel non, indicant tex. & glos. Ex. de testib. coge. Quoties uerò Iura permittunt testem renuentem cogi, potest hoc Iudex facere per indictionem mulctæ. Omnibus enim magistratibus concessum est iurisdictionem suam defendere pœnali Iudicio. ff. Si quis ius dic. non ob. in prin. Non solũm aũt testes, sed & pars contra quam illi producuntur, uocanda est ad audiendum & uidendum testes produci, & pręstito ab eis iuramento, ad dicendam ueritatẽ, recipi generali clausula citationũ adiecta: quòd siue uenturus sit, siue non, tamen Iudicem processurum in causa quantum de Iure possit. Estcp simul ei facienda copia arti- 13
culorum, quas producens Iudici exhibuit, ut si ei libeat, interponere possit suas interrogationes circa singulos articulos in examinatione testium faciendos.

Sunt autem talium Interrogationum, siue, ut nunc uocantur, interrogato- 14
riorum, duo quasi genera, nempe, alterum quo fides & integritas personæ, alterum quo notitiæ certitudo a teste exploratur. Personæ fides exploratur 15

inuesti

inuestigatione omnium earum rerum, quæ personæ integritatem suspectam facere possunt, ut sunt studia, mores, uoluntates, fortunæ, conditio, ætas, cognatio, totiusq; uitę consuetudo, iux. l. iij. ff. de testi. cuius l. tex. repetitus est in c. si tales. § testium. iiij. q. iij. & hæ quidem interrogationes fiunt ad subolendum, an aliqua subornatione testes ad dicendum testimonium ueniãt nec ne, & ut possit eorũ autoritas eleuari, si minus probè testimonium dixerint.

Possunt autem omnes fieri uno quasi cursu, in initio examinis cuiusq; testis,
16 suntq; necessariæ, quia cũm non testimonijs, sed testibus credendũ sit, iux. re
scriptũ Adriani Imperatoris, l. iij. § idem diuus. ff. de testibus, operæprecium
17 est eorum integritatem esse notam, quibus credamus. Notitiæ uerò certitudo exploratur à teste, cũm circa negotij circumstantias ab eo quæritur, quo modo in eius rei notitiam peruenerit, an rei interfuerit, cũm ita gereretur, an ab alijs acceperit ita rem gestam esse, & quare hoc, aut illud factũ sit, quo tempore, quo loco, qua spe, quo consilio, iux. c. cũm causam. Ex. de testib. Ad has autem interrogationes concipiendas itidem peti potest dilatio à parte, contra quam testes producuntur, sicut parti producenti ad articulos cõcipiendos illud conceditur. Non aũt tenetur iudex harum interrogationum copiam facere parti, producenti testes, ne eos ex his ad respondendum de illis instituat, sed satis est eas seorsim Iudici esse exhibitas, cũ hac protestatione, ut non perfunctoriè, sed diligenter testes examinentur super quolibet articulo de singu
18 lis negotij circũstantijs. Ac pertinet quidem peculiariter ad officium iudicis, ut quod per partes, uel earum aduocatos omissum fortè sit in articulis, & interrogatorijs concipiendis, illud ipse suppleat, si quid aliud magis facere ad appositam & accuratam examinationem testium uideatur. Nam ad religionem iudicantis pertinet circumspicere, ut à testibus exquirantur, quibus ueritas causę eminere possit, adeo ut etiam eius testimonij fidem perpendere debeat, quod integræ frontis homo dixerit. l. quæsitum. in fin. ff. de testib. & gloss. c.
19 præsentium. circ. uerbum interrogatoria. Ex. de testib. in sexto. Potest quoq; pars in exhibitione Interrogatoriorum protestari, quòd eatenus uelit admittere testes productos, ad dicendum in proposita causa testimonium, ut sibi saluum maneat Ius reprobandi eorũ personas & dicta per alios testes, si compererit eos non esse legitimos, aut non probè se in dicendo testimonio gessisse, nisi enim quis ante publicationem testimoniorũ de reprobatione testium protestatus fuerit, postea nõ auditur, nisi iuret se nulla malitia ad faciendam talem reprobationem induci, & nunc primùm se id comperisse, quod testibus obiecturus sit. c. præsentium. in fin. Ex. de testib. in sexto.

20 Postquam autem testes & partes ita utrinq; fuerint citatæ ueniente termi- *Iuramentum testium.*
no, qui ipsis peremptoriè indictus est, partibus præsentibus, uel altera contumaciter absente, singuli testes ordine Iuramento obstringendi sunt ad dicendam ueritatem in ea causa. l. Iurisiurandi. C. de testibus. Talis aũt iuramenti forma extat in glos. c. fraternitatis. Ex. de test. ut non sit necesse pluribus hic eam describere. Requiritur aũt ut testes iuramentum præstent anteq; quicq;
21 deponunt. arg. l. Theopompus. ff. de dote prælegata, quia testi non iurato, quãtumuis religiosus ille fuerit, nõ creditur in alterius prędiudicium. c. nuper
22 nobis. Ex. de test. Nihilominus tamen partibus inuicè remittentibus, ut non iurent testes, creditur etiam non iuratis, iuxt. gloss. eiusdem c. circa uerbum contradicente. & gloss. l. i. ff. de ferijs. Nam cũm parati sunt iurare testes, & is contra quem producuntur, eis facit gratiam, ne iurent, contentus uoluntate suscipiendi iuramenti, pro iuratis habentur, iuxta l. remittit, & ibi gloss. ff. de
23 Iureiur. Cauẽdum quoq; est, ne testes diebus feriatis præstẽt iuramentũ. Nam cũm de processu Iuris & actus iudicialis sit recipere testes, & iureiurando eos ad dicendum testimonium obstringere. c. quoniam contra. Ex. de probatio.

Cautum est, ne ista diebus feriatis fiant. l. dies festos. C. de feriis. Examinari uerò testes iurati quocunq; tempore possunt, quia examinatio testium nõ est iudicialis actus, sed seorsim, & secreto loco fit, ut tantò liberiores sint testes ad dicendum testimonium, iux. glos. c. quia propter. circa uerbum secretæ. Ex. de Electionib. Itaq; postquam partes uiderunt testes recipi à Iudice pro tribunali præstito ab illis iuramento exigi partes, & singuli testes seorsim examinari debent. Nam testimonium habetur pro nullo, quod palãm omnibus dictum est. iux. Bal. cir. l. prolatam. C. de sen. & interlo. omnium iud.

Potest autem uel ipse Iudex testes examinare, uel id ut fiat alij delegare & cõmittere. Atque id quidem tum præcipuè est licitum, cũm testes nominati non sub iurisdictione iudicis, apud quem lis agitur, sed sub aliena iurisdictione habitant. Tum enim etiam in criminali causa potest Iudex per literas, eius iurisdictionis, sub qua sunt testes nominati, Iudicem rogare, ut in subsidium Iuris testes nominatos recipere & examinare uelit. Si uerò sub eius iurisdictione sunt testes nominati, tunc non licet eorum examinationem alicui alij demandare, nisi causa sit Ciuilis, iuxta l. Iudices. & Authen. apud eloquentissimum, & ibi notata. C. de fide Instrumen. Is uerò, cui ita à Iudice commissa est examinatio testium, non potest porrò alij delegare, quia eius industria uidetur esse electa. Arg. l. inter artifices. ff. de solut. & liberat. Exhibebit aũt Iudex ei, cui examinationem testium commendat, Articulos & Interrogatoria partium, ut secundum ea appositam examinationem testium faciat, qua facta à quocunq;, siue à Iudice, siue à delegato, interdicendum est singulis testi- 24
bus, ne cuiquam reuelent quid deposuerint ante publicationem testimoniorum. Speculat. in titul. de teste. §. sequitur. uult testes ad hoc silentium obligari Iuramenti religione, ita ut in Iuramento testium caput sit, nemini se uelle pandere suum testimonium antequam publicatum illud sit, sed ita ferè obseruatur, ut depositis testimonijs hoc silentium testibus demum iniungatur. Hæc est de qua hactenus diximus, cõmunis obseruatio producendorũ, recipiendorum, & examinandorum testium. Casus uerò huic obseruationi sæpe 25
adfert Iuris uarietatem. Itaq; ut ab ea obseruatione incipiamus, quæ reliquas iudiciorum ordine præcedit, uidendum est, an semper necesse sit testem citari ad dicendum testimonium, & Bart. cir. l. post legatum. §. his uerò. ff. de his, quibus ut indig. l. auf. decidit, quòd si quis non deductus à parte ad Iudicem ueniat, & se ad dicendum testimonium ei offerat, tum non sit habendus idoneus testis, eò quòd non sit uocatus. Si uerò pars deducat aliquem ad Iudicem & illum loco testis exhibeat, tum etiamsi non citatus testimonium dicat istud ualere, quia parti hoc incumbat, ut testes producat. Sed partium citatio ad uidendum testes recipi, & iureiurando ad dicendum testimonium obligari, usq; adeo non potest omitti, ut si absq; ea præstitum sit iuramentum à testibus, aut neutra pars huic actui interfuerit, uel absens pars iustã absentiæ suæ causam adferre possit, irritus fiat processus. c. ñ. Ex. de testibus, & glos. antepe. l. siquando. C. de testibus.

Videndum quoq; est, num pars contra quam fit probatio per testes, eadem uice debeat probare per suos testes contrarium, si hoc contendat, an uerò expectandum illi sit, donec publicata sint alterius partis testimonia. Et sunt ll. quibus utrunq; permissum uidetur. Verũm communis est opinio, quòd si ea pars contra quam producuntur testes, tale quid habeat, quod ex diametro pugnet cum eo, quod aduersarius eius probare conetur, tum requiri ut id ita esse doceat, antequam testimonia aduersarij publicentur: ut si quis ratione mutui ab aliquo petat x. & is possit ostendere per suos testes, non esse decem ab illo mutuo data, necesse est, ut id probet, antequam aduersarij testimonia publicentur, quia utrunq; simul esse non potest, sed altero probato alterum tolli necesse est. Itaq; ne alter ex alterius probatione nectat dolos, & consuat cauilla-

toriam

toriam probationem, requiri, ut si quam probationem habere se existimet,
26 eam adferat antequam proditũ sit alterius testimonium. Si uerò quis tale quid habeat, opponendum ei qui producat testes, quod uerum esse possit, etiamsi aduersarius suam intentionem probarit, tum licere, & testes producere, ut si quis petat ex causa mutui à quopiam x. & is ostendere possit illum secum pepegisse de non petendis illis decem, tum licet etiam post publicationem testimoniorum eius rei testes producere ad probandum illud, iux. arg. cir. §. quia uerò. Auth. de testibus, & secundum hanc distinctionem, gloss. & dd. accipi uolunt l. officium. ff. de rei uendic. & l. Exceptionem. C. de probat. quæ ll. admittere uidentur, ut publicatis testimonijs indiscriminatim Reo liceat suam Exceptionem probare. Talis autem contentio reprobandi testimonia magis fit ad præsidium tuendæ causæ contra impetum aduersarij, quem ex suscepta
27 ab eo probatione metuimus, quàm ad repellendum testimonium. Nam testiũ reprobatio, tum demum rectè dicitur fieri, cũm testium autoritas eleuatur, & dicta eorum tanquam non sufficientia & inania reijciuntur, non cùm causa prorsus negatur, aut ea probata talis Exceptio aduersario opponitur, quam eius probatio non excludat, nec refellere possit. *De testium re. probatione.*

Cũm autem reprobationem testium casus sæpe faciat necessariam, interest
28 litigantium, ut sciant quando ea fieri aut debeat, aut possit. Eleuatur autem autoritas testium, aut quia adhibetur ad testimonium dicendum persona, quę à iure non habetur idonea, ut si sit impubes, iux. gloss. l. inuiti testimonium. ff. de testibus. Inops mentis, quia talis persona nullo munere Iudiciali fungi potest. iij. q. vij. i. c. i. c. fin. Mulier, l. ex eo. ff. de testib. & gloss. c. forus. §. ult. Ex. de uerb. sig. Seruus, libertus, coniunx, uasallus. Neq; enim idonei testes habentur, qui in ea sunt conditione, ut producens imperare illis possit ut fiant testes. l. idonei. ff. de testibus. Infamis, quia & talibus personis omnes legitimi actus interdicti sunt. c. licet ex quadam, in fin. §. princ. Ex. de testib. Suspecti propter amicitiam, uel inimicitiam, aut captationem lucri. l. iij. in prin. ff. de
29 testib. & his similes. Atq; hanc reprobationem testium fieri uolunt illi, qui de obseruationibus iudicialibus scripserunt, statim in initio cũm testes exhibentur iudici, ut eos recipiat, arg. c. præsentium. Ex. de testibus. Cũm enim ibi tantum tres casus excipiantur, in quibus post publicationem testimoniorum licet reprobare testium personas, cõsequens esse contendunt, ut in alijs casibus talis reprobatio fiat ante publicationem testimoniorum. Vnde nonnunquam in citatione denunciari solet parti, contra quam producuntur testes, ut si quid habeat, quod contra illorum personam opponere uelit, illud in
30 termino, qui ei indictus est ad uidendum testes recipi, faciat. Sed ut maximè talis reprobatio fiat, cùm testes recipiuntur, tamen generalis est regula, quòd obiecta testibus in reprobatione personarum non præbeantur, antequam testes sua testimonia deposuerint. Ac proinde testes regulariter admittũtur ad dicendum testimonium, etiamsi eorũ personis obiectũ sit, quod eas reddat illegitimas ad testificandum, nisi obiecta eis sit excõmunicatio, aut capitalis inimicitia, aut seruitus, aut opponens afferat promptam suæ oppositionis proba
31 tionem. Nam in talibus casibus Canonistæ uolunt fieri probationem in continenti, cir. c. ex parte. Ex. de testib. & in tex. c. i. Ex. de Excep. in sexto, & in Aut. de testib. §. si dicatur, idem probatur. Sæpius itaq; fit, ut protestationis beneficio ius reprobandi personas testium seruetur integrũ, donec testimonia sint publicata. Nã talis dilatio hoc quoq; habet cõmodi, ut si secũdum interrogatoria testis interrogatus respõdendo aliquod uitiũ agnoscat, quod eũ ineptũ ad dicendũ testimoniũ reddat, pro cõfesso habeat, et pars, cõtra quam producitur est testis, onere opponendi & probandi talẽ in eo notã subleueat, & post talis testis à iudice repelli, siue reijci. Vbi em̃ aliquid est notoriũ ex actis, Iudex illud de facto supplere potest, iux. Inno. cir. c. ex Iusiurat. Ex. de appel.

Aut

Aut reprobatur testis, quia non est debita solennitate adhibitus, de qua suprà diximus, & ad hanc referri potest legitimus numerus testium. Nam & ille rei, de qua quæritur, fidem confirmat. l. iij. §. eiusdem. ff. de testib.

Ideo in plerisq; casibus ll. certum numerum testium requirunt, & in ijs, in 32
quibus minus est periculi de fraude, pauciores, in quibus plus est, plures interuenire uolunt ad certitudinem rei explorandam: ut si contrahatur in ciuitate per literas, cum imperito literarum, uolunt ll. ut v. testes adhibeantur. Aut. sed nouo. C. Si cert. pet. Si uerò quis uelit suũ depositum esse testatũ, iubent adhiberi iij. testes. Auth. de fide instru. §. si quis igitur. Vnius uerò testis fi- 33
dem in nulla re probanda solam sufficere statuunt, etiamsi magna dignitate emineat. l. Iurisiurand. C. de testib. & Ex. eo. licet uniuersis. Et apparet hoc non ll. Romanis primũm esse sancitum, sed apud gentes ita semper esse obseruatum. Nam Græco prouerbio, unus uir nullus esse dicitur, & est in xxxiij. q. ij. c. admonere. quòd unius testimonium nec iustificet, nec condemnet. Sacræ uerò literæ uolunt duorum testimonium ad faciendam fidem sufficere in
omni negotio. Deut. xix. Matth. xviij. Regulare itaq; est, quòd in qualibet 34
causa duo testes sufficiant, nisi expressè lege cautum sit, plures in aliqua causa necessarios esse. l. ubi numerus. ff. de testib. Hæc uerò reprobatio, quæ à solennitate non obseruata, aut à numero testium ducitur, non fit, nisi publicatis testimonijs. Nam talis negligentia & defectus in numero tum demum deprehenditur, cũm ex publicatione testimoniorum constat quid in recipiendis testibus sit omissum, aut quid à quoq; testium sit depositum. Vt maximè enim quis principio plures producat testes, tamen in numerum testium non possunt referri, nisi illi, qui testati sunt, quod ad causæ probationem faciat. Testis enim cuius dicta ad causæ probationem nihil faciunt, aut qui sibi ipsi contrarius, aut singularis, & sine conteste est, perinde habetur, ac si productus ad dicendum testimonium non esset. Nam numerus testium æstimatur ex consentientium testium, & non ex productorum multitudine, iux. text. & gloss. fin. l. ob carmen. ff. de testib. & gloss. c. cum Ecclesiam, cir. uerbum uacillasse. Ex. de causa poss. & proprie. Proinde cogitur Iudex partibus petentibus facere copiam testimoniorum, postquam ea publicata sunt. l. ij. C. ut lite pen. nulli lic. ipso retinente originalem descriptionem eorũ testimoniorũ. c. quoniam contra. Ex. de probat. ut partes diligenti talium consideratione possint explorare, an firma sit probatio. Et ne cessatione partium in reprobandis & de- 35
fendendis publicatis testimonijs differatur litis decisio, potest Iudex illis constituere terminum, intra quem testimonia publicata euertant, aut tueantur, cum hac interminatione, quòd si istud facere neglexerint, deinceps non sit admissurus ut id faciant. Arg. c. licet causam. Ex. de probat. Verũm ut talis reprobatio & defensio testimoniorum eò commodius fieri possit, tradit Spec. hanc cõsuetudinem esse in Curia Romana, ut causidici acceptis testimonijs, circa singulos articulos accuratè obseruent testimonia, ac notis quibusdam di- 36
stinguant singulorum testium positiones, ut in reprobatione testium & testimoniorum mentione talium notarũ breuiter ostendere possint, quid in illis requirant, & utidem Iudici perspicuum fiat, quorum articulorum fides confirmata sit testium depositionibus, & quorum non.

Deinde si magna sit uarietas articulorum, eos quasi in capita quædam, uel, 37
ut eius uerbis utar, in Rubricas quasdam digeri, ut tantò facilius Iudicis animus remitti ad notas firmorum & infirmorum testimoniorum secundum seriem articulorum possit, hoc modo: Circa i. ij. uel iij. articulum probationis percontatum est à Iudice, quo titulo Sempronius fundum Thusculanũ compararit. & in loco eius depositionis, ubi est nota literæ b. dixit emptum illum ab eo esse. in alio loco, ubi est nota literæ f. dixit ille, ei legatum esse. Ergo sibi ipsi contrarius & inutilis testis est, &c. Eodem modo fit in qualibet causa re-

probandi

probandi teſtes, aut eorum teſtimonia. Vt in reprobandis teſtimonijs propter dicta teſtium annotandum eſt, cuius ex teſtibus dictum afferat Argumen
38 tum neceſſariò, aut ueriſimiliter, aut prorſus non concludens. Necꝫ enim ſatis eſt teſtem affirmare id ita eſſe, de quo interrogatus eſt, iuxta articulos probationis, niſi talem etiam afferat ſuę aſſeuerationis cauſam, quæ urgeat Iudicem,
39 ut credat eius teſtimonium eſſe ſincerum. Vt ſi probandum ſit, Titium agnouiſſe hæreditatem Iure ſucceſsionis ei delatam, non ſatis eſt, ſi dicat teſtis, ſe uidiſſe, quòd Titius tenuerit res eius hæreditatis, quia poteſt quiuis tenere res hæreditarias, non agnita hæreditate. l. non hoc. C. unde legitimi, & unde
40 cognati. Nam is demum pro hærede ſe gerere dicitur, qui in rebus hæreditarijs facit, quod à domino expectatur. Cùm igitur teſtium dicta non ſufficiant ad probandum id, de quo dubitatur, niſi ex illis neceſſariò poſsit cõcludi, rem
41 ita ſe habere, ſicut eſſe affirmetur à teſte, Regula eſt, teſtimonium, quod ex aliena relatione pendeat, non ualere, etiamſi fama cum ea relatione concurrat, quia teſtis de ſua, non de aliena ſcientia deponere debet, iuxta l. teſtium, & ibi. gloſſ. & dd. qui huius regulæ exceptiones copioſè exponunt. C. de teſtibus.

Secundò, regula eſt, non ſufficere ad probandum, ſi teſtis dicat, ſe hoc credere, aut ita ſe ſentire, quòd res, de qua interrogatus eſt, ita ſe habeat. Opinari enim eſt dubitare, niſi euidens opinioni ſubiungatur ratio, ſecũdum Bal. cir.
42 l. fin. C. de edict. diui Had. toll. Proinde quæri ſolet, an ne ſemper neceſſe ſit, ut teſtis ſuæ ſcientiæ rationem reddat in dicẽdo teſtimonio. Et ita omnes ad explicandam hanc quæſtionem diſtinguunt: quòd aut res, de qua interrogetur teſtis, ſit talis, ut ſenſu aliquo corporeo non coadiuuante cogitationè & intellectu deprehendi poſsit, tum ualere eius teſtimonium, etiamſi non adiũciat ſuæ notitiæ cauſam, niſi hoc ab eo ſit petitum. Nam interrogatus de cauſa notitiæ, ſi nullam, aut non idoneam alleget, non ualere eius teſtimonium, ſecus ſi non ſit de ea interrogatus. Vt ſi in dubium ueniat, an eam pecuniam Sempronius mutuo dederit Titio, quam Sempronius contendit ſe ei mutuo dediſſe, & Meuius teſtis deponat tantum pecuniæ datum à Sempronio eſſe, ualere eius teſtimonium, etiamſi non dicat, ſe illud uidiſſe. At ſi interrogatus ſit, unde ſciat talem pecuniam mutuo datam Titio eſſe, & ipſe reſpondeat, ſe illud audiuiſſe, aut ſe ita opinari, non ualet eius teſtimonium. Aut teſtis interrogatus eſt de re, quæ non immediatè ſenſu corporeo, ſed mente & cogitatione accedente percipitur, (ut eſt dominium, poſſeſsio, cognatio, affinitas, mora, negligentia) & tum requiri, ut teſtis ſuo teſtimonio conuenientem adiũciat rationem, etiamſi ea non ſit ab eo petita, iuxt. dd. Iuris Ciuilis, iuxt. l. ſolam. C. de teſtibus. & Canoniſtas, cir. c. cum cauſam. Ext. eod.

Patet autem ex his, & quæ à dd. in locis allegatis dicuntur, quòd depoſitio teſtis non ualeat, niſi neceſſariò inde ſequatur, quod probandum fuit. Sed
43 Bartol. cir. l. ff. ſi cert. pet. contendit, ſatis quoꝫ nonnunquam eſſe, ſi præſumptiuè ex præſumptione iuris certitudo rei probandæ ex depoſitione teſtium colligi poſsit, ut ſi ætas, aut paupertas probanda ſit, & teſtis dicat ſe hoc habere compertum, quia amicus, aut cognatus eius ſit, de cuius ætate dubitetur, præſumptio Iuris eſt, uicinis & cognatis talia conſtare, itaꝫ ualere tale teſtimonium. Quòd autem diximus de annotatione dictorum per teſtes ad reprobanda eorum teſtimonia, id fieri non poteſt, niſi publicentur teſtimonia.
44 Ergo nunc de publicatione teſtimoniorum dicemus. Poſtquam igitur teſtes producti fuerint examinati, nec reliqui ex illis ſunt examinandi, quos partes producere cupiant, ea pars, cuius maximè intereſt teſtimonia eſſe nota, petere poteſt à Iudice, ut ea publicentur. Id uerò ut ritè fiat, neceſſe eſt partes citari ad uidendum teſtimonia publicari, &c. Nam cùm talis publicatio poſsit fieri in alterius partis præiudicium, citatio partium non poteſt omitti à Iudice,

iux,

iuxta ea quę suprà de cita. diximus. Ita uerò fiet publicatio, si aut ipse Iudex, aut publicus Notarius prę sentibus partibus, aut per theses eorum prolixitate illis coràm exhibeat chartam, in qua ea descripta sunt, & clara uoce testetur, in ea contineri depositiones testium productorum fideliter annotatas, quas ista sua exhibitione publicatas uelit, postea Iudex partibus constituet terminum, intra quem accepturi sint exempla publicatorum testimoniorum, atq; etiam præcipiat, ut si de illis disputaturi sint, id intra illud aut illud spacium, quod ab eo indictum sit, faciant. Hęc forma publicandi testimonia magis usu fori quàm ordinatione ll. uiget.

Spacium disputationis in dicendum.

Iam aũt cũm fieri uix possit, ut partes perlectis testimonijs non inueniant 46
quod dictum nolint, aut quod non desiderent clarius dici, frequenter post publicationem testimoniorum partes contendunt alios producere testes, Is qui eos produxit, tales, qui reddant suam intentionem magis testatam. Is uerò contra quem producti sunt, tales, qui refellant ea, quæ ei non probè dicta uidentur, an igitur hoc illis liceat, quæritur. Et communis est sententia non licere, iux. §. quia uerò. Auth. de testibus. Sed iste §. cum hac limitatione accipiendus est, quòd ei, qui produxit testes, non liceat alios producere, postq; didicerit suorũ testium testimonia, non autem prohibere eum, contra quem illi producti sunt, quò minus alios producat, etiamsi didicerit testimonia, si conetur probare suã exceptionem, quę non directè cũ producentis petitione pugnet, iux. l. exceptionem. C. de prob. Deinde licet ei, qui produxit, testes alios publicatis testimonijs producere, si cupiat eos examinari de Articulis, qui neq; ui facti, neq; ui probationis cohæreant illis, de quibus producti testes sunt interrogati. Vt si probanda fuit præscriptio xxx. annorum, & is qui produxit te 46
stes, probauit se xxx. annorum spacio tenuisse fundum, de quo est contentio, & postea publicato testimonio ille uelit probare, bono etiam cum titulo se nactum esse possessionem eius fundi, admittitur, quia ad talem præscriptionem non requiritur titulus possessionis, nec in probatione eiusdem ostendere eam bono titulo cœpisse necesse est. Secus si probanda fuit præscriptio decem annorum. Nam in eius probatione non sufficit probasse tanto temporis curriculo nos tenuisse fundum, nisi simul quoq; ostendatur, nos bono cum titulo nactos esse eius fundi possessionem. Itaq; altero ex illis solũm probato, denuo quis non admittitur ad alterum probandum, cũm utrunq; simul probari oportuit ratione facti & probationis, iux. Ang. cir. §. quia uerò. Authen. de testibus. Et sunt alij casus multi, quibus hoc fieri permittitur, sed longũ esset illos recensere. Inueniet autem quisq; eos annotatos, si illos requirat, apud Spec. in titul. de teste. §. satis utiliter, & in Comment. Mariani Socini cir. c. fraternitatis. Ex. de testibus. Ad illam autem partem limitationis, qua permissum esse diximus illi, cõtra quem producti sunt testes, ut post publicationẽ testimoniorũ producat alios testes, hoc addendũ est, quòd si eos producat ad reprobãdos testes productos, aut eorũ testimonia, id ei nõ nisi semel aduersus illos licet pro 47
ducere reprobatorios testes, iuxt. c. licet dilectus. & ibi notata. Ex. de testib.

Titulus possessionis.

Præscriptio x. annorum.

Præterea quamuis partibus non indiscriminatim permittatur, ut post pu- 48
blicationem testimoniorum denuo alios testes producant, tamen Iudex ratione sui officij non solũm post publicationem testimoniorum, sed & postquam in causa concluſum est, repetere testes examinatos potest, atq; illos denuo interrogare de re, quam sua depositione non satis declarasse uidentur, si eius notitia necessaria, aut utilis appareat ad causę cognitionem. l. ubicunq;. ff. de inter. in Iure fac. Ac siquidem Iudex nõ admonitus id non faciat, possunt etiam partes petere à Iudice, ut id fiat, præsertim si non fuerint ritè producti, recepti, aut examinati, aut eorum depositiones, tam sunt obscuræ, ambiguæ, confusæ, ut inde colligi perspicua ueritas non possit, iux. Panor. c. ex tenore. & glos. c. cum clamor. Ex. de testibus. Quidam circa probationem testium etiam 49
quærunt,

quærunt, an testi habenda sit fides in alijs articulis probationis, si post publicationem testimoniorum conuincatur, quòd corruptus in uno articulo falsum dixerit, & est communis opinio dd. illi non esse fidem habendam, in ullo articulo, eumq; posse puniri ut falsarium, aut parte id petente, aut solo impulsu Iudicis ratione officij, iuxta Alex. de Imola. in quarto consil. tertij Vol. & Bart. cit. l. nullum. C. de Iudicijs. Solet etiam in hac forma probationum tradi, quomodo per testes probetur dominium, continuata possessio, communis usus loquendi, affinitas, cognatio, mora, furor, & id genus alia. Verùm id uelle ostendere, esset tradere rationem concipiendorum articulorum singulis speciebus facti, siue casibus, de quibus existere dubitatio in Iudicio potest, quod non est nostri instituti. Quare titulos huc peculiariter pertinentes annotabimus, & iam ad alios probationum inartificialium locos progrediemur.

In ff. Cod. Auth. Decret. Sex. & Cle.
De Testibus.

DE TABVLIS.

Cap. XXIIII.

SVMMARIVM.

1. Tabulæ quæ dicantur.
2. Multiplex indistinctum parit confusionem.
3. Instrumentum quid significet, idq; diuiditur in publicum & priuatum.
4. Notarij persona non requiritur, sed publica autoritas.
5. Priuatum instrumentum quod dicatur.
6. Publicum instrumentum quid probet.
7. Instrumentum ut habeatur authenticum quæ requirantur.
8. Protocollum idem quod prima rerum collectio.
9. Instrumento deperdito an possit per Notarium aliud confici.
10. Protocollo an habenda fit fides.
11. Acta iudicialia uim publicorum instrumentorum in probando habere.
12. ἰδιόχειρα, & συγγραφαὶ quæ dicantur.
13. Rationes mercatorum quid probent.
14. Epistolæ quam fidem habeant.
15. Scribentis animus ex uerbis perspicuè percipiendus.
16. Quando in iudicijs instrumenta sint proferenda.
17. Pugnantia instrumenta inuicem seselabefactare.
18. Tempus factæ æditionis diligenter annotandum.
19. Archetypus instrumenti ædenti reddatur.
20. Communia instrumenta quæ dicantur.
21. Instrumenta propria nemo ędere cogitur.
22. De Instrumentorum reprobatione.
23. Quot testes requirantur ad reprobandum instrumentum.
24. Quomodo arguitur esse uitiosum.
25. Ad comparationis remedium quando currendum.
26. Exceptio simulationis in reprobandis instrumentis quando locum habeat.
27. Plus ualet quod agitur, quàm quod simulatè concipitur.
28. Donatio inter uirum & uxorem legibus prohibita.
29. Nouatio contractus quando fit.
30. Vera & iusta causa obligationis quando interuenit, fit contractus, seu nouatio contractus.

GENERALI uocabulo omnes literę, cuiuscunq; rei gratia cõscriptæ sunt, dicuntur tabulæ, propterea quòd ueteres ante inuentam papyrum, cereis tabulis usi sunt, sed his aliud uocabulum magis commune, & nunc in frequentiore usu fori est, nimirum

Instrumentum. Nam instrumentorũ nomine ea omnia accipiuntur, quibus causa instrui potest. Cũm autem omne multiplex indistinctum, pariat confusionẽ, iuxta Aristotelem, Ideo hoc caput probationũ inscripsimus de tabulis, & non de instrumentis, (sicut alias ferè fieri solet) ut admonerentur studiosi in probationibus peculiarem esse locum Instrumentorum, quo pro solis literis accipiantur Instrumenta. Hac igitur significatione Instrumentum significat scripturam, quæ in charta, aut membrana facta est, rei inter homines gestæ testimonij, aut memoriæ causa. Talium uerò Instrumentorum aliud dicitur Publicum, aliud Priuatũ. Publicum dicitur, cuius ea est autoritas, ut propter modum, quo secundum leges, aut consuetudinem factum est, publicam, adeoq; omnium fidem mereatur, tanquam id quod ritè & legitimè factum est, ut sunt tabulæ Testamentorum, Donationum, Mandatorum. Item acta Iudicialia, quæ corã Iudice descripta sunt. Non enim requiritur Notarij manus ad hoc, ut tabulæ & scripta pro publicis instrumentis habeantur. Neq; enim Notarij persona, sed publica autoritas, quæ in conficiendo aliquo scripto, uel suffragatione legis, uel cõsuetudinis, uel Iudicis præsidentis iudicijs ei accedit, publicum instrumentum facit. arg. l. ne arbitris. C. de recept. arbit. & c. cũm dilectus. Ex. de fide Instru. Econtra Priuatum dicitur Instrumentum, quod sola scribentium aut contrahentium autoritate subsistit sine præfatione modi, à ll. consuetudine, uel Iudice facta, ut sunt Chirographa debitorum, Apochæ creditorum, Codices rationum, Epistolæ. Proinde nec paruis est horum instrumentorum, in probando. Nam publicum Instrumentũ plenam adfert rei fidem, sine adminiculo alterius probationis. Etsi enim testes & tabellarius, qui in eo conficiendo sunt adhibiti, non sint ad manum, ut sua depositione contestarentur rem ita actam esse, sicut instrumentum testatur, tamen quia leges, aut consuetudo, aut Iudex, modum, quo illud confectum est, approbant, ualet eius autoritas, c. ij. Ex. de fide Instru. & gloss. l. ij. cir. prin. ff. quemad. testa. ap.

Instrumentũ

Publ. instru.

Priuatum instrumentum.

Priuatum uerò Instrumentum absq; adminiculo aliarum probationũ non habet uim probationis admodum magnam, nisi aduersus eum, à quo illud scriptũ est. Aut. de Instru. cautela. ℣ sed & si quis. & l. generaliter. C. de non num. pec. Verũm, ut quis certò statuere possit, quando instrumentum publicum, plenam habeat autoritatem faciendæ fidei, uel non, distinguendum est inter instrumenta, quæ publicẽ conficiuntur. Etenim aliud illorum fit obseruata omni solennitate, quæ in conficiendo publico instrumento requiritur, & ob id ad differentiam aliorum dicitur Authenticum, & de eo solo accipiendum est, quod iam diximus de publici instrumenti probatione. l. quicunq;. ff. de fide instru. Vt autem Instrumentum habeatur authenticum, necesse est in eius initio, inuocari nomen domini, annotari annum incarnationis Christi, Indictionem Romanam, Diem Mensis, quo gesta est res, Nomen Imperatoris, uel regnantis extra Imperium, Locum, Nomina testium adhibitorũ, Nomen Tabellarij describentis Instrumentum, Auth. ut præponatur nomen Imperatoris, & l. contractus. C. de fide Instru. Item signũ Tabellarij, ut si opus sit fieri collationem scriptorum instrumenti, fides ex signo Tabellarij tantò melius colligi possit. Aut. de fide Instrum. ℣ oportet aũt, & l. fin. C. de assess.

Priuati instrumenti autoritas.

Quidam ita obseruant hanc formam publicandi Instrumenti, ut initio post inuocationem nominis domini ponant, quæ ad temporis descriptionem faciunt, ut sunt anni domini, Indictio, & dies, quo res gesta est, nomen regnantis in prouincia, ubi conscribitur Instrumentum, sed locum, in quo est res gesta, nomina testium, & nomen atq; signum Tabellarij, in fine instrumenti ponunt. Atq; talis ratio conscribendorum Instrumentorũ publicorum ab omnibus ferè ita obseruatur, & publicatio Instrumenti dicitur, quæ fit per Notarium publicum. Imprimis uerò requiri quidam contendunt, quòd Tabellarius

rius palàm sit rogatus à partibus, quarum gratia instrumentũ conscribitur, ut illud conficeret, & ex illorũ uoluntate atq; mandato se illud fecisse, testari in instrumento possit, deinde requiritur, ut ipse tabellarius, qui ita rogatus est à partibus, instrumentum sua manu conscribat. Nam hoc munus alteri delegare prohibetur. Auth. de tabell. in prin. Vt enim instrumentum habeatur Authenticum, necesse est his per publicam personam, quæ rei gestæ interfuerit, atq; ita geri uiderit & audiuerit, conscriptum esse. Ac statim quidem in ipso negotio, tabellarius debet obiter annotare rei gestæ seriem, tempus & locum, & cætera quæ annotanda in concipiendo publico instrumento iam diximus, ut ex illis notis tanquam breuiario postea instrumentum ritè confi-
8 cere possit. Subitanea autem illa annotatio rei gestæ græco uocabulo dicitur Protocollum, quasi prima rerum collectio, gloss. ℌ illud quoq; cir. uerb. protocollum. Auth. de Tabell. Numerus autem testium adhibendorũ in publicatione instrumenti, non est perpetuus, sed pro diuersitate negotiorum, aliàs plures, aliàs pauciores requiruntur quàm tres. Itaq; ex ll. constitutionibus petendum est, quot testes ad cuiusq; negotij contestationem requirantur. Hoc igitur maximè modo instrumentum fit publicum & authenticum. Potest autem Tabellarius instrumenti authentici exempla multa describere sua autoritate. arg. l. unum Testamentum. ff. de testam. Modò ea alijs non exhibeat, quàm illis quorum interest. Nam illis exigentibus ædi instrumentorum exempla necesse est. arg. l. Prætor ait. ℌ i. ff. de Eden. Deinde licet illi transcribere instrumenta, nisi metus sit, datum exemplum alijs pariturum
9 aliquod præiudicium. Nam si quis amisso instrumento, petat nouum sibi confici, & Tabellarius sua autoritate ei aliud præbeat, ei non habetur fides, propter suspicionem doli, qui subesse possit, nimirum quòd fingat casu illud esse deperditum, cũm quærat occasionem petendi debiti, quod iam dudum ei solutum sit, in cuius testimonium instrumentum, in quo continebatur obligatio eius debiti, lacerarit. Ad præcauendum igitur talia aucupia improborum, Reg. est, non esse adhibendam fidem exemplo, siue, ut nunc uocant, transumpto, quod per alium Tabellarium, quàm à quo instrumentum authenticum conscriptum est, sit transcriptum, quia talis Tabellarius non interfuerit rei gestæ, nec præsentibus partibus rogatus sit, iuxta Lanfrancum, cir. c. quoniam. Ex. de probat. Si uerò casus ita tulerit, ut propter amissionem instrumenti aliud petatur, tum debere peti à Iudice, ut pars contra quam fiat instrumentum, citetur, ac deinceps amissione instrumenti probata tribus Notarijs adhibitis Iudex sua autoritate pronunciet, exemplo per eos descripto plenam habendam esse fidem, iuxta glos. fin. c. cum olim. Ex. de priuilegijs, & dd. cir. l. quicunq;. ff. de fide Instrumen. cir. Authent. si quis in aliquo. C. de Edendo. Et isti publicato exemplo habetur fides, tanquam instrumen-
10 to Authentico: citra eam autem publicationem minimè. Protocollo autem non habetur fides, nisi omnia in eo describendo per Notariũ obseruata sint, quæ ad solennitatem publici instrumenti requiruntur, aut inueniatur in libro Actorum Notarij iusta obseruatione publici instrumenti deductum & explicatũ, iux. Albericum, cir. l. cõtractus. C. de fid. Instrum. & Bal. cir. Rub.
11 eiusdem tit. Porrò uim publicorum instrumentorũ in probando habent etiam ea, quæ apud Iudicem inter Acta iudicialia per scribam publicum relata sunt, iuxta l. gesta. C. de re iud. & ibi gloss. & dd. Et ob id talia Acta uocantur instrumenta forensia, iux. gloss. l. comparationes, cir. uerbum ex forensib. C. de fid. instru. Priuatum autem scriptum regulariter non habet uim plenè probandi, sed sine adminiculo aliarum probationũ tantũm generat præsumptionem. l. instrumenta. C. de probat. nisi quis eo usus sit contra alium, uel alioqui illud agnouit. Nam tum contra illum, qui istud scripsit, ei fides habetur.

Contra alium autem ei non creditur, nisi is, contra quẽ illud producitur, illud aliquãdo probauerit. l. publica. in fi. ff. depositi. Extra hos casus nec cõtra exhibentem, nec pro eo creditur priuato instrumento, nisi adhibiti fuerint tres testes, cũm illud cõscriberetur, ut uiuo illorum testimonio res gesta cõfirmari possit, iux. §. si quis igitur. Auth. de instru. caut. & Auth. si quis. C. qui pot. in pig. hab. Item nisi authentico sigillo signatum fuerit, iux. c. ij. & ibi. glo. Ex. de fid. instru. Nam ut literis priuatorũ plena habeatur fides, necesse est eas, aut testium asseueratione, aut publica autoritate firmatas esse. Proinde neq; ea solũm instrumenta dicũtur priuata, quę manu contrahentis, sed & quæ alterius cuiuscunq; etiã Notarij manu scripta sunt, si in illis non est obseruata forma, qua publicari instrumenta indicauimus. Ideoq; etiam sic distinguuntur 12
instrumenta contractuum, quòd quędam dicuntur ἰδιόχειρα, uidelicet, propria manu contrahentium scripta. l. qui scripturas. C. Qui pot. in pig. hab. Quędã uerò συγγραφὰι, quasi cõsensu contrahentium à quocunq; cõscripta. Sicut autem in genere sola priuata instrumenta non probant contra alios, sed contra ipsorum autores, ea agnoscentes, ita nec rationes, iux. l. quędam. §. nummula 13
rios. & ibi glo. ff. de edendo, & l. rationes. C. de probat. nisi tale quid in rationes relatum sit, quod in eius arbitrio, cõtra quem adducitur, penitus situ fuit, ut in eo describeretur, aut non. arg. l. Nesennius. in fin. ff. negot. gest. Consuetudo tamen in probatione rationum sæpẽ aliud ius inducit in urbibus, ubi uigent negotia mercatorum. Epistolę uerò plenã habent fidem, cũm ab eo sunt 14
scriptæ, quem ex illis obligatum contendimus, & tale est negotium, ut de eo inter absentes cõtrahi possit, arg. l. Lucius Titius Sempronio. ff. depositi. Si uerò non contrahentis, sed alterius manu conscriptę sunt, tum non probant, nisi eius sigillo obsignatæ fuerint, iux. Bart. cir. l. admonendi. ff. de iureiur. Itẽ 15
requiritur etiam ad hoc, ut literæ obligent, ut ex uerbis earum perspicuè, & non ambiguè percipiatur scribentis animus. Nam secus scriptæ, nullam pariunt obligationem, arg. l. si non remunerandi. §. cum quidam. ff. Mandati.

Postquam autem ostendimus, quæ instrumenta in probando fidem habe- 16
ant, quæ non, dicendum nunc est, quando liceat ea in Iudicijs proferre, & est tex. quòd liberum id nobis sit, donec in causa sit conclusum. c. cũm dilectus. Ex. de fid. instru. Ante tamen litis contestationem frustra æduntur instrumẽta, nisi id narratio libelli requirat, propterea, quòd in ea facta est relatio ad instrumentum. Etenim ne libellus maneat incertus, exhibendum est instrumẽtum, in quo contineri illud, quod narratum est in libello, professum est his uerbis, pro ut continetur in instrumento, iux. Alex. de Imo. consil. 30. 2. uolum. An autẽ ea quoq; possint produci, postquãm effluxerit terminus, qui ad producendum ea constitutus est à Iudice, quæri solet: & communis est opinio, quòd integra re aduersarij possint produci, secus si eius conditio cœperit esse deterior, ut si testes, quibus potuerit reprobari instrumentum, intra terminũ producendi mortui sunt. arg. l. mancipiorum. ff. de opt. leg. & Cynus cir. l. si ea. C. qui accus. non possunt. In ipsa uerò exhibitione instrumentorũ refert, an ea Iudici uel parti exhibeantur. Nam si cui constitutus est terminus ã Iudice ad producenda sua instrumenta, is nulla tergiuersatione potest uti, quin ea exhiberi illi cogatur, neq; aliud in ea æditione periculum magis est cauẽdum, quàm ne ædat instrumenta, quæ contra ipsum faciant, aut inter se pugnent. Pugnantia enim instrumenta inuicem sese labefactant. l. scripturę. C. 17
de fid. instrum. Et ex. eo. c. imputari. Itaque permissum est producenti, ut si Instrumenta multa habeant capita rerum, id solũm ædat, quod ad causam suam faciat. c. contingit. Ex. de fid. Instru. Quicquid autem quis ædit, prospici- 18
endum est, ut tempus factæ æditionis diligenter annotetur, & ut descripto 19
Instrumento Archetypus ei reddatur, hæc enim diligentia pertinet ad cauẽdas calumnias aduersarij, ne contendere possit instrumenta non esse, aut de-

prauatẽ

prauatè esse ædita, iuxta Specu. de Instru. ædit. §. uidendum restat. Parti autem ita saltem exhibenda sunt Instrumenta, ut Iudex, aut is, cui Iudex hoc cõmiserit, ea legat, præsente parte, & exemplum Archetypi ei præbeat descriptum â publico scriba, non autem ei copiam Archetypi describẽdi faciat. Ac producens Instrumenta reluctari non potest, ut Iudex id non faciat. Omniũ enim Instrumentorum, quibus quis pro se in Iudicio utitur, eorum copiam facere aduersario tenetur. l. i. §. ædenda. ff. de Eden. & C. eod. l. is apud quem. Si uerò quis apud se habeat instrumenta, quibus in eo Iudicio usurus nõ sit,
20 ea non cogitur ædere, nisi sint communia. Dicuntur autem communia, quæ communis cautionis causa inter plures facta sunt, sicut sunt omnia acta Iudicialia. Item rationes negotiatorum, Argentariorum, Instrumenta Testamentorum, donationum, mandatorum. Hinc est quòd Instrumenta uarijs Actio-
21 nibus ædi petuntur, iux. gl. c. perpetuus. Ex. de fid. Instru. Si uerõ quis apud se habeat Instrumenta propria, quorum cautio non pertinet ad aduersarium, sed ipse ea petit, ut eorum testimonio suam intentionem probare possit contestatione facti, quod in illis continetur, ea ut edat quis non potest cogi, iuxt. c. i. Ex. de probat. Litigaturi enim suis debent niti probationibus, non eas emendicare aliundè, quarum subsidium ex nulla obligatione eis debetur. Doctores tamen cir. l. fin. C. de ædendo, & specialiter Bart. cir. l. i. §. æditiones. ff. de æden. contendunt, quòd licet Reus nõ possit cogi ad ædenda sua propria Instrumenta, ut Actor illis suam probet intentionem, hoc est, ipsam causam, tamen cogi posse ad ædenda ea ad probãdam suam replicationem. Et eodem modo regulariter Actorem non posse compelli, ut propria sua Instrumenta ædat Reo, ad probandam suam defensionem: sed si fieri id cupiat, ad probandam suam exceptionem posse cogi.

22 Cæterũm, æditis instrumentis uidendum est, quibus modis, & quibus ex causis ea reprobari possint. Et possunt quidem Instrumenta reprobari omnibus illis modis, quibus aliæ species facti probantur & improbantur, sed sicut in reliquis, ita & in reprobandis Instrumentis præcipua uis est testium. Nam in exercendis litibus eandem uim obtinent in probando testes & Instrumenta. l. in exercendis. C. de fid. instru. Itaq; non est dubiũ Instrumenta posse reprobari per testes, sed quot testes ad reprobationem instrumenti requirãtur, in
23 quæstionem uenit. Cũm autem non sit eadem uis probandi in Instrumento priuato, quæ est in publico, facilè quisq; animo cõsequi poterit, pauciores testes requiri ad reprobandum priuatum, quàm ad publicum Instrumentum. Itaq; glo. pen. l. penul. C. de contra. & commit. stip. contendit duos testes sufficere ad reprobandum Instrumẽtum priuatum. Quod uerum esse puto, cùm illud nullo authentico testimonio inautoratum est. Nam ubi ad id accesserint tres testes, aut ei appensum est sigillum authenticum, plenam meretur fidem, sicut publicum, quia cõstitutiones publicæ præcipiunt illi fidem habendã esse. §. si quis igitur. Auth. de Instru. caut. &c. & Ex. eo. c. ij. Reprobari autem publicum Instrumentum non paucioribus testibus quàm quatuor uult gl. c. cum Ioannes. cir. uerb. quodlibet. Ex. de fid. Instru. & Panor. copiosissimè ac lucidissimè inter omnes dd. de reprob. Instr. ibi disputat. Itaq; ego discentes ad eius commentarios remittendos esse existimo, neq; hic aliud addo, quàm quòd uerum sit, testib. reprobari instrumenta, exceptis illis casib. in quibus absq; scriptura non contrahitur, quos commemorat glo. c. i. Ex. de censib. in sexto. cir. uerb. in script. Nam in illis casib. scriptum præfertur uiuo testimonio testium, nisi uitium scripti ratione Iuris in eo non obseruati, aut euentus facti eius autoritati derogantis allegari possit. Etenim hæ sunt causę, propter quas instrumenta amittunt fidem, aut ut minimùm suspecta redduntur. Ratione autem iuris non obseruati reprobatur instrumentum, cũm dicitur illud nõ esse factum ab eo, qui potuerit, nec de re, qua licuerit, nec ijs ritibus, quib.

Panormitanus.

oportuerit, quę uerò illa sint, de confectione Instrumenti, ostendimus suprà. Et singularum dispositionum, quæ fiunt ratione contractuum, aut ultimarum uoluntatum, sua quędam est obseruatio, quæ ex illis tractatibus petenda est, ubi peculiariter de illis egimus, iux. rerum iuris diuersitatem. Ratione autem 24
euentus arguitur instrumentum uitiosum, si aliqua litura in loco Instrumenti suspecto indicari possit. Calumniosam enim scripturam non oportet habere uim probandi in iudicijs. l. ij. de Instru. fid. Item si Instrumentum est incisum. l. i. §. pe. C. si tab. testib. ff. Item si quid in eo est alieno Chirographo adiectum. l. Paulus. ff. ad l. Cor. de fal. Verùm quando Instrumenta reprehendũtur tanquam adulterina, propter Chirographum, & tabellarius, à quo illa descripta sunt, non esset superstes, nec in eo subscripti testes, tum decurritur ad subsidium comparationis, ut ex ea colligi possint, an sint Autographa eius, à quo confecta esse dicuntur: an uerò sint supposititia, & aliena manu imitata. Quia uerò facilis est imitatio alieni Chirographi, cautũ est l. comparationes. C. de fid. Instru. ut Instrumentorum comparatio non fiat, nisi inter ea, quæ legitimo modo inautorata sunt, iuxta diuersitatem formarum, & modorũ, quib. quæcę Instrumenta inautorari suprà indicauimus. Et subest ratio, quæ hoc, quod lege constitutum est, fieri exigat. Nam quod ad ea Instrumenta attinet, quæ in Iudicium non comparationis, sed probationis causa producta sunt, si carent autoritate, propter aliquod aliud uitium, quàm quia uidentur non esse ea manu scripta, quam præ se ferant, non opus est ad extremum hoc comparationis præsidium probandarum & reprobandarum literarum cõfugere, cũm alioqui propter alia sua uitia non ualeant. Deinde, quod ad ea Instrumẽta at- 25
tinet, quæ comparationis solũm faciendę causa producuntur, si quodlibet Instrumentum admitteretur, quod referret manũ eius, à quo negaretur alterum esse scriptum, nulla certitudo futura esset comparationis, cũm de Instrumento non inautorato semper possit esse suspicio, quòd sit suppositititium, qua suspicione, ut minimũm saltem Iudex, cui fit probatio, liberatur, cũm eius Instrumenti comparationem admittit, quod ei recipere, ut sufficiens ad probãdum, publica autoritate licet. Prudenter igitur constitutum est, ut ad comparationem de characterib. literarum in instrumentis faciendam non admittantur, nisi legitimis modis inautorata instrumẽta. iux. Cy. cir. l. comparationes. C. de fid. Instr. Sed hæc obseruatio Iuris locum habet solũm in ijs Instrumentis, quorum autoramentum publico Iure proditum est, nõ quæ fiunt mero arbitrio scribentium & contrahentium, ut sunt rationes & Epistolæ negotiantium. Nam ad ostendendum adulterinum Chirographum in talibus scriptis, cuiuslibet scripti comparatio admittitur, quia nulla certa obseruatione illa fieri à ll. præcipitur. Proinde comparatio scriptorum, quæ fiunt absq; constituta obseruatione Iuris, plenam illis affert fidem in ijs casibus, quibus alioqui habentuim probandi, ut contra autorem eorum. Quæ uerò fiunt constituta obseruatione Iuris, illis comparatio non adfert, nisi semiplenam fidem, iux. Bart. cir. l. nuda ratio. ff. de donat.

Postremò, neq; hoc prætereundum est, quòd in reprobandis instrumentis 26
etiam locum habeat exceptio simulationis. Nam cũm quid cautũ est, ob causam non ueram, uel iniustam, & ne talis peruersitas reprehendi possit, prętextu alterius cõtractus alia cautio literis cõcepta est, quàm re uera oportuit, ea nõ meretur fidẽ ad probandum producta, sed tanquam in fraudem legum facta reijcitur, iux. tot. tit. C. plus ual. quod agitur, quàm quod simul concip. & 27
Bart. cir. l. si ex precio. C. si cert. pet. Vt si maritus, cũm sciret legibus prohibitam esse donationem inter uirum & uxorem, commentus sit, se id uendidisse uxori, quod ei donauit, neq; contractus, neq; instrumentum de eo factum ualent, quia in fraudem legum facta sunt, & aliud simulatum est, quàm re uera actum fuit. l. sponsus. §. circa. ff. de donat. inter uir. & uxor. Secus iudicãdum 29
est,

est,cũm nouandi animo contractus, qui re uera interuenit,in alium contractum transfunditur,ut si quis me roget,ut dem ei mutuo centum , & cũm in promptu non habeam pecuniam,cupiens tamen ei ea in re gratificari , mandem meo debitori,ut ei centum meo nomine numeret,quo casu,si in Syngrapha scriptum sit,me ei mutuo dedisse centum, non potest quis eam reprobare tanquam simulatè conceptam.Quamuis enim iuxta naturam mutui, ex meo nihil factum sit illius,tamen quia interuenit uera & iusta causa obligationis, licuit nobis mutuo consensu istam obligationem in alium contractum transferre,iuxta l. singularia. ff. de rebus creditis & depositi. l.Lucius Titius,ibidemq; Bart.

ff.

De fide Instrumentorum,& amissione eorum.

Cod.

De fide Instrumentorum,& amissione eorum,& apochis,& antapochis faciendis,& de his quæ sine script.fieri possent.

Plus ualere quod agitur,quàm quod simulatè concipitur.

Auth.

De Instrumentorum cautela,&c.

Vt præponatur nomen Imperatoris &c.

De tabell.& ut Protocolla demittant in chartis.

Decretal.

De fide Instrumentum.

DE PRAESVMPTIONIBVS.

Caput XXV.

SVMMARIVM.

1. Probationes à præsumptionibus quomodo differant.
2. Præsumptio quid sit,& est triplex,temeraria,probabilis,aperta.
3. Indicijs inhærere & inniti.
4. Atalantam non esse uirginem,uerisimile est.
5. Violenta,& necessaria præsumptio quæ dicatur.
6. De Signis,Rhetores probabilia εἰκότα, necessaria τεκμήρια uocant.
7. Præsumptionum duas esse species.
8. Vxor præsumitur quæsita habere à marito.
9. Periurus semper periuraturus.
10. Præsumptiones in factis gigni ex uarijs causis.
11. Mentis quisq; compos iudicatur,nisi contrarium probetur.

1 ALTERVM genus probationum esse in præsumptionibus,indicat tit.ff.cũm eas tanquam separatum quoddam genus probandi adiungit his uerbis,de probationibus & præsumptionibus. Ea uerò est inter has diuersitas, quòd Probationes dicuntur , quæ plenam rebus adferunt fidem, præsumptiones uerò,quæ saltem

2 coniecturam rerum gestarum faciunt. Est enim præsumptio rei gestæ ex uarijs circumstantijs collecta coniectura. Et ea est aut temeraria, aut probabilis, aut aperta. Temeraria est,quæ ex mera suspicione proficiscitur, & nulli uestigio rei gestæ incumbit,ut si quis contendat quempiam aliquid moliri contra principem suum,quia sit paulò popularior,& talis præsumptio nullam gignit probationem sufficientem,iuxta c.iij.quæst.i.& c.oues.vi.q.i. Probabi-

3 lis,quæ cũm inhæreat rei gestæ indicijs,per se tamen solam dubitationẽ non tollit,sed solũm credulitatem quandam hominum mentibus inducit, ut , credibile est,Atalantam non esse uirginem,quia cum iuuenibus per syluas sola uagetur.non tamen inde hoc constitui ita potest , quin contrarium probari possit: talis uerò præsumptio adiuta testimonio unius testis,uel aliqua alia semiplena probatione,plenam facit fidem.c.illud.Ex.de præsumpt.

Præsumptio temeraria.

Probabilis.

Aperta. Aperta dicitur, quæ talibus indicijs innititur, ut id quod esse contenditur, necessariò inde sequatur, ut si quis ita probet fornicationem uxoris suæ, quia cùm per annum apud eam non fuerit, rediens inuenerit eam uterum gerentẽ.

Violenta. Necessaria. Itaq; quidam dicunt hanc esse uiolentam præsumptionem & necessariam, & secundum eam posse pronunciari, iux. gl. c. dixit dominus, xxxij. q. i. Idem genus probandi Rhetores tradere uidentur, ubi de lignis agunt. Nam & illorũ quædam dicunt esse probabilia, & ob id à Græcis uocari εἰκότα, alia uerò necessaria, & dici τεκμήρια. Neq; negari potest, idem ab ipsis agi omnibus illis præceptis, quibus docent, quomodo tractanda sit quæstio coniecturalis, sed iureconsulti aliud quiddam illis omnibus addunt. Nã cùm ipsi non hoc solùm spectent, quomodo dicentis ingenio & copia, rerum ueritas in causis declaretur, uerùm multò magis, quatenus ll. fieri præsumptiones permittãt, inprimis iubent in huiusmodi probationibus respici, an præsumptio de solo facto sit, an uerò etiam de Iure, & faciunt duas species præsumptionũ, quæ autoritate iuris fiunt. Alteram simpliciter dicunt esse Iuris præsumptionem, uidelicet, cùm Iura solùm præsumunt aliquid, sed illud non constituunt pro iure. Vt quicquid uxor quæsiuit, illud l. Quintus mutius. ff. de donat. int. uir. & ux. præsumit, eam habere à marito. Sed non præcipit, ut hoc pro necessario habeatur. Itaq; contra talem præsumptionem, licitũ est contrarium probare, etiamsi sit uiolenta, iux. gl. c. extraordin. xxxv. q. iij. Alteram uerò dicunt esse præsumptionem iuris, & de iure, quam uidelicet ll. faciunt, & pro iure habendã præcipiunt, ut periurum præsumunt iura semper periuraturum, & ob id eum, qui semel conuictus est periurij, nunquam admittendum esse ad dicendum testimonium statuunt. c. testimonium. Ex. de testib. Itaq; non conceditur, ut quis contra eam aliud probet. Neq; uerò dici satis potest, quàm uarijs ex causis gignantur in factis præsumptiones. Nam nulla est circumstantia loci, temporis, personæ, rei, quæ non aliquando præbeat nobis aliquid præsumendi occasionem, iux. c. in omnib. Dis. lxxxi. Est aũt hoc obseruandum circa præsumptiones, quòd eæ sæpe transferant onus probandi, nũc ab Actore in Reum, nunc à Reo in Actorem, ut si Actor dicat, quempiam esse sanæ mentis, & Reus illud neget, Reo incumbit probatio, quia iura præsumũt pro Actore, & quenq; mentis compotem iudicant, nisi contrarium probetur. l. nec codicillis. C. de Codicillis. Item si Actor petat debitum ex Chirographo, & Reus dicat Chirographum esse cancellatum, non Reus, sed Actor probare cogitur, debitum non esse solutum, quia l. si Chirographum. ff. de probat. præsumit debitum esse solutum debitoris Chirographo cancellato.

Præsumptio iuris.

Præsumpt. iuris, & de iure.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11

ff. De probat. & præsumptionibus.

In Decretal. De præsumptionibus.

DE EXPEDIENDIS LITIBVS per delationem iuramenti. Cap. XXVI.

SVMMARIVM.

1. Iuramentum controuersiæ finem esse.
2. Iuramenti definitio ac diuisio.
3. Quæ sit differentia iudicialis & extraiud. iuramenti.
4. Iuramentorum iudicialium duæ species.
5. Recusari Iuramentum quod possit.
6. A quibus Iuramentum in iudicio deferri non potest.
7. Iuramentum necessarium quatenus possit deferri.
8. Actore nil probante Reus absoluitur.
9. Innocentiæ Iuramentum fit purgatione Canonica.
10. Domi suæ iurare quibusdam personis conceditur.
11. Effectus Iuramenti præstiti multos esse.
12. Iuramentum à iudice delatum reuocari potest.
13. Voluntarium non reuocari.

14. Iura-

14. Iuramentum in litem.
15. Iuramentum probationis de facultatibus animam agentis.

1 NOTVM est, controuersiæ inter homines finem esse iuramentũ, ad confirmationem rei dubiæ adhibitum. Nam destituti alijs omnib. probationib. quib. ueritas rei gestę exquiritur, unum hoc reliquum nobis manet, ut Deum testem ueritatis indubitatissimum per assegerationem conscientiarum adhibeamus. Quãdo igitur iuramentum ob inopiam probationum exigitur, tunc ita de eo statuendum est, quòd sit religiosa quædam facti, de quo disceptetur, secundum animorum notitiam & conscientiam assegeratio. Itaq; quod causa probationis faciendæ præstatur, assertorium dicitur, ad differentiam promissorij iuramenti, quo fœdera & cautiones constituuntur, ac firmantur. Quia uerò pietas non patitur, ut extra iudicium minus magni fiat erga Deum religio, quàm in Iudicio, meritò & illud iuramentum custoditur, quod extra Iudicium quis alicui ad confirmationem rei inter ipsos dubiæ detulit. Vt si Titius neget se debere centum, quæ ab eo petit Sempronius, & ita Titius cum Sempronio conueniat, quòd si ausit iureiurando affirmare, ipsum ei centum debere, ea se daturum illi, & Sempronius iuret: ei Titius tenetur.

Iuramentum Assertoriũ. Promissoriũ.

2 Sed hæc est inter Iuramentum, quod extra Iudicium, & illud quod in iudicio à parte parti defertur, differentia, quòd extra iudicium prorsus libera uoluntate contendentium illud præstetur. l. iusiurandum. ff. de Iure. In Iudicio uerò cum hac necessitate præstatur, ut nisi pars, cui illud à parte delatũ est, pro cõfessa haberi uelit, necesse habeat illud, aut referre, aut prẽstare. l. manifestẽ. ff. de Iure. Proinde illud uoluntarium, hoc uerò Iudiciale dicitur. Nã ut illud prẽstetur usq; adeò situm est in uoluntate cõtendentis, ut nec referre illud cogatur, hoc uerò cũ necessitate sustinendi Iudicij semper præstatur, aut refer-

Iudiciale. Voluntariũ.

4 tur, iux. iam allegatas ll. Porrò eorum iuramentorũ, quę in Iudicio deferũtur, duę sunt species. Aliud enim à parte parti defertur, & refertur, aliud uerò à Iudice, & non à parte parti defertur, neq; referri potest, quia Iudex illud defert explorandæ ueritatis causa, cũm neutra pars ei suis probationibus satisfaciat, 5 ut procedere ad sententiam possit. Recusare tamẽ illud ex causa potest, quia cũm hoc iuramentum præstetur ueritatis dicendæ causa, si is, cui illud delatũ est, non satis certus sit, petere potest, dari spacium ad perquirendam ueritatem, priusquàm illud præstet. l. Iusiurãdum, & ad pecunias. ff. de Iureiur. Ac siquidem Iudex posthabita eius recusatione non audiat petentem dilationẽ, sed contra eum procedat ad ferendam sententiã, is potest ab ea appellare, iux. l. generaliter. ℣. ipse autem. C. de rebus creditis, & Iure.

Postq; autem ostendimus, quæ sit diuersitas inter iuramenta, quę probationis causa exiguntur, dicemus nunc, quando, à quibus, & quibus in causis, & quomodo quodq; horum iuramentorum exigi, & præstari possit, aut debeat. Et de uoluntario non est quòd laboremus, quia illud propter cõuentionis naturalem obligationem, & non ob aliquam iudiciorum obseruationem ualet. Neq; quicquam obstat, quò minus uel in principio, uel medio, uel paulò ante 6 sententiã definitiuam pars parti deferat iuramentum, modò persona deferens talis sit, ut iure queri nõ possit, se sua facilitate in deferendo iuramento deceptã esse, quales sunt minores xxv. annis, prodigi, et regulariter omnes illi, qui 7 alienare res suas nõ possunt. l. Iusiurandum. ℣. pupillus. ff. de Iure. Istud uerò iuramentum, quod à Iudice parti defertur, & necessarium dicitur, non solũm in qualibet parte litis, sed & in ipsa sententia deferri potest per clausulã conditionalem, uidelicet, Reũ absolui, nisi Actor iuret. l. cum Iudex. C. de sen. & inter. omniũ iud. Eatenus tamẽ liberum est iudici, hoc iuramentũ parti deferre, quatenus probationũ hinc inde ab Actore & Reo adductarum, ratio patí-

8 tur. Nã si Actor nihil probauerit, nõ potest Reo deferri à Iudice iuramentũ,

sed

sed necesse est eum absolui, etiamsi ille nihil præstiterit, propter quod absoluendus uideatur. l. qui accusare. C. de ædendo. Ab hac autem regula excipiuntur primò casus, in quibus ll. permittunt deferri iuramentum Reo, etiamsi nihil ab Actore probatum sit, qui annotantur à glos. l. ultim. cir. uerbum conscientia. C. de his, quia ad Eccles. confugiunt. Deinde casus, in quibus Reus aut solus, aut pariter cũm Actore oneratur probatione à legib. certa ex causa. Et illi extant in glo. c. ult. 6. q. 5. Postremò & illi, in quibus alioqui propter infamiam iniungitur à Canonibus iuramentum, ut suam innocentiam testatam faciat purgatione Canonica, iux. tot. Ex. de purg. Cano. Itidem fit, cũm partium probationes utrinq; sunt tam exiles, & infirmæ, ut Iudex non uideat, utri parti habenda sit fides. Nam & isto casu magis pro Reo quàm Actore iudicandum est, nec onerandus Reus, ut iureiurando conscientiam suam declaret, nisi causa, quam Actor fouet, sit fauorabilior causa Rei. Instit. de interdictis, §. commodum. & l. Arriauus. ff. de act. & oblig. Sed si Actor semiplenè probauerit, nimirum per instrumentum priuatum, uel collationem literarũ, uel per unum testem, & in alijs quibusdam casibus, tum Iudex potest Actori deferre iuramentum, maximè si sit bonæ opinionis, nec res de qua lis est, admodum magna sit. At si Actor sit suspectus, nec Reus in minore existimatione quàm Actor, nec causa sit magni momenti, Reo potius quàm Actori iuramentum à Iudice deferendum est, iuxta glos. penult. l. admonendi. ff. de Iur. & glos. ult. C. eo. cir. l. in bonæ fidei.

Cæterũm, quæcunque sit causa, de qua Iuramentum exigitur, non ualde refert, modò talis sit, propter quam conueniri aliquis in iudicio possit. l. 3. §. quacunq; ff. de Iure. Neque in deferendo aut referendo Iuramento ualde uariat obseruatio. Extra iudicium defertur & refertur mera uoluntate partium. In Iudicio uerò, si pars parti Iuramentum deferat, antequam de calumnia in uniuersam litem iuratum sit, potest is, cui defertur iuramentum, exigere à deferente, ut iuret, se illud non calumniosè petere. iux. Hostien. in summa, de Iureiur. In eo uerò, quod à Iudice defertur, quibusdam personis hunc honorem haberi uolunt leges, ut domi suæ aduersario, uel procuratore eius præsente illis iurare liceat. iuxta l. ad personas. ff. de Iure. 10

Quacunque autem forma Iuramentum delatum fuerit, ea nisi præstetur, non ualet. l. 3. §. fin. & l. sequent. ll. ff. de Iure. Et sublata omni superstitione hodie iuratur per inuocationem nominis diuini, cum relatione iuramenti ad Euangelia, siue in genere ad uerbum Dei. Sunt autem Iuramenti præstiti multi effectus, sed de eo tantùm hic dicendi est locus, quod delatum in iudicio à parte, uel à iudice, uicem suppleat plenæ probationis, iuxt. l. in bonæ fidei, C. de iureiur. Nonnunquam autem iuramentum prestitum reuocari potest, præcipuè illud, quod à iudice delatum est. Nam illud etiam postquam de causa pronunciatum est, reuocari potest, si inueniantur instrumenta, quæ testentur falsè iuratum esse. Illud autem quod à parte delatum est, post sententiam non reuocatur, licet ante sententiam nonnunquam possit, iuxta glos. ultim. l. admonendi. ff. de iureiur. Voluntarium uerò nullo casu reuocari potest, quia non errore, sed ultro de suo iure cessisse uidetur, qui illud aduersario detulit. Eius autem Iuramenti, quod à Iudice parti defertur, quasi species iuramenti in litem, nam et illud propter inopiam probationum parti defertur, cũm iudex æstimare damnũ, de quo quæritur, non possit, ut petens damnum illud sibi sarciri, iureiurando testetur, quanta pecunia carere malit, quàm acceptum damnum sustinere. Quia uerò huius iuramenti ratio plenissimè & perspicuè tradita peculiari titul. ll. discentes ad eũ remitto. Est & aliud iuramentum, quod uim probationis habet, uidelicet, quod præstitit animam agens de magnitudine suarum facultatum, cui acquiescere hæredes coguntur in accipienda legitima, non autem creditores, iuxta Auth. quod subijciam. 11 12 13 14 15

ff. &

ff. & Cod. in Decret. & Sex.

De Iureiurando.

ff. & Cod.

De in litem Iurando.

Auth.

De Iuramento à moriente præstito propter mensuram suæ substantiæ.

DE DISPVTATIONIBVS.

Caput XXVII.

SVMMARIVM.

1. Artificiales probationes uocari disputationes.
2. De coniecturis. Destituti legitimis documentis ad coniecturas confugimus.
3. Iureconsulti coniecturas non magnopere curant.
4. Iureconsultorum est docere, quæ probatio in quaq; re ad pronunciandum de ea pro sufficienti habenda sit aut non.
5. Gallus Iureconsul. quæstiones coniecturales ad Ciceronem deferre solebat.
6. Iureconsultos esse iuris sacerdotes, non dicendi artifices.
7. Perplexitas rerum sæpe exigit, ut adhibeantur coniecturæ.
8. Historia Baldi de furti olei accusato uicino innocente & absoluto.
9. Terracinenses adolescentes parricidij accusati & absoluti.
10. Multum refert in foro posse doctis coniecturis nebulas, quæ rebus offundun-
11. A signis duci probationes. (tur, depellere.
12. Coniecturas à rerum circumstantijs colligendas esse.
13. Argumenta ex forma iuris ducta magis probant.
14. Cum de facto constat, tum iuris ratio quærenda est.
15. Omnis ratio iuris ex communibus formis sumenda est.
16. Hypothesis cũ thesi, indiuiduũ cum genere, & casus cũ regula cõferenda sunt.
17. Ludouicus Imp. an potuerit conferre ducatum Mediolanensem Galeatio.
18. Sola electio facit Imperatorem, non etiam Papæ confirmatio.
19. Casus semper est ad communes rerum, & generum summas reuoluendus.
20. Quæstiones ab indiuidua facti specie, ad ipsorum genera transferendas esse.
21. Dialecticus sit, Iureconsultus.
22. De ratione inueniendorum argumentorum in iure, paucis non potest commodè tractari.
23. Ad generales iuris formas tanquam locos communes, & capita rerum, confugiendum esse.
24. Casus omissus manet in dispositione iuris communis.
25. Quod non expressum est à testatore, iudicetur secundum ius commune.
26. Relatio & accommodatio casuum ad generales formas iuris collatione dialectica facienda est.
27. Formæ iuris publicarum legum autoritate consistunt.
28. Sophistæ cur dicti, & de Sophistica arte.
29. Fraudem legi facere qui dicantur.
30. Scriptum legis τὸ ῥητὸν, Sententia legis διάνοια uocatur.
31. De contrarijs legibus.
32. An in solutis matrimonio committatur adulterium.
33. Dictum Christi, quòd adulterium committat, qui dimissam ducit, quomodo accipiendum.
34. Distingue tempora & concordabit scriptura.
35. Mater cum defuncti filij sororibus in uirilem portionem succedit.
36. Correctiones legum in glosis obseruandæ.
37. Fallaciarum genera, quæ in dialectica traduntur, Iureconsulto tenenda esse.
38. Omnem uitiosam argumentationem in forma esse, aut in materia.
39. Principem solutum esse legibus, quomodo intelligendum sit.
40. Transactiones metu factas non seruandas esse, quomodo accipiendum.
41. Vitium argumenti dupliciter discernendum.

42. Igno-

42. Ignotis terminis, ignorantur propositiones.
43. Rerum cognitio Methodicè cognita habenda.
44. Ad obseruationem sermonis prodest, bonum esse Grammaticum.
45. Loci personarum à Rhetoribus petendi.
46. Non exemplis, sed legibus iudicandum, quomodo accipiendum sit.
47. Pythagorici reprehenduntur à Cicerone propter αὐτὸς ἔφα.
48. Sermo illustris & perspicuus maximam meretur apud omnes laudem.
49. Studium dicendi, explicandarum causarum gratia proditum esse.

VSVS obtinuit, ut probationes, quæ in scholis Rhetorum dicuntur artificiales, in foro nunc uocentur disputationes. Et est sanè appellatio rebus ipsis satis conueniens. Neq; enim aliud sunt probationes artificiales, quàm quædam disputationes, quæ ingenio dicentis circa causas mouentur. Quamuis autem hæ fiant potissimùm Iuris in facto ostendendi causa, adeò, ut quidam has ad solam probationem Iuris referant, tamen ut discentes habeant pleniorem probationum artificialium cognitionem, non dubitarim affirmare, nonnunquam etiam disputationes de facto in foro incidere. Nimirũ cùm destituti legitimis documentis ad coniecturas confugimus, & obscuritatem facti collectione iudiciorum illustrare conamur. Cuius rei luculentissima exempla sunt in Orationibus Ciceronis pro Roscio, & pro Milone. Quia uerò coniecturarum collectio per se solam non parit aliquam probationem, quæ sufficiat ad iudicandum, sed ad persuasionem facti tantùm ualet, Iureconsulti nunquam hanc magnopere curauerunt, quasi ad ipsorum contentiones non pertineat. Nam ipsi hoc solùm ad ipsorum professionem pertinere existimant, ut doceant, quæ probatio in quaq; re ad pronunciandum de ea pro sufficienti habenda sit, aut non. Quomodo autem ingenio et copia dicentis, facti obscuritas illustranda sit, ut ex eo appareat hominum peruersitas, aut innocentia, ad Rhetorem pertinere iudicant. Inde est quòd Gallus Iureconsultus dixisse fertur, quoties ad eum deferebatur quæstio, cuius facti species doceri Testibus, Tabulis, aut alijs legitimis probationibus non posset, ad Ciceronẽ magis eam, quàm ad Gallum pertinere. Neq; id temerè dixisse uidetur, cùm Iureconsulti sint Iuris sacerdotes. l. 1. ff. de iust. & iur. & non dicendi artifices, qui ui orationis persuadere quid Iudici studeant, quod euidentibus probationibus, seu documentis illi probari non possit.

Sed utut hæc se habeant, certẽ perplexitas rerum sæpe exigit, ut adhibeantur coniecturæ. Meminit Bald. in sua Practica, doctum quendam aduocatum aliquando liberasse ã suspicione furti, cuius accusabatur is, quem fortẽ defendebat in Iudicio, cõiectura rei ex Physica ratione facta. Nam opulentũ quendam cùm diu inhiasset prædio uicini, nec posset eo potiri, propterea quòd illud ei uendere recusaret, tandem fraude conatum esse, eum adigere in hanc necessitatem, ut cogeretur cedere possessionibus suis, atq; ita apud eum deposuisse quædam dolia, quorum quædam de industria repleuerit oleo, quædam uerò reliquerit semiuacua, ut uicinum de subtracto oleo posset accusare, si quando dolia deposita repeteret, atq; ita euenisse narrat. In Iudicium igitur tractum uicinum nihil allegare ad excusandum se potuisse, quàm suam innocentiam. Magnam quippe fuisse præsumptionem furtũ esse cõmissum, quia in eius prædio deposita dolia fuissent, aduersus quam eum defendere eius integritas aut honestas non satis potuerit. Proinde aduocatum eius petiuisse, ut dolia eius omnia releuarentur oleo, & asseruisse inde certam coniecturam fieri posse, cuius dolo minus olei in alio atq; alio dolio esset. Si enim omnia dolia plena fuissent oleo, non posse fieri, ut non in omnibus propemodum tantundem Fecium inueniatur. Si uerò in alio minus Fecium reperiretur, quàm in alio, manifestum esse, dolia non omnia fuisse oleo plena, cùm deponerentur.

Ac

Ac re deinde sic explorata, absolutum eum esse, apud quem ea depositа fuerant, commemorat.

9 Refert & Cicero Terracinenses quosdam adolescentes parricidij accusatos, propter coniecturam esse absolutos crimine, quia post nocturnam iugulationem parentis sui mane inuenti fuerant dormientes, Iudicatum enim es- *In oratione pro Sexto Roscio Amerino.*
10 se, in tanti sceleris conscientia, neminem statim somnum capere posse. In talibus igitur atq; similibus casibus est cernere, quantum referat, nonnunquam in foro posse doctis coniecturis, nebulas, quæ rebus obfunduntur, depellere. Sed hoc nemo feliciter præstabit, nisi habeat pectus refertum doctrina, & ingenium ad dicendum locuples, ut iudicare de hominum uoluntatibus, consilijs, & affectib. exquisitè possit, & disertè ea in factis ostendere. Sæpius tamen coniecturis utimur in defendenda innocentia, & detegendo dolo hominum, quàm in ciuilium negotiorum Actionibus. Et ego ideo harum mentionem facere hic uolui, ut monerem studiosos, hanc artem probandi non esse negligendam, quamuis in foro non tam magnus sit usus, atq; aliarum probationũ
11 est. Deinde ut indicarem non esse prorsus idem genus probationis, quod à signis ducitur, & quod ab impulsione, spe, affectibus hominum, & oportunita-
12 te temporum atq; locorum sumitur. Inter artificiales igitur probationes siue disputationes ponimus coniecturas, quæ non à manifestis indicijs facti, (ut est cruenta uestis in facta cæde) sed à rerum circumstantijs probabiliter colligũ
13 tur. Magis uerò inter artificiales probationes connumeranda uidentur argumenta, quę ducuntur ex forma Iuris, quàm quæ facti species subire uidentur. Nam ea manifestè doctrinam præ se ferunt, nec in facti declaratione uersantur, sicut coniecturæ. Hoc itaq; genus probationis tum demum rectè adhibe-
14 tur, cũm de facto iam constat, non enim antè Iuris ratio quærenda est, quàm explorata sit facti species. l. quidam. §. i. ff. de Iur. doc. Quare plerunq; ad argumenta Iuris decurritur, cũm aut factũ non negatur, sed Exceptio Actioni opponitur, aut postquam altera pars conata est legitimis documentis factum probare, sed altera pars, eius probationẽ iuris declaratione infringere nititur.
15 Cũm autem omnis Iuris ratio ex communibus formis, quas natura, aut lex, aut mores publici in quoq; genere negotiorum & delictorum obseruandas constituunt, sumenda sit, nemo sine talium formarum cognitione appositam, & satis firmam probationem iuris facere poterit. Nulla enim causa est, in qua id, quod in Iudicium uenit, ex sola facti specie iustũ probetur, sed necesse est illud in uniuersa disputatione generis, in quod quæq; facti species cadit, quę-
16 rere, & ex collatione indiuidui cum genere, hoc est, hypothesis, cum thesi, &
17 casus cũ regula colligere. Vt an Ludouicus Imperator ius habuerit, cõferendi comitatum Mediolanensem Galeatio, antequam coronatus esset à Papa, non ex ipso facto apparet, sed ex generali Iuris forma creandi Imperatorẽ Ro-
18 manum, istud petendum est. Et quia in ea statuitur, quòd sola electio faciat Imperatorem, iux. c. quoniam. distinct. x. & ibi glo. sequitur Ludouicum habuisse ius conferendi Comitatum Mediolanensem tanquam feudum Imperij postquam electus erat, etsi nondum à Papa cõfirmatus erat. Sic in alijs omni-
19 bus casibus, in quibus de Iure disceptatur. Semper enim casus ad communes rerum, & generum summas reuoluendus est, cùm in eo Ius ostendere uolumus. Vnde Cicero in secundo de Oratore diligenter præcipit, ut in quæren-
20 da confirmatione causarum, quæstiones ab indiuidua facti specie, ad ipsorum genera transferantur. Quamuis enim multa interueniant, quæ quanq; facti speciem à genere separent quadam uariatione circumstantiarum, tamen ex genere quæstionis causas pendere dicit. Postquam enim causa ad genus negotij, uel delicti, de quo est quæstio, translata est, ibi primũ est cernere, quatenus eius generis formam in iure subeat, an ut species sub eo comprehensa, uel ut pars, uel an sola similitudine eam contingat. Et his perspectis, aperit se

campus inuestigandorum argumentorum, quibus ius in facto tueatur. Ap-
prehenso nanque genere, homo Dialecticus, cui probè nota est generis for- 21
ma, facilè perspicere potest, quomodo à definitione ad definitum, à genere
ad speciem, & econtrà à specie ad genus, à toto ad partem, & à parte ad totum,
& à causa ad effectum, ab effectu ad causam, à proprio ad accidens, & à princi
pali ad accessorium, argumentum ducendum sit. Deinde quomodo res pro-
posita aliarum comparatione iuxta relationem similitudinum, aut dissimilitu-
dinum, aut pugnantium earum urgenda atque illustranda sit. Sicut ostendere
exemplis facilè possem, nisi me ab eo studio deterreret prolixitas. Nam pau- 22
cis non potest commodè tradi ratio inueniendorum argumentorum in Iure,
propter uarietatem rerum, in quibus ea ostendenda essent. Quare priuato cu
iusque studio hanc operam commendo hoc nomine, quòd bene eam colloca
turus sit, qui in legendis disputationibus Doctorum exempla argumẽtorum
secundum locorum inueniendi diuersitatem diligenter obseruauerit et anno
tauerit. Est autem talis argumentatio, qua Ius ex facto ortum colligitur, ideo
necessaria, quia casus sunt infiniti, ut ll. comprehendi omnes, & in singulos
singuię formæ Iuris constitui non possint. l. neque ll. ff. de ll. Quare ad ge- 23
nerales iuris formas, tanquam locos communes, & capita rerum, confugien-
dum est, quoties incidit casus, cuius quæstio speciali constitutione Iuris defi-
nita non est. Et ex illis, tanquam Armario lectissimarum imaginum Iuris, de-
promenda ratio, cuius ui hoc aut illud pro iure in casu proposito habendum
quis contendat. Vnde quoq; uulgata est regula, quòd casus omissus maneat 24
in dispositione Iuris communis. arg. l. commodissimæ. ff. de lib. & posth. Nã
ea reg. non tantũm pertinet ad dispositionem ultimarum uoluntatum, quasi 25
in illis solũm de eo, quod non expressum sit à testatore, iudicetur secundum
Ius commune, sed & ad legum dispositionem, hoc uidelicet modo, ut de casu
in ll. peculiariter non comprehenso, iudicetur ex notione generis, in quod ca
dere uidetur. Talis autem relatio casuum ad generales formas Iuris, fieri non 26
potest, nisi ad ea Iura, quæ in genere constituta sunt, collatione dialectica ac-
commodentur. Vt non extat in ll. anis, qui rem cum ea habuerit, quæ per le-
gitimum diuortium matrimonio soluta est, pro adultero habendus sit. Itaq; si
casu tale quid eueniat, adhibendæ sunt omnes formæ illiciti coitus. Et uiden-
dum, utrum magis subeat oblata facti species. In ea autem collatione sæpissi-
mè incidit quæstio de scripto & sententia. Nam cùm formæ iuris, publicarũ 27
ll. autoritate consistant, & haud ferè unquã ulla facti species sic contingat, ut
non aliquid ab ea forma iuris, quæ in genere, aut specie subalterna ll. definita
est, uariet. Fieri enim potest, ut non sæpe in disceptationem ueniat, an casus
propositus eius iuris censendus sit, quod prætexatur ll. quæ in eo probando
allegantur. Reperire nanq; est multos, quos Græci honesto uocabulo Sophi- 28
stas appellant, propterea quòd prætextu doctrinæ suas artes uenditãt, qui in-
contentionibus non id, quod simplex, & uerum est, spectãt, sed uincendi stu
dio quiduis comminiscuntur, ut incautis fucum faciant, & aliqua specie ueri-
tatis mendacia inuoluta uendãt. Atq; ea quidem ars, quamuis occuparit pro-
pemodum omnes huius uitæ Actiones, tamen quantum ad nostrum institu-
tum attinet, uidendum solũm est, quomodo in refutandis talibus Sophismа-
tis occurrendũ sit aduersarijs, si illis in adducendis ll. contra nos uti conẽtur.
Nam uidere, quando quis cõtra manifesta uerba l. pugnet, mediocris ingenij
est: Sed deprehendere, quando quis saluis uerbis legis, sententiam eius cir-
cumuenire studeat, acris et docti hominis est, proinde in ll. quoq; hebetes illi,
qui contra manifesta legis uerba contendũt, simpliciter dicuntur contra ll. fa
cere. Hi uerò, qui callida interpretatione legis quasi ex insidijs pugnant, di- 29
cuntur fraudem legi facere. l. contra. ff. de ll.

Ad occurrendum igitur cauillationibus aduersariorum, quas in allegãdis

ll. fa-

ll. facere ſtudent, monent Rhetores, diligenter diſcernendum eſſe inter ſcri-
30 ptum, & ſententiam legis. Scriptum eſt, quod Græci uocant τὸ ῥητὸν, hoc eſt, quod uerborum ſono & ſignificatione exprimitur. Sententia uerò eſt id, quod legislator uoluiſſe ex circumſtantijs ll. colligitur. Vnde Græci τὴν διάνοιαν, hoc eſt, agitationem mentis uocant. Cuius rei etſi haberem alia exempla, quæ magis grata fortè eſſe poſſent profectioribus, tamen propter diſcentes in eo commorabimur, cuius paulò antè mentionem fecimus, ne ignotum per magis ignotum oſtendere uelle illis uideamur. Poteſt autem in eo
31 exemplo de ſcripto & ſententia diſceptari, ſi alius iux. l. inter. ff. ad l. Iul. de adult. & C. eo. l. i. dicat eum, qui rem habuerit cum ea, quæ legitimo facto diuortio ſit ſoluta, non eſſe adulterum, quia adulterium committatur cum uxore alterius. Cùm autem ea per diuortium iam non ſit cuiuſquam uxor, nõ poſſe dici adulterium eſſe perpetratum. Alius contrà contendat eam nihilominus manere coniugatam, etiamſi à marito dimiſſa ſit, ac proinde poſſe cum ea
32 committi adulterium, quia Chriſtus in Euangelio dicat, quòd is mœchetur, quicunq; dimittat uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, ſi aliam ducat. Quibus ex uerbis ſatis appareat, quòd in ſolutis matrimonio etiam committatur adulterium. Quapropter hunc dici poſſe adulterũ, niſi ea, cum qua cõcubuerit, ob fornicationem dimiſſa ſit. Iſta uerò diſceptatio rectè diſſoluitur uoluntatis in Chriſti uerbis declaratione, uidelicet, quòd in eo loco uoluerit prohibere dimiſsiones uxorum, quas Iudæi ob quamuis offenſionem in uxoribus faciebant, ſicut oſtendit eius ſermonis occaſio. Itaq; ſic eſſe accipienda ea uerba Chriſti, quòd illi mœchentur, qui Iudaico more uxores dimittant, & alias ducãt, non illi, qui ob fornicationem, & alias legitimas cauſas diuortium fecerint. Si igitur ea, cum qua ille deprehenſus fuerit rem habuiſſe, legitimo diuortio ſoluta ſit matrimonio, non adulteriũ, ſed fornicationem eum commiſiſſe dici poteſt. In hoc autẽ modo diſputandi de cõtrarijs legibus prodeſt plurimũm tenere hiſtoriam conditi cuiuſq; Iuris. Ex ea nanq; intelligi poteſt, quorſum reſpexerit is, ã quo illud aut illud ſcriptum eſt, & deinceps colligi ex eius uoluntate, quomodo ſcriptum accipiendum ſit, iuxta illud Auguſtini:
34 Diſtingue tempora, & concordabit ſcriptura. ij. q. i. c. ſi peccauit. Poteſt autẽ fieri, ut talis allegatio legum fiat non improbo, ſed non ſatis conſiderato animo. Facile enim eſt incautos decipi aliqua ſpecie rei, ut quaſi certi de ſua ſententia incumbant alicui legi, quamuis longiſsimẽ aberrent, & ſuo ſtudio uim legi faciant. Maior uerò uis l. eodem impetu fit, cùm quis ex media aliqua lege excerpit quædam uerba, & detorquet ad ſuum propoſitum, cùm ea ad contextum totius l. relicta, longè aliud quiddam habeant: ut ſi quis principium l. ſi tibi. ff. de rebus cred. allegaret ad probandum, quòd neq; donata, neq; credita pecunia ſit, quam quis alicui donarit, ut eam uicisſim ipſi crederet, ille uim ei l. faceret, quia in fine eius l. aliud ſtatuitur. Itaq; talis allegandi ratio meritò reprehenditur in l. inciuile. ff. de ll. Eadem uis committitur, cùm quis inciuilẽ unam ſaltem l. ex uniuerſa aliqua forma Iuris adducit, reliquas eiuſdem formæ conſtitutiones, per quas ea aut limitata, aut correcta eſt, negligẽs,
35 ut ſi iux. l. ſi quis. C. ad S. C. Tertul. aliquis contendit matri debere dimidiam ex bonis defuncti filij, ſi inteſtatus deceſſerit, & ſolas ſorores, & non fratres aut filias poſt ſe reliquerit, is impingit in Nouellam de Nuptijs, §. & quoniam. qua iſta l. ita corrigitur, ut mater cum defuncti filij ſororibus ſuccedat in
36 portionem uirilem, & non dimidiam. Et hæc quidem uis allegandi, ideo caueri & depelli poteſt, quia ubique inſertæ, aut per gloſ. annotatæ ſunt correctiones ll. Alijs autem cauillationibus, quæ captioſis inductionibus legum in diſputationibus Forenſibus fiunt, omnibus occurrere poſſe, propemodũ impoſsibile eſt.

De Cõtrarijs legibus.

37 Satis itaq; ſit monuiſſe diſcentes, quòd ualdè proſit ad ſoluenda uitioſa ar-

gumenta à ll.ducta,tenere fallaciarum,quæ in Dialectica traduntur, genera. Nam & in Forensibus disceptationibus maximus est talium præceptionum usus,uidelicet,quòd omnis uitiosa argumentatio sit in forma argumenti, aut 38
in materia. In forma,quoties plus est in cõclusione quàm in præmissis. Exẽpli gratia,lex dicit,principem solutũ esse ll.l.princeps.ff.de ll. Nero fuit prin- 39
ceps : ergo licuit illi sacra & prophana cõtra ll.uiolare. in quo argumẽto plus est in conclusione,quàm in præmissis. Nam solutum ll.esse,non est,quiduis licitum habere,sed ll.pręesse,& publica necessitate exigente eas relaxare,aut restringere posse. Itaq; in tali argumentatione semper negatur cõsequentia, quia quamuis præmissæ rectẽ acceptæ , sint ueræ , tamen quia ex illis aliud quiddam inducitur,quàm in illis continetur,falsa est argumentatio , quando aliqua ex præmissis,aut prorsus est falsa,aut nõ simpliciter uera , ut in l. interpositas.C.de transact.dicitur,quòd ad seruandas transactiones , quæ metu fac- 40
tę sunt,nemo iure cogi possit. Sed si quis inde inferre uelit,quòd conditiones pacis ab hoste uictori dictæ non sint seruandę, quia metu armorum hostilium acceptæ sint,ille errorem prętextu legis defendere niteretur,quia ea lex de metu accipienda est,qui alicui non legitimo modo incutitur , non de bello,cuius uis est legitima. Vt autem quis discernere possit, in qua propositio- 41
ne,argumenti hæreat uitium, duo sunt necessaria,alterum , ut quis probè teneat genus sermonis , quo argumentum producitur , ut non solũm singulorum uerborum usum,sed & integrarum orationum compositionem , figuras,& Phrases probè teneat. Nam sicut dicit Aristoteles : ignoratis terminis, 42
ignorãtur propositiones. Alterum,ut res,de quibus agitur,bene cognitas habeat,ut possit in argumento prospicere,an à falsa definitione,uel insufficienti diuisione,aut enumeratione partium,uel à causa non propria,remota , propinqua,uel ab accidente,uel à substantia rei ductũ sit,ac inde æstimare , quomodo argumentum cohæreat. Ad id autem perspiciendum non minus satis est,tenere regulas Dialecticorum,quàm esse bonum Arithmeticum in re,cuius precium,pondus,Mensuram,prorsus ignores. Quare necesse est,rerum 43
cognitionem habere uberrimam,& eam Methodica ratione ita in locos communes digestam,ut quoties opus sit,eas quis possit cogitatione apud animum reuoluere,& ad regulas Dialecticas exigere , Speculator in cap.de disputationibus tradit multarum uocum usum in Iure,cuius exemplum in obseruandis illis imitandũ iudicat. Sed prodest ad obseruationem sermonis , & in hac 44
arte bonum esse Grammaticum. Rerum uerò cognitio in Iure ex ll.petenda. Fallaciarum autem in inducendis ll.exempla nusquam extant annotata, quãm in l.ea natura.ff.de reg.Iur.

Postremò autem erat hic quoque dicendum de locis personarum. Nam & 45
ab illis sæpe in disputationibus ducuntur argumenta , quibus aduersariorum & testium facta & dicta eleuantur, aut exaggerantur. Sed usus talium locorum à Rhetoribus petendus est. Iureconsulti illis non ualde utuntur,nisi cũ agitur de dignitate,utilitate,infamia,aut pœna personarum. Et maior est omnino illorum usus in Criminalibus, quàm in Ciuilibus Iudicijs, propterea quòd in illis sæpe exaggerãtur,aut extenuantur delicta,ratione personarum, à quibus,& in quas ea commissa sunt. Quidam uix ferent,ut admoneam etiã 46
in disputationibus Forensibus locum esse utendis exemplis,Apologis, χρείας, Similitudinibus ,& alijs id genus ornamentorum, cũm Iustinianus Imperator præceperit,non exemplis,sed ll.iudicandum esse de Iudicialibus controuersijs. l.nemo. C. de sen. & interloc.omnium iud. Sed adolescentes,quibus studendum est,ut syncerius iudicium de rebus sibi comparent , nõ patiantur se quauis specie recti statim adduci, ut negligant prorsus eas res , quas utiles esse uel naturalis ratio eos monere potest. Imperator prohibet exemplis iudicare eos,qui de quoque negotio statuere uolebant,quod alium quempiam in

simili

símili casu iudicasse comperíssent, Quamuis leges & ratio casus aliud fieri iu-
47 berent. Sicut igitur Cicero reprehendit Pythagoricos, qui tantum tribuebãt præceptori suo, ut eius autoritatem absq; ratione sufficere ubiq; uellent, ita & Imperator illorum uanitatem, qui spectant, quid alij iudicarint, non quod ipsos iudicare deceat, casu exigente. Ac inde non sequitur, quòd non liceat in tractandis causis Forensibus adhibere Exempla, aliáque ornamenta rerũ illustrandarum causa, cũm id rerum obscuritas, & argumentorum tenuitas sæpe requirat, ut perinde sit*, nolle nos uti eiusmodi ornamentis ad illustrandas res, de quibus contenditur, ac si quis nos prohibeat uti lucidioribus uerbis rei docendæ causa, quod nemo non improbaturus esset, si quis tam stultus sit,
48 ut persuadere id nobis conetur. Sermo enim illustris & perspicuus maximã meretur apud omnes laudem, ut indigni beneficio loquendi uideantur, qui nulla sua diligentia orationem excolãt, ut ea quæ cogitẽt, aut didicerint, perspicuè explicare possint. Quare adolescentia non debet negligere omnem ornatum orationis, quamuis uideat eum à multis in Actis Forensibus negli-
49 gi. Nam studium dicendi, non persuadendi solùm causa (sicut plerique existimant) sed & explicandarum obscurissimarum causarum gratia, qua in re inprimis elaborandum est aduocatis, proditum est. Cæterũm quæ argumenta ad quem modum probandæ cuique rei sufficiant, nullo certo modo satis definiri potest. l. iij. §. eiusdem. ff. de testibus.

DE CONCLVSIONE.

Cap. XXVIII.

SVMMARIVM.

1. Epilogum addere in qualibet orationis parte conuenit.
2. Epilogus in medio, peroratio in fine fit.
3. Perorationis & Conclusionis duo loci, ἀνακεφαλαίωσις, & affectuum commotio.
4. De affectibus Rhetores uidendi.
5. Iudices præcidere debent lites, ubicunq; possunt.
6. Petitio sententiæ libello conformis non omittenda in Conclusione.

1 BONI Oratoris est, argumentis in medium probandę rei causa adductis addere Epilogum, ut intelligi possit, quidnã euinci in causa illis uelit. Est autem id faciendum dicentibus non solũm in fine orationis, sed & in qualibet eius parte, quoties argumenta causæ accommodari res ipsa requirit, aut ex consilio dicentis opus esse
2 uidetur. Itaq; Rhetores, ut separarent eas conclusiones, quę in medijs contentionibus, ab ea, quæ in fine fit, illas dixerunt Epilogos, hanc uerò Perorationem. Cũm igitur ordo rerum exigat, ut hoc loco de ea conclusione solùm dicamus, quæ post confirmationem ac refutationem Actoris & Rei, hinc inde productis testibus, Instrumentis, & allegationibus II. alijsq; documentis causę
3 fit, de peroratione hoc loco agi discentes sciant. Eius uerò duo sunt potissimũ loci, ex quibus tota contexitur. Prior à Græcis dicitur ἀνακεφαλαίωσις, propterea, quòd is constat breui quadam repetitione argumentorum potissimorũ, quibus quæq; pars ad sustinendam suam causam usa est. Et in hac repetitione facienda, nihil magis cauendum est, quãm ne tædiosa enumeratione leuissimorum quorundam argumentorum cuipiam molesti simus. Posterior consistit in affectibus commouendis. quomodo autem isti mouendi sint, ex Rhetorum libris petẽdum est. Nam huius artis ne uestigia quidem alicubi in eorum libris, qui processus iudiciales ædiderunt, extant. Quamuis cõtingat ut Aduocati huius artis ignari, naturali quodam impetu naturæ satis feliciter nonnunquam etiam ea utantur, sicut fieri non potest, quin bona ingenia natura ducantur ad ea facienda, quæ in excellentioribus oratoribus obseruata

artis tradendæ occasionem doctis præbuerunt. Hoc uerò tradunt illi, quòd admissis utrinq; probationibus & disputationibus partes debeant ultro illis renunciare, aut cogi per Iudicem, ut finem aliquem afferendi probationes & allegationes tandem faciant, constituta illis dilatione, intra quam proponant, quibus causam suam firmari posse existiment. Talis uerò dilatio uidetur esse legalis, hoc est, lege definita. Auth. iubemus. C. de Iudicijs. Sed Spec. censet eam esse arbitrariam, & arbitrio iudicis ex consideratione uariarũ circumstantiarum in causa agitata constitui posse, cuius opinio uidetur esse æquior, propter reg. qua Iudices iubentur præcidere lites ubicunq; possent, iuxta l. properandum. C. de Iudicijs. Sicut & de eius Iure in constituenda dilatione proponendarum exceptionum dilatoriarum, suprà de dilationib. dictũ est. Proinde in usu fori est, ut talis renunciatio habeatur pro conclusione. Ita quidem, ut tamen ea non extendatur ad præsidium appellationis, nisi hoc expresè in ea actum sit. Quatenus uerò quis publico, aut suo iuri renunciare possit, dicemus in fine huius compendij. Quocunq; autem modo quis in causa concluserit, uidendum ei est, ut non omittat petitionem ei sententiæ, quam necesse est conformem esse libello. 5 6

DE CONSVLTATIONE IVDIcum in proferenda sententia. Caput XXIX.

SVMMARIVM.

1. Iudex deliberet cum suis Assessoribus quatenus de causa pronunciandũ sit.
2. Sententia ferenda, quam acta & allegata requirant.
3. Facilius inuenitur quod à pluribus quæritur.
4. Iudex in dubio quomodo possit consulere superiorem.
5. Relationes partibus edendas esse.
6. Relatio causæ partibus consentientibus facienda est.
7. Remissio causæ ad superiorem iudicem quando & quomodo fiat.
8. Appellationum remissiones à superioribus ad inferiores fiunt, cùm temerè appellatum est.



EXHIBITIS omnibus actis iudicialibus, quæ in literas mittenda sunt, siue causa in Ordinario, siue in Extraordinario Iudicio agitetur, iux. c. quoniam contra. Ex. de probat. Iudex diligenter deliberabit cum suis assessoribus, quatenus de causa pronunciandum sit, ut secundum eius merita tulisse sententiam uideatur. Hoc enim 1 2
omnino illi conandum est, ut ferat sententiam, quam Acta & allegata requirant. c. licet Helij. Ex. de Symo. Facilius autem semper inuenitur, quod ã 3
pluribus quæritur. c. de quibus. Distinc. xx. Itaq; iubent Canones sententiam non esse præcipitandam, antequam causa in bonam deliberationem posita fuerit. c. Deus. ij. q. i. Et Imperatores in l. ij. C. de senten. ex breuiculo recitan. uolunt sententias diligenter perpendi, corrigi, & emendari, antequam partibus recitentur. Vnde in Germania ferè quælibet regio destinatum habet locũ, 4
ubi peritiores respondent de Iure illis, qui de eo in aliqua causa dubitant, ut rectius de ea pronunciare possint.

Sed habent Iudices & aliud quoddam præsidium, si de iure dicendo ambigant, nec habent quos consulant, uidelicet, ut causam ad superiorem iudicem referant, & declarationem Iuris in ea sibi fieri petant. Ad hoc autem præsidium confugere iudicib. non licet, si de facto dubitent, l. cùm quem temere. ff. de iudicijs. Deinde necesse est, ut euidens sit causa dubitandi de iure. Nam si Iudex deprehendatur, ideo causam ad superiorem retulisse, ut onus cognoscẽdi subterfugeret, tum punitur iux. l. ij. C. de Il. Præterea quando Iudex cõ- 5
stituit causam ad superiorẽ Iudicem referre, cogitur relationes partibus æde-

re,

re,ut si quid minus plenè relatum alicui exillis uideat,recusare eam possit,ne
6 fiat,aut petere,ut ea secundum Acta & allegata emendetur. Est enim partibus consentientibus facienda causæ relatio, adeò ut si Iudex inuitis illis eam facere conetur,appellare ab ea,missis precibus refutatorijs ad superiorẽ, possint. Si uerò semel in eam relationem consenserint,non possunt porrò illi reluctari,nec quicquam interim in urgenda sua causa moliri,donec ad eam responsum sit per superiorem,iux.tot.tit.C.de relat.& gl.c.intimasti.Ex.de appell.Potest autem talis relatio fieri à iudice,non tum solùm,cùm iam causa cognita est,sed quotiescunq; dubitat de iure procedẽdi in causa,arg.c.super his & inquisitionis.ex.de accusat.

7 Habet nonnihil cognationis cum relatione causę partium remissio, quę fit ab uno iudice ad alium,Aut quia talis comperta est causa,ut de ea decernere ratione Iurisdictionis suæ iudici non liceat,Aut quia ei causæ cognitio ita solùm demandata est,ut iussus sit remittere eam ad demandantem, postquã partes examinarit in tota causa,uel aliqua eius parte.Multæ enim sunt causæ,de quib.aliquid definire quibusq; iudicib.non licet.Cuius rei exempla sunt in l. solent.& l.si quid.ff.de off.proconsulis.& in c.maiores. Ex.de baptis.Et cum conditione remissionis causarum cognitionem demandari non est obscurũ. c.ex parte decani. ℣ petente.Ex.de rescrip.& de elec.c.dudum.& c.scriptum. ℣ i.Itaq; sæpe secundum formam mandati à iudice delegato, fit partium ad demandantem remissio. Atq; hæ quidem remissiones semper fiunt ad super-
8 iores iudices. Sed ratione appellationis sæpe fiunt etiam à superioribus ad inferiores,cùm compertum est,temerè ab illis appellatum esse, sicut infrà de Appell.dicemus: ubi de remissionibus faciendis plenius dicendum erit. Hic solùm ideo earum mentionem feci, ut monerem nonnunquam ab alio iudice sententiam ferri, quàm ab eo,à quo causa cognita est.

Cod.& in Decret.

De Relationibus.

DE SENTENTIA.

Cap. XXX.

SVMMARIVM.

1. Definitio in iure periculosa.
2. Difficultas in ferendis sententijs quanta sit.
3. Secundum allegata & probata iudicandum esse, quomodo accipiendum.
4. Panormitani sententia renenda.
5. Quæstio,Vt quę desunt aduocatis partium, iudices suppleant,explicata.
6. Iudicis culpa non est proximi innocentia oneranda.
7. Quæ sint in ferendis sententijs præcipuè obseruanda iudici.
8. Consuetudo cuiusq; regionis & ciuitatis attendenda.
9. In dubio iudicandum potius pro Reo,quàm pro Actore.
10. Causæ fauorabiliores sunt,libertatis,testamenti,matrimonij.
11. Quæ pronunciatio Iudicis habenda sit pro sententia.
12. Præceptum seu Mandatum Iudicis non habere uim sententiæ.
13. Sententia dicitur rei controuersæ in iudicio decisio.
14. Sententiæ definitio secundum Hostiensem recipienda,quæ & explicatur.
15. Sententia partibus citatis & præsentibus proferri debet.
16. Sententia ex breuiculo recitanda est.
17. Altera partium aut condemnetur,aut absoluatur.
18. Instantia iudicij Ciuilis triennio,criminalis biennio durat.
19. Oratio sententiæ non narratiua,sed definitiua & decisoria esse debet.
20. Certa debet esse sententia,& non conditionalis.
21. An causa,in sententia exprimenda sit.
22. Ineptitudo libelli inferenda est sententiæ.
23. Iudex appellationis tenetur exprimere causam in sententia.
24. An in personam domini,uel eius procuratoris concipienda sit sententia.

25. Sententia contra mortuos ferenda non est.
26. Impossibilis sententia, nulla.
27. Venalis sententia, turpissima.
28. Temporis habenda ratio, ac in diebus feriatis abstinendum à sententia.
29. Interlocutoria sententia quæ dicatur.
30. Interlocutoria sententia quando reuocari per iudicem possit, uel non.
31. De exceptionibus incidentibus & emergentibus.
32. Sententia quando transit in rem iudicatam.
33. Sententia lata contra ius diuinum, seu naturale, nulla est.
34. Sententia manifestam iniquitatem continens, est ipso iure nulla.
35. Iudex mutet sententiam, si obsit Reipubl.
36. Vitium Grammaticum potest tolli in sententia.
37. An iudex possit sententiam mutare.
38. Interesse tunc est tribuendum per sententiam, quando Iura permittunt, ut illud tanquam debitum petatur.
39. Ad interesse quomodo possit iudex condemnare partem.
40. Interesse qualiter probetur.
41. Affectio æstimandi.
42. Periurijs patefacienda ea non sunt, quæ absq; magno incommodo litigantiũ definiri alio modo possunt.
43. De in litem iurando.
44. Iuramento suum interesse declarare permittitur.
45. De expensis iudicialibus.
46. Vocabulo Interesse comprehenduntur ea omnia, quæ aliquis sibi decessisse ex aliena iniuria ostendere potest.
47. Iuramento est taxatio expensarum confirmanda.
48. Aestimatio expensarum incerta.
49. De sportulis.
50. Mulcta profertur ad imponendam pœnam pecuniariam contumacibus, propter contemptam autoritatem iudicis.
51. Falsam sententiam ferre procliue esse.
52. Modos, quibus occurri falsæ sententiæ possit, tenendos esse.
53. De sententia quę ipso iure pro nulla habetur.
54. Tituli peculiares in iure casuum sententię nullæ.
55. Si alia summa in sententia expressa, quàm petita sit.
56. Exceptio nullitatis competit perpetuò, id est, 40. annis.
57. Veritas & falsitas rerum non mutantur temporibus.
58. In mutanda & corrigenda sententia, necesse est errorem, aut fraudem iudicis declarari.
59. Iniquitas sententię ostendenda.
60. Neglectus ordo obseruandi processus declarandus.
61. Ordinem causas cognoscendi esse duplicem, generalem & specialem.
62. Prius de possessione, quàm de proprietate pronunciandum.
63. Quę potissimùm efficiant sententiam nullam, hęc sunt, Videlicet, Citatio omissa, Libellus non oblatus, lis non contestata, Calumnia non iurata, & Sententia malè lata.
64. Coram quo iudice agatur, ut sententia declaretur nulla.
65. Delegati iudicis malè iudicantis iurisdictio extinguitur.
66. Delegatus interlocutoriam sententiam reuocare potest.
67. Arbiter sententiam Interlocutoriam reuocare potest.
68. Supplicationibus quando impugnare liceat sententiam.
69. Auxilium triste quod dicatur.
70. Querela falsi subsidium est impugnandæ sententiæ.
71. Quando rescindatur sententia, uel non.

PERICV-

1 PERICVLOSA existimatur omnis definitio in Iure, quia rarũ sit, talem aliquam dari, quæ non possit subuerti. l. omnis definitio. ff. de reg. iur. Sed multò plus periculi est in definiendis causis per
2 sententiam. Nam in definiendo Iure non solùm obstat rerum amplitudo, quò minus comprehendi cuiusq; iuris forma breui uerborum compendio, cuiusmodi est in definitionib. possit (At in definiendis causis, non solùm consideratio rerum latius patet, quàm ut facilè in cuiusquã conspectum ueniat, ita ut non aliquid eius meditationem subterfugiat, quod aliquam diuersitatem sententiæ requirat.) Verùm etiam uoluntatum propẽsio, & animorum in iudicantib. ignauia, & litigantiũ in dicenda sua causa uersutia, sæpe bonis mentibus offundunt quasdam caligines, ut non possint uerũ in causa cernere. Inprimis igitur utile est, quod à doctis & sapientibus præcipitur, ne quis in iudicando sequatur aliquam suam cogitationem, quam se-
3 cum domo attulerit in iudicium, sed secũdum allegata & probata pronũciet. c. iudicet. iij. q. vij. & l. illicitas. §. ueritas. ff. de off. præs. Quidam hanc reg. tã seuerè obseruari uolunt, ut non dubitent, quòd Iudex non debeat recedere ab Actis, etiamsi ei planè contrarium constet, sed alij hanc regulam quibusdã limitationibus moderantur, inter quos probabilior uidetur eorum sententia, qui dicunt, hanc regulam sine aliqua Exceptione locum habere, quando Iudex leuibus quibusdam argumentis ductus, existimet aliter se rem habere, q̃ probatum sit. Nam isto casu potius sequi debet allegata & probata, quàm suã opinionem & conscientiam, ex quadam imaginatione conceptam, arg. c. inquisitionis. Ex. de sen. excom. Si uerò Iudex habeat conscientiam rei indubitatam, dicunt eum nullo modo debere aliquid statuere contra eam propter allegata & probata, arg. c. per tuas. l. ij. Ex. de Symonia. Et hoc casu rursum iubent distinguí: Quòd aut Iudex habet conscientiam contra Reum, & tũ etiamsi quidem Actis probetur Reus innocens, tum propter suam conscientiã, qua scit eum esse nocentem, condemnare eum non debeat. Sed illum secundum id, quod probatum est, absoluere, quia etiamsi hoc faciat, tamen nõ possit dici, eum contra conscientiam fecisse, cũm eum non ut innocentem, sed ab instantia iudicij tantùm absoluat, & tanquam priuatus, non ut Iudex eum nocentem esse sciat. arg. c. si sacerdos. Ex. de off. ord. Si uerò Iudex habeat cõscientiam pro Reo contra allegata & probata, tum non debere eum contra indubitatam cõscientiam suam in causa decernere, quia iudici credendum sit, qui alleget conscientiam in præiudicium alterius, si eam probare possit. arg. c. si tantum. vi. quæst. ij. Itaq; non esse eum cogendum, ut propter Acta eum condemnet, quem innocentem sciat. Hæc sententia est Panormitani post alios, circa c. pastoralis. §. quia uerò. Ex. de off. deleg. Quidam alij diuersum sentiendum existimant in ultimo membro Distinctionis, uidelicet, quòd contra allegata & probata non sit sequẽda conscientia pro Reo indubitata, id quod
4 & glos. c. i. Ex. de off. ordin. aliquo modo sentire uidetur. Sed ego maximè in Criminalibus iudicijs Panorm. sententiam tenendam esse iudico, tanquam eam, quæ magis consentanea sit rationi, & conueniens humanitati.

5 Existit autem hoc loco quæstio, quòd cũm iuxta titul. C. Vt quę desunt aduocatis par. iud. sup. iudici non liceat supplere omissa in facto, quonam modo possit conscientiam suam pro Reo contra allegata & probata adducere, ut non impingat in constitutiones C. quibus prohibetur aliquid supplere in facto? Panormi. in loco allegato dicit Hostiensi placere, ut in tali casu Iudex confugiat ad superiorem, sed non indicat quomodo conscientiam suam apud illum explicare debeat. Cũm autem fateatur Hostiensem ad id sentiendum adductum esse per c. si quando. Extr. de off. delegat. satis apparet eum uoluisse, ut per consultationem Iudex suam conscientiam superiori declaret. Nam in eo c. Papa iubet, ut Iudex ordinarius propter suam conscientiam

non

non prohibeat delegatum malè iudicantem cum aliqua uiolentia, sed precib; eum retinendum suadet, ne exequatur sententiam, donec ipsi, ut superiori, ueritatem rei exposuerit. Sic igitur haud dubiè uisum est Hostiensi, omnibus Iudicibus faciendum esse, cùm aduersus Actus premantur conscientiæ, quò minus pronunciet, uidelicet, ut instent precibus apud partem urgẽtem, ut det ei spacium consulendi cum superiori. Et talis opinio multò tolerabilior est illorum opinione, qui uolunt Iudici in tali casu conandum esse, ut liberetur officio Iudicandi. Nam permittendo, ut alius secundum acta eum, quem certus sit innocentem, condemnet, non minus conscientiam grauat, quàm si ipse iudicaret. Cùm uerò superiori causam aperit, tum effugit omnem reprehensionem, quia neq; ipse iudicat, neq; tacendo permittit contra suam cõscientiam, ut alius condemnet innocentem, sed potestatem superiori facit, ut ipsum audiat tanquã ueritatis testem, ac deinceps, iuxta allegata & probata de causa pronunciet. Neq; ut Iudex factum supplet, sed ut minister Iustitiæ cauet, ne eius culpa proximi innocentia oneretur, & Iudicia aliena, aut errore, aut peccato inquinentur. 6

Iam igitur ut ad sententias redeamus, Primum omnium est in ferenda sententia, ut Iudex summo studio in id incumbat, ut ante omnia certus sit de facto, & præcipuè in Criminalibus quosuis audiat innocentiam cuiusq; probaturus, donec in plenam causæ cognitionem ueniat. Nam in Iudicijs ordinarijs, Iudices iubentur plena inquisitione rei qualitatem discutere. l. iudices. C. de iudicijs. In Criminalibus uerò iudicijs tam clara requiritur facti notitia, ut non permittatur Iuramenti delatio in defectu apertarum probationum, sicut in causis Ciuilibus, iuxta dd. circa eandem l. In ijs uerò causis, quas ll. permittunt summariè cognosci, minus seueræ probationes facti exiguntur, iux. glos. ibidem. Post certam facti notitiam proximum est, ut sententia, qua declaraturus est Ius, in facto probato sit conueniens ll. & Iuri, atq; consuetudini, quibus quæq; regio, aut ciuitas in ea specie facti utitur, iuxta l. nemo. C. de sentent. & interloc. & ibi annotata. Si uerò neq; ex lege, neque ex consuetudine manifesta iudici constare possit, quid in casu proposito pro Iure habendum sit, procedendum illi est de similibus ad similia Iura, iuxta l. de quibus. ff. de ll. donec argumento aliquo ex usitato Iure ducto constituere possit, quid eum sequi in pronunciando oporteat. Si uerò neq; id quidem cõsequi sua inuestigatione, aut experitorum consultatione possit, tum in dubio Iuris potius pro Reo, quàm pro Actore pronunciandum est, iuxta l. inter pares. ff. de re iud. nisi Actor foueat causam fauorabiliorem, sicut est causa libertatis. l. antepe. ff. de manumissis. Testamenti, l. si pars iudicantium. ff. de Iure dotium. Matrimonij. l. in libere. ff. de ritu nupt. &c. fin. Ex. de sent. & re iud. 7 8 9 10

Habetis iam quæ consideranda sint iudici, anteq; progrediatur ad ferendam sententiam, dicendum nunc est de ipsa sententia, ut intelligi possit, quæ pronunciatio iudicis mereatur dici sententia, quæ non. Neq; enim quælibet uox, aut Epistola iudicis, pro sententia iudiciali, de qua nos nunc agimus, habenda est, ut si Iudex aliquem ex litigantibus hortetur ad concordiam, aut alicui comminetur, eum hoc aut illud daturum parti aduersæ, nisi intra constitutum tempus soluat ei debitum. Nam ea demum uox iudicis fortitur uim iudicati, quam legitima causæ cognitio præcesserit, iuxta l. ex stipulatione. C. de sent. & inter. omnium iud. & tot. titul. C. Communicationes & Epist. Auth. rei iud. non habere. 11

Præceptum igitur siue mandatum iudicis inhibendo aut iubendo aliquid absque cognitione causæ, nuda uoluntate & autoritate in Iurisdictione contentiosa factum, non habet uim sententiæ, nec transit in rem iudicatam, iuxta Panorm. cir. c. cum uenissent. Ex. de in integ. rest. secus si uoluntaria Iurisdictione, aut cognita causa factum sit, ut si consentiente domino Iudex iubeat 12

seruum

ſeruum eſſe liberum, eius præceptum habet autoritatem ſententiæ, ut reuocari manumiſsio à domino, inuito manumiſſo non poſsit, iuxta gloſ. l. i. C. de adop. Si uerò Iudex iubeat aliquem in poſſeſsionem mitti cauſa non cognita, eius præceptum pro ſententia haberi non poteſt, iuxta Bart. cir. l. memine-
13 rint. C. unde ui, & eſt ratio, quia ſententia dicitur rei controuerſæ in Iudicio deciſio, arg. l. i. ff. de re iud. & non quodlibet mandatum, quo ſubditos ad parendum extra contentionem fori pro Iure & autoritate ſui officij coërcet. Proinde nec in confeſſos abſque litis conteſtatione dicitur ferri ſententia in cauſis Ciuilibus, ſed per præceptum ſola dilatio dari ad præſtandum id, quod ſe debere confeſſus eſt. l. ſi debitori. ff. de iudicijs, & Bart. circa l. i. & cir. l. certum. ff. de confeſsis. Inter eos enim, inter quos nulla eſt controuerſia, non eſt opus contentionem eorum dirimere ſententia, ſed ſufficit alteri mandare, ut præſtet quod eum debere conſtat, ſicut teſtatur Bartol. ſe quoque feciſſe in leuibus & manifeſtis crimínibus coërcendis, circa l. leuia. ff. de accuſat.

Sententia quid dicatur.

Propriè igitur loquendo, ea ſolùm pronunciatio iudicis meretur dici ſententia, qua finis imponitur controuerſiæ legitima diſceptatione in Iudicium
14 deductæ. Hoſtienſis eam ſic deſcribit, quòd ſit rei aptæ, coram competenti iudice, in dubium uerſæ, ritè, iudicialis, & definitiua humana ueritas declarata. Atque complectitur in hac ſua definitione omnia ea, quæ in qualibet legitima ſententia requiruntur, ſimulq; comprehendit ambas ſententiarum ſpecies, nimirum quòd alia ſit Interlocutoria, alia Definitiua. Itaque nos utemur eius definitione, loco Epitomes, ſiue argumenti, in deſcribenda generali & legitima forma ferendarum ſententiarum, poſtea etiam de ſingulis earũ ſpeciebus ſeorſim dicturi. Non autem ualde huc pertinet, rei aptę. Nam de aptitudine rerum in iudicium deducendarum rectius dicitur, ubi quæritur quarum rerum Actio detur, aut non. De ijs nanq; rebus rectè fertur ſententia, de quib. nobis cum alio in iudicio contendere licet. Et quis pro iudice competenti habendus ſit, ſuprà abundè dictum eſt in ſecundo capite proceſſus noſtri. Quando autem res dicatur in dubium uerti, ex ijs, quæ de litis conteſtatione dicta ſunt, optimè percipere quis poterit. Reſtat igitur ut ui-
15 deamus, quomodo ſententia ritè feratur. Et primum eſt in obſeruatione ſolennitatis circa ferendas ſententias, ut partes ad audiendam ſententiam citentur. Ex. de Teſtibus. c. cũm olim, in fin. Cũm enim maximi præiudicij ſit ſententia, pro nulla, partibus non citatis, meritò habetur, ut tot. titul. C. quomodo & quando Iudex ſentent. &c. Proximum eſt, ut præſentibus partibus, uel altera contumaciter abſente, ſententia à Iudice pro tribunali, uel alio loco honeſto & publico ſedente, promulgetur. gloſ. Authen. ut ab illuſtribus &c.
16 § ſancimus. Deinde requiritur, ut ſententia concepta ex breuiculo, in quo ea deſcripta eſt, per Iudicem aut Tabellionem recitetur, Iudice clarè atteſtante, ſe, iuxta recitata ex ſcripto de cauſa pronunciare, iuxta tot. titul. C. ſentent. ex breuic. recitand. niſi talis ſit caſus, de quo uerbotenus abſque breuiculo liceat pronunciare, iuxt. Authen. niſi breuiores. eo. titul. & dd. ibidem.

Sententia ſecundum Hoſtienſ.

Sequitur in definitione Hoſtienſ. quòd ſententia debet eſſe Iudicialis, quę quidem obſeruatio non ad ritus proferendæ ſententiæ, ſed ad orationis formam, qua continetur ſententia, pertinet. Nam cùm dicit eam debere eſſe Iudicialem, ſignificat eam talibus uerbis eſſe concipiendam, quæ reſipiant & referant iudicium, hoc eſt, quibus diſertè, & abſque omni ambiguitate
17 uerborum ac rerum ſtatuatur, quod cauſæ ratio & iuſtitia deſideret. Id uerò fieri non poteſt, niſi altera pars litigantium, aut condemnetur, aut abſoluatur. l. iij. C. de ſen. & Inter. omnium iud. In Ciuili Iudicio condemnetur ad aliquid præſtandum. In Criminali uerò, ad luendam pœnam. In utroq; autem, ut

abſoluatur,

absoluatur,aut ã Iure impetendi, aut ab instantia & obseruatione Iudicij. Durat autem cuiuscp Iudicij Ciuilis instantia triennio, Criminalis biennio, 18
intra quæ tempora,nisi Actor suum prosequatur Ius, Reus absolui ab obseruatione Iudicij potest,secundum Iura Ciuilia.l.properandum.in princ.C.de Iudicijs. Aliud statui quibusdam uidetur iure Canonico per c.penult. Ex. de Iudicijs. Quòd autem dictum est sententiam debere esse aut condemnatoriam,aut absolutoriam,nõ ita accipi debet, quòd necesse sit Iudicem illis ipsis uerbis in ferenda qualibet sententia uti. Satis enim est,ut uerba referãt quandam absolutionem,uel cõdemnationem,quibuscunq utatur Iudex. c. in his. Ex.de uerb.sig. Nam hæc non uerborum, sed ratione Iudicij requiruntur,ut oratio rebus,quæ geruntur,respondeat. Etenim si lis debet dirimi per sententiam inter contendentes,necesse est eius orationem non esse Exegeticam,sed definitiuam & decisoriam. 19

Porrò non sufficit sententiam esse absolutoriam,uel condemnatoriam,nisi quoq etiam in ea diserte exprimantur res, ad quas præstandas, aut ferendas Reum condemnet,aut à quibus eum liberet. Est enim Iudici omnino conandum,ut quàm fieri possit,certam ferat sententiam. Instit.de Act. §. Curare.& l.summa.ff.de re Iud. Sed in cauenda tali ambiguitate prodest plurimùm te- 20
nere Iudicem ea,quæ iuxta diuersitatem Actionum de concipiendis libellis traduntur. Nam secundum libelli petitionem,dirigenda est certitudo sententiæ,uidelicet,ut si Actione singulari aliquid petitum sit, res designetur exquisita periphrasi,ex qua singulariter cognoscatur. Si uerò Actione generali, aut uniuersali, ea appellatione notetur, qua generaliter & uniuersaliter res multæ & immensæ accipiuntur,Sicut est cernere in annotatione rerum,quę in designandis Actionibus suprà diximus,& est in hanc rem peculiaris tit.in C. de sen.quæ sine cer. quan. Vitandum quoque est Iudici ratione certitudinis, quæ requiritur in decisione causarum, ne sententia sub conditione feratur. Si tamen ita lata sit,ualet,iux.l.unicam. §. biduum.ff. Quando appel. sit. Hoc tamen modo, ut si conditio deprehendatur extitisse antequam sententia ferretur,ea retrahatur,quasi purè lata esset,arg.l.furti.ff.de ijs,qui infamia notantur. Si uerò sententia concepta sit in conditionem futuri euentus,ut sententia non habeat effectum,donec extiterit,aut spes esse desierit, eam extituram,arg.l. cedere diem. ff. de uerb.sign.& §. ex conditionali. Inst. de uerb. obligat.

Conditionalis sententia non fertur.

Videri potest ad legitimam sententiæ formam pertinere quæstio, qua du- 21
bitari solet, an causa, quæ mouerit Iudicem, in sententia exprimenda sit nec ne. Ac uidetur quidem tutius esse,ne exprimat eam, quamuis nõ prohibeatur iure,quia nisi assignet idoneam causam,sententia redditur inutilis,propter uitium pronunciationis, etsi sufficiens causa in Actis extet.l.qui Testamento. ff.de excus.tut. Occurrere tamen potest casus,in quo necesse sit exprimi cau- 22
sam in sententia, ut si propter ineptitudinem libelli Reus absoluatur ab instantia iudicij,necesse est ineptitudinis causam inseri sententiæ.l.i.ff. si mens. fal.mod.dix.& c.examinata.Ex.de iudicijs. Item ubicunque non obseruato legitimo ordine Iudiciorum in causis processum est, ut si lis non sit contestata,arg.c.i.Ex.de conteſt.litis. Si pronuncietur propter autoritatem testium non iuratorum,aut legitimè examinatorum, uel altera parte non contumaciter absente,aut non publicatis testimonijs. Ex. de testib. c. nup.& c.tuis. & in Auth.de testib. §. & hi uerò.coll.vij.& iux.not.dd. cir.l.ea quæ.C.quomodo & quando Iud.sen.profer. de. Et manifesta est ratio, quia religio Iudiciorum exercendorum exigit,ut temere,& absq causa contra neminem pronunciemus.c.nos in quæcunq.ij.q.i. Proinde nisi ulla in actis extet sufficiens & apposita causa sententiæ, nos non debemus absque relatione causæ sententiam ferre in ulla controuersia. Habet autem locum hoc consilium de

omittenda

24 omittenda in pronunciando causa, antequàm appellatum est in ea. Nam post appellationem iudex appellatus semper tenetur exprimere causam in sententia, quia necesse est, ut iudicet, quare iudicis, à quo appellatum est, sententiam probet, aut improbet, iuxta gl. c. sicut nobis. Ex. de sen. & re iud.

24 Aduertendum præterea est in pronunciando, an in personam domini, uel eius Procuratoris concipienda sit sententia. Euenit enim sæpissimè, ut quis causam suam non per seipsum, sed procuratorem agat, ac nonnunquàm agere cogatur, quare non frustra hac de re in formanda sententia quæritur. Variant autem in decisione huius quæstionis dd. plurimùm. Sed consuetudo obtinuit, ut sententia feratur contra utrunque, iuxta gl. l. i. C. de sent. & interlocut. omnium iud. & Bar. ibidem uult, sententiam in personam pupilli cõcipi, licet Tutor eius nomine in iudicio uersatur. Sunt tamen casus, in quibus propter ius speciale sententiam non nisi in dominum ferre iudex potest, licet per procuratorem suum causam egerit. l. fin. C. de iniur. iis. Et hoc absq; exceptione semper fit in Criminalibus, quia executio talium causarum immediatè
25 in dominos fit. Est quoq; in pronunciando cauendum, ne contra personam pronunciemus, quæ in humanis non est. Nam illud est, quod dicitur in Pro-
26 uerbio, cum laruis luctari. Et in ipsis rebus, quæ mandantur sententiæ, uidendum est, ne tales sint, ut ea præstari nullo modo possint. l. penul. & ult. ff. Quæ. sent. sine appel. rescindi poss. Temporis quoque circa sententiæ promulga-
28 tionem ratio habenda est. Nam cùm in ferendis sententijs iudicia acerrimè exerceantur, meritõ ab illis, sicut cæteris quibusdam iudiciorum exercitijs,
27 in diebus feriatis abstinemus. xv. q. iiij. cap. i. & ij. Turpissimum autem omnium est, iudicum sententias habere uenales. ij. q. vi. cap. i. §. diffinitiua. uers. uenales.

Veniam autem ad declarationem specierum in discernendis sententijs. Nam formam generalem sententiarum absoluimus. Et primùm dicam de Interlocutoria, quia ad eam ordine procedendi in causis prius peruenitur. Ea
29 nanque dicitur interlocutoria sententia, qua aditus ad principalis causæ cognitionem paratur. Id uerò fit duobus modis: Aut enim iudex simpliciter aliquid imperat litigantibus ut faciant, aut remoras exceptionum, quas utrinq; attulerunt, sua pronunciatione aufert, ut peruenire absque obstaculis ad decisionem principalis causæ possint. Vnde gloss. circa Cle. i. de sequest. poss. & fruct. dicit interlocutoriam sententiam esse, quæ inter principium & finem causæ fertur super his, quæ incidunt, uel emergunt, uidelicet, circa prin
30 cipalis causæ cognitionem. Talis uerò sententiæ non est tanta uis, quanta est in definitiua, nam ea lata semper potest reuocari per iudicem, nisi per eam iusserit partẽ alteri aliquid restituere, uel dare. Restituere, ut si in iudicio petitorio iudex iusserit possessionem ei restitui, qui ea deiectus sit, antequàm procedatur in petitorio, non potest iudex suam sententiam reuocare, quia definitiuæ speciem habet, iuxta not. cir. l. unicam. C. si de moment. possess. appel. fue. Dare, ut si propter contumaciam aliqua pars alteri condemnatur ad expensas soluendas. Nam & talis sententia refert naturam definitiuæ, & si
31 per eam principali causæ nihil derogetur, iuxta not. circa l. properandum. §. fin autem. C. de iudicijs. Neque reuocari posse uidetur sententia, de Exceptione incidente, quæ, cùm causa nata est, fertur. Nam etsi talis sententia non præbeat nobis ius agendi, sicut ex re iudicata sententiæ definitiuæ nobis competit, tamen parit Exceptionem Rei iudicatæ, ut si quis, cùm ab eo peterentur decem, oppoſuerit Exceptionem compensationis, & cognita re iudex inueniat debitum compensationis non esse liquidum, ac proinde pronunciet compensationem non habere locum, potest Actor postea conuentus ab eo, qui exceptionem compensationis ei obiecit, intentionem eius depellere allegatione rei iudicatæ. l. quod in diem. §. si rationem. ff. de Compen.

Idem sanè censendum uidetur de omnibus Exceptionibus peremptorijs. Nisi enim lata de illis sententia firma haberetur, sed iudici liceret quoties illi uisum esset, eam reuocare, tum incerta admodum esset progressio ad principalis causæ decisionem. At sententiæ, quibus iudex interloquitur, de Excep- 31
tionibus emergentibus, ut sunt Dilatoriæ propemodum omnes, & maximè quæ de personis loco iudicum, procuratorum, aut testium admittendis feruntur, reuocari à iudice posse uidentur, quia ex illis minus oritur remorarij perueniendi ad definitiuam in causa sententiam. Vt enim iudex dilationem datam propter insperatum impedimentum extèdat, uel in breuius tempus cõtrahat, aut testem admittendum dixerit, tamen cursus expediendæ litis ob id non ualde impeditur, quia ex ea nullum existit litis expediendæ impedimentum peremptorium, sed tantùm temporarium quoddam obstaculum, quod facilè possit remoueri, aut leui usura temporis sarciri, itaq; l. quod iussit. ff. de re iud. cir. quam dd. hac de re certant, potissimùm de illis interlocutionibus accipiendam puto, quæ de exceptionib. emergentibus circa causæ cognitionem fiunt, & non in ipsa causa hærent. Quamuis autem tales sententię interlocutoriæ, quæ de dilationibus in constituenda cognitione litis & dilatorijs exceptionibus feruntur, possint reuocari à iudice, & ob id respectu iudicis non transeant in rem iudicatam, tamen elapsis decem diebus, parti, cui ea uideri posset incommodata, non datur prouocatio, iuxta glos. c. cum cessante. Ex. de appell. quæ & formam reuocandæ interlocutoriæ sententiæ per iudicem ostendit, quasi usus exigat, ut quis utatur, sciat nequaquam sibi negligenda esse ea, quæ de obseruationibus generalis formæ in promulganda sententia, paulò antè annotauimus. Magis tamen curiosè eorum obseruatio in sententia definitiua, qua de principali causa pronunciatur, custodienda est. Nam si quid ex illis, quæ circa solennitatem actus, aut in ipsa forma orationis obseruanda esse indicauimus, omissum sit, tanquam illegitima reijcitur, autoritate legum, ad quas discentes in descriptione legitimæ formæ sententiarum remisimus.

Dilatoriæ exceptiones emergentes.

Forma reuocandæ sententiæ.

Porrò, si nihil talium in sententia definitiua desideretur, ut tanquàm illegitimo modo lata, pro nulla haberi possit, nec ab ea appellatum sit intra spacium, quo appellatio à legibus permissa est, tum transit ea in rem iudicatam, hoc est, talem consequitur autoritatem, ut contrauenire nemo possit, nec iudici quidem liceat eam reuocare, mutare, aut aliquam eius partem tollere uel emendare, siue benè, siue malè iudex suo officio in ea ferenda functus sit, l. iudex. ff. de re iudicat. & iuxta totum titul. C. Sente. res. non posse. Sed in hac regula primùm hoc uenit considerandum, quòd sententia contra ius litigantium malè lata transeat in rem iudicatam, si ab ea appellatum non sit. Vt si quis, cùm se existimaret cuiusdam cohæredem, egerit familiæ Herciscundæ, & iudex per sententiam definitiuam iusserit conuentum diuidere cum eo hæreditatem, nec condemnatus appellarit, tum etiamsi postea ei compertum fiat, illum, cum quo diuisit hæreditatem, non esse suum cohęredem, tamen repetere ab eo id, quod ex diuisione hæreditatis ad eum peruenit, non potest, quia ex causa iudicati illud solutum est. l. cùm putarem. ff. famil. herciscund. Sibi enim imputet necesse est, quod sententiæ contra ius suum latæ acquieuit, cùm appellare ab ea possit. Secus si sententia lata sit contra ius diuinum, 33
aut naturale. Nam sententia manifestam iniquitatem continens est ipso iure 34
nulla, nec potest quis iure cogi, ut ei stet, etiamsi prohibitus sit ab ea appellare. cap. inter cæteras. & ibi gloss. Extr. de senten. & re iudicat. Per sententiam enim non potest tolli naturalis obligatio, iuxta glos. §. item in iudicio. Instit. de Except. Proinde sententia, quæ sine peccato mortali seruari non potest, rectè à iudice reuocatur, & à litigantibus tanquàm nulla negligitur, quia transire in rem iudicatam non potest, propter offensionem conscientiæ,

argu-

argumento ſententiæ contra matrimonium latæ. ca. per uenerabilem. ℣ uiduarum. Ex. qui filij ſint legit. Item exemplo D. Hadriani, qui ſententiam notoriè iniquam iuſsit reuocari. l. Diuus. ff. de re iud. & C. de fal. Inſtrum. l. i. & ultim.

35 Præterea uidetur & licitum eſſe iudici, ut mutet ſententiam, ſi intelligat e-
36 am obeſſe reip. argumento l. quod ſemel. ff. de Decret. ab ord. faciendis. Vitium autem Grammaticum ſi quod eſt in uerbis ſententiæ, poſſe per iudicem
37 tolli, non eſt dubium. l. Actorum. ff. de re iud. Poſtremò poteſt iudex ſentẽtiam definitiuam latam non ſolũm mutare, ſed & ſupplere in pronunciando de acceſsionibus & imminutionibus actionum, ſi tamen eadem die, qua ferat ſententiam, id ab eo fiat, & anteq; pronuncietur, in actis id petitum ſit. l. Paulus. ff. de re iud. Nefas enim uidetur, peracto ſemel iudicio iterum permittere, ut ex ſopita lite noua lis de acceſsionibus & imminutionibus Actionum moueatur. l. terminato. C. de fruct. & lit. expen.

38 Quia uerò de dicendis ſententijs hic agimus, erat hoc loco quoque indicandum, quando iudex uictum uictori ad ſoluendum ei intereſſe condemnare debeat, aut non. Verũm quia ſuprã in tractatu de Actio. & acceſsionibus abundè indicauimus, quando quodque intereſſe peti poſsit aut non, ſatis ſit hic admonuiſſe, quòd tum ſit tribuendum per ſententiam, quando iura per
39 mittant, ut illud tanquãm debitum petatur. Poſtquàm autem iudex intellexit ſibi incumbere, ut pronuncíet, quę pars alteri ad ſoluendũ intereſſe tenea tur, reliquum eſt, ut ſciat quoq;, quatenus probari & æſtimari intereſſe debeat, ne pars ad id ſoluendum condemnata, alterius partis poſtulatione contra æquitatem oneretur, & quia hoc ad iudicis cognitionem præcipuè pertinet, non eſt omittenda huiuſmodi proceſſus annotatio. Itaque illis, quæ de ſententijs dicta ſunt, loco appendicis adiungamus ea, quæ ueniunt obſeruanda in adiudicando intereſſe. Parit autem hac in re diuerſitatem iuris ipſe caſus,
40 ex quo uidetur competere intereſſe. Nam ſi res, quæ loco intereſſe, eſt certa uel quantitate, uel ſpecie, tum is, cui id adiudicatum eſt deberi, cogitur eius
41 æſtimationem teſtibus aut alijs legitimis documentis oſtendere. Ac ſiquidem eam ratione affectionis ſuæ pluris æſtimet, quàm alioqui eius precium eſſe uideatur, tamen ultra duplum communis precij æſtimare eam non poteſt. Vt ſi quis alicui commodato det ſcutum paternum, & iſtud culpa commodatarij reddatur, & fiat deterius, tum ſi commodator probet iſtud comparatum eſſe xx. aureis, nec uelit eius precij ſolutione eſſe contentus, quia pro eo nulli iſtud ſcutum fuiſſet daturus, propter patris memoriam, tamen pluris,
42 quàm xl. aureis æſtimare iſtud non poteſt. Neq; in tali caſu admittitur quis, ut ſuo iuramento maius precium rei conſtituat, quia Imperator nefas eſſe duxit, periurijs patefacere ea, quæ abſque magno incommodo litigantium definiri alio modo poſſent. Atque hic quidem proceſſus in declarando intereſſe obſeruatur, cùm ex nudo contractu illud competit. Inſtitut. de uerbor.
43 obligat. ℣ non ſolũm. & ibi gloſſ. & l. argentarius. ℣ fin. ff. de Edendo. Nam ſi ex dolo circa contractum adhibito, aut extra contractum ex delicto debeatur intereſſe, tum ſi illud probari legitimis documentis non poſsit, is, cui deberi iſtud iudicatum eſt, admittitur, ut taxatione à iudice, ſecundum rerum interuerſarum qualitatem de damno inde emerſo & lucro ceſſante facto iuret, ſe tanti eam rem facere, quanti ualere eam iudex taxarit, ac deinceps primùm iudex illum in eam ſummam condemnet, quem antèa intereſſe debere pronunciauit. l. ſi quando. C. unde ui. Et in tali caſu, quando uidelicet iuratum eſt ratione incertitudinis in æſtimanda iactura rei interuerſæ per dolum, aut delictum alterius, iudex non poteſt eam ſummam, quam ſua taxatione, antequàm in eam iuraretur, conſtituit, minuere, aut augere, poſteaquàm præſtitum eſt iuramentum: ſecus quando iuratum eſt in talibus caſibus non

ſolũm incertitudinis,ſed & affectionis,in æſtimanda re, cauſa, nam tum licet aliquid iudici de ſumma precij,in quam ita iuratum eſt, quòd is, cui debetur intereſſe,malit tanta pecuniæ ſumma carere, quãm re interuerſa (ſi eam habere poſsit)detrahere,& minoris condemnare Reum. l. uideamus. §. fin. & l. ſequent. ff. de in litem iur.

Porrò ſi res ipſa,& non ſolũm eius æſtimatio incerta eſt, nec is, cui debetur intereſſe,poſsit æſtimationem eius liquidam facere, tum ſiue intereſſe ex contractu, ſiue ex delicto debitum ſit, ſemper licitum eſt iudici, ut, ſicut dictum eſt,iacturam rei ſuæ taxatione æſtimet,ac poſtea copiam faciat ei, qui illud petit,ut ſecundum eius taxationem iuret. C. de ſentent. quæ pro eo,quod in. proferuntur. & Auth. de iudicibus, §. oportet. & gloſſ. c. ult. Ex. de his, quæ ui metũue cauſa fi. Vt ſi quis neglexerit facere, quod facturum ſe receperat,incertum omnino eſt, quanti referat eius,cui promiſſum eſt, id præſtitum eſſe. Itaque ſi probare non poſsit, quanti ſua referat, permittitur illi, ut 44
iuramento ſuo poſt taxationem iudicis ſuum intereſſe declaret. Idem proceſ- 45
Expenſæ iudiciales. ſus obſeruatur in conſtituendo modo expenſarum iudicialium, ſi quis ad eas ſoluendas,uel propter contumaciam,uel malitiam ſuam, quæ ex eo deprehenſa eſt,quòd calumnioſe aut exceptionem aliquam oppoſuerit,aut non ſatis iuſtam cauſam mouendæ litis habuerit, iuxta gloſ. c. finem. Ex. de dolo & cont. Nam appellatione intereſſe comprehenduntur ea omnia, quæ aliquis ſibi de 46
ceſsiſſe ex aliena iniuria oſtendere poſsit. Quando igitur incertum eſt, quæ expenſæ in ſuſtinenda lite factæ ſint,tunc ueriſimiliter ſua taxatione eas æſtimare poteſt. Ac deinde permittere parti, quam in eas condemnauit, ut iu- 47
ramento ſuo eius taxationem confirmet, ne partem re non probata oneret. Eſt autem ut plurimũm incerta æſtimatio expenſarum, propterea quòd 48
quamuis in Authen. de iudicibus, §. ut autem. conſtitutum ſit, ut nomine 49
ſportularum iudicibus ã qualibet parte in principio litis ſoluantur duo aurei, & duo in fine, ſi ſumma rerum,de quibus certetur,excedat centum aureos, ta-
Sportulæ. men id non eſt in uſu, ſed quodlibet iudicium propemodum ſuas, & diuerſas ab illis exigit ſportulas,ſicut & glo. ibid. teſtatur. Neque in tit. C. de ſport. quicquam de moderatione ſumptuum iudicialium extat,etſi inſcriptio magnificẽ hoc promittat. Quare ubi non conſtat de talibus ſumptibus, neceſſe eſt eos æſtimari ſecundum id quod ueriſimiliter uidetur eſſe impenſum in apparitores iudicorum,in Teſtes & aduocatos, & id genus alia facienda, quæ ad ſuſtinenda iudicia requiruntur.

Tertia quædam ſpecies ſententiæ eſt,quæ à re,de qua fertur, dicitur Mul- 50
ta,neque enim ea profertur,niſi ad imponendam pœnam pecuniariam contumacibus,propter contemptam autoritatem iudicis. Erit autem commodior dicendi de ea locus infrà, ubi de executione rei iudicatæ dicemus. Nam in exequenda re iudicata euidens eſt mulctæ uſus, quia eius metu ad parendum ſententiæ compelluntur damnati. Itaque pergemus ad dicendum de impugnatione ſententiæ interlocutoriæ & Definitiuæ. Cũm enim procliue ad 51
modum ſit, falſam ſententiam ferre,utile eſt tenere modos, quibus occurri il- 52
lis poſsit, ne nobis fraudi ſit earum ratihabitio, aut noſtra in illis admittendis ſupinitas. Antequãm autem quis conetur ſententiam impugnare, uidere debet, an ſecundum allegata & probata, & ut exigunt iura & conſuetudo,atque legitima forma cum obſeruatione ſolennitatum lata ſit. Nam ſi tale quid 53
circa eam non obſeruatum eſſe appareat, non eſt opus eam impugnare,quia
Sententia nulla. ipſo iure pro nulla habetur ſententia, quæ manifeſtum iuris errorem continet,adeõ,ut nec in rem iudicatam tranſeat, etiamſi ab ea appellatum non ſit, aut prouocatio ab ea facta deſerta ſit. l. ſi expreſſum. ff. de appellat. Proinde illi,qui contra aliquam ſententiam uenire uolunt, prudenter faciunt,ſi prius expendant,an ea ob neglectam obſeruationem iuris reprehendi poſsit, nec

ne.

ne. Subleuantur enim labore eius impugnandæ, si quid illorum neglectum
54 est, quæ suprà in ea proferenda requiri indicauimus. Et sunt in hanc rem peculiares tituli iure Romano proditi, in quibus annotantur casus habendæ sententiæ pro nulla. ff. Quæ sentent. sine appellat. rescindantur. C. quando prouocare non est necesse. Item si à competente iudice iud. esse dic. Item de errore calculi. Nam & hic casus inter eos ponendus est, quibus sententia pro
55 nulla habetur, si alia summa in sententia expressa sit, quàm petita est. Ex his titulis petere cuique licet exempla sententiæ habendæ pro nulla, si eueniat
56 casus, qui à nobis in descriptione legitimæ sententiæ omissus uidetur. Igitur contra quem talis sententia lata est, defendere se nullitatis Exceptione potest, si ex ea conueniatur, & talis exceptio competit ei perpetuò, hoc est, xl. annis, quibus omnis actio & obligatio tollitur. Extra. de præscript. c. uigilanti. quia sententia, quæ ipso iure nulla est, absque præfinitione temporis retra-
57 ctari potest, nisi loci aut fori consuetudo aliud in usu habeat. Nam ueritas & falsitas rerum, non mutantur temporibus. l. sicut. C. ad l. Corn. de fal.

Si uerò eius, contra quem lata est sententia, intersit, eam nullam pronunciare, ut aliam causæ decisionem impetrare possit, permittitur ei, ut per imploratione officij iudicis petat aliam ferri, argumento l. quod mihi. ff. de lib. ag. Et quamuis hæc l. per Specul. ad hoc probandum allegata, non ualde sit idonea, tamen ita obseruatur. Ac ijs quidem casibus, quibus suprà diximus iudicem suam sententiam reuocare posse, sufficit, simpliciter petitam esse emendationem sententiæ, quia in talibus casibus, aut euidens est causa eius re
58 uocandæ, aut solennitas processus iudiciarij non requiritur, sed si ratione nullitatis petatur mutari, aut corrigi sententia, necesse est errorem, aut fraudem iudicis legitimis documentis declarari, ut causa, propter quam contendi tur esse nulla, fiat manifesta. cap. cùm Bartholdus. Extra. de sentent. & re iudicat. Nulla autem dici sententia non potest, nisi aut manifestam contineat iniquitatem, aut contra ordinem iudiciarium ad eam ferendam processum
59 sit. Iniquitas ostendenda est testimonijs diuini aut humani iuris. cap. i. & ibi
60 gloss. Extra. de senten. & re iudicat. & l. si expressum. ff. de appellat. Neglectus ordo declaratur, cùm aliquid eorum, quæ fieri in inuestigatione causæ
61 iubentur, omissum esse ostẽdi possit. Est autem ordo causas cognoscendi duplex, Generalis uidelicet, & Specialis. Generalis est, qui omnibus causis cognoscendis communis est, cuius obseruationes & gradus in cognoscendis causis hactenus ostendimus. Specialis uerò est, qui peculiariter in aliqua cau
62 sa obseruari præcipitur. Vt in concursu petitorij & possessorij iudicij iubetur prius pronunciari de possessione, quàm de proprietate. l. i. C. de appell. Sed si quid contra hunc ordinem iudicatum sit, non ob id sententia dici potest nulla. Nam si cæteris obseruationibus cognoscendarum causarum ad eã progressum est, ualet ea mero iure, nec potest retractari, nisi ab ea appellet. Partium enim, & non iudiciorum causa, iste ordo cognoscendi constitutus est, nimirum, ne incerti de possessione frustra dominium obtineant, cùm non habeant, qui rem illis cedat, etiamsi suam esse probauerint. Itaque ualet talis sententia, sicut aliæ contra partium iura latæ, neque in ordine cognoscendi generali quælibet obseruatio iudiciorum neglecta, sententiam reddit nullam. Nam si non petita sit satisdatio, uel dilatio ei competens, aut non factæ sint positiones, aut ad eas non sit responsum, aut testes nõ producti, aut instrumenta non exhibita, nec publicata, aut si non sit interlocutum, renunciatum, concluſum, ut oportuit, aut allegatio necessaria intermissa sit, & iudex pronunciet, tenet sententia, nisi ab ea appelletur, quia ea inuicem à partibus, & non à iudice requiri debet. argum. l. ij. §. fin. C. quand. pro. non est necesse.
63 At si quid eorum, quæ ad cognitionem legitimam necessariò requiruntur à iudice, ut si omissa sit citatio partium, aut non oblatus libellus, aut lis non

conteſtata, aut de calumnia non iuratum, aut ſententia non ſit lata, ſecundum legitimam formam, quam ſuprā deſcripſimus, tum ea poteſt dici nulla, quia ea iudiciorum rectè conſtituendorum cauſa obſeruari iubentur, ut iudex ritè & ordine peruenire in cauſæ notitiam poſsit, iuxta l. probatam. C. de ſenten. & interlocu. omnium iud. & ibi gloſſ. Quoties autem exigit caſus, ut de nul- 64
litate ſententiæ pronuncietur, non apud alium iudicem ſuperiorem, ſicut in appellationibus, ſed apud eundem, qui de cauſa principali iudicauit, cauſa agenda eſt, leg. ſi præſes. C. Quomodo & quando iud. Sed hoc tunc ſolūm fit, quando coram ordinario cauſa agitata eſt, nō cūm apud delegatū iudicem. Nam eius iuriſdictio extinguitur, cūm ab eo malè iudicatum eſt, & poteſt 65
ab eo ad delegantem appellari, ac peti, ut aut ipſe cauſam cognoſcat, aut alteri eam cognoſcendam demandet. C. quomodo & quando iudex &c. leg. ſi ut proponis. circa quam Bartol. copioſe reſpondet ad quæſtionem, an ſufficiat ex iiſdem actis ſententiam declarari eſſe nullam, an uerò requiratur, ut noua cauſæ cognitio inſtituatur. Quod autem dictum eſt de delegato, ac- 66
cipi debet de ſententia definitiua per eum lata, non de interlocutoria. Nam eam reuocare poteſt, ſicut quilibet alius iudex, quia per eam non deſinit eſſe iudex, ſed uia tantūm ſternitur perueniendi ad definitiuam ſententiam.

Itaq; & arbiter ſententiam interlocutoriam reuocare poteſt. l. diem. ff. de 67
arbitris, & de reuocatione interlocutoriæ ſententiæ pleniſsimè agit Bartol. circa l. quōd iuſsit. ff. de iud. Præter hanc autem formam impugnandæ ſententiæ, ſunt & aliæ quædam, ſed neutra earum tam firma & durabilis eſt atque hæc. Nam reliquæ omnes aduerſus ſententias ipſo iure ſubſiſtentes, neq; pariter omnibus, neq; perpetuò, ſicut hæc, competunt. Inter eas autem communiſsima forma impugnandæ ſententiæ eſt ea, quæ fit per Procuratorem, ab inferiore ad ſuperiorem iudicem. Sed eius uſus breuiſsimo temporis curriculo nobis eripitur, nempe decem dierum, & ea ſuſcepta planè nouum certamē inſtituendum eſt, ut peculiarem requirat tractatum, cūm per eum non ſolū ſententia, ſed & executio, & quælibet iudiciorum indigna proſecutio impugnari poſsit. Proinde idoneum erit, ut de ea agamus abſoluto generali iudiciorum proceſſu. Supplicationibus autem non quærimus ſubſidium aduer- 68
ſus ſententiam, niſi cūm ea lata eſt à tali iudice, à quo non eſt licitum prouocare, iux. tot. tit. C. de ſent. præfec. prætor. Nec contra ſententias iure ſubſiſtentes, quæ mero iure ualent, petere reſtitutionem in integrum licet, niſi illis, quibus id beneficij loco conceſſum eſt. C. ſi aduerſus rem iud. &c. Et auxili- 69
um, quo ſeruo ab omnibus deſerto ſuccurritur, & ob id triſte dicitur, ſolis ſeruilis conditionis hominibus datum eſt, ne innocentes opprimantur. l. ſeru. ff. de appel. Itaq; de his formis ueniendi contra ſententiam rectius agetur infrā de beneficijs & priuilegijs iuris.

Vnum tamen eſt reliquum ſubſidium impugnandæ ſententiæ, quod huc 70
referendū uidetur, nempe querela falſi. Nam & illud ſubſidium generaliter omnibus competit, qui falſorum inſtrumentorum, & teſtium autoritate, & ſubornatione ſe ſuccubuiſſe iudicio oſtendere poſsint, ſi in perueſtigatione cauſæ cognitum de crimine falſi non ſit, & appareat iudicem ſpecie talium probationum deceptum eſſe, & propter odium eius criminis non ſolūm iube 71
tur reſcindi ſententia, antequām ab ea appellatum ſit, ſed & permittitur, ut poſtquām ea tranſierit in rem iudicatam, læſus per eam in integrum reſtituatur, ut denuo experiri iudicium iterum poſsit. At ſi quid ſecundum eam ſolutum ſit, liceat ei illud repetere. leg. ſi Prætor. ſ. Marcellus. ff. de iudicis, & de re iudicata. leg. diuus. C. tot. titul. Cod. ſi ex fal. Inſtrument. uel teſt. iudic. ſit. Si quis autem poſtquām ſententia in rem iudicatam tranſierit, uelit eam reſcindi prætextu nouorum inſtrumentorum, aut erroris in calculo admiſsi, ille non auditur. l. res iudicata. & l. ſub ſpecie. C. de re iud.

ff.

Pleraque sunt de sententijs in titulo de iudicijs & re iudicata, alioqui nullus est tit. qui huc peculiariter pertineat, quàm is qui ita inscribitur: Quæ sententiæ sine ap. rescin.

Cod.

De Sen. & interlocut. omnium iudicum.
Comminationes, Epistolas, Programmata, Subscriptiones, auto. rei iud. non habere.
De sent. quæ pro eo quod interest, proferuntur.
De fructibus & litium expensis.
Quomodo & quando iudex sententiam proferre debeat &c.
De sententijs ex breuiculo recitandis.
Sententiam rescindi non posse.
Quando prouocare non est necesse.
De sententia quæ sine certa quantitate prolata est.
De errore calculi.
Si non à competente iudice iudicatum esse uideatur.
Si ex falsis instru. & testimonijs iudicatum sit.

In Dec. & Sex.

De Sententia.

DE RE IVDICATA.

Caput XXXI.

SVMMARIVM.

1. Res iudicata quæ dicatur.
2. Rei iudicatæ autoritas quanta sit.
3. Non solùm exceptio, sed & actio in factum uictori ex re iudicata competit.
4. Qualem exceptionem habeat is, qui contra sententiam uenire uelit.
5. Commodatæ rei precium quando reddendum.
6. Per sententiam non tollitur naturalis obligatio.
7. Bona fides non patitur, ut idem bis exigatur.
8. An res iudicata illis solùm ptæiudicet, inter quos iudicatum est.
9. Res inter alios acta, alijs non nocet.
10. Querela inofficiosi testamenti rescindi testamentum.
11. Pater recusans alere filium.
12. Res iudicata præiudicat omnibus petentibus rem, quam cùm peterent ab eo, à quo quis eam accepit, succubuerunt.
13. Ius in retinenda re acquisitum alienari posse.
14. Sicut inter alios acta alijs non nocent, ita nec prosunt, nisi eadem causa pariter multos contingat.
15. Quando unius uictoria alterum subleuet.

DECISIO litis est res iudicans, sed illud, quod in ea decisione statuitur, fit res iudicata, si ea ritè & legitimè est facta, ita ut tanquàm nulla impugnari non possit, nec ab ea appellatum sit. 1 2 Nam res iudicata dicitur, quæ neque propter manifestam iniustitiam, aut errorem iudicis reprehendi potest, neque spe tolerabilioris sententiæ ad superioris iudicis cognitionem prouocando translata est, sicut lex prim. ff. eodem innuere uidetur, & in Epigraphe eiusdem tituli in Digest. hæc est uerbi expolitio, quòd de re iudicata agens loquatur 3 de effectu sententiarum, & non de forma earum promulgendarum. Quare ubi agitur de re iudicata, ibi uertitur quæstio, quæ sententia habeat uim sententiæ, aut non. Tanta uerò est rei iudicatæ autoritas, ut non sola Exceptio,

sed & in factum Actio uictori ex ea competat. l. miles. in fin. ff. eodem. & C. de rebus cred. l. Actori. Neque potest quidem quisquam contra eam uenire, nisi habeat exceptionem, quæ sententiæ latæ perpetuò deroget, & irritam eam faciat, aut peculiari aliquo beneficio iuris contra eam iuuetur, aut eueniat casus, qui propter naturalem æquitatem requirat, ut aliud, quàm iudicatum sit, fiat, ut si quis, cùm rem commodatam amisisset, eius precium commodatori per sententiam dare coactus sit, & postea eueniat, ut commodator eam rem recuperet, tum si ultrò præstitum precium reddere ei nolit, non obstante re iudicata petere potest, ut aut rem commodatam, aut solutum ei precium reddat. leg. incommodato. ff. commodati. Et alia huiusmodi casuum exempla sunt in leg. si fullo. ff. de condiction. sine causa, & cap. secundo, Extra. de purgat. uulg. Et est huius repetitionis contra rem iudicatam ratio, quòd per sententiam non tollitur naturalis obligatio. ff. de condict. indeb. l. Iulianus. & Institut. de except. §. Item si in iudicio. unde & si quis sententia iudicis iussus sit aliquid soluere, & antequàm id faceret, res soluenda recuperetur ab eo, cui soluenda erat, potest se is contra autoritatem iudicati, exceptione doli tueri, ne soluere cogatur. C. eo. l. i. Bona nanque fides non patitur, ut idem bis exigatur. l. bona fides. ff. de reg. iur. Quæ uerò sint istæ Exceptiones, quibus sententia conuincatur esse nulla, proximo capite ostendimus. Et quod cuique competat hac in re beneficium, dicendum erit infrà de Priuilegijs. 4 5 6 7

Iam igitur hoc solùm nobis quærendum uidetur, quòd cùm tanta uis sit rei iudicatæ, an illis solùm ea præiudicet, inter quos iudicatum est, an uerò etiam illis, quos controuersia, de qua iudicatum est, uel ratione communis rei, uel contractus contingat. Nam hoc potissimùm in re iudicata considerandum uenit, quàm latè se ius sententiæ extendat, ad nocendum alijs, uel ad eos iuuandos. Est autem generalis regula, quòd res inter quosdam gesta non noceat alijs. l. i. & ij. ff. de excep. rei iud. Et habet hæc regula locum, siue in iudicio, siue extra iudicium aliquid actum sit, iuxta tot. tit. C. Res inter alios acta uel iudicata, al. non noc. In re autem in iudicio acta, hoc addendum est regulæ, quòd ne tum quidem nobis præiudicent acta aliorum, si nostro nomine quid fecerint, si id sine nostro mandato, aut ratihabitione factum sit. l. i. C. quibus res iudicata non noceat. Licet autem hæc regula sit ualde generalis, tamen si quid fiat, me sciente, & non prohibente, ab eo, qui commune ius ea in re, de qua actum est, mecum habeat, cùm potuerim eum prohibere, tum sententia contra eum lata mihi præiudicium parit: secus si eius molitionem nescierim, neque potestatem eum prohibendi habuerim, iuxta l. sæpe. ff. de re iudicat. & ibidem dd. Sunt quoque casus, in quibus sententia simpliciter omnibus præiudicat, quorum interest non esse ita iudicatum, si ea in rem iudicatam transijt, ut si querela inofficiosi testamenti, rescissum sit testamentum, ea quæ ex eius dispositione nomine legatorum, aut fideicommissi debita fuissent, si contra illud non esset iudicatum, peti non possunt: Imò etiam soluta repetuntur. l. Papinianus. §. fin. ff. de inoffic. test. Item si pater recuset alere filium, quia eum non agnoscat pro filio, & postea iudicatum sit, eum esse eius filium, tum non solùm pater cogitur eum alere, sed & reliqui eius liberi coguntur eum secum ad hæreditatem paternam tanquàm fratrem admittere. l. ij. & iij. ff. de liber. agno. Et regulariter res iudicata præiudicat omnibus petentib. rem, quam cùm peterẽt ab eo, à quo quis eam accepit, succubuerunt, Vt si contra Titium iudicatum sit, cùm à me peteret Tusculanum prędium rei uendicatione, & ego istud prædium postea uendam Sempronio, tum ope exceptionis rei iudicatę iuuatur Sempronius, si Titius denuo in petendo eo prędio rei uendicatione experiatur, ego uerò non possem effugere ope exceptionis rei iudicatæ, quin Titius istud prædium à me uendicaret, etiamsi 8 9 10 11 12

cum

13 cum Sempronio emptore meo agens succubuisset, quia ius in retinenda re ac quisitum alienari potest, sed res alienata meliore iure ad alienatorem non redi it, quàm eam habuit. l. si ante. §. fin. ff. de except. rei iud. & de contrah. empt.
14 l. dolui. §. eum qui. Porrò sicut inter alios acta, alijs regulariter non nocent,
15 ita nec prosunt, nisi eadem causa pariter multos contingat, sicut est causa Tutelæ & societatis, nam in illis unius uictoria alterum subleuat, nisi tutela diuisa fuerit, aut inter socios de periculo & commodo rerum socialium aliud pactum sit, atq; etiam talis res fuerit, quæ possit diuidi, iuxt. not. circ. tit. C. Si unus ex pluribus appel. & ij. q. vi. §. sunt quorum. Exemplum autem quo uni us uictoria prodest alijs, quos causa, de qua iudicatum est, contingit, est in l. posthumus. §. si quis. ff. de inoff. test.

ff.

De re iudicata, & de effectu sententiarum, & de interlocutionibus iudicum.

Huic tit. addi potest titulus de except. rei iudicatæ, quamuis & suprà de Except. eius mentionem fecerimus.

Cod.

De re iudicata. Quibus res iudicata non noceat.

Res inter alios actas uel iudicatas alijs non nocere.

In Dec. Sex. & Clem.

De sententia, & re iudicata.

DE EXECVTIONE REI IVdicatæ. Caput XXXII.

SVMMARIVM.

1. Iudicis officium imploratur, ut sententia executioni mandetur.
2. In petitione executionis nouo processu opus non est.
3. De quæstionibus executionis summatim cognoscatur.
4. Lites ex litibus serendas non esse.
5. A iudice exigit officij ratio, ut in executione moras non nectat.
6. Ab ordinario petenda est executio.
7. Quomodo executio fiat, & quidem tripliciter. (stituat.
8. Apparitor, siue executor mittitur ad condemnatũ ex actione reali, ut rem re-
9. Cautio exigenda à condemnato ad præstandam litis æstimationem uictori.
10. Condemnatus ex actione personali habet quatuor menses ad soluendum.
11. Pignora à cessante capiuntur.
12. Ordo in facienda executione, quis obseruandus sit.
13. Officij iudicis imploratiõe, & actione iudicati executio sententię peti potest.
14. Iudicio quasi contrahitur.
15. Absq; solennitate executionem petendam esse à iudice promulgante.
16. Actio iudicati extraordinarium auxilium est.
17. Vsuræ rei iudicatæ ut pœna cessationis petuntur.
18. Iudicibus cauendum, ne executio in infinitum protrahatur.
19. Missio in possess. contumacis facienda.
20. Contumacia sua cuiquam non debet esse lucro.
21. Iudici suam iurisdictionem pœnali iudicio defendere in subditos licere.
22. A mulcta, & executione num liceat appellare.
23. Arestum & Arestationem, siue iniectionem manuum ad formam executionis referri.
24. Quatenus obæratos debitores in carcerem conijcere liceat.
25. Pactum subeundi carceris non ualere.
26. Sententia lata contra procuratorem, cuius bonis facienda sit executio.
27. Domini procuratorum suorum delicta luere non coguntur.
28. In fideiussores an fieri possit executio.

29. Contra

29. Contra fideiussores contractus non fit executio sententiæ.
30. In quibus sententijs non fit executio necessaria.
31. Executio intermittitur ratione eorum, quæ post latam sententiam contingũt.
32. Transactione, & nouatione obligationis intermittitur executio.
33. Exequendi modus egressus impedit executionem.
34. Priuilegium Macedonianum & Velleianum oppugnat executionem.
35. Si plures condemnati, in omnium bonis fit executio.
36. In petitorio & possessorio prius fit executio super petitorio. Itẽ prius de possessione, q̃ de proprietate.

De modis faciendæ executionis latæ sententiæ.

PARVM prodesset ius in causis dici inter partes à iudice, si eo uti nihilominus prohiberemur, & frui iure nostro non possemus. Proinde permissum est omnibus, pro quibus lata est sententia, ut 1
postquàm ea in rem iudicatam transierit, executioni mandari eam à iudice petant, implorato eius officio. Et in hac petitione fa- 2
cienda, non est opus nouo processu. Iam ante enim cognitum est, deberi id, quod petitur. Itaq; etiamsi de rebus, in quibus fieri debet executio, aliqua o- 3
riatur quæstio, tum de ea summatim, & non solenni obseruatione iudiciorum cognoscatur, l. à Diuo. §. si super. ff. de re iudicata. Non enim lites ex litibus 4
serendæ sunt. ff. Si cert. petat. l. quidam. Quare officij etiam ratio à iudice exigit, ut in facienda executione, nullas nectat moras. Non autem peti potest 5
executio, nisi ab Ordinario, siue ipse de controuersia cognouerit, siue delegatus ab eo, siue ab arbitro, cuius sententia tacitè, uel expressè à partibus confirmata est, & in quem absque pœna in aliquem compromissum est. cap. si quis contrà. Extra. de for. compet. & cap. quisquis. ij. quæstion. vi. & C. de arbitr. l. penultim. & de iudicijs. leg. properandum. §. sin autem Reus. Vnde est, quòd si res, in qua executio facienda est, in alieno territorio posita sit, iudex requirere à iudice eius territorij cogatur, ut suam sententiam exequatur. l. à diuo Pio. §. sententiam. ff. de re iudicat. Fit autem execu- 7
tio quacunque Actione iudicium expertum est, aut manu militari, aut captis pignoribus, aut data facultate iurandi in litem. l. qui restituere. ff. de rei uendicat. Ac siquidem ex Actione Reali quis condemnatus est ad rem cum 8
fructibus restituendam, tum statim mittere iudex suum apparitorem, siue, ut nunc uocatur, executorem ad condemnatum potest, ut eius mandato iubeat eum rem absq; mora uictori restituere. Aut si fortè statim id non pos- 9
sit, & appareat eum dilationem restituendæ rei non frustra, aut dolosè petere, exigat ut de litis æstimatione uictori suo caueat ad præstandam æstimationem, si intra constitutum tempus rem non restituat. Instit. de off. iud. §. etsi in rem.

Condemnatus autem ex Actione personali habet spacium quatuor men- 10
sium ad soluendum aut præstandum id, quod per sententiam soluere, aut præstare iussus est. l. ij. C. de Vsur. rei iudic. Ac potest quidẽ iudex istud spacium ei in sententia prorogare, sed contrahere ei non permittitur, nisi urgentem habeat causam, cur licere sibi id existimet, ut in constituendis alimentis, ubi res non patitur tantam dilationem. leg. ij. & iij. §. si quis. ff. de re iudicata.

In executione autem sententiarum, quæ super Actionibus personalibus latæ sunt, sæpius capiuntur pignora à cessante præstare id, quod per sententiam iussus est, quàm ut militari manu eis eripiantur res, sicut fit quando restitutio rei ex Actione Reali fieri per sententiam condemnatis iniuncta est. 12
Et in facienda executione talium sententiarum obseruatur ordo, quem suprà obseruari ostendimus contra contumaces, uidelicet, ut primò capiantur in pignora res mobiles, deinde immobiles, & postremò perueniatur ad nomina, & iura. ff. de re iudicat. l. à diuo. §. in uendicatione. & §. utrum. & §. penult.

Actio ex iudicato.

13 penult. Potest autem quis non solùm per implorationem officij iudicis, sed & proposita iudicati Actione petere executionem sententiæ, qua victor de-
14 claratus est, fieri. Nam & iudicio quasi contrahitur, ut is, cum quo nobis lis fuit, propter condemnationem sententię, ex quasi contractu conueniri possit. leg. licet. §. antepenult. ff. de peculio. Itaque non uno loco in legibus fit mentio Actionis ex iudicato, ff. de re iudicat. leg. in iudicati. & C. de usuris rei iudicat. leg. fin. & de rebus credit. leg. Actori. Sed an hac Actione indiscriminatim apud quemlibet iudicem à quolibet expeti executio possit,
15 & an ea in libello proponi, & ordine iudiciario prosequi, dubitatur. Mihi eorum sententia placet, qui censent absque solennitate iudiciorum, ex obligatione iudicati petendam esse executionem sententiæ, argumento l. ordo. C. de executio. rei iudicat. nisi ea petatur ab alio iudice, quàm ab eo, à quo sententia promulgata est, & cùm non ipse, pro quo sententia lata est, sed eius successor, sententiam executioni mandari petat. Nam in his casibus subesse causa uidetur, cur maiore cum studio explicetur petitio executionis, nimirum ignorantia rei ab alijs in iudicio gestę. Quamuis igitur illi, qui ita obseruandum statuunt, nulla manifesta constitutione publicarum legum iu-
16 uentur, tamen quia Actio iudicati, magis ut extraordinarium, quàm ordinarium auxilium competit, probabilior mihi eorum opinio esse uidetur. Ordinarium autem auxilium ea non est, quia eius petitio lege non est definita. Itaque neque opus est, aliquem esse curiosiorem circa obseruationes Actionum in proponenda ea, sed sufficit nos eius subsidio uti, sicut quouis alio extraordinario subsidio, nisi fortè quis contendere uelit, hanc Actionem
17 ideò esse ordinariam, quia definita sit petitio Vsurarum rei iudicatæ, quæ per eam fit, iuxta legem ultimam C. de Vsur. rei iudicat. Verùm cum eo non ualde pugnabimus, quòd in isto casu, ea Actio sit legitima obseruatione iudicio persequenda, quia Vsuræ rei iudicatæ per eam non petuntur, ut res ex sententia debita, sed ut pœna cessationis in re iudicata præstanda, ut non pro executione, sed cognitionis causa proponatur. Ac proinde necesse est legitimo processu eã prosequi, ut certò per iudicẽ constitui possit, an talis cessatio condemnati fuerit, ut puniendus solutione Vsurarum rei iudicatæ uideatur. Sed cùm per eam executio petitur, tum etiam ideò non est requirenda solennitas iudiciorum in prosequendis actionibus, quia sententia, quæ ad eam datur, ita ferenda est, ut sit pars quædam executionis, non nouæ alicuius quæstionis decisio, ne possit ab ea tanquàm noua sententia ap-
18 pellari, & iudiciorum executio in infinitum protrahatur, quod summo studio iudicibus cauendum est. l. fratris. C. de transact. & l. placet. C. de pædan. iud. Quare omnino uidetur magis consentaneum rationi iudiciorum, ut absque solennitate executio per actionem iudicati petatur, exemplo l. ordo. C. de exec. rei iud.

Latibula quærens.

Quocunque autem modo petita fuerit executio, facienda est ea secundum diuersitatem actionum, de quibus iudicatum est eo processu, quo eam faciendam esse ostendimus, si is, contra quem ea facienda est, non fugiat iudicium.
19 Nam si contumaciter latibula quæret, ut exequi eo præsente sententia non possit, tum facienda est missio in eius possessiones, & adiudicandæ, ac distrahendæ eo ordine, quo suprà ostendimus aduersus illos, qui in iudicium non
20 ueniunt, esse procedendum, ne lucro sit cuiquam sua contumacia. Et ijs casibus, in quibus possit fieri aliqua executio, iudicia non frustra implorentur, contra contumaciter absentes. Potest quoque iudex in mandanda executione mulctas indicere illis, qui executorem eius non admittant, admittendos uictores in possessionem earum rerum, quæ illis adiudicatæ sunt, uel ad ca-
21 pienda pignora, sicut eodem quoque loco indicauimus. Nam ei iurisdictionem suam pœnali iudicio defendere ubique in subditos licet. ff. Si

quis

quis ius dic. non obtem. in prin. Et quamuis forma indicendæ mulctæ ab aliis inter species sententiarum referatur, tamen mihi magis placet, ut relinquatur inter modos exercendæ potestatis iudiciariæ. Nam ea nihil habet cum sententijs causæ, quia per eam nihil deciditur, sed solũm imperium iudicis exercetur, ad coërcendos non ultrõ obtemperantes eius mandatis. Quare maior eius usus est in exequendo, quàm in disponendo iudicio, sicut fit in sententijs, nec ab ea appellatur, nisi sit immodica, sicut & ab executione non 22
fit prouocatio, nisi modum excedat. Quam autem quisque iudicum imponere ad defendendam suam iurisdictionem cuique possit mulctam, indicat titul. C. de modo mulct. quæ à iudicibus infliguntur.

Ad hanc formam executionis referri potest & manuum iniectio, quam 23
nunc uocant Arestum, & Arestationem, cũm alicui à magistratu interdicitur, ne excedat ex loco, in quo comprehensus est, nisi rebus compositis cum eo, qui de illo apud iudicem questus est. Etsi enim leges, quod ego sciam, nusquàm huius cohibitionis mentionem faciant, tamen multus hodie est eius usus. In quibusdam etiam rebusp. solent conijci in carcerem, qui non sunt soluendo, & est huius rei exemplum, ut uidetur, sumptum ex ll. duodecim tabularum. Nam sicut Gellius libro uicesimo, cap. i, testatur, confessis & conui- 24
ctis de debito, dati sunt dies xxx. ad quærendam pecuniam, intra quos si non fecerunt solutionem contracti æris alieni, facta est manuum iniectio, & neruo ac compedibus uincti sunt. Et hic mos uinciendorum obæratorum etiam à Saxonibus receptus est, sed ll. Romanis nusquam hoc expressẽ permittitur fieri, licet dicant, effugi carcerem per bonorum cessionem. l. i. C. qui bon. ced. poss. Est igitur loco beneficij in ll. Romanis debitoribus concessum, ut si non sint soluendo, bonis suis cedant, & carcerem effugiant. Vbi igitur ex ll. Romanis ius dicitur, non est in usu hæc forma executionis faciẽdæ, licet in multis urbibus imperij, obærati in carcerem conijciantur. Et puniendis delictis, hoc quoq; obseruatur, ut affligantur corpore, qui constitutam pœnam pecuniariam soluere non possint. l. i. §. generaliter, ff. de pœnis. Non tamẽ ita accipiendæ sunt ll. Romanæ, quòd non prohibeant obæratos carceribus mancipari, etiam à magistratibus. Nam illis non adimitur in uniuersum omnis potestas incarcerandi eum, qui studio quodam circumueniat alios, ut ei suum credant, & postea illis non liberata fide data, insultet: Sed prohibetur, ne homines priuati debitores suos in uinculis teneant, & tanquàm sua iumenta in ergastulis exerceant laboribus, sicut olim fieri consuetum est. Nam & humanitatis ratio, & publica tranquillitas exigit, ne hoc permittatur, iuxta l. non est singulis. ff. de regul. iuris. Itaque non solũm id prohibitum est fieri, l. ob æs. C. de actio. & obligat. sed nouissimo iure, Auth. ut nulli iu. &c. §. quia uerõ, etiam constitutum est, ut ius petendi debitum suum amittant, & tantundem debitori suo captiuo pendere cogantur, quicunq; tale quid facere ausi fuerint, & nominatim prohibitum est, ne quis ob publica debita in carcerem conijciatur. l. nemo. C. de exact. trib. lib. x. Vnde & Bartol. circa l. alia. ff. solut. mat. contendit pactum non ualere, quo creditor cum 25
suo debitore paciscatur de subeundo carcere, si debitum statuto tempore non soluat.

Habetis iam omnes modos, quibus regulariter executio in omnibus causis ciuilibus fieri solet. Restat ut dicamus, quomodo ea facienda sit, cũm causa per Procuratorem acta, & sententia in eum concepta est. Dubitari enim posset, in cuius bonis executio tum facienda sit. Est autem generalis regula, quòd si Procurator se absque mandato domini non obtulerit liti, executio in domini bonis fiat, etiamsi in Procuratorem concepta sit sententia, nisi propter suam contumaciam, aut dolum, in quo deprehensus est, eum in agenda causa uersatum esse. Nam domini Procuratorum suorum delicta luere non 27
coguntur,

coguntur,sed ipsi meritò plectuntur.Si uerò absq; mandato lites susceperũt, tum siue absq; dolo & contumacia,siue cum illis in causa uersati fuerint,semper in eorum bonis executio fit.Et quod dictum est de procuratorib. idẽ obseruatur in Curatoribus, Tutorib.Syndicis,& alijs omnib. qui alieno nomine in iudicio lites sustinent,iux.l.unicam. §. si procurator. ff.si quis ius dic.
28 non obtemp.& de re iud.l.si se non obtulit. Quia uerò de iudicato soluendo nonnunquam per fideiussores cauetur,non abs re quoq; quęritur, an si is,pro quo suam fidem interposuerunt,non sit soluendo,statim fieri possit executio in bonis fideiussorum,ex ea sententia,qua is condemnatus est,an uerò necesse sit,denuo cum illis nouo iudicio agi,& text.est manifestus, quòd tales fideiussores statim cũm lata est sententia,teneantur ad soluendum iudicatum.l.i. ff.iudicatum solui.Ergo eos conueniri ex ea sententia, qua condemnatus est is,pro quo fideiusserunt,non est dubium,iuxta l.ult. §. fin.& ibi not.C.de u-
29 su.rei iud.Secus iudicandum est de fideiussoribus, qui interuenerũt alterius contractus seruandi causa.Nam contra illos non potest fieri executio sententiæ,qua ipsorum principalis condemnatus est,sed necesse est cum illis de integro iudicium experiri.Auth.præsent.C.de fideiuss.

Porrò,quamuis ea quæ hactenus de executione facienda annotauimus,seuerè obseruanda sint à iudicibus propter rei iudicatæ autoritatem, quæ non est temerè uiolanda,aut negligenda,tamẽ possunt interuenire casus, propter
30 quos executio fieri prohibeatur.Et ut de nouissima causa primũm dicam,obseruent discentes non omnes sententias desiderare executionem, de qua nos hactenus diximus,propterea quòd statim cũm feruntur, eam secum trahant, sicut pleræq; sunt Interlocutoriæ,& omnes absolutoriæ.Itaq; notandum est, illas solas sententias requirere executionem, quibus pars parti condemnata est ad aliquid dandum,faciendum,pręstandum,patiendum, postquam in rem iudicatam transierunt,neq; in illis talis aliqua hæret nota,propter quam, tanquam adulterina reprehẽdi possit, nec casus ratio exigat,ut ab ea recedatur.
31 Deinde etsi nihil prorsus sit uitij in sententia,nec casus requirat, ut contra rẽ iudicatam aliquid fiat,tamen ea nonnunquam intermittitur ratione eorum, *Executionis impedimenta*
32 quæ post latam sententiam contigerunt, ut si inter partes transactum sit,aut obligatio,de qua iudicatum est,nouata sit per aliud genus pacti,intermittitur executio,quia partes eius petitionem ultrò inuicem remisisse uidentur.l.ij.
33 C.de exe.rei.iud. Item si Iudex male interpretando sententiam, aut executor dolosè exequendo,modũ excedat,impeditur executio, quia pars contra quã ea fiunt,appellari ab eo grauamine potest.l.ij. §. si executor. ff. de neg. gest. Et possunt id genus multa alia euenire, quæ præbeant Exceptionem impediendæ executionis,sicut indicat glos.cir.c.quod ad consultationem. Ex. de re iud.Præter eos autem casus,si ã sententia non est appellatum,& talis ea fuit, ut potuerit transire in rem iudicatam,tum regulariter nulli conceditur, ut fretus aliqua exceptione peremptoria,quam se non opposuisse cõtendat, aduer
34 sus executionem pugnet,nisi aliquo peculiari priuilegio,quale est Macedoniani,& Velleiani S.C.iuuetur.l.ij.C.sen.resc.non pos.De eiusmodi autem priuilegijs dicendum erit infrà.

35 Cæterũm in facienda executione causarum ciuilium nihil est speciale,q; si plures in aliqua causa condemnati sint,ut executio non cõtra unum solum, sed in omnium bonis simul fiat secundum debitas portiones. C.si plures una
36 sen.condem.sunt. Deinde quòd cũm simul actum est petitorio & possessorio iudicio,prius fieri iubetur executio sententiæ super petitorio latę. Quamuis in proferenda sententia prius de possessione, quàm de proprietate iudicandum
37 sit.c.cum dilectus.Ex.de causa poss.& propr. Item si cum quopiam actũ sit Actione personali,qui non habeat alia bona,in quibus executio fieri possit,quàm Feudalia, aut ex quocunq; alio contractu in alienis bonis habeat

usumfructum, ita ut dominis eorum non condemnatis occupari ad exequendam sententiam non possint, tum debet victori permitti per iudicem, ut ipse tam diu fruatur illis bonis, donec ex eorum usufructu ei iudicatum solutum sit, argumento l. peto. §. prædium. ff. de leg. ij. Pertinent autem huc pleraque ex tit. ff. de re iud. Itaque & discentes hoc loco ad eum remittendi, & ad reliquos digestorum tit. quib. de missione in possessionem in contumaciam agitur. Eos autem hic ideo non annotamus, quia suprà in descriptione processus aduersus contumaces, eorum Indices posuimus, in C. autem sunt, qui peculiariter huc pertinent,

Cod.

De executione rei iudicatæ.
De Vsuris rei iudicatæ.
Si plures una sententia condemnati sunt.

DE PRAESIDIIS DECLINANDÆ iniuriæ Iudicum.

Cap. XXXIII.

SVMMARIVM.

1. De suspectorum iudicum recusatione.
2. Remedia contra iudiciorum incommoda duo esse.
3. Iudex suspectus an possit recusari.
4. Causa suspicionis in libello exprimenda.
5. Licentia recusandorum iudicum improbanda.
6. Episcopus loci adhibeatur in cognitione ordinarij iudicis suspecti.
7. Canonistarum traditio laudanda in recusandis suspectis iudicibus.
8. Causę suspecti iudicis sunt, inimicitię, acceptatio munerum, necessitudo.
9. Exceptione incompetentis iudicis de iurisdictione iudicis certatur.
10. Relatio iudicis est subsidium potius quàm partium.
11. Appellatio commune est subsidium medicandi incommodis iudicantium.

ABSOLVIMVS iam ordinarium processum iudiciorum in cognoscēdo de causis ciuilibus, quem si omnes iudices religiosè sequerentur, & propter suam imperitiam nonnunquam ab eo non recederent, uel affectuum cæcitate uiolarent, poterant omnia iudicia earum causarū hoc quasi perpetuo cursu finiri. Verūm quia euentus docuit, sæpe aliter illos, quàm oportuerit, se in iudicando gerere, necesse fuit, etiam constitui remedia, quib. occurreretur talib. incommodis iudiciorum. Bono nanq; principi non minus debet esse curæ libertas subditorū, quàm obedientia illorum erga eos, quos illis præfecit, sicut testatur Imperator Alexander Seuerus in suo rescripto. ff. de Appell. Est autem ea libertas subditorum, ut ex æquis ll. illis ius dicatur. Itaq; non fuit permittendum iudicib. ut absq; prouocatione subditis imperarent. Sunt igitur duo remedia prodita ad declinandum iniusta iudicum imperia, nimirum recusatio suspecti iudicis, & appellatio. Ac Iure quidem ciuili delegatus Iudex etiam à principe, semper ante litis contestationem recusari potest, si partibus, aut uni ex illis, qui in eum non consensit, suspectus sit, quòd malè de sua causa iudicaturus sit, nisi suspicionis causa demum post litem contestatam existeret. Nam tum etiam post litis contestationem recusari etiam Iudex delegatus potest. l. non distinguemus. §. cùm quidam. ff. de arbit.

Cùm autem Iudex delegatus ob suspicionem praui iudicij recusatur, necesse est exprimi sufficientem causam in libello recusationis, & eam apud arbitros, qui à iudice ad cognoscendum de suspicione consentientibus partibus dati sunt, iuramento recusantis, aut testibus probari, si ea in magnum iudicis prę iudicium uergat. Ac si quidem allegata causa suspicionis cognoscatur insufficiens,

sufficiens, aut ea non possit à recusante probari, Iudex pergere ad cognoscẽdam causam delegatam potest, iuxta c. secundo requiris. §. tertio postulas. & ibi glos. Ex. de appella. Sed hoc modo procedi uolunt dd. cir. l. apertissimi. C. de iudicijs, in facienda accusatione iudicis delegati, secundum ius Canonicũ. Nam glos. eiusdem l. circa uerbum recusare, contendit etiam sine causa iudicem delegatum recusari posse, secundum ius ciuile, cui maxima pars dd. acce
5 dit. Quamuis meo iudicio argumenta, quibus ducuntur, leuiora sunt, quàm ut propter ea litigantibus tribui talis licentia debeat, ut absq; probatione causæ iudicem delegatum recusent, præsertim cũm alioquí iura ciuilia adeõ non sint remissa in danda licentia recusandorum iudicum, ut nolint ordinarium, nisi in paucis casibus, quos annotat glo. ij. l. apertissimi. C. de iudicijs, tanquam
6 suspectum remoueri. Sed si quid siniſtri de iudice ordinario suspicentur partes, iubeant in cognitione adhiberi episcopum loci, ad tollendum metum pra
7 ui iudicij. Auth. ut differentes iudices, &c. §. si uerõ. Quare Canonistæ melius expendisse causam permittendæ recusationis suspectorum iudicũ, quàm ll. Romanarum interpretes uidentur. Nam permittentibus canonib. ut tã delegati quàm ordinarij iudices propter suspicionem siniſtri in illis animi recusentur à partib. c. cum speciali. Ex. de appel. consulitur litigantium commoditatibus, ne iudicem sibi parum propitium ferre cogantur. Deinde cũm exigunt Canones, ut nullius iudicis recusatio fiat, non probata causa suspicionis. c. ij. requiris. Ex. de appel. prospicitur iudicum existimationi, ne absque
8 iusta causa integritas eorum in suspicionem rapiatur. Causæ autem propter quas Iudex possit haberi suspectus, sunt, inimicitiæ, δωροδοκία, siue acceptatio munerum, necessitudo naturalis uel ciuilis inter iudicem & aduersarium, & his similes, iux. gl. c. causam, quę. Ex. offic. deleg. & de his causis nemo copiosius quàm Iason, cir. l. apertiss. C. de iud. Porrò cauendum est discentib. ne recusationem iudicis propter suspicionem, misceant cum exceptione incompe-
9 tentis iudicis. Nam exceptione iudicis incompetentis, de iurisdictione iudicis certatur, quæ si ei non competat in causa proposita, sententia de ea lata, est ipso iure nulla. l. ult. C. si à non compet. iud. iud. esse uidetur. Itaq; & nos de ea in principio huius partis egimus, ut admoneremus discentes, de ea statim in uestibulo iudiciorum esse cogitandum, ne absq; fructu iudicia inquietentur litib. At recusatio iudicis propter suspicionem, non fit ratione Iurisdictionis, sed personæ iudicantis. Itaq; ea ponitur inter appellationes, quasi species, in Iure Canonico. Quamuis & ea in principio sæpius quàm in alijs partib. litiũ
10 fiat. In ff. adiuncta est appellationib. relatio, quia & per eam cognitio causę refertur ad superiorem, sed à iudice de iure dubitante, non à parte grauata. Proinde nos inter præsidia declinandarum iniuriarum, quib. grauari à iudicantibus possumus, eam non ponimus, cũm ea potius iudicis sit subsidium, quàm partium, ac si quid durius per superiorem iudicem ad Relationem iudicis re-
11 scriptum sit, competit parti commune subsidium appellationis, per quod mederi incommodo, quod ex ea sentit, sicut reliquis omnib. incommodis, quibus per iudicantes oneratur, potest. l. i. §. inconsequenter. ff. de appell. Quale uerò & quantum præsidium sit appellationis, iam dicemus.

δωροδοκίας, est largitio in corruptionem iudicis facta, quod uitium iudicũ aliàs sordes uocatur.

DE APPELLATIONIBVS.

Cap. XXXIIII.

SVMMARIVM.

1. Appellatione iudex palàm iniustitiæ accusatur.
2. De appellantium difficultatibus.
3. Varijs difficultatibus implicantur subditi, qui cum Superioribus contendunt.
4. Appellatio quid sit ex definitione Hostiensis.

5. In appellatione esse opponenda non opposita, & probanda non probata, si eò hæreant priori causæ.
6. Mutui petitio non conuenit cum actione ex locato.
7. Appellatio est eiusdem causæ, non diuersæ, ad superiorem translatio.
8. Quæ opponi in Appellatione possint.
9. A creditore suo repetens pignus offerendo debitum, in iudicio auditur.
10. Oblatio debiti, solutio iudicatur.
11. In appellatione probatur non probatum.
12. Probatio iterata in eadem instantia est propter suspicionem subornationis
13. Probare sententiam esse nullam, licitum est. (prohibita.
14. Appellatio ubi fieri debeat.
15. Appellatio quando sit denuncianda.
16. Absentibus iudicibus coram Notario intimari potest appellatio, nec est necesse partem aduersam præsentem esse.
17. Ordo inter iudices appellando obseruandus.
18. Ad quem iudicem liceat appellare.
19. Canones permittunt ab infimo ad superiorem appellare.
20. Error quando non obstet appellanti.
21. In delegatis iudicibus generali mãdato ad uniuersas causas idem obseruatur quod in ordinario.
22. A subdelegato ad subdelegantem appellatur.
23. Ab omnibus iudicibus, præterquàm à priuilegiatis, appellari potest.
24. Appellationi unusquisq; potest renunciare.
25. Clausulæ, appellatione remotâ, quæ uis sit.
26. Appellatio propter inquietationem iudiciorum est odiosa.
27. Tempus appellationis quod sit, nempe decem dierum utilium.
28. Tempus prosequendæ appellationis est annus, & item alius annus.
29. Appellationis beneficium occurrit iniustitiæ Iudicum.
30. Quibus ex causis appellare liceat.
31. Appellare de futuro grauamine, quando sit iustus metus uiolentiæ.
32. Non esse ferendum, ut quis appellet condemnatus in causa notoriè manifesta.
33. An liceat à quolibet actu iudiciario appellare.
34. An liceat appellare ab Interlocutoria.
35. Appellatio ab interlocutoria scripto exhiberi debet, & causa prouocationis reddi.
36. Libellus appellatorius quale scriptum uocetur.
37. Causa appellationis non debet exprimi in appellatione à definitiua.
38. In Appellat. à definitiua sufficit dicere, quòd appelletur ab iniusta sententia.
39. Casus non recipiendæ appellationis qui sint.
40. Inobedientiæ contumacis odium.
41. Confessus appellare non potest, absq; rationabili causa.
42. Causa appellationis adferenda est.
43. Iudicis officium quod sit in appellatione.
44. Appellatio ab interlocutoria plus attendenda.
45. Quomodo recipiatur appellatio.
46. De literis dimissoriis & Apostolis, refutatoriis, reuerentialibus, testimonialibus, conuentionalibus.
47. Pœna temerè appellantium quæ sit.
48. Si iudex appellationem amittere nolit, mulctatur 30. libris auri.
49. Appellans cogitur adire iudicẽ ad quem appellauit, ut declaret se appellasse.
50. Iudex præfigat appellanti terminum prosequendæ appellationis.
51. Iudici à quo appellatũ est, non licet quicquã nouare appellatione pendente.
52. Principis rescripto in appellationibus non datur locus.
53. De molitionibus attentatis, innouatis.
54. Attentatorum causa seperata est à causa appellationis.
55. Num requiratur in causa appellationis citatio.
56. Statuta tempora exhibendæ & prosequendæ appellationis loco peremptoriæ Citationis esse appellatori.

57. Cita-

57. Citatio quando emittenda à iudice.
58. Incidens causa tempora constituta uariat.
59. Appellator in prosequenda appellatione duo aduertat.
60. Quomodo appellatio impugnetur.
61. Formæ disputatio prior sit, deinde temeritas appellatoris, & iudicium iudicis in dandis apostolis.
62. Processus appellationis obseruandus.
63. Appellatio causam prius in iudicio motam respicit, & non mouet alienam.
64. Libellus appellatorius est loco libelli.
65. Absens pro contumaci habetur.
66. Clausula, non obstante tali lege.
67. De forma sententiæ in causa appellationis, & quid in ea obseruandum.
68. Causa sententiæ addenda est.
69. De appellatione ab interlocutoria & grauamine quomodo iudicandum.
70. Relatio ad priorem iudicem quando fiat.
71. Victus uictori condemnatur in expensis.
72. Executio sententiæ ad quem iudicem spectet.
73. Executio sententiæ an per nouam appellationem prohiberi possit.
74. Alius pro alio appellare potest.
75. Non solùm ipsis condemnatis iudicio, sed & omnibus alijs, quorum interest, appellare licet.
76. Causa appellationis per alium exerceri in iudicio potest.
77. Si res pereat, de qua est contentio, aut non pereat, quid agendum.

1 PLVS offensionis est in appellationibus, quàm in recusatione iudicis suspecti. Nam hac solùm metus iniusti iudicis ostenditur, 2 illa uerò palàm iniustitiæ accusatur Iudex. Quare omnes illi, qui ab aliquo iudice appellaturi sunt, cogitent sibi eundum esse per extentum funem, sicut est in prouerbio, & se suscipere negotiũ, 3 in quo omnino multum sit periculorum. Nam multorum experientia compertum est, uarijs difficultatibus implicari subditos, si illis cum superioribus cõtendendum sit. Verùm quàm sit appellationum usus necessarius, nemo est qui nesciat, si modò intelligat, per eas iudicantium imperitiam, & iniquitatem 4 sæpe corrigi. l. i. in prin. ff. eo. Est autem appellatio iurisdictionis inferioris iudicis, per inuocationem superioris ritè facta suspensio, secundum Hostiens. Cuius mihi definitio ideò præ reliquis placet, quia ea communis est ad quaslibet appellationum species, & quia continet essentialem differentiam appellationis, uidelicet, quòd ea debeat fieri per inuocationem superioris, non ad effugiendam inferioris iurisdictionem, sed ad prohibendam eius uiolentiam 5 per interpositionem autoritatis superioris. nõnunquam tamen appellatio fit, non corrigendæ iniquitatis aut imperitiæ in iudice causa, sed ad opponendũ non oppositum, & ad probandum non probatum. iux. l. per hanc. C. de temp. appell. & Panor. cir. c. suggestum. Ex. de appel. Hoc autem diserte est accipiendum. Eatenus enim solùm licet appellare ad opponendum nõ oppositum, si id, quod oppositurus sumus, cohæreat priori causæ. Nam si prorsus alienum ab ea sit, & aliam respiciat causam, tum sicut non licet actionem post litis contestationem mutare, l. ædita. C. de ædendo, ita nec in appellatione proponi potest actio uel exceptio, quæ diuersa & aliena sit â causa, de qua ab initio iudi- 6 cij actum est. Vt si quis cõtendat in iudicio aliquem sibi debere ex mutuo decem, & cũm illud non possit probare, conuentus absoluatur, is non potest per appellationem eundem conuenire ex locato, etiamsi compererit eum sibi decem debere, de ædib. quas ei tanti locarit ad habitandum in illis per annum. Sed cogitur de integro cum eo experiri iudicium ex locato, iux. reg. l. non po- 7 test. ff. de iudicijs. Nam appellatio est eiusdem causæ, non diuersæ, ad superio- 8 rem translatio. Itaq; opponi in ea possunt, quæ in circumspectis in urgenda

Appellationum usus necessarius.

propoſita cauſa in animum non uenerunt,uel nuper adeo comperta ſunt,nõ quæ ad eam nihil faciunt,aut pertinent,utſi quis pignoratitia actione à credi 9
tore ſuo repetat pignus,antequàm ſolutum ſit debitum,& ob id iudicatũ ſit, ei eam actionem non competere, is ſi appellando offerat creditori ſuo debitum,in Iudicio auditur,nec cogitur de integro iudicium experiri, ſed rem pignoratam ex eo iudicio mutata ſententia conſequitur,quia per oblationem 10
debiti ſoluiſſe iudicatur, & ea oppoſitio ſolutionis ad Actionem propoſitam ſpectat.l.ſi rem alienam. §. fin.ff.de pig.Act. Sic & in appellatione probatur 11
non probatum,uidelicet,id quod ante eam in iudicium non eſt deductum. Nam eorum probationem,quæ ante appellationem cœpta ſunt probari,pro- 12
hibemur iterare in eadem inſtantia,propter ſuſpicionem ſubornationis,Authen.de teſtam. §. quia uerò multi. Sed probare ſententiam eſſe nullam: uel 13
nouis capitibus,ſiue articulis, uel alijs allegationibus oſtendere ius ſuum, licitum eſt, iuxta l.eos qui. §. ſi quid autem in offerendis.in fin.C.de appell.Id quod pluribus oſtendunt atq; declarãt Cy.& Bart.cir.l.per hanc. C.de temp. appella.

Porrõ,quancunq; ob cauſam fiat appellatio, debet ea fieri coram iudice à 14
quo appellatur,ubicunq; eius copia haberi poteſt,pro Tribunali,uel extra iudicij locum agens,modõ hoc fiat in loco publico,iuxta c.cordi.& ibi glo.Ex. de appell,in ſexto,niſi appellãs habeat iuſtam cauſam, propter quam metuat in conſpectum iudicis uenire.c.iuſtus.Ex.eo. Si uerò eius iudicis, à quo ap- 15
pellatur,non detur conueniendi copia,tum debet appellatio denunciari iudici,ad quem appellatur.c.biduum.ij.q.vi. Si uerò neutrius detur conuenien- 16
di copia,proteſtatione facta,quòd libenter coram iudicibus ſuis appellationẽ faceret,ſi illorum copia ei daretur,poteſt coram publico Notario,aut alijs publicis & honeſtis perſonis appellationem ſuam intimare.c.fin.Ex.eo.& c.paſtoralis.Ex.de off.ord.& glo.Clement.i.Ex.eo.cir.uerbum maiori. Non autem neceſſe eſt partem,contra quam fit appellatio,præſentem eſſe in eo loco, in quo fit appellatio,ſed ſufficit factam illi indicari.iuxta Panor.cir. c.ſuggeſtum.Ex.eo.& omnis hæc intimatio appellationis neceſſaria eſt, ne aliquid fiat porrõ in iudicio,quod per appellationem non liceat.

Cũm autem à Iudice ad Iudicem,ſicut dictum eſt,fiat appellatio, uidendũ 17
eſt,quis ordo inter Iudices prouocando ab uno ad aliũ obſeruandus ſit,an uidelicet ab inferiori ſtatim Iudice ad ſummum Iudicem,an uerò per gradus ad eum perueniendum ſit. Et ut quis certò ſtatuere poſsit,quid hac in re ubique ſeruandum ſit,diſtinguendum eſt. Etenim ab Ordinario iudice ſemper fieri 18
debet appellatio iure ciuili,ad illũ,qui gradu ſuperiori ei proximus eſt, ut ſecundum ius nouiſsimum à pædaneo ad clariſsimum,à clariſsimo ad ſpectabilem,à ſpectabili ad illuſtrem,ab illuſtri ad ſuperilluſtrem: hoc eſt, ad principem.Auth.de appel.& intra quæ temp.&c. §. pe.& ult. Nam iure ciuili non eſt licitum ab infimo iudice præteritis medijs, ſtatim prouocare ad ſummos, adeò ut ſi quis id facere auſus fuerit,is remitti ad iudicem à quo appellauit iubeatur.l.Imperatores.ff.eo. Id quod conſtitutum à clementiſſ. Imp. Seue.& Anto.uidetur,ut parceretur ſumptib.quos nulla aut leui ex cauſa pars, cõtra quam appellatur,ab appellante facere cogeretur. Sed Canones in iudicijs Ec 19
cleſiaſticis permittunt,ut ſtatim ab infimo ad ſuperiorem appelletur.c.ſi duobus.& c.ſollicitudinem.Ex.eo. Quamuis textus iuris ciuilis relatus ſit inter iura Canonica à Gratiano.c.anteriorum.ij.q.vi. Et eſt ea ratio procedẽdi per appellationem,per gradus ab infimo ad ſummum,æquitati iudiciorum magis conueniens.

Si quis igitur à ſuperiori ad inferiorem iudicem prouocarit, non proderit ei appellatio ad impediendam executionem,quõ minus exequatur ſententiã ab eo latam. Sed ſi appellans errore ductus, appellauerit ad ſuperiorem, uel 20

ad

ad parem ei, à quo appellauerit, existimans in proximo gradu ei esse superiorem, nõ obstat illi error, quò minus prosequi appellationem suam apud eum, ad quem debuit appellare, possit. l. si quis. §. ult. ff. de appell. Hæc uerò iura so
81 lùm locum habent, cùm appellatur à iudice Ordinario. Nam in appellatione in delegatis iudicib. faciendа, ita distinguendum est, quòd si quis delegatus sit iudex generali mandato ad uniuersas causas in aliquo loco cognoscendas, sicut ferè mandatur iurisdictio uicarijs principum & officialium episcoporũ, tum idem obseruatur, quod dictum est de ordinario. c. Romana. in princ. Ex. de appel. Si uerò quis delegatus sit iudex certarum paucarum tantùm causarum, tunc à delegato semper appellatur ad delegantem, siue is delegatus sit à principe, siue ab aliquo alio iudice Ordinario. l. i. & fi. ff. quis & ã quo app. & c. super quæstio. Ex. de officio deleg. nisi delegatus ab Ordinario sit datus, postquam ipse recusatus esset. Nam isto casu præteriri Ordinarius recusatus, à quo delegatus est, & superior eo appellari potest. argumento c. placuit. ij.
82 q. v. A subdelegato autem appellatur ad subdelegãtem, nisi talis facta sit subdelegatio, ut subdelegans nihil potestatis in demandata iurisdictione sibi retinuerit. Nam tum ad Ordinarium, qui primo delegatum dedit, appellatur, ni si in delegatione prohibitum sit, appellationem fieri ab eo, qui ius prohibendæ appellationis habeat. l. i. & ult. ff. quis & ã quo appelletur. & c. super quæ-
83 stionem. §. porrò. Ex. de off. deleg. His regulis excipiendi sunt iudices, quorum iurisdictio specialiter priuilegiata est, ut ab ea prouocari non possit, de quib. per tit. ff. A quibus app. non li. & nos infrà in tractatu de priuilegijs, de
84 illis dicemus. Præter eos autem potest ab omnibus iudicibus appellari regulariter, nisi quis ultro isti auxilio renunciauerit. l. i. §. si quis. ff. ã quibus ap. non li. Nam ubi hoc factum fuerit, tunc partem renunciantem tenet sua promissio, non minus quàm cùm in arbitrum consensum est, à quo etiam appellare non licet propter sponsionem, quamuis propter emergentem causam recusari possit. l. i. C. de arbit. Potest quoq; Imper. iudicem ita dare, ne liceat ab eo
85 prouocare. l. i. §. fin. ff. à quib. ap. non li. Quæ uerò sit uis clausulæ (remota appellatione) si ea posita sit in delegati commissione, ostendit glo. c. pastoralis. Ex. de appel.

86 Quia uerò appellatio propter inquietationem iudiciorum, quæ per eã fit, odiosa est, constitutum est nouissimo iure, ut ad eam faciendam non dentur
87 nisi decem dies, iux. Auth. de appel. & intra quæ temp. &c. in prin. Sed ea cõstitutio ita accipienda est, quòd postq; lata sit sententia contra præsentem, aut absens resciuerit eam esse latam, tum intra decem dies utiles, hoc est, quibus adeundi iudicis in publico potestas data est, si non sit appellatum, porrò non admittatur ad appellandum, iuxta l. i. §. dies. ff. Quando appellandum sit, & glos. uerb. à recitatione. Auth. de appel. & intra quæ temp. & c. Et hoc tempus appellandi datur à quocunq; grauamine iudiciorum, non solùm cùm à dicta sententia appellatur. l. i. §. quod in sententijs. ff. quando appellandum sit. Vt si quis uocetur à magistratu ad gerendum aliquod munus publicum, à quo sit immunis, is potest prouocare ad superiorem eius magistratus iudicem, ut liceat ei se excusare ab eo munere ferendo, secus si quis ab alio onere tur, quàm à magistratu publico. Nam tum prius quærendum est apud magi-
88 stratum de onere. l. i. §. si quis tutor. & seq. ff. quando appell. Postquam autẽ appellatum est, datur aliud spacium prosequendæ appellationis, ne cuiuis licitum sit differre executionem iudiciorum, quamdiu ei libeat, datur autem nouissimo iure annus, ad prosequendam appellationem, intra quem necesse est eam prosequi. Nam appellans porrò non auditur, nisi ostendere possit, per eum non stetisse, quò minus eam prosequeretur, id uerò ubi docuerit, datur ei alius annus, intra quem si appellans cesset appellationem suam urgere, conceditur ei, contra quem appellatum est, ut ultimo mense eius biennij

petat ſententiam,à qua appellatum eſt,confirmari. Si uerò eius negligentia, contra quem appellatum eſt,intermittatur proſecutio appellationis, tunc appellans poteſt ultimo menſe biennij petere,ut liberetur ab onere, cuius cauſa prouocarit. Vtroq; uerò pariter ceſſante, ſententia, à qua appellatum eſt, manet firma,& tranſit in rem iudicatam. Auth.his qui ingre. ad ap.in princ. tum ſi appellans elapſo biennio audiri denuo cupiat, neceſſe eſt, eum iuſtam cauſam ceſſationis ſuæ afferre,& quæ cauſæ in hoc caſu iuſtæ habeãtur, oſtẽdit gl.fin.c.ex ratione.Ex.de appell. Reparari tamẽ appellatio intermiſſa hodie non poſſe uidetur,iuxta l.nemo.C.de temp.appell.Cæterũm tempus proſequendæ appellationis eſt continuum,nec eius curſus impeditur, niſi per ipſos iudices ſtetiſſe appareat,quõ minus appellatio expedita ſit.Auth. de appell.& intra quæ temp.& c.§ ad hæc.& gl.ibi.

Hactenus de uſu,loco,& tempore faciendæ appellationis dictum eſt, Sequitur quibus ex cauſis fieri ea poſsit.Nam cũm appellationis beneficium cõ 29
petat ad occurrendum iudicum iniuſtitiæ,uideri poſſet,alicui licitum eſſe eo uti,ad ſubterfugiendam quamuis iudiciorum moleſtiam, id quod nimis eſſet illiberaliter uti beneficio iuris. Nam tali remedio utendum eſt,ut ſuccurratur 30
innocentiæ oppreſſæ,non ut temeritas impatientium imperij iudicis, foueatur.c.cũm ſpeciali.§ porrò.Ex.eo.Quare neq; ll.neq; Canones permittunt, ut quis non grauatus ã Iudice appellet,antequàm de ea admittenda pronunciarit.c.dilecto.Ex.eo.Aut ſi quis ita petat ſibi dilationem ad producendos teſtes,uel aliud tale quid agendum,dari,& adiungat comminationem appellationis,inquiens,ſe appellare,niſi hoc aut illud conceſſurus ſit ei Iudex. Nam appellatio de futuro grauamine non tenet.arg.c.ut debitum. Ex. eo. Quare 31
neq; à nuda interminatione iudicis appellare,niſi iuſtus ſit metus eius uiolentiæ,licitum eſt,iux. Bart. cir. l. pupillo. § ſi quis ipſi prætori. ff.de noui op. nunc.Præterea nõ eſt ferendum,ut quis appellet condemnatus in cauſa No 32
toriè manifeſta,ex ipſa euidentia facti.c.ex literis.Ex.de ſponſal.Secus ſi quis condemnatus ſit propter Notorium fama,aut Iuris Notorium,uidelicet,cũm conuictus ſaltem ſit per probationes aduerſarij. Nam in ijs caſibus,in quib. poteſt fieri contraria probatio,appellatio meritò admittitur. arg. c.tranſmiſſa. Ex. qui filij ſint leg.& l.obſeruare.C.quorum ap.non recip.Quamuis igi- 33
tur in maximis pariter & minimis cauſis licitum ſit appellare,l.& in maiorib. C.eo.tamen niſi quis ã iudice ſit grauatus,aut iuſtus ſit metus eius uiolẽtiæ, fruſtra ſuſcipitur appellatio.

Cũm autem quis non ſolũm definitiua iudicis ſententia,ſed & in alijs exercendorum iudiciorum actib.grauari poſsit, exiſtit inde quæſtio, an liceat à quolibet iudiciorum actu appellare, qui ſe grauatum à iudice ſentiat. Et uel ex conſilio proditarum appellationum patet,quòd contra ius grauato ã iudice ubiq; detur cõfugium ad appellationis præſidium.Itaq; nemo dubitare debet,ſibi ſtatim cũm uocetur in iudicium,ac deinceps in eius progreſſu toties competere ius appellandi,quoties ei negentur à iudice, quæ in ſuſcipiendis & ſuſtinendis iudicijs regulariter omnibus conceſſa ſunt,ſed an poſsit ab In- 34
terlocutoria ſententia appellare,in dubium uenit. Nam l. ante ſententiæ. C. quor.app.non recip.prohibitum illud eſſe uidetur,in additione autem gloſ.eiuſdem l.exquiſitiſsimè oſtenditur,quatenus hoc uel iure ciuili,uel canonico liceat.Itaq; pluribus hoc poſt ibi annotata oſtẽdere tanquam ſuperuacuum intermitto,ſubiungẽs,quòd à quolibet grauamine, quod quis ex iudice, uel ante uel poſt ſententiam definitiuã ſentiat,appellare liceat.Nam hoc in Decretal.c.ſuper eo.ij.Ex.eo.expreſsè permittitur,neq; aliud uſu obſeruatur in his regionibus. Vnde eſt,quod & ab Executore, poſtquàm iam ſententia in rem iudicatam tranſijt,appellare quis poſsit,ſi modum in exequenda ſententia excedere conetur.l.ab executore. C.quorum ap. non recip.

Porrò

35 Porrò in forma proponendæ appellationis,quæ fit ab Interlocutoria sentẽ tia,hæc obseruatur diuersitas,respectu eius, quæ fit à definitiua sententia, quòd appellatio ab Interlocutoria non possit fieri sola uoce in iudicio,sed necesse sit,eam scripto exhiberi iudici,& in ea inseri causam, propter quam ea fiat. Nam appellanti ab Interlocutoria,uel à grauamine iudicis nõ licet afferre alias causas prosequendæ suæ appellationis ad declarandam eam iusta ex causa factam esse,quàm in libello appellationis expressa sunt,aut in actis eorum extant,quæ apud iudicem,à quo appellatum est, gesta sunt, iuxta Cle. appellanti.eo.tit.Itaq; ab Interlocutoria & grauamine iudicis appellantes coguntur reddere causam suæ prouocationis apud iudicem, à quo appellant,ni si uelint à iudice,ad quem appellauerunt, ad iudicem ã quo appellatum est, remitti,& in expensas aduersæ parti condemnari,iux.c.ut debitus.Ex.eod. Vbi enim constiterit iudici appellato, quõd absq; iusta causa appellatum sit, non potest ipse progredi ad cognoscendum de sentẽtia,à qua appellatum est, sed cogitur appellantem remittere ad iudicem, à quo prouocauit, ut ibi dicat causam.Nam in huiusmodi appellationib.iudicis appellati potestas agnoscẽ di de illis,conditionalis est,ut non liceat ei progredi ad cognoscendũ, an iniquè uel iustẽ iudicatum ab eo sit,nisi ei constet rectè appellatum esse,iux.glo. ult.c.ut debitus.Ex.eo. Atcùm appellatur à sententia definitiua, tum statim post eius recitationem in iudicio absq; mentione ullius causę sola uoce appellari potest,iux.l.ij.ff.eo. Ex interuallo autem post promulgatam sententiam necesse quoq; est appellationem scripto exhiberi iudici,à quo fit appellatio.l.
36 à sententia. ℣ fin.ff.eo.Et tale scriptum appellationis, uocatur libellus appellatorius,in quo ponendum est nomen appellantis, iudicis à quo,& eius aduersus quem appellatur.l.i.in fin.& l.iij.ff.eo. Integræ autem formæ talium libellorum concipiendorum,cũm uel ab Interlocutoria, uel à definitiua sententia fit appellatio,ponuntur in tex.ij.q.vi.cuius initium est,post appellationem.
37 ℣ forma.Sed causam appellationis à definitiua sententia, non est necesse exprimi in libello appellatorio. Nam talis appellatio iustificari potest etiam ex alijs causis,quàm quæ uel in actis extant, uel in libello appellatorio comprehensæ sunt.Cuius rei manifestum exemplum in l. Titianus. ff.quod cum eo, qui in al.po.& c.Itaq; gl.c.cũm in eccles.cir.uerb.iniusta,dicit sufficere in huiusmodi appellatione, ut exprimatur,quòd appelletur ab iniusta sententia.
38 Vnde satis manifestum esse arbitror,quòd opponere non opposita, & probare non probata liceat in solis appellationibus,quæ fiunt ã definitiua sententia.Panor.tamen cir.c.tam consuluit.Ex.eo.uult causam appellationis inseri libello appellatorio,si appelletur in casu,in quo admitti appellationem iura prohibeant,& allegat notata. c. quòd ad consultationem. Ex. de sent.& re iud.

39 Recensui autem suprà plerosq; casus, in quib.prohibetur recipi appellatio,nempe si personæ in iudice priuilegium,aut eiusdem interdictum,aut partium inter se pactum,aut euidentia rei id fieri non patiantur,& qui præter illos reliqui sunt,extant annotati in tit.ff.de ap.recip.uel nõ,& in C.quor.app. non recip.& ij.q.vi.in tex.incip.ei qui appellet. ℣ sunt quidam.& seq. Sed in nullo istorum casuum ostendi melius posse uidetur,quare necesse sit, causam appellationis inseri libello appellatorio,cùm in prohibitis casib. appelle
40 tur à definitiua sententia,quàm in eo casu,in quo prohibetur appellatio,propter odium inobedientiæ contumacis.l.ex consensu.ff.eo.Nam etsi dignissimus sit contumax,qui non admittatur ad appellandum,tamen si maioris causæ occupatione se defendere possit,admittitur ad appellandum.l.& post ædictum.in fin.ff.de iudicijs.Sic igitur accipiendum existimo id, quod à Panor.contenditur,ut quia sine magna & graui causa in casibus prohibitis non est admittenda appellatio, propter autoritatem publicarum ll. nullo modo

esse

esse ferendum, ut in talibus casibus appellatio absq; assignatione causæ fiat. Id quod & glos. c. Romana. Ex. de appell. in sexto, sentire uidetur, cũm dicit, confessum appellare non posse, nisi rationabilem adferat causam. Et gl. l. uni cæ. C. si de momen. poss. ap. sit, fatetur, quòd quamuis ab ea sententia, qua alicui adiudicata sit possessio, donec de causa proprietatis liquere possit, non sit licitum appellare, tamen illud permitti, si ita de possessione certatum sit, ut sententia de ea lata pariat præiudicium in causa proprietatis, ut si actum sit de restituenda possessione, secundum constitutionem l. si quis in tantam. C. unde ui: tum quia is, qui iubetur restituere possessionem rei ablatæ, simul quoq; amittit dominium, licitum esse appellare ã tali sententia. Sic igitur de omnibus casibus, in quibus prohibemur appellare, iudicandum est, quòd nobis non detur appellandi locus, nisi adferamus causam, propter quam id concedendum nobis esse iudici uideri possit. Pertinet autem semper ad iudicis, ã quo appellatur, officium, ut diligenter secum perpẽdat causam appellationis, postquàm ea aut sola uoce, aut exhibito libello appellatorio facta est, ut possit statuere, an ea recipienda sit, nec ne. Atq; ea de re maximè ei prospiciendũ est, cũm appellatur ab interlocutoria. Nam tales appellationes semper fiunt cum querela iniquitatis in iudice, ut ei etiam de sua integritate laborandũ sit, ne temerè tales appellationes recipiat, aut ut nunc loquũtur, eis deferat, hoc est, tanquam iustas factas admittat. Quod periculum ei minus est metuendũ, cũm à sententia definitiua appellatur. Fieri enim ibi sæpe potest, ut in ea sententia, à qua appellatum est, appareat rectè iudicatum esse, secundum acta & allegata, etsi in iustificatione appellationis ea adducta sint fundamenta causę, ut à iudice appellato meritò pronuncietur rectè appellatum esse, iux. c. cũm appellationibus. & glo. eiusdem fin. Ex. de appell. in sexto. Cũm igitur facilius incurrere reprehensionem Iudex possit, si appellationem ab Interlocutoria, uel grauamine recipiat, permissum est, ut si deprehendat peccatum, aut erratum à se esse, sententiam reuocet, & grauamen, quo se appellans oneratum queratur, tollat, ad prohibendam appellationem, iux. c. cum cessante. Ex. eo. & quibus uerbis talis reuocatio fieri debeat, ostendit ibidem glos.

Recipere autem appellationem Iudex non dicitur, cũm libellum appellatorium manu apprehendit, sed cũm testimonio ei locum tribuit, & datis literis dimissorijs ad iudicem, ad quem prouocatum est, appellantem ab obseruatione sui iudicij liberat, & superioris cognitioni causam, in qua appellatũ est, defert. Et hoc Iudex, à quo appellatum est, facere cogitur, ubi appellans uidetur habere probabilem appellandi causam, aut talem, propter quam dubitare possit, utrum tutius sit admittere appellationem, ut iudicis superioris de ea explo retur iudicium, an propter speciem recti consilij, eam tãquam temerariam reijcere, glo. c. ut debitus. cir. uerb. ex rationabili causa. Ex. eo. Econtra non recipere Iudex appellationem dicitur, non solũm cũm aut uoce, aut gestu eam renuit acceptare, uerumetiam, cũm appellantem datis Apostolis refutatorijs, ad appellatum iudicem mittit. l. antepe. & pe. ff. de appel. recip.

Dimissoriæ literæ.

Apostoli refutatorij.

In literis aũt tam dimissorijs, quàm refutatorijs pro generali forma hæc obseruari possunt, ut in initio earũ commemoretur tota res, sicut ea apud iudicẽ, à quo appellatũ, gesta est, ut Iudex appellatus percipere ex ea possit, qua occasione, & quomodo ab inferiore appellatum sit. Deinde Iudex, qui tales literas dat appellãti, subiungat causas, quæ eum mouerint, ut appellationem recipiẽdam, uel nõ recipiendã existimarit. Ac postremò sua asseueratione testetur, an appellantẽ ab obseruatione suscepti iudicij liberet, & superiori potestatẽ cognoscendi de eius causa sua dimissione faciat, an uerò appellationem abeo factã, temerariam iudicet & refutet. At in dimissorijs quidẽ literis ferè obseruatur, ut propter reuerentiã superioris, Iudex à quo appellatum est, admisisse

appellantis

41 42 43 44 45 46

appellantis ab eo prouocationem scribat. Maximè tamen si dubius de causa, appellationẽ recipiat, ut superioris iudicio plus, quàm suo deferre uideatur, ac proinde submittere causam, de qua pronunciare propter suam dubitationem non audeat, unde est quòd quædam dimissoriæ literæ uocantur reuerentiales. Quamuis autem ll. iudicem, à quo prouocatur, iubeant dare Apostolos, etiam appellatore non petente, & siue appellationem recepturus sit, siue non. l. eos qui. §. Apostolos. C. eo. tamen nisi intra dies triginta post latam sententiam instantissimè, acerrimaquẽ sollicitatione eas petierit, renunciasse appellationi suæ censeatur. c. ab ea. & ibi glo. Ex. eo. in sexto. Si uerò iudex cesset eas dare intra istud tempus, existimatur eas negasse, nec appellãs habet opus de illis porrò esse sollicitum. glos. Clem. secundo. cir. finem. eo. tit. Et sufficit, eum posse probare, quòd eas statuto tempore diligentissimè petierit, & eius suæ sollicitationis Apostolos testimoniales accipere potest à publica & honesta persona, sicut suprà ei prospiciendum diximus, cui iudicis ad proponendum coram eo suam appellationem copia non detur. c. ult. Ex. eo. Aut si pars contra quam appellatur, appellationem eius ultro admittat, potest ab eo accipere Apostolos cõuentionales, iux. c. sæpe. & c. oblatę. Ex. eo. A quocunq; uerò dabuntur Apostoli, propter fidem eis adhibendam, appendendũ est eis sigillum eius, à quo dantur.

Reuerentiales.

Testimoniales.

Conuentionales.

47 Ne autem temerè aut fierent, aut non admitterentur appellationes, non solũm cautum est, ne absq; iusta causa suscipiantur aut repellantur appellationes, sed & pœna in secus facientes ll. & Canonibus constituta est. Nam pars appellans, si apud iudicem appellatum compertum sit, temerè eam appellasse, iure ciuili recedere à lite, cum nota infamiæ, aut pœna extraordinaria, uel ordinaria, secundum casus rationem mulctatur. l. à proconsulibus. & l. eos. §. temerè. C. eo. & l. ab executione. C. quorum ap. non rec. Iure uerò Canonico solũm in expensis appellationis condemnatur, siue eam prosecutus fuerit, siue non. Ac siquidem non habet, unde soluantur expensę, appellans puni-
48 tur arbitrio iudicis. c. reprehensibilis. & glos. ibidem. Ex. eo. Iudex autem non admittens appellationem in causa ciuili mulctatur triginta libris auri, secũdum ll. l. quoniam. ij. C. eo. si in prosecutione eius appareat, eam fuisse admittendam, secundum ius autem Canonicum, arbitrio superioris punitur Iudex non admittens appellationem. c. de priore. Ex. eod. Temeraria uerò appellatione recepta, Iudex propter ignauiam, & appellans propter importunitatem puniuntur uiginti libris auri. ij. q. vi. in tex. incip. eos qui. §. si quis etiã.

49 Siue autem recepta fuerit appellatio, siue non, cogitur appellans adire Iudicem, ad quem prouocauit, ut declaret se appellasse, & exponat suam uoluntatem de appellatione prosequenda. l. à proconsulibus. C. eo.

50 Et ne moras in præiudicium eius, contra quem appellauit, nectat appellãs, potest ei à iudice, à quo appellatum est præfigi terminus, pro distantia loci, in quo agit Iudex appellatus, intra quem Apostolos iudici appellato exhibeat, & ei uoluntatem de prosequenda appellatione exponat. Neq; eius iudicis, à quo appellatum est, iurisdictio, penitus per appellationem extinguitur, sed nisi intra constitutum terminum appellans accesserit iudicem appellatũ cum Apostolis, tenetur stare eius iudicio, à quo appellauit, si à sententia appellatum sit, si uerò non à sententia, sed à grauamine appellatum sit, cogitur appellans, intra constitutum terminum, aut prorsus intermittere appellationẽ, aut eam omnino apud iudicem appellatum prosequi. c. cũm sit. & c. sæpe. & c. consuluit. Ex. eo.

Habet quoque appellans potestatem coram iudice sibijpsi constituendi termini deferendæ appellationis ad superiorem. c. personas. Ex. eo. Et ad hunc terminum non minus obstringitur, quàm si is à iudice ei præfixus esset. Susceptа autem prosecutione, datur ei tempus eius prosequendæ,

quod

quod suprà annotauimus. Deinde nec pendente iam appellatione Iudex, à quo appellatum est, sine omni iurisdictione in ea causa est, in qua appellatum est, sed potestas cognoscendi de ea tantùm ei eripitur. Nam si is, contra quem appellatum est, inquietetur in possessione eius rei, de qua lis est, potest iudiciaria potestate eum defendere, ad retinendam uel recuperandam suam possessionem. c. cùm teneamur. Ex. eod. Nihilominus tamen si ita fortè eueniat, ut Iudex, uel ante uel postquam interponeretur appellatio, ausus sit aliquid facere, aut permittere, quo appellans præter ius grauetur, per superiorem iudicem appellatum ei mandari potest, ut intermittere tales molitiones cogatur. Neq; enim licet iudici, à quo appellatum est, quicquam nouare appellatione pendente, & donec tempus appellandi non effluxit, iuxta tot. tit. ff. Nihil no. ap. inter. Et hoc ideo placuit Imperatoribus, ut ne quidem principis rescripto locum dari uelint, quod supplicando impetratum sit aduersus prouocationem, iuxta tit. C. ut lite pendente, uel post prouo. &c. Sed & hoc cum discrimine sententiarum, à quibus appellatur, accipiendum est. Nam si à definitiua sententia appellatum sit, tum non solùm ea per iudicem appellatum reuocantur, quæ Iudex, à quo appellatum est, in exequenda sententia post interpositam appellationem, sed & quę antè, molitus est. Verùm ante definitiuam sententiam ab eo molita in exequenda sententia Interlocutoria nõ possunt reuocari, antequãm cognitum est, an rectè appellatum sit, nisi contra appellantem Iudex, à quo appellatum est, aliquid ausus sit, postquãm interdicto superioris illud inhibitum ei esset. c. non solùm. Ex. de app. in sexto, & l. Chirographis. in fin. ff. de admi. & per. tut. Quia uerò tales molitiones iudicum contra ius appellandi non possunt deduci ad effectum, earum reuocatione, uulgo ea uocantur attentata. An autem in petenda reuocatione innouatorũ siue attentatorum opus sit obseruari processum iudiciarium, uel nõ, & in quibus casibus, abundè ostendit glo. fin. c. non solùm. Ex. de ap. in sexto. Id quòd omnino considerandum est, quia innouatorum causa planè separata est à causa appellationis.

Porrò in cognoscendo de appellatione, primum omnium est, ut partes citentur ad iustificandum & impugnandum appellationem, iuxta glos. tex. eos qui. cir. uerbum inuento. ij. q. vi. Ac potest quidem Iudex altera parte contumaciter absente, de appellatione cognoscere. l. ult. C. de temp. appel. nec retractantur Acta, nisi absens iustam causam suæ absentiæ ostendere possit. c. cùm Bartoldus. Ex. de sen. & re iud. Circa citationem autem in causa appellationis faciendam obseruandum est, quòd ei, contra quem appellatum est, nulla prosequendæ litis, quæ illi per appellationem mota est, incumbat necessitas, iuxta glo. c. sæpe. circa uerbum appelletur. Ex. eo. Deinde quòd tempora prosequendæ appellationis, uel à lege, uel à iudice appellanti constituta, eum non obligent ad aliquid faciendum in iudicio, sed esse in eius arbitrio positum, ut ueniat ad resistendum appellanti, ne possit suam appellationem iustificare. Nam & absente eo iudicem posse de appellationis iure cognoscere, testatur l. ult. §. illud. C. de temp. appell. Itaque neutrum illorum citari, ut ad iudicem appellatum ueniat ad uidendum & audiendum appellationem proponi, aut prosequi, donec alterius partis cessatio post deuolutam ad superiorem cognitionem appellationis deprehensa non sit. Statuta enim tempora exhibendæ & prosequendæ appellationis, loco peremptoriæ citationis sunt appellatori, ut nisi intra ea faciat, quod ei ratione appellationis incumbit, non appellasse, aut susceptam appellationem deseruisse iudicetur, iuxta ea, quæ de tempore interponendæ & prosequendæ appellationis apud superiorem iudicem appellatum annotauimus. Et appellationis denunciatio, Apostolorum æditio, quæ utrique parti facienda est, l. sciendum. ff. de appell. recip. ei, contra quem appellatum est, sicut loco Citationis, per quam ei

51 52 53 54 55 56

copia

copia facta est de iure suo depugnandi cum appellante, uel à l. uel à iudice constituta sunt, iuxta c. sæpe. Extr. eod. Quare si appellatio statuto tempore non exhibeat iudici libellum appellatorium cum Apostolis, manifestum est, eum destitisse ab appellando, & sententiam contra eum latam in rem iudicatam transijsse, ut eius executio peti possit à iudice, à quo appellatum est.

Si uerò appellator acer sit in prosequenda appellatione, & is, contra quem appellatum est, eam negligat, tum antequàm iudex appellatus pronunciet, an
57 rectè nec ne appellatum sit, per Citationem illi significari potest, quòd nisi maturè in iudicium uenturus sit, & quod opponendum appellatori existimet, opponat, experturus sit, ut de appellatione pronuncietur. Idem faciendum uidetur, si appellator cesset appellationem urgere, postquàm eius cognitio ad iudicem appellatum sit deuoluta, & ita accipiendum puto, quod de citationibus faciendis in gloss. decretorum, quam paulò antè allegauimus, dicitur. Res enim ipsa testatur, alioqui citationem non esse à partibus in causa appellationis expectandam, cùm tempora prosequendæ appellationis ex denunciatione appellantis datione Apostolorum, & legum constitutionibus per se satis norint. Sæpe tamen contrarium fit, uel ex consuetudine iudiciorum, uel
58 cùm constituta tempora ex causa incidente à iudicibus appellatis contrahuntur, aut extenduntur, iuxta ca. ex ratione. Extr. eodem. Nam tum necesse est, per citationem tempus iudicij indicare partibus, ne sint incertæ de congressu in iudicio faciendo. Iam autem quodcunque circa citationes in appellationũ causis obseruetur, permissum est partibus, ut uel per se, uel per idoneos procuratores suos in iudicium ueniant, sicut suprà de persequendis in iudicio
59 causis generaliter ubique permissum esse indicaui. Et ubi appellator constituerit appellationem suam prosequi, ad duo ei potissimũm aduertendum est. Primũm, ut legitimam formam appellationis ab eo obseruatam esse ostendere possit, Deinde ut non desint ei causæ, quas pro iustificatione suæ appellationis adducat. Nam utrunque posse eum præstare necesse est, si prosequi appellationem suam, ac tueri eam tanquàm ex iusta causa factam uelit. Prius tamen est in prosequenda appellatione, ut appellator ostendat, ritè ab eo appellatum esse. l. hi qui. in fin. C. eodem. nisi enim id constet, iurisdictio iudicis, à quo appellatum est, non suspendi, neq; iudex appellatus prohibere potest, ut inferior iudex, à quo prouocatum esse dicitur, iudicium non exerceat, contra contendentem se appellasse, c. Romana. ℣ si uerò. Ex. de appell. in sexto. Posterius uerò est in prosequenda appellatione, ut appellans doceat se iustas suæ appellationis habere causas. Nam si hoc facere non possit, incidit in pœ-
60 nam temerariorum appellatorum, de qua suprà diximus. Proinde & is, contra quem appellatum est, duobus quoq; modis uenire contra appellationem potest, uidelicet, ut si ita res det, dicat aut libellos appellatorios esse ineptos, aut in proposito casu non esse licitum appellare, aut non debito tempore, loco, & ordine esse appellatum, Apostolos non esse petitos, & si quid simile in
61 appellatione desideratur, quod in legitima eius forma obseruandum præcipitur. Nam & in impugnatione, sicut in iustificatione appellationis, formæ disputatio prior esse debet. In posteriore autem iustificatione appellationis opponi possunt temeritas ipsius appellatoris, iudicium iudicis, à quo appellatũ est, in dandis Apostolis refutatorijs, & quicquid ex actis, aut aliunde afferri potest, ad eleuationem & refutationem earum, quæ ab appellatore iustificandæ appellationis suæ causa adducuntur.

62 An autem in his contentionibus tuendæ & impugnandæ appellationis ne cessariõ obseruetur processus iudiciarius in dandis libellis, opponendis exceptionibus, lite contestanda, recipiendis testibus, aut alijs probationibus adhibendis, dubitari ualde non potest, cùm ea tradita sint, ut lites ritè expediantur, ut talium obseruatio tam sit in cognoscendo de huiusmodi contentionibus

neceſſaria,quàm in ullis alijs cauſis. In his tamen contentionibus non propo
ni Actiones,facilè quiſq; cogitare ſecum poterit, cùm in illis non noua cau-
ſa,ſed quæſtio ex tractatione iudiciorum,circa propoſitam cauſam orta,libel-
lo appellatorio in iudicium deducatur,mitioris ſententiæ in cauſa antea in iu
dicium libello actionis deducta impetrandæ, aut inclementiæ iudicis decli-
nandæ gratia,ne onera nobis per eius inclementiam impoſita ferre cum no-
ſtri iuris uiolatione cogamur. Quare in appellationib. in iudicium uenit,an
ſententia in iam agitata cauſa lata propter appellationem ſit caſſanda, aut ea
non obſtante confirmanda. Reſpicit igitur appellatio cauſam prius in iudicio 63
motam,& non mouet alienam. Itaq; in ea proſequenda libellus appellatorius 64
eſt loco libelli,qui alioqui in cauſis primò proponi ſolet,& lis in cauſa appella
tionis conteſtatur,ſi utraque pars ad ſuperiorem iudicem appellatum ueniat,
ad contendendũ de appellationis iuſtificatione. Si uerò altera pars conten-
dere de ea intermittat,tum ea ſola,quæ eſt præſens, procedere ad iuſtifican-
dam,uel impugnandam appellationem poteſt,quia abſens pars pro contuma 65
ci habetur,etiamſi non ſit citata,nec auditur,niſi iuſtam cauſam ſuæ abſentię
oſtendere poſsit.l.ul. §.illud.ff.de temp.app.Cui autem parti incumbat onus
probandi,indicat gloſſ.l.hi qui ciuilia.C.eo. Verũm poſt alterius,aut utriuſ-
que partis probationem, iudex appellatus porrò non poteſt onus ferendæ
ſententiæ ſubterfugere per remiſsionem cauſæ ad iudicem, à quo appellatũ
eſt. Nam delegare eam,ſed non remittere poteſt.l. eos qui.C.eo.id quod con
ſtitutum eſſe,lex teſtatur,ne partibus detur recurſus ad iudicem, à quo receſ
ſerunt,ſi ſuam appellationem non ſatis ſuccedere ipſis uideat. Et quia talis ra
tio indicat,in ea conſtitutione multum eſſe momenti, ad coërcendam appel-
lantium temeritatem,Bar.cir.eandem l.dicit, ſibi placere eorum opinionem,
qui contendant, ne Imperatori quidem licitum eſſe, ut partes ad iudicem,à
quo appellatum eſt,remittat, poſtquãm de appellatione cognouerit,niſi fieri 66
id mandet cum clauſula: non obſtante tali lege &c.

Quamuis igitur ante ſuſceptam iuſtificationem appellationis,qui appella-
tionem interpoſuit, inuita aduerſa parte, poſsit petere,ut à iudice,ad quem
appellatum eſt, remittatur ad iudicem, à quo appellauit(ſecundum iura Ca-
nonica.c. interpoſita. §.ille.Extr.eodem,)tamen poſtquàm eam cœpit proſe-
qui iudex appellatus,ea in re ei obſequi non poteſt,propter l.eos qui.C.eod.
Et id quidem ſine omni limitatione uerum eſt,ſi à ſententia definitiua appel-
latum ſit. Iſto nanque caſu neceſſe eſt,ut pronunciet, an benè uel malè appel
latum & iudicatum ſit. Hæc enim eſt forma ſententiarum de appellationibus 67
pronunciandis, uidelicet, ut ſi iudex in proſecutione appellationis, depræ-
henderit probè iudicatum eſſe à iudice, à quo appellatum eſt, ita confirmet
eius ſententiam,ita pronunciet,bene iudicatum,& malè appellatum eſſe, ſi-
ue prioris ſententia iudicis fuerit condemnatoria, ſiue abſolutoria. Si uerò
compertum illi ſit malè iudicatum eſſe,tum uidendum eſt, an ſententia iudi-
cis,à quo appellatum eſt, fuerit condemnatoria, uel abſolutoria. Nam ſi fu-
it condemnatoria,tunc ſufficit ad eam caſſandam,ſi pronunciet, malè iudica-
tum,& bene appellatum eſſe. At ſi ea fuit abſolutoria,tunc ad caſſandam eam
non eſt ſatis,ſi dicat malè iudicatum,& bene appellatum eſſe, ſed neceſſe eſt,
ut adiungat quoque ſuam condemnationem,ut poſsit conſtare, qua in re il-
lum condemnet, qui priore iudicio contra ius abſolutus ſit.l. eos.& ibi not.
gloſ.C.eo. & arg. l.Offidius.ff.de l. iij. Sic & cùm ſententia iudicis,à quo ap
pellatum eſt,non meretur reprehenſionem, reſpectu probationum,quæ co-
ram illo iudice factæ ſunt,ſed ratione nouarum probationum, quæ ab appel-
lante in iuſtificatione appellationis adductæ ſunt coram iudice appellato,tũ
iudex appellationis in pronunciando debet adijcere cauſam, cur malè iudica
tum ſit à iudice,à quo appellatum eſt, nimirum propter defectum probatio-
num,

hum, quas appellans in iudicio appellationis adduxerit, cũm illis in priore iudicio, aut destitueretur, aut eas ignoraret, aut incircumspectus omiserat, iux.
68 iam alleg. gl. d. l. eos, & hoc modo accipienda est gl. l. sicut. ff. de re iud. quę dicit addendam esse causam sententiæ in causa appellationis.

69 De appellatione autem ab interlocutoria sententia, & grauamine, paulõ aliter iudicandum est. Nam si iudex appellatus ex iustificatione appellantis intelligat eum iustas habere causas prouocandi, pronunciabit bene appellatum esse, & postea ipse in principali causa cognoscenda progrediatur. Ex impugnatione autem appellationis, intelligens temerè appellatum esse, pronunciabit malè appellatum esse, & parte appellante in expensas condemnata, ad prosequendam principalem causam, remittitur ad iudicem, à quo appellatum est, iuxta ca. ut debitus. in fin. & ibi gloss. circa uerbum, alioquin. Ex. de appell. Tales autem sententiæ uidentur ferendæ, si prosecuta sit appellatio, in probanda eius materia, & non ubi certatum est inter partes de forma.

Itaque obseruandum erit de tali contentione nihil à iudice constitui, nisi
70 cũm appareat contra legitimam formam in ea faciendа processum esse. Nam tum iudex appellatus referre ad iudicem, à quo apellatum est, potest, sibi uideri non appellatum esse, ob id progrediendum ei in causa esse, sicut casus exigat, uel ad porrò cognoscendum de ea, aut ad exequendum sententiam de ea ab illo iam latam, sicut fit cũm appellatio ab utraque parte deseritur, & intra tempus ad prosequendam eam datum, non urgetur. l. si contra. & l. quoniam. C. eodem. & Authent. de his qui ad ap. ingred. in princi. Quamcunque
71 autem ob causam quis in appellatione succumbat, semper uictus uictori condemnatur in expensas, iuxta gloss. cap. sæpe. circa uerb. appellabitur. in fin.
72 Extr. eodem. Sed inquiet aliquis: audio sententiam exequi à iudice, à quo appellatum est, si deseratur appellatio, aut propter non obseruatam formam nulla esse cognoscatur: ad quem iudicem spectat executio, si propter insufficientem probationem causæ appellandi à iudice appellato pronunciatum sit? Respondeo secundum Hostiensem, quòd si actor appellauerit, quia Reus fuit absolutus, & iudex appellatus pronunciauerit rectè iudicatum, & malè appellatum esse, nihil restare exequendum, quia sententia absolutoria executionem secum trahat. Si uerò iudex appellatus ab Actore rei absolutionem sua sententia improbet, necesse est, ut antè absolutum Reum condemnet, ac proinde suam sententiam exequetur, cũm ipse in ea causa iudex fuerit, non is, à quo appellatum est. Atsi reus appellarit, quia existimet se iniquè condemnatum esse, & iudex appellatus pronunciet bene ab eo appellatum, & malè iudicatũ esse, non opus est executione, quia absolutus tali sententia Reus habetur. Si uerò rei condemnationem confirmet iudex appellatus, & pronunciet malè appellatum, & rectè iudicatum esse, tunc iudex, à quo appellatum est, sententiam exequitur, quia palàm est, ipsum condemnasse Reum, non iudicem appellatum. Inter reliqua autem iura, quę ipse allegat, uidetur eius opinio, quæ sua ratione satis per se subsistit, præcipue iuuari autoritate c. pastoralis. §. prę
73 terea. Ex. de off. & potest. deleg. Sed rursum quæret aliquis, an ne prohiberi talis executio possit per nouam appellationem ad superiorem, sicut prohibita antea fuerit? Ad hanc quæstionẽ loco prolixi responsi allego tit. C. Ne li. in una eademq; causa tertiõ prouo. &c.

Habetis generalem formam interponendæ & prosequendæ appellationis in iudicio, uel extra iudicium. Eadem nanq; tempora ijdemq; modi obseruantur, ubicunq; à iurisdictione inferiorum ad superiorum iurisdictionem magistratuum fit prouocatio. l. i. §. quod in sententijs. ff. quando ap. sit. Neq; circa hoc quicq; sæpius disputationis aut uariationis in appellando gignit, quãm personæ, quibus prodesse facta, aut intermissa nocere appellatio uideri pos-

sit. Etsi enim regulariter non solùm ipsis, qui condemnati sunt iudicio, sed & 74
omnino omnibus illis, quorum interest, appellare liceat, l. ab executore. §. ult. 75
ff. eodem. & de appel. recip. l. i. Tamen nonnihil dubitationis aliquando ea
in re parit usus, ut si quis alterius causam gerat in iudicio absque eius manda-
to, & succumbat, posset dubitari, an dominus causæ sit admittendus, ut à sen-
tentia appellet, cùm nullum admodum præiudicium metuendum ei ex ea sit:
propterea quòd absq; eius mãdato causa in iudicium deducta sit, Sed extat in
ll. exemplum, quo talis appellatio admittitur. l. iij. §. ult. ff. rem ratam habe.
Similes sunt casus in l. serui. l. Lucius. l. Creditor. l. Tutor. l. ab executore. l. ã
sententia. §. si hæres. & l. si perlusorio. ff. eo. Nam in his omnibus ll. ostendi-
tur, quatenus alius alio succumbente aut cessante appellare possit, ne illi eius
studium, aut cessatio noceat, uel fraudi sit. Quòd autem causa appellationis 76
per alium exerceri in iudicio possit, ostendit titul. ff. An per alium causæ ap.
exer. poss. Deinde quomodo in appellatione extra iudicium uersandum sit,
ostendit titul. ff. Si Tut. uel Cur. uel Mag. ap. Et quatenus non appellanti al
terius appellatio prosit, cùm eius interfit, ostendit titul. C. Si unus ex plur.
appel. Postremò, si casus ita ferat, ut aut res, de qua est contentio, pereat, aut 77
is, cum quo in appellationis causa contentio est, moriatur, antequãm decisa
sit appellationis causa, tum hoc modo distinguendum est, ut si res, de qua est
contentio, possit esse usui, tum nihilominus appellantem ad eius æstimatio-
nem soluendã condemnari, si sit in mora prestandi. l. si seruus. ff. decond. furt.
Si uerò no possit esse usui res perdita, in contentionem ueniens, ut est ser-
uus, tum licet agere ad peculium, uel ad precium. Si uerò non res litigiosa pe
reat, sed unus ex litigatoribus moriatur, tum si causa fuerit ciuilis, per hæ-
redes mortui ea prosequi poterit: non autem si fuerit Criminalis, nisi con-
demnato mortuo aliquid bonorum ademptum sit propter sentẽtiam. Nam tum
prosequi eius hæredibus appellationem licet, iuxta tit. C. Si pendente app.
mors interueniat.

ff.

De Appellat. & Relat.
A quibus appel. non licet.
Quis & ã quo appelletur.
An per alium causæ app. reddi possint.
Quando appellandum sit, & intra quæ tempora.
De appel. recip. uel non.
De libellis Dimissorijs. Nihil nouari appel. pend.
Si Tutor uel Cur. uel Magistratus creatus appel.
Si pendente app. mors interueniat.

Cod.

De appel. & consulta.
Quorum appel. non recip.
Si de momentanea poss. fuerit appellatum.
De temporibus & reparat. appel. siue consulta.
Ne liceat in una eademq; causa tertiò prouocare, uel post duas sententi-
as iudicum, quos definitio præfect. &c.
Si pendente appellat. mors interue.

Auth.

De Appellat.
De appel. & intra quæ temp. debeat appel.
De ijs qui ingred. ad appellandum.

Decret. ij. q. vi.

Dec. Sex. & Cle.

De Appellationibus.

DE

DE CRIMINALIBVS IVdicijs. Caput XXXV.

SVMMARIVM.

1. Criminalia iudicia conſtitui per accuſationem, denunciationem, aut inquiſitio
2. Crimina ſæpe aliud agendo in iudicium ueniunt. (nem iudicis ex officio.
3. Criminalia iudicia eſſe ordinaria & extraordinaria.
4. Criminalibus iudicijs quid conueniat cum ciuilibus.
5. Notorium crimen non requirit obſeruationem iudiciarij ordinis.
6. Defenſio nulli neganda.
7. Probationes in criminalibus ſint luce clariores.
8. Ordo iudiciarius in cognoſcendis & probandis delictis ſeueriſsime obſer-
9. Inſcriptio qualis ſit obſtrictio. (uandus eſt.
10. Quando accuſatus uinciendus ſit & cuſtodiendus.
11. Atrocitas criminum in cuſtodiendis reis attendenda.
12. De accuſatis latitantibus & fugientibus.
13. Inuentarium bonorum accuſatorum latitantium deſcribatur.
14. Remiſsio iuriſdictionis ad nocendum accuſatis contumacibus Bannum uoca
15. Bannum eſſe coërtionem iudiciariam & proſcriptionem. (tur.
16. Proſcriptionis uſus alius apud Romanos olim fuit, quàm Banni hodie apud
17. Confiſcandorum bonorum mos. (nos.
18. Extorres foro, urbibus, atq; penatibus.
19. Bannitus, hoc eſt, territorio extorris factus.
20. Bannum poteſt æquiparari interdictis, quibus Romani ſoliti ſunt ſecundum magnitudinem ſceleris interdicere flagitioſis, nunc honorib. nunc ciuitate,
21. De interd. ſolũ uertẽdi, territorio excedendi, tecti, aquę, ignis. (nũc prouincia.
22. Bannum quid ſit.
23. Mandatum quando reducatur ad ſimplicem citationem.
24. De pœna contumacium.
25. Bannum aliud eſſe exilij, aliud perſonæ, aliud pecuniæ.

1 CRIMINALIA iudicia non ſemper eodem cõſtituuntur modo, ſicut Ciuilia. Nam ea nunc per accuſatores, nunc per denunciatores ad iudicem deferuntur, nonnunquãm iudex ex ſuo officio
2 de illis inquirit, non exiſtente accuſatore. Sæpe etiam aliud agẽdo in iudicium crimina ueniunt, cũm ea loco exceptionum litigantes ſibi inuicem obijciunt, ſicut ſuprã de iure agendi ex delictis oſtendimus. Quare nec eundem de his cognoſcendi proceſſum obſeruari per omnia facilè quiſquam cogitabit. Nobis igitur in tradendo horum iudiciorum proceſſu non ſolũm annotandum eſt, quatenus hæc iudicia generaliter ã ciuilibus uarient, ſed & quatenus à communi harum proceſſu recedatur, ſecundum diuerſitatem modorum, quibus crimina in iudicium deducuntur.

3 Primõ igitur hoc conuenit Criminalibus iudicijs cum Ciuilibus, quõd &
4 horum quædam ſunt Ordinaria, quædam Extraordinaria. Nam ſi crimen ſit
5 Notorium, non requiritur obſeruatio iudiciarij ordinis, quo alioqui iudicia Criminalia exerceri iubentur, ſed ſi ex euidentia facti conſtet, ã quo illud ſit commiſſum, ſatis eſt, obnoxium citari ad audiendam ſententiam, niſi probabiles adferat cauſas, quare condemnari in hanc, uel illam pœnam criminis non
6 debeat. Etſi enim crimen ſit notorium, tamen nulli neganda eſt legitima ſui defenſio. cap. cũm inter. §. i. Extr. de exception. Siue autem citatus ueniat, ſiue non, propter euidentiam facti contra eum ſummariè proceditur, iuxta l. ea quidem. C. de accuſ. & inſcrip. & totam diſputationem, quæ eſt in ij. qu.
7 i. & gloſſ. c. ad noſtram. iij. Extr. de iureiuran. At ſi qua dubitatio eſt de crimine, eam neceſſe eſt tolli probationibus luce clarioribus. l. ult. C. de probat.
8 Itaque ſeueriſsimè iudiciarius ordo in cognoſcendis talibus cauſis obſeruan-

dus est, quia talium iudicia maximè sunt ordinaria, & propter periculum nocentissimi erroris exquisitissimè & religiosissimè exerceri debent. Secundò igitur conuenit huiusmodi iudicijs cum ciuilibus, quòd siue per accusatorem, uel per denunciatorem crimen ad iudicem delatum sit, siue ipse ex diuulgatione criminis excitatus sit ad inquirendum de eo, semper necesse sit, Reum, aut suspectum de crimine uocari, ut ad iudicium ueniat. Sed pericula, quæ in his iudicijs undique metus cùm iudici, tum Reo & accusatoribus minatur, multa circa citationes in causa criminali faciendas à ciuibus uariauit. Iura Ciuilia nolunt quenquam admitti ad accusandum aliquem de crimine, nisi prius se obstrinxerit ad subeundum pœnam, cui accusatus uictus subijci debuerit, si succumbat iudicio, quæ obstrictio uocatur in legibus, Inscriptio. leg. qui crimen. Cod. qui accusar. non poss. Deinde in eadem lege præcipitur, ut nemo admittatur ad accusandum, nisi datis fideiussoribus de lite prosequenda caueat, sed hæc haud ferè obseruantur. 9

Præterea quamuis uix de quoquam sperari possit, ut sibi conscius ultrò in iudicium ueniat, per literas aut nuncium citatus ad respondendum de crimine, tum & leges prohibeant, accusatos in iudicium inuitos duci & exhiberi, multò minus in carcerem conijci, aut ex uno territorio in aliud transmitti, antequàm conuicti sint criminis. l. nullus. & l. neminem. C. de exhib. reis. Veruntamen hæc sic accipi uult gloss. leg. nullus. quòd accusatus non debeat compedibus uinciri, antequàm sit conuictus. Nam custodiæ causa eum posse in aliquo loco concludi, arguit lex ultima C. de accusat. & inscript. quæ uult, tum accusatorem, tum accusatum seruari in custodia, donec de crimine constet. Propter atrocitatem autem criminum plerique casus ab hac regula excipiuntur à gloss. leg. qui crimen. C. qui accusar. non poss. Nam plerique odio criminum statim in carceres conijci possunt. Quanta autem diligentia custodiri debeant in carceres missi, ostendit titulus cap. de custod. Reorum. 10 11

Porrò quæ dicta sunt de exhibendis & custodiendis, referenda sunt in eos casus, quibus accusatorum copia datur. Nam si latitent, aut fuga se subducant, quò minus trahi in iudicium possint, alia suscipienda est eorum coërcio, ad cogendum eos, ut causam in iudicio dicant. Etenim isto casu permissum est iudici, ut si accusati neque denunciationibus præconum, neque publicè propositis edictis obtemperent, bona eorum annotentur, hoc est, inuentario describantur. Et si qua interea inueniantur, de quibus metuendum sit, ne ex mora fiant deteriora, aut intereant, ut uendantur, & precium eorum custodiæ causa deponatur. leg. ultim. ff. de requi. reis. Post annotationem autem bonorum iubentur rursum per edictum citari, adiecta comminatione pœnæ pecuniariæ, uel quæ eorum existimationem contingat. l. absentem. ff. de pœnis. Aut si iudici ita uideatur, potest etiam eis comminari, ut nisi intra terminum constitutum ad accusationem respondeant, impunè futurum quibusuis in territorio iurisdictionis quam habet iudex, ut eorum bona, aut corpora inuadat. Et talis remissio iurisdictionis ad nocendum accusatis contumacibus hodie uocatur Bannum, uocabulo Latinis scriptoribus ignoto. Et ut ego arbitror, à Gottis & Longobardis in Italiam translato. Nam lingua earum gentium, quę ex Septentrionalibus regionibus cum Gottis cõmigrauerunt in Italiam, **Ban** dicitur iurisdictio: & quibus publica renunciata est iurisdictionis defensio, dicuntur, **Die gebanneten**, qui ab Italicis scriptoribus nunc uocantur banniti. Vnde apparet hunc morem cogendorum accusatorum, ut in iudicium ueniant, esse ab istis gentib. in Italiam translatum. Nam is nusq; in ll. Roma. traditus est, licet quidam existimant proscriptionem eius loco esse habitam. Sed extant multa exempla apud Latinos scriptores, quæ 12 13 14 15

testantur

testantur proscribi solitos accusatos, non ut metu periculorum in iudicium ue nirent, sed ut condemnatio eorũ manifesta esset, id quod & ex tit. C. de bonis proscrip. seu dam. apparet. Cùm ea uocabula tanq; cognatæ significationis expolitionis causa ibi coniungantur. Neq; ll. quæ sub eo titulo ponuntur, aliud traditur q; quando publicentur bona iam damnatorum, non quorum purgatio expectet. Et iure digestorũ & Codicis bona accusatorum ad cogendos eos, ut in iudicium ueniant, statuitur, ea non esse fisco addicenda, aut publicanda, nisi post annotationem eorum, & edictum comminatorium de publicatione eorum, intra anni spacium non uenerint. l. anni. & sequent. ff. de requi. reis. Neque licitum fuisse iure Romano, ut absens capitis damnaretur, sed hoc solũm permissum fuisse, ut in causis nõ capitalibus procederetur ad relegationem, indicat l. absentem. ff. de pœnis.

16 Itaq; manifestum est aliter usos esse Romanos proscriptione, quãm nunc utimur Banno, alioq; modo illos publicasse bona accusatorum, quãm nunc
17 per Bannum in inuadendis illis aliquando impunitas datur. Videtur autem & ille ipse mos confiscandorum bonorum annotatorum sublatus esse per ius nouissimum, Auth. Vt nulli iudi. liceat hab. loci ser. §. ult. Nam ibi prohibẽtur etiam damnatorum bona publicari, si habeant hæredes descendentes, uel ascendentes in infinitum, uel Collaterales in tertio gradu. Multõ minus igitur permissum uidetur iure nouissimo, ut non damnatorum bona confiscentur. Proinde cùm dd. de hac coërcione accusatorum fugientium iudicia specialiter loquuntur, non se referunt ad ius commune, acsi nihil de ea sit in Romanis legibus. Sed dicunt, quòd si statuto permissum sit, ut banniti offendantur, tum esse licitum, ut elapso termino, in bannitorum bona & personas impetus fiat, si id in Decreto banni expresse comminatum illis sit. Bartol. Alex. de
18 Imol. & Iason circa l. cùm stipulatus sim. ff. de uerb. obligat. Et tum passim ita etiam de bannitis loquuntur, ut uideantur sub ea appellatione omnes eos complecti, qui quoquo modo territorijs per edicta publica arcentur, & extorres foro, urbibus, atque penatibus facti sunt. Vt igitur discentes in horum lectione aliquo cum iudicio uersari possint, obseruent, quòd posteaquãm in Italia ex usu & consuetudine aduenarum gentium uocabulum banni receptũ esset pro coërcione iudiciaria, qua non obtemperantes imperio iudicum, sectarentur, paulatim inoleuisse, ut omnis pœnalis interminatio iudicum, quã ad conseruationem suæ iurisdictionis fecerunt, bannum diceretur. Vnde gloss. l. i. §. ex hoc rescripto. ff. de uentre inspi. mulctas, banna interpretatur, & dd. circa l. C. de hæred. instit. faciunt quoddam discrimen inter bannum simplex, & bannum perpetuum, nec permittunt, quòd quilibet bannitus æquiparetur deportato, aut relegato, sicut uult gloss. §. relegati. Institut. quibus
19 mo. pa. potestas sol. Sed contendunt, quòd si propter tale quoddam delictũ, quis bannitus, hoc est, territorio extorris factus sit, propter quod, si in iudicium uenisset, potuerit deportari aut relegari, tum eum habendum esse in illorum conditione, secus si ob leuius crimen extorris territorio per edictum banni factus sit.

20 Largè igitur accepto uocabulo banni, potest eius usus æquiparari interdictis, quibus Romani soliti sunt, secundum magnitudinem sceleris interdicere flagitiosis, nunc honoribus, nunc ciuitate, nunc prouincia, iuxta leg. re-
21 legatorum. §. interdicere. ff. de interdict. & releg. Sed propria significatione pro solis illis interdictis, quibus contumaces in eam conijciuntur rerum, & nonnunquàm uitæ angustiam, ut aut purgare se de crimine, cuius accusati sunt, aut solum uertere, & eo territorio, in quo accusati sunt, excedere cogantur, sicut Cicero in Oratione pro domo sua testatur, in usu Romæ fuisse, q; interdictione tecti, aquæ & ignis, ad obsequendum magistratuum edictis
22 parere coacti sint. Est igitur Bannum aliud nihil, quãm edictum, quo

contumaces cum interminatione alicuius pœnæ, uel exclusione territorij, ad parendum magistratibus, uocantur. Ac siquidem uocati obtemperant tali edicto, tum illud reducitur ad simplicem citationem, iuxta Bald. in l. ij. C. de postu. Si uerò non desinunt esse contumaces, tum illud edictum habet uim sententiæ, & causa irrogat contumaci pœnam, quam ei iudex in illo minatus est, nisi ab eo prouocet, aut iustas adferre possit causas, propter quas cancellari edictum illud debeat, iuxta Bart. circa l. pupillo. §. qui remissionem. & §. si procurator. ff. de oper. noui nuncia. ibidemq; Alex. de Imola. Quòd autem pœna in contumaciter subducentes se iudicijs, eiusmodi edictis, atque etiam statutis possit constitui pro delicti modo, nunc grauior, nunc leuior, arguit l. amissione. §. qui deficiunt. in fin. ff. de capite minutis. Id quod & dd. ista sua distinctione innuunt, qua dicunt aliud Bannum esse exilij, aliud personæ, aliud pecuniæ. 23 24 25

Hæc hactenus. Sequitur fragmentum de priuilegijs, & iuris beneficijs.

SEXTA PARS HVIVS METHODI DE DOCTRINA IVRIS CIVILIS, DE PRIVILEGIJS, & iuris beneficijs.

AN PRIVILEGIA INTER Leges publicas habenda sint.

Caput I.

SVMMARIVM.

De iure singulari enarratio Io. Oldendor. huic parti de priuilegijs adiũgatur, & plenior harũ rerum tractatio atq; cognitio existet.

1. De priuilegiorum origine ex legibus xij. tabularum.
2. Priuilegia esse iussa de singulis ciuibus concepta.
3. Priua dixerunt ueteres, quæ nos singula uocamus.
4. De capite ciuis nihil statuendum, nisi in centuriatis comitijs.
5. Beneficia iuris uocari priuilegia.
6. Priuilegium quid sit, aut dicatur.
7. An liceat dare priuilegia, & cur dentur.
8. Lex est commune præceptum.
9. Priuilegia aliorum iuri non noceant, nec pugnent ex diametro cum iure publico.
10. Delinquendi impunitas concedi non potest.
11. Priuilegia immodica, esse moderanda.
12. Beneficia plenissimè interpretanda.
13. Mulieres intercedentes pro maritis non teneri.
14. Non permittendum, quod lege prohibetur.
15. Princeps in rescripto suo significet, se nolle suo beneficio obstare legi.
16. Quod diuersum est à ratione iuris communis, nõ trahatur ad consequentias.
17. Rescripta non longius extendenda, quàm uerba eorum.
18. Inæqualitatem iuris nõ adfert, si inter ciues alius laxiore ueste q̃ alius tegatur.
19. De Testamento militari, cur sit priuilegiatum.
20. Causa priuilegiorum, propter quam lata sunt, est extendenda.
21. Priuilegia rectè inter publicas leges haberi.
22. Priuilegia non ex iusta & sufficienti causa citra aliorum iniuriam concessa, pro priuilegijs non habentur.

23. Quo

23. Quo ordine traditurus sit de priuilegijs.
24. Fluctus negotiorum non sinunt aliquid perpetuum esse.

1 ALIQVOTIES Cicero meminit, in ll. xij. Tabularũ cautum fuisse, ne ll. priuatis hominibus irrogarentur, hoc est, ne Priuilegia à magistratu conderentur. Nam l. in priuatum hominem latam, priuilegium esse dicit. Et Gellius libro decimo, capite uicesimo 2 testatur, Priuilegia esse iussa de singulis ciuibus concepta, quia 3 ueteres Priua dixerunt, quæ nos singula uocemus. Cũm igitur Romani xij. Tabulis tanquàm Archetypo bonarum legum, ubique ferè in condendis legibus usi sunt, contra autoritatem maiorum & rationem probi iuris, priuilegia prodita esse alicui ã posterioribus Romanarum ll. conditoribus, uideri possit. Verũm si quis usum huius uocabuli rectè perpenderit, intelliget sæpe longè aliter illud in iure Ciuili & Canonico accipi, quàm in eo loco xij. tabularum, quem Cicero allegat, acceptum est. Nam cũm in xij. tabul. priuilegia prohibentur priuatis hominibus irrogari, iubentur exerceri iudicia, secundum leges publicas, & non priuatis magistratuum decretis. Eò nanq; respexisse conditores xij. tabul. ostendit Cicero in iij. de ll. per collationem alterius l. earundẽ tabularum, qua præceptum fuit, ut de capite ciuis nihil statueretur, nisi in centuriatis comitijs. Harum enim duarum ll. collatione indicant autores, xij tabul. cũm prohiberent priuilegia irrogari, uoluisse, ut Magistratibus non esset licitum, extra legitimè constituta iudicia quicquam durius de ciuibus statuere. Atque ita prohibitis priuilegijs, prohibita fuerunt priuata magistratuum iudicia, non ll. beneficia, quibus contra ius commune aliquid indulgetur. 4

Priuilegium. Priua.

5 Huiusmodi beneficia iuris nũc uocant priuilegia, magis ex immutatione uocabuli, quàm quòd res natiua ei significationi planè conueniat. Nam illi, qui primũm sic usi sunt hoc uocabulo, uidentur in ea fuisse opinione, quòd si 6 cut Isidorus in cap. iiij. dist. iij. existimat priuilegium sic dictum, quasi priuata lex, ut ita appellari possint quæq; iura, quæ speciale quoddam ius contra ius commune singulari quodam fauore, aut clementia, uel personis, uel rebus concessa sint. Neq; sanè ualde refert, quo nomine res appelletur, modò constet, quæ sit propria eius natura & ratio. Itaq; nihil ualde laborabimus in uocabuli huius quærenda Etymologia, satis nobis sit, quòd hodie priuilegium dicatur specialis quædam indulgentia iuris aliquid agendi, contra quam id regulariter alioqui iure communi permissum est. Nam hæc est essentialis Priuilegiorum differentia, ã reliquis iuribus, quòd nulla indulgentia iuris pro priuilegijs haberi possit, nisi specialiter quiddam contra iura communia con 7 cedat, iuxta c. abbate. extr. de uerbor. sign. Et licitum esse talia priuilegia dare nemo sanus negabit. Nam istud prorsus negare, esset magistratus priuare potestate gratificandi bene meritis, & prohibere eos esse clemẽtes erga eos, quibus pietas & æquitas præ cæteris parcendum suaderet. Et tamen contra libertatem ciuium esse uidetur, quòd alij præ alijs laxantur uinculis iuris cõmunis, per priuilegia. Eius enim reip. ciues soli uideri possunt dici liberi, in qua omnibus ex æquo redditur ius, non ubi quorundam libertas aliorum prærogatiua redditur tenuior. Vnde nec inter iura haberi ea uult Vlpianus, quæ non sic constituuntur, ut generaliter ad omnes Reipub. ciues pertineant, l. iura. ff. de ll. Quare nec inter ll. publicas haberi uidentur priuilegia. 8 Lex enim est commune præceptum, l. i. ff. de ll. Nec ad singulorum, sicut priuilegia, sed ad communem utilitatem spectat. Ad occurrendum his atque 9 similibus argumentis obseruandum est, quòd priuilegia non ualeant, nisi cum hac moderatione sint data, ut aliorum iuri non noceant. Beneficia enim non debent principes in cuiusquam iniuriam tribuere, l. nec auus. C. de Eman. lib. & leg. ij. ℔ merito. ff. ne quid in loc. pub. Imò ab initio priuilegia

citra

citra aliorum iniuriam concessa, si progressu temporis cœperint alijs intolerabiliter, propter enormem læsionem esse onerosa, peti potest, ut ea reuocentur ab ijs, à quorum iurisdictione ea profecta sunt, arg. c. suggestum. extr. de Decí. & Censibus. c. quanto.

Deinde non possunt à principibus conferri Priuilegia, quæ ex Diametro pugnant cum iure publico. Quamuis enim hæc sit natura Priuilegiorum, quòd uarient à iure communi, tamẽ necesse est, ut limites diuini atque humani iuris non aliter egrediantur, quàm alioquí inter illos consistere tenemur, in constituendo iure ciuili, uidelicet, ne in totum à iure naturali & gentium recedamus, iuxta l. ul. & ibi. gloss. C. si con. ius, uel uti. pub. Vt Princeps non 10
potest alicui concedere impunitatem delinquendi. Nam hoc permittere esset innocentiam ciuium prodere malignis cupiditatibus hominum, aduersus quas defendi ciues bonos ll. prę̃sidio summè decet. Quare delinquentẽ nõ tuetur priuilegium fori, quõ minus in eo loco, ubi deliquit, conueniri, & in eum animaduerti possit. Auth. qua in pronuncia. §. ubi de crim. agi opor. Neque enim prætextu priuilegiorum crescere debet flagitiorum impunitas. leg. ij. C. de Priuileg. schol. libr. xij. & Authentic. de mandat. Princip. §. quòd si
delinquentes. Proinde etiam cùm Priuilegia uidentur esse immodica, inter- 11
pretando ea secundum ius commune moderantur, iuxta glo. c. cùm dilectus, cir. uerb. nec iure communi, ext. de consue. Oportet enim ea, quæ communiter & generaliter ad omnium utilitatem sanciuntur, potius ualere, quàm ea, quæ circa aliquas personas uidentur agi ad corruptionem communium legum. Auth. de non alie. aut permu. reb. & §. quia uerò uerisimile. in fin. Etsi 12
alioquí beneficia plenissimẽ interpretentur. leg. beneficium. ff. de institut. Prin. Interdum tamen quædam priuilegia indulgentur à Principibus, contra ius commune, quæ Priuilegiorum autoritatem habent, ut quòd mulieres 13
intercedentes pro maritis non teneantur. l. i. ff. ad S. C. Velleian. Sed nec talia Priuilegia inter publicas ll. non relata ualent, nisi prosint impetrantibus, & non lædant alios, l. rescript. C. de precibus Imperat. offeren. Deinde requí 14
ritur, ut non permittant, quod manifestum l. permitti prohibeatur. l. nec damnosa. C. de precibus Imperator. offeren. Aut si quid tale omnino uideatur concedendum petentí certis ex causis, quas casus dedit, tum necesse est, ut in 15
rescripto suo significet Princeps se nolle suo beneficio obstare leg. contra quam aliquid concessisse uideatur, iuxta gloss. l. beneficium. ff. de constitut. Principum.

Cæterùm siue in corpore publicarum legum extent, siue peculiaribus re- 16
scriptis Principum concessa fuerint, siue longo usu cõstituta sint, id quod in illis diuersum est ã ratione iuris Communis, non trahitur ad consequentias, sed toleratur tanquàm ius singulare, & prodest illis, quibus concessum est, eatenus, quatenus ille uoluisse uidetur, qui istud indulsit, nisi prorsus cum ratione omnis iuris pugnet. leg. quod uerò. & duabus sequentibus, ff. de legibus. Etsi enim Imper. in §. nulla. C. de iustit. confirma. uelit sua rescripta habere uim generalium constitutionum, quæ singularibus personis facta in contextum constitutionum Codicis relata sunt, Tum res ipsa exigit, ut nõ 17
longius extendantur, quàm uerba earum, iuxta circumstantias rerum permissarum patiuntur fieri sine offensione aliorum iurium. l. i. §. fin. ff. de constitu. Principum.

Ex his igitur iam sic responderí potest ad obiecta, quòd quamuis Priuilegia inter ll. publicas relata, non pariter omnibus tribuantur, tamen cùm citra cuiusquam iniuriam tribuantur quibusque ciuibus, quibus ex iusta causa, propter quam datum est, quodque Priuilegium debetur, nullius libertas illis prægrauari. Neque minus illa adferunt inæqualitatem iuris inter ciues, 18
quàm quòd alius laxiore ueste, quàm alius tegatur. Sicut enim ea uarietas ne-

minem

minem offendere poteſt, quia fit propter honeſtam neceſsitatem, qua alius a-
19 lio laxa ueſte magis opus habet propter corporis magnitudinem: Ita nemo iure conqueri poteſt de inæqualitate iuris, quod militibus, qui ſunt in expeditione, præ aliis peculiari priuilegio permittitur, ut quoquo modo poſsint, ſua Teſtamenta condant. Inſtitut. de milit. teſta. Ea nanque ualitura etiam nulla ſolennitate adhibita, ſi modò ita facta ſint, ut certò ex illis conſtet de ultima ipſorum uoluntate, textus ibi innuit. Et meritò quidem: adeò enim hoc priuilegio militum non prægraſſatur aliorum libertas, ut ſi quis conſideret turbas expeditionum bellicarum, inter quas milites accincti uerſantur, ultrò faſſurus ſit meritò non exigi ab illis obſeruationes, quæ ab illis in condendis Te-
20 ſtamentis exiguntur, qui domi in umbra & ocio agunt. Idem deprehendet in aliis quoque priuilegiis, qui cauſam eorum, propter quam lata ſunt, rectè expenderit. Nam æquitas cauſæ in illis tollit inæqualitatem iuris, ut licet peculiariter quoſdam iuuent præ aliis, tamen omnibus competere uideantur, ſi incidant in eam cauſam, propter quam quodque Priuilegium iure Romano
21 proditum eſt. De illis enim ſolis in hoc tractatu noſtro agemus, & hæc rectè inter publicas leges haberi dicimus, non ſolùm quia inter eas relata ſunt ā Romanarum legum conditoribus, uerumetiam quia ex cauſa, in quam data ſunt, omnibus competunt, licet ſua conſtitutione ā iure Communi uarient.

De aliis autem Priuilegiis, quæ extra hæc ſpeciali fauore & clementia regnantium, perſonis aut rebus conceduntur iuxta regulas, quibus moderan-
22 da Priuilegia eſſe oſtendimus, iudicandum erit, hoc nimirum modo, ut niſi ex iuſta & ſufficiente cauſa citra aliorum iniuriam conceſſa ſint, pro Priuilegiis non habeantur.

23 Porrò, ut aliquis ordo in his tradendis ā nobis obſeruetur, ea non promiſcuè utut nobis in mentem uenient, congeremus, ſed ſigillatim iuxta capita rerum, circa quas omnis iuris cognitio & doctrina uerſatur, inueſtigemus, quarum formarum iuris extent in iure Romano Priuilegia, aut non. Sic enim fieri poſſe exiſtimo, ut nulla nos eorum, quæ prodita ſunt, præterfugiant, aut ſi quid tale per obliuionem humanam nobis accidat, uel etiam noua ā principe prodantur, aut in municipiis, in quibus quiſque facilè uerſetur, tradita, uel conſuetudine inducta inueniantur, diſcentes facilè intelligere poſſint, in quem locum quæque ſint referenda, ne ignorantia illorum porrò eos interturbet, ſi quando ipſis de iure reſpondendum ſit. In prima autem parte doctrinæ iuris ideò non ſunt quærenda Priuilegia, quia in ea non traduntur formæ iuris in conſtituendis negotiis, ſed cauſæ & modi, ex quibus cuiuſque formæ iuris probitas ex æquo æſtimetur. Id uerò quomodo in conſiderandis priuilegiis faciendum ſit, iam oſtendimus. Et quæ præterea ad hæc requiruntur, partim ex iis, quæ in prima parte tradita ſunt, peti poterunt, partim etiam ex illis apparebunt, quæ de Priuilegiorum infirmatione dicturi ſumus in fine huius cap. In reliquis autem v. capitibus doctrinæ iuris non cauſę, ſed formæ iuris traduntur, in quibus uariandis non minus ſedulam eſſe naturam,
24 quām in reliquis rebus omnibus, nemo miretur. Nam fluctus negotiorum non ſinunt alicuius iuris formam ita eſſe perpetuam, ut non ratio & uſus aliquando ſuadeant aliquam in ea fieri uariationem. Itaque ordine per ea capita progrediendo quæremus, quæ priuilegia in formis iuris perſonarum, quæ formis acquirendarum & alienandarum rerum, quæ in obligationibus, actionibus, & iudicijs prodita ſint, poſt quām differentias priuilegiorum indicauerimus.

DE DIFFERENtijs Priuilegiorum, Caput II.

SVM-

SVMMARIVM.

1. Priuilegij definitionem tradit.
2. Priuum idem est quod singulare.
3. Priuilegiorum differentia est, quòd aliud personale, aliud corporale, aliud reale sit.
4. Personalia priuilegia quæ sint.
5. Senatusc. Velleianum & Macedonianũ singulariter personale priuilegiũ dici.
6. Corporale priuilegium quod appelletur.
7. Priuilegio clericorum omnes & singuli clerici uti possunt.
8. Manumissus à municipio non cogitur ueniam conueniendi ciuem eiusdem municipij impetrare.
9. Priuilegia localia quæ dicantur.
10. Reale priuilegium quod dicatur.
11. Realia priuilegia esse perpetua.
12. Personalia priuilegia cum personis extingui.
13. Quod alicui ex speciali fauore & gratia concessum est, id non debet ab alijs trahi in exemplum.
14. Personale priuilegium deficit, cùm personæ conditio deficit.
15. Patronorum & parentum honor & priuilegium.
16. Multum refert, quo uerborum contextu priuilegium sit concessum.
17. Differentia priuilegiorum, aliud generale, aliud speciale, siue aliud indeterminatum, aliud limitatum.
18. De interpretatione priuilegiorum.
19. Differentia priuilegiorum, alia esse odiosa, alia fauorabilia.
20. Odiosa sunt restringenda, fauorabilia extendenda.

QVID sit Priuilegium, ex superiore commentatione nostra colligi 1
posse nõ dubito, satis enim, ut arbitror, ex ea cuiq; apparet, quòd sit singulare quoddam ius à iure communi recedens, fauore personarum, aut rerum, quibus illud indultum est. Vnde Bald. circa l. quæ relationibus. C. de ll. dicit priuilegium esse legem priuatiuam, non quòd prorsus tollat ius commune, aut quõd priuatis tantũm personis priuilegia conferantur, sed quòd priuum, hoc est, singulare ius in gene 2
rali constitutione forma iuris quibusdam personis aut rebus indulgeat. Sic enim accipienda esse uerba Baldi existimo. Verũm quia generalis descriptio rerum non satis exponit earum naturam, nisi ea quoque deducatur ad species sub genere comprehensas, adiungemus nunc & differentias priuilegiorum, quibus singulæ species eorum constituantur, & inuicem inter se discerni poterunt. Sunt autem omnes ferè priuilegiorum differentiæ, quæ à dd. tra 3
duntur, sumptæ ã circumstantijs formæ, qua conferuntur, & subsistunt. Prima est, quõd priuilegiorum aliud sit Personale, aliud Corporale, aliud Reale. Personale est, quod principaliter personarum gratia conceditur, Et illud aut 4
est communiter, aut singulariter personale. Communiter, cùm non nominatim, sed communi designatione qualitatis in personis concedit, sicut est priuilegium minorum, & eorum qui reipub. causa abfuerunt, qui restituti in integrum iubentur, si in fraudem ipsorum res eorum distractæ sint. ff. de minoribus, & ex quibus causis maio. in integ. resti. Item Velleianum & Macedoni 5
anum S. C. Nam & his succurritur communiter multis personis sub designatione fœminarum & adolescentum. Singulariter autem personale priuilegium dicitur, quo nominatim personæ exprimuntur, quibus illud concessum est. Cuiusmodi ferè sunt priuilegia, quæ ll. publicis non sunt inserta, sed priuatis scripturis continentur.

Corporale uerõ priuilegium appellatur, quod alicui collegio personarum 6
concessum est, ut sunt priuilegia uniuersitatum, monasteriorum, Ciuitatum &c. sed & hæc subeunt quasdam differentias.

Quædam

Quædam enim eorum ita conferuntur, ut sint singulariter, & communiter corporalia simul, uidelicet, ut omnes & singuli, qui sunt de collegio, cui ea da
7 ta sunt, illis pro se uti possint, sicut est priuilegium clericorum, in c. cõtingit. extra. de sent. excom.

Quædam uerò sunt communiter tãtũm corporalia, ut illis solũm gaudeat
8 collegium, non singulæ ex illo personæ, ut qui est manumissus ab aliquo municipio, ille non cogitur ueniam conueniendi impetrare, si contra aliquem ciuem eius Municipij experiri uelit, quia non à singulis ciuibus, sed à toto municipio manumissus est. Itaq; priuilegio patronorum, singuli ciues tanquam eius patroni contra eum non fruuntur. ff. de in ius uocan. l. sed si hac l. ℌ. qui
9 manumittitur. Quare talia priuilegia nonnunquam dicuntur localia, quasi locis collegiorum, & non singulis personis, ex eo competentia.

10 Reale uerò priuilegium dicitur, quod principaliter rerum conseruandarũ gratia datum est, ut est priuilegium rerum ecclesiasticarum, in Auth. de non
11 permu. aut ali. reb. eccles. Hanc primam priuilegiorum differentiam alia co-
12 mitatur, uidelicet, quòd Priuilegia Realia sint perpetua, Personalia uerò non egrediantur personas, quibus ea concessa sint, sed cum ipsis extinguantur, l. Priuilegia. ff. de Reg. Iu. Vt immunitas prædio data non intercidit, si illud ad alium quàm illum, qui eam primũm impetrauit, deueniat, l. ætatem. in fin. ff. de censib. Si uerò alicui personæ sit concessum à principe ius aquæ ducendæ ex loco publico, illud ius neq; ad hæredem, neq; ad qualemcunq; successorẽ transit. l. i. ℌ. permittitur. ff. de aqua. quot. & æstiua. Atq; id quidem maximẽ
13 fit, si priuilegium sit singulariter personale. Nam quod alicui ex speciali fauore & gratia concessum est, id non debet ab alijs trahi in exemplum. Instit. de iure nat. gent. & Ciui. ℌ. plane. & c. quod alicui. extra. de reg. iu. in vi. Sicut est priuilegium Dorothei in l. neq; Dorotheũ. C. de Decurio. lib. x. Vbi uerò personæ conditio locum fecit beneficio (sicut fit in communiter personalibus priuilegijs) ibi rectè trahitur in exemplum ab alijs personis, quę sunt
14 eiusdem conditionis. Tale nanq; priuilegium tum demum deficit, cũm deficit personæ conditio, propter quam illud datum est. l. in omnibus. ff. de reg.
15 iu. Vt leges Romanæ uolunt hunc honorem haberi patronis, parentibus, & liberis eorum à libertis ipsorum, ut si facti sint illorum debitores, non possint eos nisi in id conuenire, quod facere commodè possint, ne ad summam egestatem redigantur ab illis, qui beneficium eorum experti sunt. l. patronus. ff. de re iudi. Hoc enim priuilegium transit ad omnes, qui sunt patroni, erga suos libertos, sed si quis legitima ex causa amittat ius patronatus, non gaudet hoc beneficio patronorum, quia desijt esse in ea conditione personæ, quæ bene-
16 ficio locum facit. Cuiuscunque autem generis priuilegium fuerit, multum omnino refert, quo contextu uerborum illud concessum sit. Nam quædã priuilegia tam generalibus uerbis concipiuntur, ut in pluribus casibus locum habeant. Quorum exempla ex c. cum & plantare. extra. de Priuileg. peti poterunt.

Quædam uerò tam signatè circumscribuntur, ut extendi ad alios casus, quàm qui uerbis in illis expressi sint, facilè non possint, sicut est priuilegium prouinciarum de accessu proconsulis. l. iiij. ℌ. antequam. ff. de offic. proconsu-
17 lis. Oritur igitur ex contextu priuilegiorum, quo cõscripta sunt, quædam interea differentia, uidelicet, ut aliud dicatur generale, aliud Speciale: aut sicut quidam uolunt, aliud Indeterminatum, aliud limitatum. Nam diuersis uerbis
18 idem propemodum significatur. Et circa hanc differentiam incidit quæstio de interpretatione priuilegiorum, sed in ea facienda omnino plurimũ refert,
19 aliam eorum differentiam huic adiungere, & considerare, an ea sint odiosa,
20 uel fauorabilia. Nam odiosa sunt restringenda, ea uerò, quæ mero fauore sunt data, extendenda, iuxta c. odia. extra. de reg. Iur. in vi. Quam regulam

gloss. ibidem exemplis copiose declarat, ut non opus sit aliam declarationem hic attexere. Post hanc autem regulam, & eam quæ est in l. beneficium. ff. de constitut. prin. in interpretandis priuilegijs obseruantur ea, quæ in interpretandis legibus & statutis obseruãda indicauimus suprà in prima parte nostri compendij.

DE PRIVILEGIIS IMperatoriæ maiestatis.

Caput III.

SVMMARIVM.

1. Potestas Imperatoris præcipua quæ sit.
2. Populus Romanus suam potestatem in Imperatores transtulit.
3. Electio Imperatoris est imago ueteris translationis.
4. Aurea bulla Caroli quarti.
5. Princeps solutus legibus, quomodo sit accipiendum.
6. De clausula, non obstante tali lege.
7. Frontonis dictum laudabile de moderando Imperio.
8. Rigor legum moderandus benignitate Imperatoria.
9. Antoninus Pius permisit, ut liberi ex auunculo & sororis filia geniti, haberentur pro legitimis.
10. Nuptiæ ex ignorantia contractæ.
11. In ciuilibus Imperatores habent dispensandi potestatem.
12. Imperator contra ius diuinum dispensare non potest.
13. Defensio iuris naturalis est.
14. Imperator tenetur conscientiæ & legibus naturæ.

QVID præ alijs potestatibus specialiter liceat Imperatori, primò inquirendum mihi uidetur in declaratione priuilegiorum, quæ corpori Iuris Romani inserta sunt. Quia hoc tenere ad autoritatem condendorum, & interpretandorum talium priuilegiorum pertinet. Nisi enim quis teneat, quid illi licuerit, à quo proditum est quodcq; priuilegium, non potest certò statuere, quatenus illud ualeat.

Præcipua igitur potestas Imperatoris est, quòd solus possit cõdere legem publicam, quæ apud omnes populos imperij ualeat, eamq; interpretari. l. ult. in fin. Cod. de ll. Atq; id inde esse dici potest, quòd populus Romanus hanc suam potestatem in Imperatores transtulit. l. ij. §. exactis. ff. de origi. iu. Cuius translationis imago uideri potest electio Imperatoris, quæ fit à Germanis principibus iuxta auream Bullam Caroli quarti. Quare post translationem huius potestatis à populo in Imperatores factam, Vlpianus dixit, Principem solutum esse ll. l. princeps. ff. de ll. Illis nanq; uerbis significare uoluit, Imperatores non ita esse obligatos Reipubli. Roman. constitutionibus, ut ciuili necessitate exigente non possint eas aut mutare, aut alias illis subijcere. Sicut eos quoque fecisse in multis formis iuris manifestum est, ex Authenticis, & alijs quibusdam eorum constitutionibus, quæ extant in C. Vnde & Bald. circa l. rescripta. C. de precibus Impera. offe. uult solum Imperatorem posse aliquid suo rescripto permittere, quod sit iuri communi contrarium, cum clausula: non obstante tali lege &c. quamuis autem hæc potestas sit singulariter concessa Imperatoribus, tamen bonorum Imperat. exemplo & iudicio illis cauendum, ne ea sua potestate in cuiusquam perniciem abutantur, ut aut nimis sint remissi, aut plus æquo seueri in custodiendis publicis ll. utrũq; enim perniciosum est Reb. pub.

1 2 3 4 5 6 7

Proinde Fronto consul Romanus Nerua imperante dixisse fertur: Malũ esse eum imperare, sub quo nemini quippiam concessum sit, sed longè peius sub eo uiuere, sub quo maximè liceat. Meminisse itaq; debent Imper. quòd imperij

Imperij autoritas pendeat ab autoritate ll. O digna uox. C. de ll. & ut suam autoritatem lædi existimare debeant, si absq; graui causa aliquid contra ll. permittant, aut approbent. Nam hæc potestas illis concessa est remedij causa, ne casu exigente desit auxilium implorantibus benignitatem imperatoriam, contra ll. rigorem. Euenire nanque potest, ut æquitas suadeat aliquid remitti de rigore iuris propter casus ac circumstantias. Cuiusmodi est in l. qua in prouincia. §. diuus. ff. de ritu nupt. ubi iureconsul. dicit Marcum Imperato. permisisse, ut liberi ex auunculo & sororis filia geniti, haberentur pro legitimis, quia eæ nuptiæ ex ignorantia contractæ essent, & annis quadraginta, multa cum sobolis procreatione, istud connubium durasse. *Antoninus Pius.*

Quocunq; autem modo consideretur talis potestas imperatorum, contra ll. publicas, siue per dispensationem, siue Rescriptum, aut speciale beneficium priuilegij alicui succurrere uelint imperatores, accipiendum est, eos in ciuilibus constitutionibus habere hanc potestatem, non autem in illis, quæ ius diuinum, aut naturæ exigit, iuxta glos. l. fin. C. si contra ius uel uti. publi. & cæt. Vnde & illud priuilegium Imperatorum, quo illis concessum est, ut rem iudicatam absq; ulla appellatione rescindant, aut appellationem non admittant. ff. de quæstio. l. i. §. si quis ultro. & l. fin. C. de sen. & inter. iu. sic accipiendum est, ut Imperatores possint de causis pronunciare absq; obseruatione rituum iudicialium in rescindendis sententijs, & interponendis appellationibus. Non autem posse prohibere, quò minus partes suas causas defendant coram illis. Nam rituum iudicialium obseruatio, iuris ciuilis est. Defensio autem, iuris naturalis.

Itaq; si Imperator ex defensionibus ad eum relatis intelligat merita causæ, non opus habet, ut requirat, aut expectet defensiones causarū legitimis modis in iudicium deduci, sed illis non obseruatis potest de illis pronūciare. Habet quoque Imperator potestatem cognoscendi de propria causa, iux. Bart. in l. proximè. ff. de his quæ in testa. delentur. Cuius priuilegij hæc ratio reddi potest, quòd ipse non agnoscat superiorem iudicem, & ut maximè habeat potestatem iudicandi secundum acta, & secundum cōscientiam, iuxta Bart. cir. l. i. C. ut quę desunt aduo. par. iu. sup. Tamen contra conscientiam, & leges naturæ aliquid imperanti ei obtemperare, uel parere non tenemur, autore Bald. cir. Authen. habita. C. ne filius pro patre. Nam illis legibus & ipse tenetur, & iudicem Deum, atq; testem conscientiam contra se ferre cogitur, neq; potest plenitudine potestatis suæ abuti in præiudicium subditorū. l. i. §. pen. C. de caducis tollend.

Referuntur inter priuilegia imperatoria & alia quædam, quæ eius nō sunt propria, sed etiam alijs summis potestatibus in imperio concessa sunt, itaq; ultro remittimus eorum recensionem.

DE PRIVILEGIIS PONtificiæ potestatis.

Caput IIII.

SVMMARIVM.

1. Reseruata, immodica priuilegia esse.
2. Papa omnem potestatem sibi sumpsit prætextu regni Christi.
3. Regni Christi reuelatio extat in sacris literis.
4. Christi regnum non esse de hoc mundo.
5. Vicarij Christi in terris non debent captare dominia mundi.
6. Claues Christus, non sceptrum Ecclesiæ dedit.
7. Papa non habet potestatem quidlibet constituendi in Christiano orbe.
8. Petrus significat Ecclesiam, cùm claues illi à Christo committerentur.
9. Papa non habet potestatem condendi nouos articulos fidei.

10. An Conciliorum primatum habeat Papa.
11. Phocæ Imperatoris edictum, ut omnes ecclesiæ Romanæ obedirent.
12. Rerum cognoscendarum primatus in Ecclesia tribui Papæ non potest.
13. Christus est unicum caput suæ Ecclesiæ.
14. Dictum Christi, habeo adhuc multa uobis dicere &c. quomodo accipiendum.
15. Potestas tollendorum scismatum concessa Papæ.
16. Sectæ unde oriantur.
17. Causa, cur unus Episcopus in Ecclesijs præponatur.
18. Conueniens sit obseruatio rituum ecclesiasticorum apud omnes ecclesias.
19. Vnitas ecclesiarum conseruanda summa cura.
20. Iudicium de doctrina toti Ecclesiæ committendum.
21. Seculares principes ad Concilia admitti.
22. Papæ solius non est iudicium cognoscendi de doctrina.
23. Passio Christi solius meretur remissionem peccatorum.
24. Papa ordine moueri potest.
25. Principes quidam summi sunt à Papa excommunicati.
26. Verbum Dei absq; piaculo negligi à nemine potest.

Reseruata. VAE Papæ tribuuntur priuilegia, à Canonistis uocantur reserua 1
ta. Tribuuntur autem Papæ tam immodica priuilegia, ut cano-
nistæ mihi uideantur illis tribuisse appellationem reseruatorum,
ad significandum, quòd ipse Papa ea sibi sumpserit, nec sint illi
legitimis suffragijs concessa. Extant autem ea annotata in glo. c.
quod translationem. extra. de offic. legati. Sed quæ ex illis iure ei competere
possint, cuiuis licebit æstimare ex sacris literis. Nam cùm papa omnem istam 2
potestatem sibi sumpserit prætextu regni Christi, cuius uicariũ se esse in ter-
ris iactitat, testari sacræ literæ solæ possunt, an ea, quæ ipse sibi uendicat, Chri
sti regno conueniant. Neq; enim aliunde constare potest, quod sit regnum 3
Christi, quàm ex sacris literis, in quibus extat eius reuelatio.

Porrò Ioannis decimoseptimo cap. dicit ipse Christus, regnum suum non 4
esse de hoc mundo, & cuiusmodi uellet esse dominationem eorum, qui post
ipsum regnum eius denunciaturi essent mundo, ostendit ipse Lucæ uigesimo
secundo, cùm Apostolis inter se cõtendentibus, uter ex ipsis futurus esset su-
perior, dicit: Reges gentium dominari mundum, secus longè futurum in re-
gno, quod ipsi prædicaturi essent mundo. Nam potestatem eius regni propa
gandi in hoc mundo ipsis ab eo datam, esse ministerium, & non regnum, ut
in eius potestatis administratione futurus sit maximus, qui quàm plurimis
inseruierit in denunciando illo regno per Euangelium, non qui multis domi
netur. Ex his igitur & similibus scripturæ locis manifestũ est, Vicarios Chri 5
sti in terris non debere captare dominia mundi, sed debere afflictas conscien-
tias per prædicationem Euangelij ducere in cognitionem Christi, ut credãt
regnum Christi esse, eripere credentes eius Euangelio terroribus Iudicij di-
uini & uinculis mortis atq; inferorum.

Itaq; Christus etiam sub imagine clauium, & non sceptri, potestatem reci- 6
piendi in suum regnum pœnitentes, & eo excludendi perseuerantes in pec-
cato, ecclesiæ dedit, significans se suæ ecclesiæ commendare ministerium ape
riendi & recludendi, ita ad impetrandam remissionem peccatorum, & non
aliquam potestatem constituendarum rerum ciuilium. Vt maximè igitur cõ- 7
cedamus, quòd Papa habeat potestatem ligandi & soluendi, tamen ob id di-
ci non potest, quòd habeat potestatem quidlibet constituendi in Christiano
orbe.

Primùm enim ea potestas, quam ex successione Petri sibi arrogat, est spiri-
tualis, nimirum, regendarum conscientiarum per uerbum Dei, ut patet ex su
perioribus.

Secundò, ea non solùm est tradita Petro, sed & cæteris apostolis, adeoq;
omnibus

omnibus ministris uerbi Dei. Nam postquam specialiter Christus commendasset hanc potestatem Petro, propter eius confessionem Matthęi 16. eandem tradidit omnibus Apostolis Matthæi 18. his uerbis: Amen dico uobis, quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta in cœlo. Vnde & D. Augustinus uult ea uerba, quibus Christus commendauit Petro hanc potestatem, non posse sic accipi,
8 quasi Petro eam tantum concesserit, sed Petrum significasse ecclesiam, cũm ea potestas illi à Christo committeretur. c. quodcunq;. xxiij. q. i. Magna igitur est impudentia eorum, qui audent hoc tribuere Papæ, quòd quæcunque eius autoritate fiant, ea existimãda sint autoritate diuina fieri. In rebus enim politicis hanc eum habere autoritatem palam est. In rebus autem fidei non cõ
9 petere hoc illi priuilegium, ut nouos articulos fidei condat, testatur Ioannes, cũm inquit: Deum nemo uidit unquam, unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit uobis, c. i. & iij. dicit ipse Christus: nemo ascendit in cœlũ, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est de cœlo. Quibus uerbis satis significatum est, neminem, nedum Papam, posse statuere quicquam de uoluntate Dei erga nos, nisi filium Dei, qui ideo missus est à patre in mundum, ut eius uoluntatem in saluandis credentibus reuelaret. De articulis itaq; fidei iudicandum est, iuxta uerbum Dei reuelatum per Christum, & eius Prophetas, ac Apostolos, non secundum Decreta Papæ, aut cuiusuis alterius etiam angeli, ad Galat. i.

10 Sed inquis: quamuis Papa non habeat autoritatem condendi nouos articulos fidei, tamen illi sacrorum conciliorum autoritate delatus est primatus in Ecclesia, ut ipse præ cæteris omnibus Episcopis & ministris Ecclesię, habeat autoritatẽ cognoscendi de quæstionibus fidei, dist. xvij. c. Concilia. & c. quoties. xxiij. q. i. At possunt canonistæ conuinci autoritate decretorum, quòd talis primatus Papæ Synodicis constitutionibus Catholicæ Ecclesiæ nunq;
11 sit concessus. c. quamuis. dist. xxi. Historiæ tamen testantur, Phocam Imperatorem publico edicto sanxisse, ut omnes ecclesiæ totius orbis, Romanæ ecclesiæ tanquam superiori obedirent. Sed neq; tum quidem Orientales & Græcæ ecclesiæ in eam constitutionem consenserant. Et an omnino Imper. id ius
12 habuerint constituendi, dubitari potest. Absq; discrimine certè rerum cogno
13 scendarum primatus in ecclesia tribui Papæ ab eo non potuit. Nam Christũ esse unicum caput suæ ecclesiæ, testatur Paulus non uno in loco ad Colos. i. ad Ephe. 5.

Non igitur Papa, aut quisquam alius, iure sibi sumere potest autoritatem condendorum dogmatum, præter aut contra ea, quæ à Christo ecclesiæ suæ prodita sunt. Sic enim inquit ipse Ioan. 15. Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in uite: Sic nec uos, nisi in me manseritis. Ego sum uitis, uos palmites. Neq; hic audiendi sunt, qui contendunt Apostolos, & eorũ successores habuisse, & habere autoritatem noui dogmatis prodendi in ecclesia
14 Christi. Quia ipse Christus ualedicens Apostolis testatus sit, se adhuc multa habere ipsis dicenda, quæ non possunt portare modò: Cũm autem uenerit spiritus ueritatis, illum docturum eos omnem ueritatem, Ioan. 16. Nam disertè in eodem loco Christus adiecit, illum ipsum spiritum nihil quicquã de suo ipsis reuelaturum, sed de eo accepturum, quod proditum est de Christo, ad glorificandum eum. Eò igitur detorqueri uerba Christi de ministerio spiritus sancti non possunt, quasi ipse aliud quiddam reuelaturus sit, quàm à Christo acceperunt Apostoli. Hoc enim uerba eius manifestè testantur, quòd spiritus sanctus mittatur à patre ad declaranda ea in cordibus credentium, quæ de Christo prodita sunt, & ad confirmandum pectora aduersus iudicium rationis & inferorum.

15 Quid igitur concessum est Papæ præ cæteris episcopis ecclesiæ? Respon-

deo: nihil admodum potuisse ei ab Imperatore concedi, nisi ut ipse haberet summam potestatem tollendorum scismatum, quæ arrogantia & indulgentia Episcoporum facile in ecclesia suboriuntur. Sicut est cernere in priore epistola Pauli ad Corinth. 1. cap. Vbi reprehendit eos, quòd quidam sese iactitabant esse Cephę, quidam uerò Apollinis tantùm, qui ab illis baptizati erāt. Id enim neutiquam ferendum est in ecclesia, cùm unus sit autor salutis Christus. Inde nanq; oriuntur sectæ, & Christi nomen atq; merita obliterantur, sicut accidit superioribus seculis, cùm Papa passus est, alios dici Franciscanos, alios Dominicasteros, alios Augustinianos, quarum sectarum specie Christiana religio propemodum obsoleuit, quasi imperfecta. Hoc itaq; erat proprium officium primatus Papæ, ut occurreret talibus scismatibus ecclesiæ. Nam & diuus Hieronymus testatur, hanc unicam semper fuisse causam, ut in ecclesijs unus episcopus præponeretur reliquis, ne quisq; ecclesiam ad se trahat. Extant eius uerba in c. legimus. dist. xcij. 16 17

Et hoc summum fuisse studium primis episcopis Romanæ ecclesiæ, ut conueniens esset rituum ecclesiasticorum apud omnes ecclesias obseruatio, testātur illorum res gestæ. Huncq; primatum potuisse concedi ab Imperatore, non magna potest esse quæstio, cùm sit res, quæ ad ordinationem externam in ecclesia pertineat, & multum momenti habeat ad tranquillitatem publicam. 18

Neq; Imperator Iustinianus in l. nos reddētes. C. de summa tri. & fi. Catho. tribuisse uidetur honorem primatus aliam ob causam, quām quòd summa cura eius esset obseruare unitatem ecclesiarum. Quamuis enim unitas ecclesiarum non sit in sola conuenientia rituum & ordinatione functionum ecclesiasticarum, sed magis in consensu doctrinę, tamen iudicium de doctrina nō uni soli, sed toti ecclesiæ permitti potest. Sic enim inquit Christus Matthæi septimo: attendite à falsis prophetis. Et Paulus 1. ad Corinthios 14. dicit: prophetę autem duo aut tres dicant, & cęteri dijudicent, quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Horum igitur autoritate iudicium de doctrinę sinceritate est commune, & non singulorum in Ecclesia. Itaq; & seculares principes ad Concilia admittuntur, quibus de doctrina Christiana cognoscitur. c. nos & seq. dist. xcvi. Et quia solius Papæ non est iudicium cognoscendi de doctrina, non habet autoritatem quiduis constituendi, etiam in ordinandis ritibus ecclesiasticis, etsi illorum summa cura ei demandata uideatur. Nisi enim constituat, quæ non repugnent analogiæ fidei, non est ei parendum. Nam & glo. c. ij. cir. uerb. diuina. extra. de translat. epis. dicit eatenus autoritate diuina fieri quod Papa faciat, quatenus ex iusta causa quid faciat. Quare si quos ritus obseruari præcipiat, tanquam cultum Dei, quo impetretur remissio peccatorum, ad illos obseruādos nemo tenetur, quia solius passio Christi meretur remissionem peccatorum. 19 20 21 22 23

Habet igitur Papa & hoc Priuilegium de ordinandis ritibus ecclesiasticis, cum hac moderatione, ut non constituat quod sit à Christiana religione alienum. Nam & ipse ordine moueri potest, si pertinaciter aliquid contra fidem Catholicam tueatur aut doceat. c. si Papa. dist. xl. 24

Potestatem autem clauium ideo habet cum cæteris Episcopis communem, quia decet pariter omnes in id incumbere, ut peccantes ad pœnitentiam reducantur.

Neq; enim ideo uideri potest cum habere maiorē potestatem clauiū quàm reliqui episcopi, quia sæpe etiam summi principes ab eo excōmunicati sint, ut Arcadius ab Innoc. Lotharius à Nicolao. Nam hoc & cæteris Episcopis esse licitum, ostendit D. Ambrosius in Theodosio. 25

Quæ igitur de Priuilegijs Papæ in loco allegato dicuntur, sic moderāda sunt, ut cuiq; sua seruetur autoritas citra obscurationem ministerij uerbi Dei, quod absq; piaculo negligi à nemine potest. 26

DE

DE PRIVILEGIIS POtestatum inferiorum ab Imperatore & pontifice.

Cap. V.

SVMMARIVM.

1. Forma Imperij mutata.
2. Auream bullam Carolus 4. de electione Imperatoris constituit Anno 1356.
3. Imperium apud Germanos fuisse annis 556.
4. Electorum principum priuilegium.
5. Pius secundus Papa interdixit ne quis prouocet à Papa ad generale concilium.
6. Bulla Papæ Pij secundi.

PROXIMVM erat, ut post priuilegia supremarum potestatum, etiam, de priuilegijs inferiorum potestatum ab illis, diceremus. Verum quia forma Imperij ita nunc mutata est, ut ea, quæ in ll. de illis tradita sunt, uix possint ad nostrorum temporum magistratus referri: satis sit in tractatu iuris personarum suprà indicasse ex historijs & ll. quod cuiusq; illorum fuerit munus, quorum functione Imperatores olim in gerendo & sustinendo Imperio usi sunt. Nam quæ sint priuilegia principum, quorum ministerio & subsidio Imperium nunc sustinetur, ex cõstitutionibus aureæ bullæ (ut uocant) potius, quãm ex alijs Romanis ll. petẽ-
2 dum est. Ea enim demum Carolus quartus anno à Christo nato M.CCC. LVI. conatus est in certam quandam administrationem & ordinem redigere
3 Imperium: cũm autem apud Germanos fuisset annis D. & LVI. neq; tamen Carolus in ea sua bulla alterius cuiusdam ministerij in constituendo Imperio maiorem curam habuerit, quãm electionis Imperatoris, Propemodum enim totus in eo est, quorum principum in Germania suffragijs subrogari debeat
4 nouus Impe, si quando casus exigat. In ea enim electione facienda cuiq; electorum suum cuiq; tribuit priuilegium. Deinde peculiariter hoc priuilegiũ tribuit principibus electoribus, ut ipsorum subditi non possint ad iudicium Imperatoris per alios trahi, uel ipsi ad istud prouocare, donec eis in ipsorum territorijs ius non negetur.

Atq; iubet priuilegia principibus electoribus in ea Bulla cõcessa adeo seruari, ut si qua priuilegia sint à superioribus Imperatoribus quibuscunq; sub Imperio habitantibus concessa, quæ illorum priuilegijs aliquid derogent, ea pro nullis habeantur. Fit autem priuilegij Germanorum principum in eligẽdo Imperatore etiam mentio in c. Venerabilem. ext. de elect. Itaq; ex illis locis peti uolumus, quę de secularium potestatũ priuilegijs in imperio dici possunt, cũm alibi nulla extent.

De Ecclesiasticarum autem personarum priuilegijs, quæ ipsis ratione functionum aut dignitatum, quas sustinent, in ecclesia Romana, à Papa concessa sunt, ideo non dicemus, quia nostrum institutum non est de illis priuilegijs dicere, quæ quisq; sibi sumpsit, aut suis indulsit contra autoritatem scripturæ,
5 aut Imperij. Quid enim non arrogent Romanæ ecclesię primates, cũm Papa Pius secundus ausus sit interdicere, ne quis prouocet à Papa ad Generale
6 concilium? Extat eius Bulla adiũcta nunc aureæ Caroli Bullæ. Eiusmodi igitur priuilegia ecclesiasticarũ personarum nos hic cõmemorare intermittemus. Et de illis tantũm dicemus, quæ ab Imperatoribus propter reuerentiam religionis talibus personis concessa sunt. Ea uerò quia extant peculiaribus titulis annotata, quos postea subijciemus, discentes ad eos remittimus: si quis porrò desideret ea priuilegia, quę Romana ecclesia peculiariter quibusdã personis propter dignitatẽ, quam in ea gerũt, cõcesserit, licebit cuiuis ex Decretalib. ea petere.

C.

De Episcopis & Cle. & de priuilegijs eorum.

Auth.

De sanctiss. Episcopis & Deo amabilibus, reuerēd. Cler. & Monachis.

DE PRIVILEGIIS PRIuatarum potestatum.

Cap. VI.

SVMMARIVM.

1. Patriæ potestatis priuilegium quod sit.
2. Tutorum & curatorum beneficia.
3. De negligentia tutorum & curatorum.
4. Durum est, alios prægrauari aliorum culpa.
5. Si unus ex tutoribus aut curatoribus damnum dederit, quis sarciat.
6. Beneficium ordinis tutorum.
7. Beneficium diuisionis tutorum.
8. De cessione actionis.
9. Actione directa & utili tutelę quando utatur.
10. Dolus priuatus seu culpa in rebus pupilli admissus quomodo plectendus.
11. Nulla est societas maleficiorum.
12. Dolus communis pariter omnes obligat.
13. Administratio tutorum negligens ad præstandum damnum pupillo obligat.
14. Qui conniuent in alterius delicta, consensisse uidentur.
15. Pupillorum priuilegium est, ut cæteris creditoribus omnibus præferantur in bonis tutorum & curatorum.
16. Surdi, muti, prodigi ipsi rebus suis præesse non possunt.
17. Amicus pupilli curam bonorum illius gerens ad quid teneatur.
18. Actione reali petuntur res propriæ.
19. De priuilegio pupillorum aduersus alios.
20. Dolus suus nemini sit lucrosus.
21. De circumuentione in uenditione, contractibus & actibus.
22. Captiosi homines odiosi suo lucro inhiantes.
23. Petitio absolutionis à iuramento, cùm ex parte recipientis est illicitum.
24. De priuilegijs Dominicę potestatis in seruos.
25. Seruus in dominum torqueri non potest.
26. Libertatis fauor non sinit ampliari dominicam potestatem.
27. Extensio priuilegij dominicę potestatis.
28. Seruos contra dominos quæstionibus subijcere licet.

PATRIAE potestatis priuilegium, quòd filius, qui sub ea est, absq; 1
permissu prætoris non possit conuenire patrem, in cuius potestate est, l. iiij. §. prætor. ff. de in ius uocan. Facta quoq; potestate agendi cum patre, filius non potest illū in plus conuenire, quàm sine graui suarum rerum incommodo facere possit. l. patronus. ff. de re iud. Isdem priuilegijs gaudet & mater. Nam hæc priuilegia competūt utriusq; sexus parentibus, etiam naturalibus tantūm, sicut & patronis tum masculis tum fœminis eadem concessa sunt, testimonio earundem ll. quas iā allegauimus.

Tutoribus uerò & Curatoribus diuersa competunt beneficia, sed in diuer 2
sos etiam casus. Vt autem hæc diuersitas competentium beneficiorum rectè 3
percipi possit, reuocandum est ad animum, quòd sæpe contingat, ut cùm plu
ribus Tutoribus uel Curatoribus incumbit cura prospiciendi rebus eorum,
qui fidei ipsorum commendati sunt, inuicem sibi graues fiant sua negligentia. Inde uerò cùm sentiant damnum pupilli, difficile esse illud ita sarciri, ut
neutri ex contutoribus alterius negligentia lit fraudi. Præterquā enim quòd 4

durum

durum est, alios prægrauari aliorum culpa, ut consulatur pupillis, sæpe etiam ea est negligentium inopia, ut illis nihil possit auferri, ac proinde necesse sit, contutores ipsorum luere culpam, si pupilli indemnes (sicut æquum est) seruari debeant.

Quare ut saltem aliquo modo ista indignitas caueretur, prospectum hisce remedijs ll. Rom. uolunt, pluribus Tutoribus, aut Curatorib. pupillo, aut alij, cui opus fuerit, simul adhibitis: ut si unus ex ipsis citra aliorum mandatũ deprehendatur in administratione tutelæ damnum dedisse rebus pupilli, Nec administratio rerum pupillarium à magistratu uel testatore, qui eos elegerit Tutores, inter eos diuisa sit, tum si conueniantur à pupillo, posse se tueri beneficio ordinis, ut prius illum conueniat, ex cuius gestione emerserit damnũ, quàm cum illis agat de eo sarciendo. Atq; hoc quidem casu tueri se hoc beneficio possunt, ut non teneantur pupilo ad sarciendum damnum, donec compertum sit eum, qui dedit damnum, non esse soluendo: secus, si ipsi uni mandarint administrationem, aut inter se eam partiti sunt, cùm non esset à magistratu uel testatore ea inter eos diuisa, aut absq; ulla diuisione administrationis omnes eam pariter sustinuerint. Nam istis casibus propter societatem periculi, omnes pariter tenentur de negligentia singulorum, nec potest aliquis ex illis declinare iudicium allegatione beneficij ordinis, iuxt. tot. tit. C. Si Tutor uel Curat. non gess. Beneficio autem ordinis, quasi succedit beneficium diuisionis. Nam in illis casibus, in quibus non habet locum beneficium ordinis, plures Tutores aut Curatores conuenti, possunt inter se diuidere obligationem damni sarciendi pro rata, si omnes fuerint soluendo. l. i. §. nunc tractemus. ff. de tut. et. rat. distra. & C. de diuiden. tut. per tot. Si uerò nõ omnes Tutores uel Curatores sint soluendo, tum ille, aut illi, qui sunt soluendo, tenentur quidem pupillo in solidum, sed possunt ab eo petere, ut ipsis cedat actiones, quæ ei aduersus Tutores, uel Curatores suos, qui non sunt soluẽdo, competunt, ut ipsi porrò possint soluta ab ipsis petere actione directa, quandocunq; soluendo futuri sint. l. i. §. non tantum. ff. de tute. & rat. distra. Si tamen fortẽ quis incircumspectus non cogitaret de cessione actionis à pupillo petenda contra contutores suos, pro quibus ei sarcire damnum coactus est, cùm illi non essent soluendo, tum ex benignitate iuris illi succurritur, ut utili actione tutelæ ab illis exigat, quod pro illis expendit. l. i. §. nunc tractemus. in fin. ff. de tut. & ra. dis.

Verùm hæc quę de beneficio diuisionis & cessionis dicta sunt, hac opus habẽt distinctione, ut si quid à quopiam Tutore uel Curatore, priuato dolo, aut culpa admissum sit in rebus pupilli contrà quàm decuerit, ille nec beneficio diuisionis, nec cessionis iuuetur, sed solus ob suum delictum plectatur. Neq; enim ulla societas est maleficiorum, aut iusta communicatio damni ex malefi cio. l. i. §. planè. ff. de tute. & ratio. dis. Secus si cõmuni dolo, aut culpa damnũ datum est pupillo. Nam tum pariter omnes tenentur in solidum, ut siquidem ex illis aliquis non sit soluendo, reliqui nihilominus teneantur, nec habeant nec possint petere actiones aduersus illos, qui simul cum illis eo munere functi sunt, licet diuidere inter se præstationem damni possint, si omnes sint soluendo, l. si plures tutelam. ff. de admi. & peri. tut. Proinde quoq; illi Tutores ad præstandum damnum pupillo tenentur, qui cùm animaduerterint aliquẽ ex contutoribus malignè, aut negligenter administrare res pupilli, non tamẽ eum remouerint tutela, & tanquam suspectum petiuerint, quia conniuentia sua in alterius delicta consensisse uidentur, l. i. C. si tut. uel Cur. nõ gesserint. Et de his omnibus copiosè dd. cir. l. i. C. de Transs.

Cæterùm competunt eadem beneficia etiam magistratibus, à quibus dati sunt Tutores, si conueniantur à pupillis, eò quòd aut nõ idoneos dederũt, aut quòd satisdationem ab illis non exegerunt. l. antep. ff. de magist. conuenien.

Atq;

Atq; etiam fideiussores Tutorum & Curatorum iuuantur his priuilegijs, si propter suam interuentionem & sponsionem in iudicium uocentur, sicut infrà de fideiuss. dicemus.

Porrò pupilli gaudẽt hoc priuilegio, ut cæteris creditoribus omnibus præ 15
ferantur in bonis eorum, qui re uera ipsorum Tutores uel Curatores fuerũt, aut se prò Tutoribus aut Curatoribus gesserunt, quo priuilegio fruuntur & 16
cæteri, quibus Curatores dati sunt eò, quòd ipsi præesse rebus suis non possent, ut sunt surdi, muti, prodigi, & similes. l. dabimus. & duab. sequent. ff. de priuileg. credito.

Item iuuatur hoc priuilegio pupillus, etiam aduersus eum, qui ex officio a- 17
micitiæ curam bonorum illius gessit. l. si negotium. ff. de priuile. cre. Istud tamen priuilegium competit pupillis & alijs tum solũm, cùm experiũtur aduer- 18
sus Tutores uel Curatores suos actione personali, & non reali. Nam reali actione petuntur res propriæ, ut propter debiti obligationem præferri pupilli in ea re, quæ contenditur non esse propria Tutoris uel Curatoris, nõ possint.

Deinde non transmittitur hoc priuilegium ad hæredes pupillorũ uel aliorum, quia mero fauore personæ istud concessum est. l. penult. §. si puellæ. ff. de ritu nup. Et secundum Bal. non iuuantur pupilli hoc priuilegio in bonis iudicis, qui Tutores uel Curatores dedit. arg. l. i. §. priuilegium. ff. de magistrat. conuen. Vult quoq; l. idem priuilegium. ff. de priuileg. credito. non dari Curatoribus bonorum. Qua uerò ex causa in his duobus casibus ll. nolint uti priuilegio, non uideo.

Sed hæc de priuilegijs, quæ competũt pupillis & alijs aduersus Tutores uel 19
Curatores suos. nunc dicendum est, an etiam aliquo priuilegio iuuentur aduersus alios, qui sua circumuentione illis damnum dederint. Nam & hoc ca 20
su iuuandi uidentur, ne cuiquam lucrosus sit suus dolus, præsertim quo nocuerit illi, qui suis rebus præesse ipse non possit. Et est sanè in hunc casum exquisitè illis prospectum à legum Romanarum conditoribus, adeò enim non uolunt cuiquam esse impune tales personas, quæ opus habeant curatoribus, circumuenisse, ut nec si Tutorum uel Curatorum ipsorum autoritas interuenerit, aut etiam prætor suum decretum interposuerit, ualere fraudatorium contractum uelint, ut non possint tales personæ contra eum petere, se in integrũ restitui. Immo nec siquidem à Tutoribus uel Curatoribus sarciri possit damnum acceptum, uolunt eos sibi præiudicare, quò minus possint aduersus fraudatores suos petere restitutionem in integrũ, etiamsi prius cum suis Tutoribus uel Curatoribus de damno sarciendo egerint. iuxt. tot. tit. C. si Tutor uel Cura. interue. & l. magis. §. penult. ff. de reb. eo. qui sub tut. sunt.

Neq; hoc priuilegio solũm gaudent tales personæ, cùm in uenditione cir- 21
cumuentæ sunt, sed quocunq; modo læsæ uidentur. Nam allegati tituli generaliter de contractibus & actibus, quibus lædi tales personæ possunt, loquuntur, ut reduci hoc beneficium ad unum solum cõtractum non possit. Et cùm 22
hoc beneficio fruãtur pupilli odio captiosorum hominum, qui usq; adeò suo inhiant lucro, ut nulla turpitudo eos absterreat à dolo, si illis ex eo aliqua spes lucri affulgeat, uidentur tales personæ posse petere absolutionem à iuramento, si fortè isti suo beneficio cum iuramento renunciauerunt. Nam secũdum 23
iura Canonica competit petitio absolutionis à iuramento, cùm ex parte recipientis est illicitum. c. i. & c. debitores. & ibi not. ext. de iureiur. Sicut certè est, cùm contrahens cum pupillo persuadet illi, ut renunciet huic suo beneficio cum iuramento, ne possit contra eius dolum uenire, si illum porrò deprehendat, quem tum non intellexerat. sed quatenus quælibet renunciatio priui-

• *Cicero in oratione pro Sext. Roscio Amerino.*

legiorum ualeat, dicemus in fine huius tractatus.

Restat ut dicamus de priuilegijs dominicæ potestatis, cuius quidem nullũ 24
scio priuilegium, nisi quòd seruus in dominum torqueri non possit. l. i. §. 25
diuus.

diuus.ff.de quæstio. & C. eo. l.i. Atq; id quidem inde factum esse arbitror, quòd ea potestas alioquí naturali líbertatí sít aduersa,ut Romanarum ll. con
26 díto̊res eam non censuerint ampliandam,propter fauorem líbertatis. Et ta-
27 men hoc ipsum priuílegium quod eí datum est,Imperatores ita extenderunt, ut nec in tutorem, nec ín matrem domíní seruos torqueri uelínt. l. íj. C. de quæst.Et l.unius. §. seruus.ff.de quæstio. uult ut seruus nec in íllum torqueatur, cuí alíquãdo seruierít. At íllud ipsum priuílegium rursum ita contractũ est,ut ín certís quíbusdam casíbus,tam in crímínalíbus,quãm ín ciuílíbus iu-
28 dicíjs,seruos contra dominos quæstionibus subíjcere líceat, iuxt. not. gloss.l. i.& íj.C.de quæst.

Huc autem peculiariter pertinent tituli
C.
De diuidenda tutela,& pro qua parte quísque tut.conue.
Si Tutor uel Curator non gesserít.
Si Tutor uel Curator interuenerít.

DE PRIVILEGIIS PERsonarum,quæ íllís propter dignítatem conditionís, aut ordínís competunt.

Cap. VII.

SVMMARIVM.

1. De priuilegíjs libertatis.
2. Libertas omnibus rebus fauorabilior.
3. Sententia pro libertate lata præfertur.
4. Fauore libertatis multa in iure conceduntur,quæ alioquí negantur.
5. Liberum corpus non æstimari,si læsum sit.
6. Libertas est res inæstimabilis.
7. Ciuilis necessitudo distinxit iura.
8. Muliebris imbecillitatis ac pudoris ratio habenda.
9. Fœmina propter priuatum aut fiscale debitum non ducatur captiua in iudicium.
10. Casus,in quibus fœminæ carcerentur.
11. Ob crimen atrox fœminæ carcerantur.
12. Iudex fœminam in publicum trahere non debet.
13. Fœminę uterum ferentes præcipuè gaudent priuilegíjs.
14. Fœminę corporalí pœna affici,aut torqueri non debent,donec 40. dies à partu earum effluxerint.
15. Fœminę ad producendos nouos testes restituuntur.
16. Ob sexũ fœminis succurritur in ædendo,satisdando,& probatione indebiti.
17. In probatione annorum ad impetrandam ueniam ætatis puellis succurritur.
18. Fœminę auferunt Falcidiam,masculis ob crimen Maiestatis damnatis.
19. Ignorantia iuris excusat fœminas.
20. Dotis priuilegio non solùm ob sexum gaudent, uerumetiam fauore matrimonij.
21. Fœminis uolunt leges dotes conseruare.
22. De priuilegíjs ætatis.
23. Pueritia & senium ætatis fauore considerantur.
24. Doli nullum est beneficium.
25. Puer 17.annorum,& infans 7. an. censetur.
26. Ipso iure tutus,non habet opus officium iudicis implorare.
27. Culpam admissam puer non fert impunè.
28. Minoris restitutio in multis casibus prodita.
29. Annos 18.natus contra leges naturæ faciens non gaudet beneficio ętatis.
30. Minima quęq; non curari.
31. Industria minoris apparens in alíjs negotíjs.

32. Minor

32. Minor manifestis probationibus doceat se circumscriptum.
33. Fœneratorum odium.
34. Venia ætatis impetrata non iuuatur minor.
35. Restitutio semel impetrata aut negata, repeti non potest.
36. Fictio minoritatis per mendacium non subleuat.
37. Periuria minoris non sunt alenda.
38. Relicta indignis debentur fisco.
39. Minor quando non sit audiendus, uel restituendus.
40. Solutio minori Magistratu uolente facta, Item donatio libertatis & fideiussio.
41. Contractus minoris absq; tutoris autoritate nullus.
42. Dolus si dedit causam contractui.
43. Restitutionis præsidium esse extraordinarium auxilium.
44. Extraordinario auxilio uti nemo potest, donec iuuetur ordinario.
45. Minor deceptus ultra dimidiam in emptione, rescinditur emptio.
46. De restituendis minoribus sua facilitate læsis.
47. Vsucapio, & præscriptio non currit contra minorem.
48. Minor omittens hæreditatem lucrosam adire intra tempus legitimum, restituitur.
49. Si adiuerit damnosam, non potest beneficio restitutionis eam denuo relinquere.
50. De restitutione minorum in genere ex uarijs causis casibusq;.
51. In quibus personis & rebus restitutio minoris non procedat.
52. Minore restituto cogitur & ipse restituere omnia, quæ occasione eius negotij ad illum peruenerunt.
53. In rebus, quarum nomine postulatur restitutio, nihil innouandum est.
54. De priuilegijs senum.
55. Sexagesimum ætatis annum egressi senes censentur.
56. Militaria munera maximè omnium esse personalia.
57. Causaria & honesta missio fit ob senium.
58. Tutelæ onere nisi septuagenarij non excusantur.
59. A dicendo testimonio nemo senex excusatur de iure Canonico.
60. Natalium splendor nullum tribuit liberis priuilegium, nisi quòd dignitate sequuntur patrum suorum conditionem.
61. De priuilegijs ordinum.
62. Clericorum ordo ob reuerentiam religionis præcipuus semper habitus.
63. Clerici qui priuilegijs gaudeant.
64. Maximum Clericorum priuilegiũ est, quòd ad subeunda sordida munera cogi non possint.
65. Quæ munera dicantur sordida & extraordinaria.
66. Clerici non possunt trahi in iudicium laicorum.
67. Alia constitutio per aliam subinde correcta est.
68. Presbyteri non torqueantur.
69. Clerici falsum in causa criminali dicentes, accusari de crimine falsi possunt.
70. Solidus est aureus Romanus.
71. De priuilegijs scholasticorum.
72. In peregrinatione sua scholastici sunt defendendi.
73. Electionem habent scholastici ubi uelint agere.
74. Supellex scholasticorum non oneratur uectigalibus.
75. Absens læsus restituitur.
76. Professores gaudent omni immunitate cum uxoribus & liberis.
77. De priuilegijs militum in condendis testamentis.
78. In re empta præfertur miles cæteris creditoribus uenditoris.
79. Veterani & emeriti à uectigalibus soluendis liberantur.
80. Propter mercaturam si quam milites exercent, amittunt priuilegia militaria.
81. Palatini milites sunt immunes à sordibus muneribus.

82. Familia militum absens læsa restituitur.
83. De rusticorum priuilegijs in testamentis, & ignorantia iuris.
84. Rustici à cultura agrorum ad publica munera non uocentur.
85. Rustici qui censendi.
86. Artificum priuilegia quæ censenda.

1 INTER conditiones personarum præcipua est libertas. Ea enim omnibus
2 rebus fauorabilior est, l. libertas. ff. de regul. Iur. Itaque si in disceptatione
3 status diuersæ ferãtur sententiæ, præfertur ea, quæ pro libertate lata est. l. inter pares. ff. de re iudic. Ac si cui in testamento relicta sit libertas, & nemo sit qui hæreditatem, ad quam uocatus est, eo testamento adire uelit, ac proinde testamentum fiat irritum, tum ille, cui relicta est libertas in eo testamento, pro libero se gerere potest, etiamsi bona ã fisco occupentur, ut minimè dimittendus uideatur propter publicum commodum. §. & hi quidem. Institut. de eo,
4 cui lib. causa bo. adij. Sic ubique in iure multa conceduntur fauore libertatis, quæ alioqui negantur.

5 Pertinet huc etiam, quõd liberum corpus tanti fit ã ll. ut nolint ullam eius fieri æstimationem posse, si læsum sit ã quopiam, l. ex hac l. ff. si qua. paup. fe-
6 dicatur. Videtur enim libertas esse res inęstimabilis, quamuis alioqui omnes res æstimationem subeant, l. non est. §. infinita, & l. libertas. ff. de reg. iu. Sed hoc priuilegium libertatis naturalis amor potius exigit, quãm quõd istud tribuat hominibus constitutionum ciuilium autoritas.

7 Reliqua uerò, de quibus porrò nobis dicendum est, magna ex parte prodidit ciuilis necessitudo, quæ requirit, ut propter diuersas conditiones hominum, distincta in certis casibus sint iura. Nam ut ab ea conditione hominum
8 incipiam, quæ ex natura prouenit, Quis non iudicat humanæ societati conueniens, ut imbecillitatis ac pudoris muliebris ratio habeatur in quibusdam casibus præ masculis?

9 Volunt itaq; ll. Romanæ, ut fœmina propter priuatum, aut fiscale debitũ, non ducatur captiua in iudicium, sed hodie C. de offic. diuer. iudic. multõ minus uolunt eam in carcerem conijci, ob debita. Auth. hodie nouo. C. de custod. reorum.

Quamuis autem hoc commune sit priuilegium fœminarum, quõd in cau-
10 sis ciuilibus non possint trahi in iudicium, aut carceribus mancipari, tamen Alexan. de Imola. cir. l. plærique. ff. de in ius uocand. annotat quosdam ca-
11 sus, in quibus aliud fieri sit licitum. In criminalibus sanè causis non est dubium, quin careant hoc priuilegio fœminæ, præsertim si crimen sit atrox, cuius accusentur, iux. Auth. ut nulli iud. &c. §. necessarium.

Proinde & papa Bonifacius octauus, cùm iudicaret parcendum esse uerecundiæ mulierum, ut non ob quamuis causam in iudicium uenire cogerentur, adiecit, nisi hoc fieret in causis, in quibus iura istud manifestè permitterent. cap. mulieres. Extr. de iud. in sexto. Extra illos autem casus non uult eas cogi, ut uel testimonium in foro publicè dicant. Ac cùm & diuus Paulus ue
12 lit mulieres esse ἀκόρους, parũ meminisse honestatis iudex uideretur, qui fœminam in publicum protrahere uelit, in negotio, quod per eam domi possit expedirí. ἀκόρους, id est, intonsas.

Ne igitur usquãm mulier in cœtu uersari facilè cogeretur, permisit Iustinianus Imperator, ut mulier absente parte domi suæ coram iudice, uel Notario suum testimonium deponat. Auth. ut legit. in exor. litis iurent. §. si uerõ
13 mulier. Et dd. circa l. ad personas egregias. ff. de iureiur. Præ reliquis autem fœminis illæ præcipuè gaudent his priuilegijs, quæ ferunt uterum. Nam illæ etiam uocatæ in iudicium, comparere non coguntur. l. ij. §. si non propter. ff. Si quis cautionibus &c.

14 Corporali aũt pœna affici, aut torqueri, ne quidem ob extrema scelera pos-

sunt, donec quadraginta dies à partu earum effluxerint. l. prægnantis. ff. de pœnis. & ibi Bart.

Antequàm autem ad alia mulierum priuilegia enumeranda pergam, adijci endum est, quòd & restituantur ad producendos nouos testes, postquàm aduersæ partis testimonia sint publicata, secundum Bartol. cir. l. i. §. nunciatis. ff. de ope. noui nuncia. Nam & hoc priuilegium illis contra iudiciorum formam datur, propter sexum, ob quem etiam illis succurritur in edendo, satisdando, & probatione indebiti. ff. de edendo. l. i. §. ult. Et qui satisd. cog. l. de die. §. si seruus. in fin. & de probat. l. cum de indeb. §. i. Item in probatione annorum, quibus nata est puella, ad impetrandam ueniam ætatis. l. omnes. §. fœminas. C. de his, qui ue. ætat. impe.

Porrò gaudet mulier & in alijs iuris formis propter solum sexum quibusdam priuilegijs, ut cùm masculi propter crimen patris sui, maiestatis damnati penitus excludantur successione etiam maternorum bonorum, fœminæ tamen inde auferunt Falcidiam. l. i. §. quartam partem. l. quisquis. §. ad filias. C. ad legem Iuliam maiestat. Item in actione commodati, quod acceptum est à filia familias, pater tenetur de solo peculio filiæ, & cum ipsa agi preterea de eo non potest, sicut fit cum filiofamilias. l. sed mihi. §. si filiofamilias. ff. commodati.

In plerisque quoque casibus excusantur fœminę ob ignorantiam iuris propter sexum, qui annotantur à gloss. l. final. C. de iuris & facti ignor. Habent & in alijs multis casibus fœminę sua priuilegia, sed quę illis non propter sexum solùm concessa sunt, ut priuilegio dotis nõ ideò solũ gaudent, quia sunt fœminę, uerumetiam quia fauore matrimonij leges conantur illis dotes conseruare. Itaque de illis suo loco dicendum est, ubi series formarum iuris istud magis tulerit. Hic enim de illis solùm priuilegijs dicendum fuit, quę consideratio sexus absque respectu aliarum causarum, dari suasit. Sicut nunc dicendum est de priuilegijs, quę ob solam ętatem personis tributa sunt. Nam & horum causa magis ex natura prouenire, quàm ex ciuili ratione colligi uidetur.

De Priuilegijs dotalib. ui de Oldend. in tractatu de iure singulari.

Est autem ętatis potissimum priuilegium, quòd in omnibus ferè pœnalibus iudicijs mitius cum illis agitur, qui aut propter immaturitatem ętatis minus sapiunt, aut propter confectas uires corporis & animi, repuerascere uidẽtur. Nam pueritia & senium in ętatis fauore solùm considerantur. Atq; iidem hac fit moderatione, ut si quid dolo ab illis commissum sit, ętatis beneficio non iuuentur, secus si quid uitio aut culpa ętatis admiserunt. l. ferè. & ibi gl. ff. de reg. iu. & per tot. tit. C. si aduersus delict.

Censetur autem aliquis esse puer ab anno ætatis septimo usque ad annum decimumseptimum. l. i. §. initium. ff. de postul. & ibi Bart. Nam nondum egressus annum septimum, habetur pro infante, qui propter innocentiam consilij, ipso iure excusatur delinquens. l. quod infans. ff. de rei uendicatione. Itaque is non habet opus, ut iudicis officium ad se iuuandum imploret, cùm ipso iure tutus sit. Si uerò pueri culpa aliquid admissum sit, non fert id impunè, nisi ei per iudicem succurratur. Inde est, quòd tam in multis casibus prodita sit minoris restitutio. Sed habetur etiam pro minore, qui nondum egressus est annum xxv. Et tamen maior annis decem & octo, non tam benignè iuuatur à ll. atq; ille, qui non est in ea ętate. Nam natus annos xviij. si quid faciat contra ll. naturę, non gaudet ullo beneficio ętatis, secus si egrediatur ciuiliũ constitutionum metam. Nam tum illi per restitutionem in integrum, tanq; ignoranti eas constitutiones, & propter imprudentiam ętatis, succurritur, iux. dd. cir. l. etiam. ff. de Minoribus. Non solùm autem mitius agitur cum minoribus, quàm cum maioribus, in corrigendis eorum delictis, sed multò sępius in amouendo periculo damni, in quod uel sua facilitate, uel aliorum dolo delapsi

psi sunt, siue hoc eis inciderit in contrahendo, siue in remittendo. Nam illis beneficio restitutionis succurritur, quocunque actu circumuenti fuerint, ut aut amiserint quod habuerint, aut amiserint emolumentum, quod acquirere potuerint, aut obligauerint sese oneri, quod recusare illis licuit. l. nō omnia. & l. quod si minor. §. non semper. ff. de Minor. Nisi tamē leuius sit damnum, quām ut eius causa cuiquam negotium faciendum sit. Nam tum minor pe-
30 tens se restitui, non est audiendus. In illis enim quæ contra ius commune conceduntur, non curantur minima quæque. l. Seio. ff. de restit. in inte. Nec iuuatur minor, si casu potius, quām alicuius dolo sentiat damnum. Non enim euentus damnum, sed inconsulta facilitas minoris restitutionem indulget. l. uerum sciendum. ff. de Minoribus. Cūm enim iure communi usus est minor, non iuuatur, etiamsi postea aliquid inde accidat, ut peius habeat absque dolo
31 alieno. l. fin. C. de restitut. in integr. Si quoque apparuerit talis eius industria in alijs negotijs, ut non sit uerisimile eum per ætatem esse deceptum, non succurritur ei. l. i. C. qui & aduer. quos in integr. restitut. non possi. Neque enim
32 statim creditur, eum esse circumscriptum, qui minor est, nisi illud docuerit manifestis probationibus. l. minoribus. C. de in inte. rest. & l. nam postea. §. si minor. ff. de iureiur. præterquām contra usurarium creditorem. Ab eo enim si
33 quid accepit mutuo minor, præsumitur deceptus, odio fœneratorum, nisi usurarius probet creditum ab eo esse uersum in utilitatem minoris. C. si aduersus cre. Nonnunquam & reuerentia eorum, contra quos petitur restitutio minorum, prohibet eam fieri, ut cūm minor queritur de parente, aut patrono suo, non iuuatur. l. ij. C. qui & aduers. quos &c. Si quoq; maior factus ratum habuerit, quod cum eo minore gestum est, non gaudet hoc auxilio minorum. C. si maior factus rat. habuerit.

34 Item si impetrata uenia ætatis, suis præesse potuerit ut maior, non admittitur, ut se tanquām minorem læsum contendat, etiamsi illi ætas suffragetur. C.
35 de his qui ue. impe. Semel quoque impetrata, aut negata restitutio, repeti
36 non potest. C. si sæpius in inte. rest. postul. Si deprehendatur quoq; maior per mendacium finxisse se minorem, cūm non esset, tum non iuuatur. C. si min. se maio. dix. uel probat. fuerit.

Præterea non restituitur minor, si deprehendatur non coactus iuramento suo firmasse promissa. Authentic. sacramenta puberum. C. si aduer. uendi. Vt maximè enim propter inconsultam facilitatem iuuandus uideatur mi-
37 nor, ne hominum fraudibus impune expositus sit, tamen nulla indulgenda seu alenda sunt eius periuria. Nec alius per eius restitutionem grauandus est, ut ipse habeat lucrum ex eius delicto, ut si minori non capaci per fideicommissum aliquid relictum sit in testamento, & hæres in eo institutus id ei non
38 præstet, sed fisco cedat, quia relicta indignis iure debentur fisco, tum petens contra illum restitui, repellitur iuxta Bartol. circa l. cūm quidam. §. si pupillo. ff. de usuris.

39 Item si Magistratu uolente & sciente debitum soluatur minori, non est fe-
40 rendum, ut circumuentum in solutione eius debiti se queratur. l. ait Prætor. §. permittitur. ff. de minoribus. Contra libertatem etiam, qua fortè incautior aliquem ex seruis suis donauit minor, si postea contraueniat, non est restituendus, nisi ad recuperandum precium mancipij. l. minor ancillam. ff. de minoribus. & Cod. si aduersus liber. leg. ij. Si quoque fideiusserit pro eo, cui successurus sit, etiamsi lædatur, non restituitur, quia sufficere ei debet emolumentum successionis, quia ista spe inductus est, argum. l. i. C. de filiofam. minore.

Postremò non restituitur minor in omnibus illis casibus, in quibus iure cōmuni uti potest, ad effugiendum damnum, quod ex sua facilitate sentit, aut ei
41 imminet. Vt si contractus deficiat, eō quòd Tutor uel Curator minoris non

interposuerit suam autoritatem, non potest minor repetere restitutionem in integrum, quia talis contractus ipso iure pro nullo habetur, ut non opus sit eum restitui, cùm nocere obligatio talis contractus ei non possit. l. si curatorem. C. de in integ. restit. minor. Item, si dolus dedit causam contractui. l. in causa. ff. de minorib. Vnde est quòd & aduersus obligationem naturalem tantùm, qua læsus sit minor, non detur ei restitutio, quia conueniri eum ex tali obligatione iura non permittunt, iuxta dd. in l. minor. ff. de procuratoribus, contra glossl. ibidem. Sic si ius commune minori ministret aliud quoddam auxilium, non decurritur ad restitutionis præsidium, quia hoc est extraordinarium auxilium, ut illo uti nemo possit, donec iuuetur ordinario. Exempli gratia, si deceptus ultra dimidiam iusti precij sit minor in contrahenda emptione, habet beneficium petendi, ut rescindatur emptio. l. ij. C. de rescind. emptione. Itaq; cùm minor hoc beneficio aduersus impostorem uenditorem uti possit, non est necesse, ut ei succurratur per restitutionem. Idem fit in multis alijs casibus, quibus destinatus est peculiaris locus in C. tit. In quibus causis in integ. restit. non est necessa. 42 43 44 45

Hęc ferè sunt, quæ obseruanda ueniunt, antequàm constituamus, propter inconsultam facilitatem minoribus deberi restitutionem in integrum. Proximum nunc est, ut uideamus, in quibus casibus, & quatenus tale priuilegium illis competat. Quamuis enim eorum sit illis indulgeri hoc beneficium, ubicunq; ostendere possint se sua facilitate læsos esse, tamen ideò non est cogitandum, q; indiscriminatim, & sine modo id ubicq; illis liceat. Deinde quòd cùm hoc priuilegium sit odiosum, respectu illorum, contra quos illud datur minoribus, non posse hoc sibi sumere minores, nisi quatenus hoc illis ll. indulgeãt. Vt certum est, minorem restitui contra eum, qui res eius usuceperit cum eius damno. C. si aduers. usucap. Contra præscriptionem tamen rerum immobilium, ut restituatur minor, non uidetur necesse, quia contra illum ea non currit. l. sancimus. C. in quibus causis in inte. re. non est necess. Et de præscrip. uiginti uel triginta anno. l. sicut. Sed glos. l. i. C. Si aduer. usucap. ita dicit limitandam hanc regulam de cursu præscriptionis contra minorem, uidelicet, ut non habeat locum restitutio, si contra minorem primò cœperit currere præscriptio. In eo nanque casu quia non currat, non posse eam nocere minori, ac proinde nec opus esse, ut restituatur: secus si contra maiorem cœperit currere præscriptio, & postea contra minorem successorem maioris compleatur. Tum enim quia currat præscriptio, opus esse, ut remedio restitutionis succurratur ei, ne completa noceat minori non sublata. Sic & in alijs casibus certa moderatione iuris maior beneficio restitutionis iuuatur. Vt si donarit, quib. per ll. illi liceat, decreto iudicis adhibito, non succurrit læso, nisi immoderata sit donatio. l. cùm plures. ℔ cum Tutor. ff. de admi. & pet. Tut. & C. Si aduer. donatio. Item si omiserit minor hæreditatem lucrosam adire intra tempus legitimum, restituitur, ut liceat ei redire ad neglectum lucrum. C. Si ut omissam hæreditatem &c. Si uerò adiuerit damnosam hæreditatem, non potest beneficio restitutionis eam denuo relinquere, nisi adhibeantur creditores, quorum interest, nihil de adita semel hæreditate intercipi. l. etiã. ℔ ul. ff. de mi. & C. Si ut omissam hære. Sic & aduersus uenditionem quarumcunq; rerum suarum, atq; etiam si pignus de reb. eius alicui datum, distractum sit, aut cum eo transactum, uel facta diuisio sit, aut ipse soluerit, uel ab alio in solutum, uel mutuo aliquid acceperit, quicquid enim horum factum fuerit cum eius dispendio, ad effugiendum illud quodam cum modo restituitur, iux. peculiares ad hanc rem proditas ll. quarum tit. ex C. inf. annotabimus. Quibus adiungere quis poterit l. patri. ℔ si pecuniam. & ℔ si minor. ff. de minoribus. Qui uerò isti sint tit. in C. ostendent eorum indices, infrà. 46 47 48 49

Extant passim in ll. & alij multi casus, in quibus restituuntur minores, ut si 50

uectigal

uectigal fortè non soluerit minori, & ob id bona eius in commissum incidāt, restituitur ad ea recuperanda, l. si ex causa. §. si in commissum. ff. de mino. Itē si culpa Tutoris instantia iudicij perempta sit, l. fin. ff. si Tut. uel Curat. inter uenerit, restituitur minor, & ad repetendum allegationem, quam omisit, uel in opponenda exceptione, uel in probatione firmanda, l. xxxvij. ff. de minoribus. An autem restitui possit ad producendos nouos testes, postquām publicata sint testimonia, exquisitè indicat Bart. cir. l. i. §. nunciatio. ff. de ope. noui nunciat. Si captus sit in deferendo iuramento, cūm haberet probationes, quibus conuincere poterat aduersarium peierantem, restitui eum posse testatur. l. nam postquàm. §. si minor. ff. de iureiuran. Quòd autem possit restitui aduersus sententiam, postquām ea transierit in rem iudicatam, ostenditur in C. si aduersus rem iudicat. & gloss. atque dd. copiosè ea de re agunt, circa l. fin. C. si minor se maio. dixerit. Subuenitur quoque ei, ut prouocet, si fortè intra tempus decem dierum, quo oportuit eum appellare, non prouocauit. l. & si. §. penult. ff. de minoribus. Quibus uerò alijs præterea casibus subueniatur minoribus hoc beneficio iuris, eos poterit quisque sua diligentia inquirere, & per se annotare. Nos nostro instituto perfunctos existimamus, quòd præcipuos casus annotauerimus.

51 Reliquæ sunt quædam quæstiones, quas hic gignit metus impedimentorum, quæ in personis & rebus hærere uidentur, quō minus locum habere restitutio minorum existimari possit. Primūm enim etsi minor circumuentus, restituatur, tamen si sit filius familias, non uidetur, quōd debeat iuuari, ne prætextu ætatis succurratur eius patri maiori. Sed cùm & filius familias, donec est in potestate patris, conueniri in solidum possit, l. iij. §. sed utrum. ff. de minoribus, non est cur quisquam dubitet filium famil. hoc beneficio iuuari, iuxta tit. C. de filio famil. minore. Deinde nemo dubitare potest, minorem tam aduersus fiscum, quām aduersus quempiam priuatum, hoc beneficio iuuari, cūm id expresse constitutum sit C. si aduers. fiscum. Et competere hoc ei beneficium, siue Tutor interuenerit, siue non, contra id, quod cum eius damno gestum est, indicat titulus C. si Tutor, uel Curator interuenerit. An autem fideiussores minorum, uel alij, qui cum ipsis habeant rem, aut causas communes, subleuentur hoc beneficio, si minor eo iuuetur, magis dubitari posset, nisi hæc quoq; dubitatio sublata esset distinctione casuum per ll. C. de fideiusso. mino. & in tit. Si in communi, eademqūe causa &c. Nam ibi constituitur, quòd ad fideiussores minorum pertineat huius priuilegij auxilium, si minor deceptus sit alicuius alterius dolo, sed non si propria facilitate damnum incurrerit. Eos uerò, qui cum minore habeant aliquid commune, uidetur tex. in tit. ad id allegato omnino excludere auxilio huius beneficij. Sed l. si communem. ff. quemad. ser. amit. hoc auxilium illis tribuit, si habeant rem communem, quæ sit indiuidua, sicut est seruitus, uidelicet, ut minore restituto, & ipsis suum ius seruetur cum eo.

52 Cæterūm quoties, aut quocunque casu minoris fit restitutio, cogitur & ipse restituere omnia ea, quæ occasione eius negotij, in quo se restitui uult, ad il-
53 lum peruenerunt. C. de reputation. quæ fiunt in iudic. Itaque & prohibitum est, ne quid innouetur in rebus, quarum nomine & causa postuletur restitutio. C. in integr. restitu. postu. ne quid no. &c. Potest etiam restitutio peti à minori, per Procuratorem, C. etiam per procurator. modò ea petatur in eius foro, contra quem eam impetrare quis conetur. C. ubi, & apud quem cog. integ. &c. Quo autem iure, & qua forma agendi restitutio minorum petatur, dicemus infrà, ubi ostendendum erit, quomodo ex priuilegijs agatur.

54 Iam igitur postquām minorum priuilegia recensuimus, redeundum nobis est ad priuilegia senum. Nam & cum illis iura indulgentius agere pro-

pter ætatem, suprà diximus. Censendi autem sunt senes, qui egressi sunt ætatis annum sexagesimum. Infra enim istos annos etiam Philosophi uires existere iudicant, qui rebus gerendis sint idonei. Quanquam imperatoria constitutione etiam illi tanquam senes liberentur ā muneribus personalibus, qui maiores sunt quinquaginta quinq; annis. l. manifesti. C. qui æta. se ex. lib. x. Vnde quidam uolunt sexagenarios excusari ā muneribus militiæ, cùm Martis munera maximè omnium sint personalia, propter corporis uires, quæ ad confligendum illis requiruntur. Ac proinde etiam causaria & honesta missio eorum habetur, qui ob senium militia dimissi sunt. l. ij. C. qui non imple. stipen. sacra. solu. sint. lib. x. & ibi gl. A tutelæ tamen onere ita nolunt excusari

Septuagenarij.

senes, nisi sint septuagenarij. l. ij. ff. de excusat. Tut. Sicut nec à muneribus regulariter iure digest. liberantur senes, nisi sint septuagenarij. l. iij. ff. de iure immuni. Itaq; gl. l. inuiti. ff. de testibus, ita interpretatur priuilegium senum de non cogendis illis ad dicendum in publico testimonium, uidelicet, si excesserint annum lxx. Iura uerò Canonica nolunt quenq; excusari ā dicendo testimonio, propter senectutem, sed hoc solùm permittunt, ut si fortè senes propter imbecillitatem corporis uenire in iudicium non possint, ad eos mittatur Tabellio, qui charta ipsorum testimonium excipiat. c. si qui test. ex. de testibus. & ibi gl. Natalium splendor nullum tribuit liberis priuilegium, nisi quòd dignitate sequuntur patrum suorum conditionem. l. exemplo. C. de decurio. & eorum lib. lib. x.

Sequuntur priuilegia Ordinū: & quia propter reuerentiam religionis prę cipuus ordo semper in imperio habitus est inter priuatos, ordo Clericorum, de priuilegijs huius ordinis dicendum primò uidetur. Gaudent autem priuilegijs clericorum illi demum, qui sedulò uacant ministerijs sacrorum, & non hinc inde uagantur solo habitu & nomine clericos se gerentes, quia hic ordo præ alijs donatus est amplioribus priuilegijs, ut clerici omnibus alijs negotijs politicis posthabitis, solis ministerijs ecclesiæ Dei incumberent. l. generalit. sancimus. C. de Episcop. & Cleric. Est autem Clericorum maximum priuilegium, ꝙ ad subeunda sordida munera, & ad soluendas extraordinarias indictiones cogi non possunt. l. i. & ij. C. de Episcop. & Cleric. & de sacrosanct. Eccles. i. leg. placet. nisi salus reipublicæ exigat, ut neque ille ordo sit immunis ā talibus oneribus propter necessitatem publicam, ut in expeditionibus publicis cogi clerici possunt ad refectionem publicorum itinerum & pontium, & ad instructionem nauium, quibus milites transmitti in hostile solum possint. l. ad instructiones. & l. iubemus nullam. C. de sacrosanct. eccle. Quæ autem munera dicantur sordida, & extraordinaria, & an solutio uectigalium etiam sub his comprehendi possit nec ne, dicemus infrà de iure immunitatis. Excusantur autem Clerici etiam à Tutelis & alijs personalibus muneribus. l. presbyteros. C. de Episcop. & Clericis. Proximum immunitati Clericorum est priuilegium, quòd non possint trahi in iudicium laicorum ulla ex causa, sed necesse sit eos prius conuenire apud ecclesiasticum iudicem. Atque huius quidem priuilegij promulgatio sępe mutata est, ut qui certus de eo esse uelit, necesse habeat, ut non uni eius constitutioni inhęreat, sed omnes peruoluat. Etsi enim alia per aliam subinde correcta sit, tamen ea correctio non est referenda generaliter ad omnia capita superiorum constitutionum, sed ad ea solùm, quæ expressè in posterioribus corriguntur. Quare omnes leges & Authenticæ, quæ sunt à l. omnes. usque: statuimus. C. de Episcop. & Cleric. euoluendæ sunt. Nam ea constitutio Friderici postremò est in hoc priuilegio, & extat in titulo de statut. contra lib. eccle. collat. x. Et reliqua Authent. sunt sumpta ex Authen. ut Clerici apud proprios episc. conueniantur, & ex Auth. apud quos opor. caus. dice. Monach. Inter Clericos uerò præ cæteris presbyteri hoc priuilegio donati sunt, ut non torqueantur, etiam

Constitutio Friderici.

si

69 si uacillent in testimonio dicendo, & tamen si postea compertum sit, eos falsum testimonium dixisse, accusari de crimine falsi possunt, sicut cæteri clerici, qui falsum in causa criminali dixerunt. Nam si in causa ciuili id fecerint, tum per tres annos ministerio ecclesiastico fungi prohibentur. l. presbyteri. & Auth. seq. C. de Epis. & Cle. In soluendis quoq; sportulis non amplius ab illis exigi potest, quàm quatuor siliquæ, nisi executor iudiciorum ex sua in aliam prouinciam in iudicium uocauerit. Nam tunc quia plus negotij habeat executor in conficiendo hinc inde itinere, plus etiam impendere in sportulas cle
70 rici coguntur, nempe solidum, hoc est, aureum Romanum. Auth. sed nouo. C. de Epis. & cle. Tribuuntur clericis priuilegia, & à iure Canonico, ut in c. si quis suadente. xvij. q. iiij. & de relig. domib. c. fin. & in multis alijs locis. Verùm quia ea sibi propria autoritate sumpserunt, neq; illis publico Christiani orbis suffragio concessa sunt, ipsis relinquimus ea conseruanda, satis nobis sit recensuisse priuilegia clericorum, quæ istorum ordini concessa sunt ob reuerentiam religionis, iure publico.

71 Porrò priuilegijs clericorum coniungenda sunt priuilegia scholasticorum, cùm quia sæpe ijdem sunt clerici & scholastici simul, tum uerò quia uterque ordo pacis militiam profitetur & exercet. Est autem priuilegiorum scholasticorum locus ordinarius in constit. habita. C. ne filius pro patre. Nam in ea, & circa eam ab omnibus peculiariter de illis agitur, neq; tamen alia sunt
72 maiora uel plura, quàm quòd in peregrinatione sua, quam studiorum causa
73 faciunt, magis sint defendendi ab iniuria, quàm quiquam alij, & quòd in loco studiorum ipsis detur electio, an apud magistratum, uel Episcopum urbis, uel Rectorem scholæ potius conuenire uelint, ab alijs autem conueniri non pos-
74 sint, nisi apud Rectorem & Episcopũ urbis. Ipsorum quoq; supellex non potest onerari uectigalibus, argumento l. fin. ℣ Diuus. & ibi Bart. ff. de publica. Et gloss. atque dd. circa constitut. habita. Neque conueniri in loco studij potest ex causa contractuum, quos alibi quàm in eo loco iniit, nam ibi non censetur habere domicilium, nisi per annos x. ibidem uersatus sit. l. ij. C. de in-
75 col. lib. x. & ff. de iud. l. ij. ℣ sed utrum. & ibi notata. Si quoque absens non defensus lædatur scholasticus, potest petere restitutionem in integrum, ne iustissima causa absentiæ ei noceat. l. nec non. ff. ex quibus caus. ma. in integ. re-
76 stit. Et illi qui profitentur artes liberales, aut ll. aut Philosophiam, gaudent omni immunitate cum uxoribus & liberis suis. l. medicos. & l. fin. C. de professo. & medi. lib. x.

77 Sed de immunitate personarum postea, iam pergemus ad enumeranda priuilegia militum, quorum ea quidem sunt præcipua, quibus fruuntur in condendis testamentis. Nam propter imperitiam iuris, cuius cognitioni uacare non possunt, cùm in armis uersantur, permissum illis est, ut absq; omni solennitate, quæ iure communi alioqui in condendis testamentis requiritur, testamenta faciant, modò ita uoluntatem suam declarent, ut certò de ea constare possit, quæ fuerit. Institut. de militar. testament. Proinde non est necesse, ut legitimum numerum testium adhibeant, sed sufficit tot adhibitos esse, qui fidem facere de eorum uoluntate possint. Neque cogitur miles instituere, uel exhæredare filium: potest quoque in Codicillis instituere hæredem, uel etiam duobus testamentis relictis uoluntatem suam declarare. Atq; hoc licet militi, siue sit mutus, siue surdus, imò etiam si de crimine condemnatus sit, aut de statu suo dubitet. Non tamen si pupillus, aut seruus hostium. Præterea potest decedere pro parte testatus, pro parte intestatus, & directè substituere etiam extraneum, & hæredem suum grauare legatis ultra dodrantem heredi tatis, iux. Bart. cir. l. neq; enim. ff. de testa. mili. & Bald. cir. l. milites. C. eo-
78 dem. Habet & hoc priuilegij commune cum minoribus miles, ut in re empta de eius pecunia præferatur illis, qui antea aliquid eidẽ uenditori crediderũt;

Qui uolet scire plura militum priuilegia, legat libros Claudij Corterei Turonensis iure consulti.

iuxta gloſſ.l.idemq;.ff.qui potio.in pig.hab. A uectigalibus autem ſoluendis non liberantur milites, niſi ſint ueterani & emeriti. Nam illi præ reliquis 79
hoc ſolũm gaudent priuilegio, ut nullis oneribus, aut muneribus ciuilibus grauari poſsint, etiamſi mercaturam exerceant, propter quam alij milites a- 80
mittunt priuilegia militaria.l.i. C. de ueteran. lib. xij. Palatini quoque mili- 81
tes immunes ſunt à ſordidis & extraordinarijs muneribus. C. de Palati.ſacra largit.lib.xij.

Reliqui tamen milites hanc habent prærogatiuam, ut non ſolutis uectiga libus bona eorum non cadant in commiſſum.l.omnibus. C. de uectigalibus commiſsis. In iudicijs quoq; cum militibus remiſsius agitur, quãm cum alijs ex plebe. Nam Alexan.de Imo.cir.l.ij. ff. Si quis in iud.uoca.non ierit, uult q; miles ſi ex imperitia exercendarum litium fiat contumax, excuſetur, quia non poſsit de eo præſumi, quòd dolo quodam id fecerit. In præſtanda quoq; indebiti ſolutione is, qui accepit indebitum, oneratur, ut probet ſibi debitum eſſe ſolutum.l.cum de indebito. §. ſi autem is. ff. de probat. Et uictus in cau ſa ciuili non tenetur in amplius, quãm faceret tunc poſsit.l.miles. ff. de re iud. In criminali autem iudicio ita parcitur militibus, ut minore pœna puniantur, quãm plebeij, iuxta glo.l.deſertorem. §. pœna. ff. de re milit. Nec poſſunt quidem milites torqueri, etiam præcedentib. indicijs, niſi cum ignominia dimiſsi ſint militia, l. milites. C. de quæſtionib. His aũt priuilegijs nõ quiuis gaudet, qui nomine tenus militem præ ſe fert, ſed qui arma pro defenſione reip. gerit. C. in quibus cauſ. mili. fo. præſcript. uti poſ. Itaq; cũm illi, qui nunc ſeſe de militari ordine eſſe iactitant, non ita uerſentur in armis, ſicut olim ſub Imperatoribus Romanis conſuetum fuit, magna eſt quæſtio, an etiam illi ſibi arrogare militum priuilegia poſsint.

Et in eius quidem quæſtionis deciſione uariant dd. In hoc tamen propemodum conueniunt, quòd exiſtimant ſingulorum priuilegiorum, quæ militibus ſunt conceſſa, rationem conſiderandam eſſe, ac ſiquidem ea uideatur habere locum in militibus noſtri ſeculi, tum eſſe ſentiendum, quòd eo priuilegio meritõ gaudeant, ſin minus, diuerſum eſſe ſtatuendum. Vide Cy.cir.l.i. C. de iuris & fact. ig. Vbi occaſione priuilegij, quo permittitur militibus, ut ſi fortẽ ante ſententiam non oppoſuerint exceptionem peremptoriam, neſcientes eam oportuiſſe opponi, antequãm ferretur ſententia, allegatione ignorantiæ iuris rurſum ad eam opponendam admittantur, de hac quæſtione ſatis diſertè diſputat. Competunt autem quædam priuilegia militibus ratione pecunij, & captiuitatis, de quibus ſuo loco dicemus.

Exceptio peremptoria.

Ignorantia iuris.

Cæterũm priuilegijs militum non tuetur ipſorum familia, niſi in cauſa reſti- 82
tutionis propter abſentiam, quæ facta eſt reipub. cauſa. Nam eo caſu uxores militum etiam reſtituuntur, ſicut mariti, ſi abſentes ſint læſæ. C. de uxoribus militum. Succurritur & ruſticis in quibuſdam caſibus, propter imperitiam, ut 83
ſi plures haberi non poſsint teſtes, ſufficit quinq; adhibitos eſſe in condendo Teſtamento, quod in rure, & non in ciuitate factum eſt.l.fin.C.de teſta. Neque opus habent ruſtici, ut uoluntatem ſuam teſtantes mittant in literas, iuxta Bart.in l.confíciuntur. §. Codicilli.in fin.C.de iure Cod. Propter ignorantiam autem iuris excuſantur ſæpe ruſtici, ſicut fœminæ. l.i. in fin. ff. de æden. & de iure fiſci.l.ij. Non tamen excuſatur ruſticus, ſi quid faciat, quod ſit contra ius naturæ, aut contra honeſtatem, l.i.C.de Interdict. matri. alias autem regulariter ruſticitas excuſat ignoranter aliquid facientem contra iura ciuilia, quia illis ruſtici uacare non poſſunt.l.ij.ff.ſi quis in ius uoca.non ierit, & de iuriſdi. omnium iu.l. ſi quis id quod. §. i. In ijs tamen ſolùm caſibus, qui iure expreſsi ſunt, iuxta l. fin. C. de iuris & facti ig.

Ruſticorum priuilegia.

Eſt autem & ſpecialis quædam immunitas ruſticis conceſſa, ne à cultura agrorum ad publica munera agrorum uocent, C. ne ruſt. ad ullum off. euo.

lib.

lib.xi.Id quod ego ita accipiendum existimo, quòd non sint cogendi ad gerenda publica officia. Nam Reip.interest,ut agri diligenter colantur per rusticos,& imperitia eorum non patitur,ut bene præesse publicis muneribus possint. Itaq; non est permittendum, ut ex agris ad publica munera gerenda uocentur. Ad onera autem publica sustinenda eos teneri non est dubium. Ru-
85 stici autem censendi sunt,qui in rure habitant, & ibi continuè uersantur, & qui suos agros colũt,non qui seruiliter fundo addicti sunt, sicut Ascriptitij ac Censiti. Nam l.i. C.ne rustica.ad ullum offic. euo.eos omnes pro rusticis habet,qui extra mœnia urbium habitant.

86 Poterant his priuilegijs adijci & ea, quæ peculiariter concessa sunt quibusdam personis,propter artes,quas exercent,aut negotia,quibus gerendis præfecti sunt ã magistratu publico. Cuiusmodi pleræque extant in ultimis tribus libris C.ut de Trierarchis,Murilegulis,& Gynęciarijs, de Fabricensib. Classicis, Pistoribus, Suarijs, Athletis &c. Verũm quia talium munerum nunc non habetur ea ratio,qualis olim fuit sub Imperatoribus Romanis,nolo in perscrutandis eorum priuilegijs nimis diligens uideri. Si quis ea desideret,is poterit sua opera colligere ex ll. Romanis. Huc autem alioqui peculiariter pertinent tituli

ff.

De minoribus xxv.annis.
De Testamento militari.

Cod.

De restit.in integ.minorum xxv.annis.
Si aduersus rem iudicatam.
Si aduersus uenditionem.
Si aduersus uenditionem pignoris.
Si aduersus donationem.
Si aduersus libertatem.
Si aduersus transactionem.
Si aduersus solutionem.
Si aduersus delictum.
Si aduersus Vsucapionem.
Si aduersus Fiscum.
Si aduersus Creditorem.
Si ut ab hæred.se abstineant.
Si ut omissam hæred.acquirat.
In quibus causis in integ.restit.non est necess.
Qui & aduersus quos in integrum re.non pos.
Si minor se maiorem dixerit.
Si sæpius in integ.restitutio postuletur.
De his qui ueniam ætatis impetrauerunt.
Si maior factus ratum habuerit.
De Testa.militari.
De uxoribus militum.
Ne rusticani ad ullum officium deuocentur.

Inst.

De Testamento militari.

DE IMMVNITATE.

Caput VIII.

SVMMARIVM.

1. De immunitate,& rerum priuilegijs.
2. Immunitas quid sit.
3. Munus in genere quid sit.

4.Municipes

4. Municipes qui dicantur.
5. Munera quædam sunt ordinaria, quædam extraordinaria.
6. Quid dicatur ordinarium, uel extraordinarium in iure.
7. De pensitationibus publicis, oblationibus, indictionibus.
8. Munerum ordinariorum & extraordinariorum, quædam personalia, realia, mixta.
9. Personalium munerum quædam honorifica, sordida, simplicia.
10. Tutela est priuatum munus.
11. Angarię, perangariç, posta, cursus uehicularis inter sordida munera cẽsentur
12. Legatio, cura cogendæ pecuniæ simplicia munera habentur.
13. Tributa, uectigalia, contributoria, exactiones, capitatio, collecta, collationes, superindicta, indictionalia, indictiones, mixta munera esse.
14. De uacatione & excusatione à ciuilibus muneribus.
15. Legitimæ causę immunitatis sunt uidelicet, ætas, impuberes, septuagenarij, sexus, ut fœminæ, ualetudinarij, quinque liberi, paupertas, conditio, ministeria, fiscalia prædia, ordo.
16. Philosophi qui sint, & liberalioribus studijs dediti.
17. Dignitas, tanquam umbra corpus, ordinem sequitur.
18. Senatoria dignitas quæ à muneribus ciuilibus libera. Item decuriones, duces, comites, uicarij, assessores iudicum, defensores ciuitatum.
19. Qui uacant sacris propter religionis reuerentiam non sunt cogendi ad sustinenda publica munera.
20. Absentes reipub. causa non grauentur muneribus ciuilibus, ut legatus, negotiator.
21. Item minores xxv. an. senes, fœminę, sensuum defectu laborans, liberorum numerus, paupertas, primipilaris, ueteranus, pontifex.
22. Princeps potest remittere alicui onera publica.
23. Qui habent merum & mixtum imperium in subditos, possunt remittere onera publica, & exactiones.
24. Immunitas detur sine enormi læsione aliorum.
25. Non potest quis cogi ad subeunda munera ciuilia, nisi sit de territorio eius, qui ab illo exigit.
26. Ciuem quid faciat.
27. Aduenæ, originarij ciues, incolæ, indigenæ, qui dicantur.
28. Item peregrinus, forensis, fœnerator, usurarius quibus contributionibus teneantur.
29. De potestate iniungendi muneris.
30. In personalibus muneribus maximè uidendum, an sit idoneus.
31. Ordo in deferendis honoribus obseruandus.
32. Nemo prius maiorem suscipiat magistratum, quàm minore sit functus.
33. Muneribus captare honores gerendos, nequaquam admittendum.

Rerum priuilegia.

EXPOSITIS Priuilegijs, quæ solius personæ respectu concessa 1
sunt, dicendum nunc erat, quæ priuilegia rebus propter conditionem earum data essent. Nam hoc progressus & ordo communium formarum iuris, ad quarum collationem ea, quæ in hoc capite recensemus, iura, sunt specialia in illis, exigeret. Verũm quia Priuilegia, quæ tribuunt immunitatem, tam personarum, quãm rerum sunt, antè de illis dicendum fuit, quãm ad rerum priuilegia progrederemur. Est autem immunitas, quædam liberatio ã gerendis honoribus, 2
& sustinendis oneribus ciuilibus. Vtraque enim liberatio sub uocabulo immunitatis comprehenditur, quia & honores publici (cuiusmodi habetur quęlibet administratio reipublicę) munera uocantur, iuxta l. munus trib. modis. ff. de uerbor. sig. Itaque in genere munus dicitur, quoduis officium & 3
onus ciuile, quod necessariò subimus ex l. more, imperioue eius, qui iubendi habet

Immunitas quid.

Munus in genere quid.

4 habet poteſtatem.l. munus.ff.de uerb.ſign.Et quibus incumbit communiter parendi neceſsitas ex lege,more,aut imperio præſidentis, dicuntur municipes. Remiſsio uerò talis neceſsitatis dicitur immunitas, ſiue uacatio ã muneribus. Quia uerõ talis neceſsitas imponitur municipibus, aut iure publico,
5 aut uoluntate imperantium, Prima eſt munerum differentia, quòd quædam ſunt ordinaria,quædam Extraordinaria.

Ordinaria dicuntur, quæ publico iure iubente perpetuò præſtantur, ut ſunt tributa,portoria, uectigalia, & alia quæ canonis penſitatione ueniunt.

Extraordinaria uerò, quæ in præſentem neceſsitatem ſolũm ab illis, qui præſunt Rebuſpub. exiguntur,& ab eorum ſubditis præſtantur, ut ſunt indictiones,& collectæ.Quamuis enim Bar.cir.l.ĩ.de iure immu.aliter diſtinguat inter hæc munera, uidelicet, quòd Ordinaria ſint, quæ ã l. uel principe exigantur, Extraordinaria uerò,quæ ab inferioribus magiſtratibus indicuntur,tamen manifeſta ratio me mouet,ut ab eo diſſentiam. Notũ enim eſt in uniuerſum alioqui in iure dici ordinaria,quę ll. aut iure cõſuetudinario definita ſunt,ut eorum obſeruatio ſit perpetua,Extraordinaria,quę cognitione præſidentium moderentur pro caſuum uarietate. Deinde leges, quas ipſe allegat,manifeſtẽ id quod ipſe contendit,non probant. Nam potius de differentia neceſsitatis in parendo, quãm ipſorum munerum loquuntur, nempe, ut qui habeant immunitatem,non teneantur ad onera, quæ ex improuiſo à magiſtratibus indicuntur. Præterea nobis ſuffragatur & ueterum exemplum.
7 Nam ſicut Aſconius Pædianus teſtatur, ita ueteres diſtinxerunt penſitationes publicas,quæ inter munera ciuilia rectè referuntur, quòd aliæ eſſent perpetuæ,quæ canonis appellatione comprehenderunt, aliæ uerõ uariarentur magiſtratuum indictione, pro neceſsitate Reipublicæ, quarum quaſdam dixerunt oblationes, quaſdam indictiones. Et eſt per ſe commoda & expedita diſtinctio, quia uſus etiam exigit, ut in cuiuſque magiſtratus imperio duplicia ſint munera,nimirum alia,quæ publica iura perpetuò imponunt ſubditis, alia, quæ in præſentem neceſsitatem tantùm exigantur à præſidentibus. Secundum Bartoli diſtinctionem,nulla eſſent in Cæſaris imperio extraordinaria munera,quod tamen ſecus eſſe uſus nos docet. Nam ſecundum Ioannem de Platea illæ ipſæ indictiones, quas Cæſar in tit. C. de indictio. lib.x.impoſuit ſubditis imperio,fuerunt munus extraordinarium,antequàm publica lege ſancitum eſſet, ut præſtarentur. Itaque patiantur amatores Bartoli nos hanc diſtinctionem citra offenſionem autoritatis eius ſequi. Nobiſcum ſentit Cy. circal. uoluntariæ. C.de excuſat. Tut. ubi dicit Ordinaria munera eſſe, quæ regularem habeant præſtationem,Extraordinaria,quæ non habeant regularem præſtationem. Idem ſentit Bartol. circal. unicam. C. de mulieribus & in quo loco &c. libro decimo. Munerum autem ordinariorum & extraordinariorum quædam ſunt Perſonalia, quædam Realia, quædam Mixta.

Canon.
Oblationes.
Indictiones.

Perſonalia dicuntur,quæ animi & corporis induſtriam abſque ſumptu præſtantis requirunt.

Munera perſonalia.

Realia uerò dicuntur, quæ ſumptibus patrimonij & damnis adminiſtrantis expediuntur.

Realia.

Mixta,quæ pariter & corporis miniſterio,& gerentis ſumptu ſuſtinentur.

Mixta.

9 l.fin.ff.de muneribus & ho. Rurſum inter perſonalia munera quædam ſunt honorifica, quædam ſordida & uilia, quædam ſimplicia. Honorifica uoco, ex quorum geſtione aliquid dignitatis accedit his, qui illis onerantur. Proinde iſtiuſmodi munera propter exiſtimationem, quam quis inde conſequitur, appellatione honorum accipiuntur. Et inter ea præcipuẽ numeranda ſunt, quæ propter adminiſtrationem Reipublicæ, in quam incumbunt, dici pu-
10 blica poſſunt. Nam in illis magis conſpicua eſt dignitas, quãm quæ priuato

Honorifica.

loco

loco sustinentur, ut est Tutela, quæ quamuis & ipsa propter autoritatem legis, aut magistratus, à quibus imponitur, rectè inter munera publica referatur, tamen cùm eius usus sit priuatus, dici priuatum munus potest. Nullum enim munus ciuile autoritate priuata iniungi potest. Itaque omnia ciuilia munera sunt publica, licet eorum ministerium nonnunquàm sit priuatum. Non autem requiritur ad dignitatem talium munerũ, ut publica autoritate ea illis concilietur, sed satis est opinione uulgi & consuetudine locorum honorifica haberi, secundum Bartol. circa leg. 1. C. de mulieribus. & in quo loco, libro x. Vnde uidemus sæpe munera in alio loco afferre dignitatem gerentibus, & eadem in alio non.

Sordida. Sordida dicuntur, quæ propter uilitatem operæ, quæ præstatur, seruilia uideri possunt, ut est munus calcis coquendæ, & arenę fodiendæ, & similium operarum, quarum exempla sunt in l. fin. §. inter personalia. ff. de mũ. & ho. 11
& in lege maximarum sordidorum. Cod. de excusat. muner. libr. x. Et inter hæc munera numerari possint Angariæ & Perangariæ, quibus imponitur cursus publicus, qui hodie uocatur Posta. Nam Angariæ dictæ sunt à uelocitate cursus, quem Persæ angarion dixerunt, autore Herodoto in viij. lib. Idem cursus, aliquando dicitur cursus uehicularis, quia ille nõ semper equis, sed & uehiculis in regionibus planioribus confici solet. Sed & talia munera nonnunquàm fiunt honorifica, propter temeritatẽ uulgi in æstimandis reb.

Simplicia. Simplicia munera dicuntur, quæ per se nec honorifica, nec sordida sunt, ut 12
est legatio, cura cogendæ publicæ pecuniæ, & alia multa. Nam horum plurima sunt, sicut infrà in excusatione munerum audiemus.

Inter Realia uerò munera quædam sunt merè patrimonialia, quædam uerò contributoria. Merè patrimonialia sunt, quæ ipsas res comitantur ad quẽcunque possessorem, & ea ita possunt distingui, quòd aut præstentur ex rebus, quæ nobis ex possessionibus nostris proueniunt, aut loco pensionis de rebus non nascentibus in illis soluũtur. Vt si quis habeat fundum, de quo teneatur Reip. dare aliquot modios frumenti, aut dolia uini, uel olei, quod in eo nasci consueuit, is ex rebus sibi natis in possessionibus suis munus merè patrimoniale præstare, rectẽ dicitur. Et quomodo Imperatores talia munera exigere à subditis soliti sint, ostendit l. modios. C. de suscept. & præpo. libr. x. Is uerò qui annuam pensionem numerata pecunia, aut alijs rebus mobilibus soluere de suis possessionibus præsidenti Reip. cogitur, is etiam sustinet onus patrimoniale.

Merè patrimonialia.

Quamuis enim eam pensionem soluat de rebus, quæ sibi in possessionib. de quibus eam præstat, non sunt natæ, tamen quia ratione bonorum, quæ sunt in eius patrimonio, istud ab eo exigitur, rectẽ censetur munus merè patrimoniale. Talia uerò sunt omnia tributa, & uectigalia, & alia munera ordi- 13
naria realia, quæ rebus p. soluuntur, quia talia munera reb. patrimonij, & non personis incumbunt.

Contributoria. Contributoria uerò munera realia ea uoco, quæ non comitantur possessiones, sed sumptuum publicorum sustinendorum causa, nunc pro magnitudine possessionum quas quisque tenet, imponuntur personis, nunc in capita absque respectu possessionum à subditis exiguntur. Et inter ea referri possunt omnes exactiones præsidentium Reales, quæ extra ordinem fiunt. Ea uerò exactio, quæ fit in capita subditorum, in C. dicitur Capitatio, in titul. de capitatio. ciuium censibus exi. lib. xij.

Capitatio.

Collecta. Collatio. Altera quæ secundum æstimationem possessionum fit, dicitur Collecta, sicut & à Cicerone dicta est, quamuis ueteres eam quoque uocarint collationem, propterea quòd fiat conferendi in publicum causa, quod opus sit ad sustinendos sumptus, quos Respub. aliqua grauiore necessitate urgente facere cogitur. Vnde & mihi docendi causa libuit talia munera nouo, ut uidetur

uocabulo,

uocabulo,sed idoneo tamen,ut arbitror,hæc munera separare à merè patrimonialibus,ut ea uocarem Contributoria. Vocantur talia munera etiam Superindicta in C. lib. x. de superindict. ut uideri possit ea potius dicenda fuisse indictionalia,quàm contributoria, cùm & ueteres tales exactiones dixerint Indictiones. Verùm quia indictionum appellatione comprehenduntur etiã munera personalia,quæ extra ordinem imponuntur subditis,mihi magis placuit alterum uocabulum, tanquam magis idoneum ad discernenda munera Realia. *Superindicta.* *Indictionalia Indictiones.*

Mixtorum munerum nulla est differentia. Itaq; facilis est ratio iudicandi de illis,nisi quòd sæpe in dubium uenit,quatenus quis ab illis excusetur, si cui immunitas sit concessa,nec expressum sit,quibus muneribus non sit grauandus. Nam ibi ferè in disceptationem uenire solet,an ei,cui sic concessa est immunitas,parcendum solùm sit in exigendis sumptibus à Reo faciendis,uel liberandus tantùm à labore corporis,uel remittendum ei utrunq; in non sustinendo munere,quia in concedenda immunitate alterum facilius altero remit
14 ti solet. Verùm, quia talis disceptationis explicatio ducẽda est ex iure uacationis,& excusationis à ciuilibus muneribus, prius dicendum de eo iure nobis uidetur. Omnis igitur immunitas à ciuilibus muneribus aut debetur ex
15 aliqua legitima causa,aut ex mero fauore præsidentis. Legitimæ causæ immunitatis sunt ætas,sexus,corporis debilitas,numerus liberorum,paupertas, conditio,ordo,dignitas,religio,absentia Reip. causa,remuneratio officiorũ Reipub. præstitorum. Propter ætatem subleuantur à gerendis muneribus ciuilibus impuberes,& qui annum septuagesimum egressi sunt. l. ij. §. impuberes. & l. iij. ff. de iure immu. Sexus autẽ neminem liberat à muneribus præter fœminas. C. de mulierib. in quo lo. lib. x. Eum uerò, qui in eam ualetudinem incidit,ut certum sit,eum ciuilia officia subire non posse,aut qui ita laborat morbo,ut suis rebus præesse non possit,excusari à gerendis muneribus ciuilib. uult Prætor. l. Prætor. ff. de uacat. & ex. mu. Mares autem & fœminas excusat numerus quinq; liberorum superstitũ. l. de personalibus. C. de his qui nu. lib. ex. incer. lib. x. Paupertas adeò dat uacationem à muneribus ciuilibus, ut quis ad ea sustinenda cogi non possit,etiamsi filium habeat diuitem,in quem sua bona contulerit,& ex ea sua liberalitate redactus sit ad inopiam. l. cùm facultates. & l. eos. in fi. C. de his qui nu. lib. ex. incer. Eorum uerò, quos conditio excusat,multi enumerãtur in l. ult. ff. de iure immu. Quibus tamen omnibus uidetur concessa immunitas magis propter ministeria,quæ exhibent exercitui Imperiali,quàm propter solam conditionem. Quare neq; tunc quidẽ tales excusantur,nisi sint in ministerio publico: Sicut nec coloni agrorum liberantur à munerib. principalibus,nisi colant prædia fiscalia. l. semper. §. coloni. ff. de uacatio. mune. Ordo plures facit immunes,maximẽ tamen eos,qui uacant armis & literis. Sed de militum immunitate diximus suprà proximo capite. Item & de literatorum. *Mixta.*

16 Tamen hoc adijciendum hic uidetur,quòd & philosophis,hoc est,illis,qui dediti sunt liberalioríb. studijs,& omnium rerum causas,quantum id ratio humana consequi potest,scrutãtur,concessa sit immunitas, si emineat eorum studium & diligentia. l. in honoribus. §. si Philosophis. ff. de uacat. & excu. mu.
17 Huic causæ quasi cohæret dignitas. Nam ea tanquam umbra corpus,ordinẽ sequitur, adeò ut ordo conciliare dignitatem hominibus non frustra uideatur. Neq; enim dignitas habenda est pro existimatione, quam quis priuatis suis uirtutibus sibi comparat: cùm de iure dignitatum agitur,nam priuilegia tribuuntur dignitati,quæ est ex dispositione ciuili,nõ quæ per se accedit uir-
18 tutibus ex admiratione earum. A muneribus itaq; ciuilibus liberat dignitas, qualis est Senatorum. Nam adeptus senatoriam dignitatẽ municeps esse desinit. l. municeps. ff. ad municip. Item comitum & defensorum ciuitatum. l. ab

his. ℌ fin. & l. legato. ff. de ua. & excu. mu. Item Decurionum. l. curiales. C. de Decu. lib. x. Sed est in appellationibus talium officiorum & dignitatum requirenda historia mutati status in Imperio. Longè enim alia fuerunt talium administrationum officia, quàm nunc à pleriscp fuisse æstimantur. Vt enim de municipibus primò dicam: olim dicti sunt Municipes, qui in urbibus Romani imperij suis ll. utebantur, & muneris honorarij tantùm participes cum Romanis ciuibus erant. Postea uerò obseruatum est, ut unusquisq; suæ ciuitatis municeps diceretur. l. i. ff. ad municipa. Sicut & olim solùm illi dicti sunt Senatores, qui in eum ordinem Romæ asciti erant. Nam reliquarum urbium Senatores dicti sunt Decuriones, l. pupillus. ℌ Decuriones. ff. de uerb. sig. Nunc uerò indiscriminatim omnes, qui ad publicum consilium in quacunq; ciuitate adhibentur, dicuntur Senatores. Id quod inde euenit, quòd sub iuniore Iustino Imperatore, omnis dignitas Vrbis Romanæ & Italiæ collapsa est, postquàm à Longino eius Legato diuiso cum Longobardis in Italia Imperio, singulis ciuitatibus sui dati essent duces, ut porrò Senatus Romani autoritas in illis non emineret, sed & ipse Romanis mitteret præsidem quẽ uellet, cui parérent. Itaq; quæ de Senatoria dignitate in ll. dicuntur, non sunt referenda ad Senatores cuiuslibet municipij. Sicut nec ad Comites, ut nunc habentur, referri possunt, quæ de illis in ll. extant. Nam Comites non fuisse in ea dignitate, qua nunc sunt, testantur multæ ll. quæ eorum mentionem faciunt, ut Vicariorum cuiuslibet administrationis publicæ, ut in l. in Comites. ff. ad l. Iulia. repe. dicũtur Iudicum assessores. Et in l. legato. ff. de uaca. mu. Comites dicuntur Vicarij Præsidum, Proconsulum, & Procuratorum Cæsaris. Vnde & in C. de professo. qui comiti. merue. Comitum potestas dicitur Vicaria.

Defensores ciuitatum.

Defensorum autem ciuitatum propemodum nullus hodie uidetur esse usus, ita etenim non sunt uocati magistratus municipales (sicut quidam arbitrantur) sed qui deligebantur ex ciuibus, ut tenuiorum patrocinium aduersus nobilitatem in urbibus susciperent, sicut testantur l. iij. & iiij. C. de defenso. ciui.

Quamuis autem talium ordinum & dignitatum immunitas tribui illis, qui nunc sub eorum appellatione accipiuntur, propriè non possit, tamẽ nihil dubito, in exemplum trahi ad eorum immunitatem posse, qui uicem illorum alicui sustinere uidebuntur. Sicut defensores ciuitatum uideri possunt illi, qui hodie passim per Germaniam ex ciuibus eliguntur ad sustinendam uicẽ plebis in publicis deliberationibus decurionum in urbibus. Sunt autem multæ aliæ dignitates in quaque Repub. propter quas quis fit immunis suo quodam priuilegio, quas quisque per se annotabit. Mihi declarandæ huius causæ gratia harum dignitatum mentionem facere præ cæteris ideo libuit, quòd in titul. quibus de immunitate agitur, loco exemplorum in ll. Romanis allegantur.

Religio.

Propter religionis autem reuerentiã eos qui uacent sacris, non esse cogẽ- 19
dos ad sustinenda publica munera, Romani etiam gentiles censuerunt. l. prætor. ℌ i. ff. de uacat. & excusat. muner. Et satis iusta causa est, ut non gra- 20
uentur muneribus ciuilibus, qui Reipub. causa peregrè abierunt. Nam hoc remuneratio officij, quæ & ipsa est iusta causa uacationis præstandæ, exigit, ut à domesticis uexationibus & sumptibus liberentur, qui peregrè muneribus publicis cum periculo funguntur. Quare tam is, qui legationem obit, quàm qui sua nauigatione, uel negotiatione annonam populi adiuuat, muneribus publicis liberatur. l. his qui. ff. de uacat. mu. & de iure immu. l. semper. ℌ negotiatores. & de legationibus. l. Paulus. & C. eo. tit. l. transmarina. Quamuis autem istis ex causis, quas hactenus enumerauimus,

adeò

adeò cõpetat immunitas,& ut ſi quis contra eas à magiſtratu inferiore ad mu nera uocetur,poſsit prouocare ad ſuperiorem ad allegandas cauſas ſuę immu nitatis.l.i. ℣ ſi quis Tutor.& ſeq.ff.quãdo appel.ſit. Tamen ob eas nõ à quo-
21 libet munere ferendo quis excuſatur. Minores enim 25. annis ob ætatem líbe rantur ſolis muneríbus perſonalíb. Itidem & grandes natu ad adminiſtrandã Rempub.cogí non poſſunt, poſtquãm exceſſerunt annum quínquageſímũ quíntum.l.non tantũm.ff.de Decurioníbus.& de mu.& hono. l. ad Rempu. Non autem líberantur â muneríbus Realíbus, maxímè íllis,quæ ſunt patrí-monialia. Immõ ſenes nec à muneríbus perſonalíbus excuſantur príuílegio ætatis,ſi in ea ſínt cíuítate,in qua non facílẽ ſufficientes uíri publícis mune-ríbus ínueníantur,præſertim ſi tale ſít munus,quod non tam corporis habeat uexatíonem,quãm pecuníę erogatíonem.l.ſemper. in prín.ff.de Iure immu. Fœmínas autẽ fungí muneríbus perſonalíbus ípſe ſexus prohíbet. l.ííj. ℣ cor poralía.ff.de mu.& ho.Et de reg.iu.l.íj.

Patrímonialíbus autem muneríbus íllas teneri ſí poſſeſsíones habeant,nõ poteſt dubitarí,cũm ea íncumbant rebus,non perſonís,ut ſexus uerecundía, aut ímbecíllítas in íllís recuſandís prætendí nõ poſsit, ſícut & à quíbuſdã per-ſonalíbus ſexuí earum congruentíbus non excuſantur,iuxta tít.C. mulíe.in quo lo.mu.ſex.congru.& ho.agnoſ. Sic & corporís debílitas eorum tantũm munerum excuſatíonem præſtat,quæ corporís uíríbus ſuſtínenda ſunt. Nã quæ per conſílium prudẽtís uíri uel patrímonío ſufficíentis in honores obírí poſſunt,non remittantur.l.íj. ℣ corporis.ff.de uacat.& excu.mu.E díuerſo,ſí quís talí laboret defectu ſenſíuum,ut gerere honores non poſsit, is à ſuſtínen-do onere non excuſatur,quamuís ad honorum functíones ineptus ſít.l.hono res. ℣ ſurdus.ff.de Decurío.

Líberorum autem numerus eatenus excuſat,quatenus probare quís poſ-ſít,uíuentes ſe totídem habere,quot ad cuíuſcę muneris excuſatíonem requí-runtur.l.íj. ℣ quí ad munera.ff.de uacat.& excu.m.Defunctus enim fílíus ad excuſatíonem munerum non prodeſt, præterquàm ín bello amíſſus. l. xííj. eo.tít. Requíruntur autem ad excuſatíonem muneris perſonalis líberí quín-que , ſíue maſculí,ſíue fœmínæ fuerínt. l. fin.C.de his quí nu. líb. excu. líb.x.

Ad excuſatíonem autem Realís muneris iure ff.requíruntur xvi.l.ſem-per. ℣ demonſtratorí.ff.de iure immu. Sed iure C. ſufficiunt xíj.l.ſí quís decurío.C.de Decurío. líb.x. Paupertatis excuſatío non eſt perpetua, ſed temporalis. Nam ſí cuíus facultates íncrementum acceperint ratione re-rum acquíſítarum , tenetur ad Realía munera , & ad ſubeunda perſona-lía munera , atque ad gerendos honores cogendus erit , quatenus æſtíma-bítur ídoneus.l.cura. ℣ deficientium . & l. reſcripto. in prín. ff. de mu.& hono.

Ratione uerõ condítionís,ordínís,& dígnitatis nemo excuſatur ã mune-ríbus realíbus & míxtís,lícet ab obſequíjs quíbuſdam perſonalíbus ſordídío-ríb.líberetur. Nam ab íſtíuſmodí muneríb.neq; prímípilaris,neq; ueteranus, alíũſue alíquís quí príuílegio ſubnixus eſt, nec põtífex quídem excuſatur.l. fin. ℣ patrímonίorum autem.ff.de Mune.& hon.Et Bart.cir.l.honorem.eo. títul.& l.ab his.ff.de uacat.& excu.mu. Idem dico de relíquís omnibus cau-ſís,propter quas ímmunítatem ſíbí debere quís contendere poteſt, de íſtís e-nim muneríbus,quæ reí cohærent,neq; líberí,neq; ætas , nec merita mílítíæ, nec ullum alíud príuílegium tríbuít ímmunítatem , níſí ea príncípalí benefí-cío conceſſa ſít.l.ſunt munera.ff.de uaca.& excu.mu.

Itaq; ſub præſídentíum fauore,ſuprã complexus ſum alterum genus cau-ſarum,quæ excuſatíonem à muneríbus publícis præbent,nímírum ut oſten derem quaſdam cauſas excuſatíonum eſſe definítas ll.quales ſunt, quas ĩã ex-

posuímus: quasdam uerò consístere in præsidentium uoluntate, & illis solùm gaudere eos, qui manifestum habeant testímonium impetratæ immunitatis. Ac posse quidem príncipem remittere alicui onera publica, & eum exímere necessitati gerendorum honorum publicorum non est dubium, propter plenitudínem potestatis, quam habet prínceps ex translatione, qua populus omne suum imperium in eum contulit. l. 1. ff. de constitut. princípum. An autem & cæteris eo inferioribus idem liceat, non absre quæritur. Bart. quidem cir. l. ij. ff. de Iure immu. dicit, ciuitates id non posse, nisi id fiat ex generali consensu ordinum in ciuitate. Ex quo eius dicto satis apparet, quòd sentiat etiam inferiores à príncipe posse suis subditis concedere immunitatem, modò ritè id faciant. Sed quo iure id quibusque liceat, non indicat. 22

Adijciendum itaque est, quòd illis omnibus hoc liceat, qui habeant merum & mixtum imperium in subditos. Nam quod de príncipe dicitur, quòd solus possit indicere munera, extra ordinem & Canonem publicorum munerum, l. i. C. de superindicto. lib. x. & ibi Bart. uerum est de exactionibus, quæ communis utilitatis omnium prouinciarum in Imperio causa indicuntur, non autem de illis, quas priuata municipiorum, aut ciuitatum necessitas exigit. Nam illas posse etiam indici ab inferioribus, à príncipe, magistratibus, contendit glo. l. i. cir. uerb. proconsul. ff. quòd cuiusque uniuer. nomine &c. Hoc autem illis non esse permissum, qui solam simplicem habent iurisdictionem, uel ratio potestatis quencq; admonere potest. Nam qui habent simplicem iurisdictionem, illi non habent potestatem aliquid statuendi extra ordinem, quia solo officio iudicis mercenario funguntur, iuxta Bart. cir. l. imperium. ff. de iu. omnium iu. 23

Cùm igitur exercere Iurisdictionem suam non possint, nisi in exequendo eo, quod ius ordinarium exigat, manifestum est, necq; indicere, necq; remittere munera ciuilia extra ordinem, hoc est, ultra ea quæ iure ordinario constituta aut remissa sunt, eos posse. Impunè enim illis non paretur, qui supra suam iurisdictionem alicui ius dicunt. l. fin. ff. de iu. omnium iud. Etsi igitur alicui detur immunitas à magistratu simplicem iurisdictionem habente, tamen ea reliquis municipibus inuitis uti non potest.

Cæterùm à quocunq; concedatur immunitas, necesse est, ut ea detur sine enormi læsione aliorum. Nam nec à príncipe concessa immunitas tenet, nisi probabili ex causa data sit. C. de his, qui à prin. ua. impe. lib. x. Non enim minus in priuilegio immunitatis requiritur, ut aliorum iuri non noceat, quàm suprà in príncipio huius tractatus generaliter id requiri in omnibus priuilegijs ostendimus. Ne quoque immunitatis dubia fiat concessio, distinctè, & in diplomate, quo ea indulgentia continetur, exprímendum, à quibus muneribus præstita sit immunitas. Nam uacatione munerum simpliciter concessa, non extenditur ad ordinaria munera. C. de ua. pub. mu. lib. x. 24

Proinde duo esse perhibentur genera tribuendæ uacationis à munere publico: Vnum plenius, uidelicet, cùm quis & ab oneríb. & honorib. publícis líberatur. Aliud exiguius, cùm quis nudã uacationem muneris accípit. l. prætor. §. duo. ff. de ua. & ex. mu. Et qui nudam accepit uacationem, ille ã solis extraordinarijs esse liberatus cẽsendus est. l. cui. ff. de mu. & ho. Quapropter ualde prodest in priuilegijs immunitatis, quæ fauore præsidentium datur, diserte exprimi, ã quibus muneribus ea præstita sit. Necq; enim aliter quis utetur priuilegio, nisi immunitas muneris expressa sit in diplomate, sed si detrectet iniuncto munere fungi prætextu priuilegij, ut illud agnoscat, cogi potest ijsdem remedijs, quibus Tutores cogi solent, ad agnoscendum munus. l. si quis. ff. de mu. & ho. Nam quæ sunt in diplomate, uel breui immunitatis, ea omnino exigi non possunt. C. de exact. tribu. adeo, ut si quid ultra ea exigatur,

exigatur, is qui exegit, puniatur. C. de superexact. li. x. Remedia autem cogẽ di detrectantes munera, sunt ea, quibus alioqui contra contumaces utimur, uidelicet, ut pignora capiantur & distrahantur. C. de capien. & distra. pig. lib. x. Non potest autem quis cogi ad subeunda munera ciuilia, nisi sit de territorio eius, qui ab illo exigit, ut ea subeat, iux. uulgatam regulam l. fin. ff. de iurisdict. omnium iu. & tit. C. qui pro sua iu. iudices da. dariue pos. Potest autem aliquis esse de territorio cuiuspiam aut ut ciuis, aut ut aduena. Ciuem facit aut origo, aut allectio, aut adoptio, aut manumissio. l. ciues. C. de Incolis, lib. x. & l. i. in prin. ff. ad Municipa.

Aduenæ autem reddũtur obnoxij iurisdictioni alienorum territoriorũ, uel ratione domicilij, uel ratione rerum, quas in illis habent, uel ratione contractus in illis initi, uel ratione delicti in eo commissi. Quocunq; autem modo quis sit factus obnoxius iurisdictioni alicuius territorij, non statim tenetur ad subeunda munera, sed illi solũm ad ea obligãtur, qui dici municipes possunt. Hæc uerò generalis appellatio est omnium eorum, qui quoquo modo in aliquo territorio ad munera tenentur. Itaq; quærendę sunt species municipum, ut secũdum eas ius subeundi, aut recusandi muneris rectè discerni possit. Eos igitur quos origo fecit ciues, speciali uocabulo leges uocant Originarios. Censetur autem quisq; eius municipij, siue territorij esse originarius, in quo pater eius natus est, l. assumptio. §. filios. ff. ad Municip. & l. iij. C. de Inco. lib. x. Aduenæ. Originarij ciues.

Reliqui uerò omnes, quos non origo municipes facit, uocãtur aut Ciues, aut Incolæ, quasi alienæ Reip. cultores, & non indigenæ. Quamuis enim fieri possit, ut illi, qui per adoptionem, uel manumissionem facti sunt Ciues, in eadem ciuitate fortè nati sint, tamen quia non ratione originis naturalis, sed legitimorum actuum adoptionis & manumissionis solũm dicuntur Ciues, & non originarij municipes. Idem obseruatur in illis quoq; qui per allectionem ciuitate donati sunt, Licet illi quoq; dici posse uideantur incolæ, propterea quòd aliunde in ciuitates ueniãt, & non ut indigenæ ciuium iura sortiuntur. Neq; enim aliter nunc ciues fiunt per allectionem, quàm olim per donationẽ ciuitatis. Sicut enim per donationem ciuitatis in numerum ciuium Romanorum olim referebantur, quos ex subditis dignos iudicauerant libertate Romanæ urbis, Ita & nunc aduenæ cooptantur ciuium loco in municipijs per allectionem, quos utiles suæ Reip. existimant. Decuriones uerò, etsi Incolæ ciuitatis fieri possint, tamen idem simul nemo esse potest in eodem territorio. Nam ciuis dicitur, qui ratione societatis ciuilis, cui addictus est, munera ciuilia subit. Incola uerò, qui propter diuturnam commorationem municeps habetur. Itaq; ut distinctæ sint species municipum, res non patitur, ut ciues pro Incolis habeantur, etsi aliunde in urbes migrauerunt. Nam nec sola migratio ex una ciuitate in aliam, Incolam facit, sed necesse est aliquem tam diu ibi esse uersatum, ut in ea domicilium suum constituisse uideatur. Incolas enim domicilium facit, quod ibi demum habere quis existimatur, ubi larem rerum ac fortunarum summam constituit, ut non sit inde discessurus, nisi negotia peregrè eum abire cogant. l. ciues. C. de inco. lib. x. Ciuis. Incola.

Itaq; est & inter aduenas in Municipijs hæc obseruanda differentia, quòd quidam in illis uersantur ut Incolæ, quidam uerò ut peregrini, siue ut nunc loquuntur, forenses, qui per ea cõmeant suorum negotiorum causa, aut etiã aliquandiu in illis habitant, sed non animo ibi manendi. Sola nanq; habitatio non facit Incolas. l. cũm neq;. C. de Incolis, lib. x.

Reliquæ uerò causæ propter quas aduena sortitur forum in alieno territorio, non faciunt eum municipem, præterquãm si quis possessiones in eo habeat. Nam pro modo facultatum quisq; tenetur ad subeunda munera Realia, in quocunque territorio eas habeant. In iniungendis enim muneribus Reali-

bus non refert,an quis sit Ciuis uel Incola,quia ea rebus & non personis incumbunt.Quare nulli etiam ea imponuntur,nisi qui possessiones in territorio habeat,excepto fœneratore. Nam Vsurarij omnibus patrimonij contributionibus tenentur,etsi possessionem in eo territorio,ubi fœnus exercent, non habeant.l.filij.§.fin.ff.ad Municip.& de Inco.

Porrò in iniungendo munere personali non solùm considerandum est, an quis sit Ciuis,uel Incola,uel peregrinus prorsus,sed & multa alia expendenda sunt ei,qui de iure suscipiendi,aut recusandi muneris,aliquid certò statuere uelit.Nam in persona iudicantis spectandum est,an habeat potestatem imponendi necessitatem subeundi muneris,quod iniungere alicui conatur. In eo uerò,qui ad gerendum honorem uocatur (nam de id genus muneribus primùm dicendum est,quia ea maximè personalia sunt, propterea quòd in illis præcipuè requiritur commendatio ingeniorum & industria personarum)an sit idoneus.Etsi enim lege municipali caueatur,ut præferantur in honoribus certæ conditionis homines, attamen hoc eatenus seruandum est, quatenus fuerint idonei.l.ut gradatim.ff.de mu.& ho.& C.de pot.ad mu.nomi. lib.x. 29 30

Honores enim nõ ordinatione,sed potioribus quibusq; iniungendi sunt. l.honores.ff.de Decur.Debet tamen in deferendo honore haberi ratio natalium,ut non deferantur libertis,aut seruis honores, ad quos solos ingenuos admitti leges uolunt.l.unica.C.ad l. Viscell. Neq; enim facultas honorum promiscua esse debet,uerumetiam in deferendis illis & hic obseruandus est ordo,ut non prius maiorem suscipiat magistratum,quàm minore functus sit. l.honor.§.gerendorum.ff.de mu.& hono. Nequaquam uerò admittendi sunt ad gerendos honores,qui eos muneribus captant,& æstimationem eorum pro decernenda sibi administratione eorum affectant. l. æstimationem. ff.de mu.& ho.Neq; ferendum est, ut eodem tempore in duabus ciuitatibus ab eodem gerantur honores.l.libertus.ff.ad mu. Et qui maioribus honoribus functi sunt,ad minores uocari non debent. Item si quis functus sit quibusdam honoribus,& detur copia aliorum in eadem urbe, qui istos gerere possint,non est denuo illis onerandus. Habenda quoq; est ratio sumptuum,quibus sustinetur administratio honorum, ne quis ultra modum illis grauetur.l.ij.iij.& iiij.C.quemadmo. ciui. mu. indi. lib.x. 31 32 33

FINIS.

CLAVDII

CLAVDII CANTIVN-

CVLAE IVRISCONSVLTI, DE RATIONE STVDII LEGALIS Paræneſis ad amicum Anonymum.



NXIAE preces tuæ, ſeu illæ opportunæ, ſeu importunæ fuerint, quantumuis renitentem, me tamẽ impellunt, quò tibi morem geram abeunti: ut quemadmodum diu deſideratos, oblato quopiam amicitiæ ſymbolo, humaniter excipere ſolemus: ita nunc tandem moræ impatientem, non aliter te dimittã, quàm tradita ſimul amicitiæ teſſera, quæ te nonnunquàm abſentis mei abſentem moneat. Neq; uerò me (quod dixi) renitentem alio nomine intelligas, quàm quòd ea, quæ tam diu à me poſtulaſti, ab alijs primæ claſsis, maiorumq; gentiũ Iureconſultorum petenda fuerãt. Sunt enim alij non pauci hodie clari iuris Ciuilis profeſſores, qui ſi hanc ſibi delegiſſent prouinciolã, longè feſtiuioribus literis adornatã exhibuiſſent: quippe libris nihil dedicaturi, aut in exemplũ editurí fuerãt, niſi terſum ac limatum, & ad legem & regulã cõpoſitum. Sed parco nominibus uiuentiũ, ueniet eorum laudi fuſius celebrandi ſuũ tempus; ad poſteros enim uirtus illorum durabit, nõ perueniet inuidia. Verũm cùm de me plura ac meliora ſis meritus, quàm ut hac in re preces tuæ repulſam apud me patiantur: atq; adeo cũm tua & ſtudiorum cauſa, non mea, hoc qualecunq; fuerit aggrediar, merebitur ſpero hic labor (etiamſi quod aiunt, iudices artis habeat artifices) nõnulla ex parte ueniã, ſicubi in præcipitato negotio hallucinati fuerimus. Eſt certè humani ingenij, lapſis quidẽ, ſed pro uiribus anniten tibus, benignè cõdonare, in ancipitibus boni cõſulere, ac candidè omnia interpretari. Hoc enim noſtrum inceptum perfunctorium, non iuſtã plenamq; operam profitemur. Accipe igitur, & boni conſule, quas pro temporis anguſtia ſtudendi rationes exhibeo: ſaltem præbiturus anſam, qua plures & abſolutiores inuenire poſsis.

Sitq; hæc prima ratio, ut iuri Ciuili daturus operã, ne (quod dicitur) impingat in limine, primũm omniũ Numinis diuini auxiliũ precetur, & in illius gloriã, ſuorum ſtudiorũ finem, ceu ad ſcopũ referat. Debent ſiquidẽ humanæ leges ab hoc Archetypo peti, & illarũ ſcintillæ ab eo lumine ſumi, quãuis aliter reluceat æternæ ueritatis fulgor in læui terſoq; ſpeculo, aliter in ferro, aliter in limpidiſsimo fonte, aliter in aqua ſubturbida. Quemadmodũ nos iuſto opere poſt hæc fortaſſe futuro, ſimul cum alijs tumultuario labore nũc emiſsis copioſius exequemur. Deinde meminerit, ſe rem nõ plebeiã, aut unius uel alterius ſolùm autoritate nitentẽ, ſed ſacroſanctã (non quidẽ ſanctitate põtificia, ſed qua olim Tribunitia poteſtas, principesq; Romani ſacroſancti dicebãtur) & à uiris, uita, moribusq; probatiſsimis, ac in omni ſcibili exquiſitiſsimis, multo labore concinnatam, atq; adeo illotis manibus nõ eſſe tractandã. Sed hunc ego iuris ſtudioſum peto, qui & uir bonus ſit, ciuiliterq; ſapiens ſit futurus, tum qui Latinè ſciat, ac meliorũ autorum bonam partẽ excuſſerit, ne illũ ſemper ab ijs qui Accurſiani, & nihil præterea ſunt, pendere oporteat.

Quamuis enim hactenus inter amuſos etiam Corydi ſeſe uenditarint, fuerintq; corui luſcinijs honoratiores, certè hæc felix ætas aliud poſtulat iudiciũ. Tẽpus adeſt, rerumq; nouus nũc uertitur ordo. Quòd uirũ bonum exigimus, mirabitur nemo, qui animaduerterit, prudentiſsimũ optimumq; eſſe, et haberi debere, qui ſentẽtię ſuę de utilibus atq; honeſtis credere omnes uelit. Nã ſi iuris Ciuilis peritia malitiã inſtruxerit, nihil erit publicis priuatiſq; rebus pernicioſius iuris notitia: noſq; ipſi qui p uiribili parte cõferre aliq̃d ad facultatẽ iuris Ciuilis conamur, peſsimè merebimur de rebus humanis, ſi latroni cõparemus

hæc arma, non militi. Quid de nobis loquor? ipsos iuris Ciuilis autores, non parentis, sed nouercali genus humanum profecutos animo fuisse, haud improbabili coniectura dicemus, si disciplinam ciuilem, sociam scelerum, aduersam innocentiæ, hostem ueritatis inuenerint. Nam & ipsa iuris prudentia si in malos incidit, & ipsa dicenda est malum: peiores quippe facit, si illis contingat. Quid enim putamus, ex bono & æquo responsuras cupiditatem, auaritiam, inuidiam, quarum impotentissimæ cogitationes somnos etiam ipsos perturbant? Nihil est tam occupatum, tam multiforme, tot, ac tam uarijs affectibus concisum ac laceratum, quàm mala mens. Cùm insidiatur, spe, curis, labore distringitur: cùm sceleris compos fuerit, solicitudine, pœnitentia, pœnarum omnium expectatione torquetur. Quis inter hæc æquo & bono cultus? non hercle magis, quàm frugibus in terra sentibus ac rubis occupata. Longius tendit hoc iudicium meum. Neq; enim tãtùm id dico, eum, qui Iurisconsultus, uirum bonum esse oportere: sed ne futurum quidem Iurisconsultum, nisi uirum bonum. Vereor, ne magna nimium uidear exigere ab ijs, qui periti esse, quàm boni malint. Sed hi primùm renuncient sibi, quàm breuis sit institutio uitæ honestæ. Si uita & moribus ad scopum illum Euangelicum, & uerè sacram ancoram quàm proximè accedere satagant: ciuilemq; disciplinam, rem profectò ad communem uitæ societatem (præsertim uti nunc sunt hominum ingenia) necessariam, sed quæ humanos affectus sapiat, ex Euangelica scriptura per occasionẽ nusquam non attemperent. Tum ipsam quoq; naturæ simplicitatem sequantur ducem. Natura enim nos ad mentem optimam genuit: adeoq;, ut uerè intuenti mirum sit illud magis, malos esse tam multos.

Nam ut aqua piscibus, ut sicca terrenis, circumfusus nobis spiritus uolucribus conuenit, ita certè facilius esse oportebat, secundum naturam, quàm contra eã uiuere. Adde quòd cœlestis illa Christi philosophia non tollit, sed prouehit ac perficit quos natura profert uirtutis igniculos. Ciuiliter uerò sapientem futurum Iurisconsultũ optare nos diximus, qui publicarum priuatarumq; rerum administrationi accommodatus sit, qui regere consilijs urbes, fundare legibus, emendare iudicijs possit. Neq; enim hoc concesserim, rationem rectę honestæq; uitæ (ut quidam putarunt) ad Theologos, uel ad philosophos relegandam. Fuerunt hæc olim, essęq; debent, quemadmodum iuncta natura, sic officio quoq; copulata, ut ijdem sapientes atq; iuris periti haberẽtur. Hinc scriptum reliquit Vlpianus, boni & æqui sacerdotes, hoc est, ipsos Iurecõsultos ueram philosophiam, non simulatam profiteri. Scidit deinde se studium, atq; uel inertia, uel temporum infelicitate factum est, ut Artes esse plures uiderentur. Erit igitur Iurisconsultus uir talis, qualis uerè sapiens appellari possit, qui se non secretis aut ociosis disputationibus, sed administrationi Reipublicæ dediderit, qui rerum experimentis uerè ciuilem uirum exhibeat. A qua ciuilitate togati quidam Vulturij longissimè recesserunt, qui Ciuilis disciplinæ bonis sic abutũtur, ut imaginem ipsam legalis professionis, non aliter ob oculos ponant, quàm sordidæ mercis negotiatores, fructum suorum studiorum ex arcæ nummariæ commodis tantùm spectantes, & ad sordidum lucrũ sese nusquam non accingentes. Tantum abest, ut forensem quandam Aduocatorum operam, & mercenariam uocum harenam, uel (ut asperioribus uerbis parcamus) litium concinnatores, aut redemptores, instituere cupiamus. Horum enim (de quibusdam loquor Rabulis, quos dominus Vdalricus Zasius, uir doctissimus, iurisq; Ciuilis illustrator egregius, in suis scholijs ad legẽ secundam de origine iuris, suis, atq; accommodatissimis depinxit coloribus) horum, inquam, fit iniquitate, ut miseri coloni ex agris in forum, atq; adeo sępissimè in forum (ut uocant) Ecclesiasticum traducantur, ab aratro ad subsellia, ab usu rerũ rusticarum ad insolitã litem atq; iudicium. Hi cautelas omnes,

uafritias

uafritias captiosas,& inextricabilia quædam uerborum aucupia cõminiscuntur,nunc clancularijs quibusdã Griphis,ceu Cuniculis,nunc perfricta fronte apertè iudicem aggredientes,illiusq; animum spe,metu,minis,admonitione, precibus,uanitate denicq; (si id profuturũ credant) agitantes, duntaxat ut uel hac uia quantumuis firmum ius dicentis animum,commoueant,& in suã trahant sententiam,ut qui cursu parum ualent,flexu eludant.Quàm multa Deus optimè,super his coruis(admoneo rursus lectorem,bonos uiros me lædere nolle) scribere & liceret & liberet,si nõ digressionem longiorẽ fugeremus. Tantũm id persuasum esse uolo,nõ esse quòd rectè instituto iuris tyroni, aut professori tantopere displiceat,si inter istos, quos iam dixi, parũ Iurisconsultus habeatur: cũm inter eosdem ne Papinianus quidem,legalis disciplinq; thesaurus,plærunq; habiturus sit quod respõdeat,ac fortasse nec prisci omnes iuris professores.In culpa est nõ ipsa iuris Ciuilis disciplina,quæ nõ sic nata est, sed quorundã tractatio,qui totam illam ad forensis uenationis argutias detraxerũt.Erit enim ciuilis prudentia in Iurisconsulto etiam tacente, qui imaginẽ ipsam iuris Ciuilis felici quadam mente conceperit: illamq; rerum maiestatẽ ad diuinæ scripturæ normam regere totis connitetur uiribus,& fructum nõ ex stipe Aduocationum,sed ex animo suo,& contemplatione ac scientia petet,perpetuum illum,nec fortunæ subiectum.Denicq uir bonus si uel proposito,uel aliquo casu impeditus,causas agere desierit, non magis desinet esse Iurisconsultus,quàm Medicus,qui curandi finem fecerit. Nam est aliquis,ac nescio an maximus etiam ex secretis studijs fructus,ac tum pura uoluptas literarum,cùm ab actu, id est, opere recesserunt, & contemplatione sui fruuntur.

Porrò meliorum Autorum bonam partem euoluendam esse futuro Iurisconsulto, non ofcitanter ab ijs dictum est,qui Ciuilem scientiam,orbẽ quendam doctrinarũ (qui encyclopædia dicitur) exposcere putant.Neq; id ab re. Nam ciuilis prudentia,quamuis post sacratissimam, & ueram Theologiam, ars quædam sit princeps,& architectonica,non aliter tamen, quàm suis comitata pedissequis,encyclopædiam illam consecuta dici poterit. Quare iuuentus,imò omnis ætas (neq; enim rectæ uoluntati serum est tempus ullum) totis mentibus huc tendat,in hoc elaboret, quò ductum illum scientiæ ciuilis ex multis disciplinis consertum nanciscì ualeat. Semper ad optima nitendũ est,quod facientes aut euademus in summum,aut certè multos infra nos uidebimus.Hoc fecerunt plærique ueterum,qui si nondum quenquam sapientem repertum putabant,præcepta tamen sapientiæ tradiderunt.Est certè aliquid consummata Ciuilis prudentia, neq; ad eam peruenire natura humani ingenij prohibet: quod si non contingat, altius tamen ibunt, qui conatum hunc experti fuerint,quàm qui præsumpta desperatione,quò uoluerint euadendi,protinus circa ima substiterint.

Neq; tamen exactam adeo omnium disciplinarum notitiã à perfecto iuris professore petimus,satis est eum esse eius,de qua sermo fuerit,nõ insciũm.In primis cõueniet nõ segniter in Rhetorica uersatum esse iuris Ciuilis professorem.Equidẽ magno & publico omniũ consensu explodendã arbitror impudentem quidẽ,hactenus tamen receptã uocem,quæ ab ipsis etiã iuris cultoribus circũferri solet,Nullum esse Iurisconsultum posse, qui latinè loqui & eleganter sciat.Quamuis enim illa diserta, & oratoria eloquentia iuris studiosis nostro seculo forsan necessaria nõ sit,quòd ipsa iuris materia suadelam hanc, stylicq; blanditias non facilè recipiat,latinitatem certè, & elegantiam,sermonisq; puritatem admittit. Quam quidem indignitatem Dn.Budæus,maximũ Galliæ totius ornamentum plus semel diutius non ferendam ostendit. Non ignoro multa eodem pertinentia dici posse, sed post tam absolutæ doctrinæ uirum,hac in parte tacere modestius fuerit.Locorum etiã,præsertim eorum,

quos

quos libri legales commemorãt, cognitio haud parum profuerit. Fit enim, ut agnitis ex Cosmographia regionibus, cogitatione sequamur narrationẽ, ut rem spectare uideamur, nõ legere. Contrà, si locorum et regionum situs, si rerũ naturalium proprietates & uocabula ignoraueris, haud rarò cum ipso Accursio, uiro multis alioqui nominibus cõmẽdabili, infeliciter hallucinaberis, sic, ut nonnunq; ex arbore facias quadrupedem, ẽ gemma piscem, ex oppido fruticem, & id genus sexcenta, quæ in Accursij Glossematis reperias.

De Græcis quoq; literis tametsi mihi tam amicus Hercules nondum contigerit, ut eas uel à limine salutare licuerit, dicam tamen quod sentio. Equidẽ quàm graue malum sit in iure Ciuili Græcarum literarum ignorantia, non leuiculis coniecturis, sed experimento deprehendi, & quotidie magno meo cum incommodo deprehendo. Nihil hac in parte præiudicatum adferã, tantũm indicabo, quantus sit in hac professione iuris, Græcarum literarum fructus. Cos enim licet exors secandi sit, ferrum tamẽ acuit. Principiò certum est, Tribunianum ea quæ à Iureconsultis Græcẽ scripta inuenit, eodem sermone transcripsisse; quemadmodum uel hodie extant plæraq; Iureconsultorũ Græca responsa in emendatis codicibus, hoc est, in Florentinorum pandectis. Quorum multa restituta legas in Dispunctionibus D. Andreæ Alciati, quem Iuris ciuilis apicem, & doctrinæ legalis thesaurum appellare suo merito possumus. Deinde scribit eminentissimus ille Budæus, quem dubito scientia rerum, an eloquendi suauitate, an inuentionum acumine clariorem putem: is inquam, scriptum reliquit totum penẽ titulum de Excusationibus tutorum à iuris autoribus Græcẽ scriptum fuisse. Authentica ipsa Iustiniani (collationes aliqui uocant) Græco etiã sermone edita fuisse, probat Codex Authenticorum Græcus diligenter & pro dignitate apud uirum clarissimũ eius (quod sperare licet) restauratorem futurũ asseruatus. Quid, quòd ea quæ in tribus nouissimis libris Codicis leguntur, à Græcis sumpta sunt? & obid ante D. Alciati editas Annotationes, magna ex parte non intelligebantur. Iam uerò quæ à Iureconsultis Græco sermone fuerant edita, & responsa, tandem indoctiore seculo quodam, cũm pauci iam Græcẽ scirent, in Latinum uersa sunt: sed ab ijs, qui nec Græcẽ nec Latinẽ satis scirent. Cuius rei testis est Authenticorum, & ducentorum in Pandectis locorum stylus sordidus & subobscurus, & in tribus libris Codicis non admodum castigatum dicendi genus. Qua in parte in multis locis iuris pernicioſẽ erratũ est. Sed & quamuis plæraq; huiusmodi erratorum, ex Budæi & Alciati lucubrationibus emendari et sarciri ualeant, sunt tamen quædam sic deprauata, quæ restitui nisi ex Pandectis Florentinis nõ possint. Illud uerò hic prætereo, quod nemo infitias ibit, Philosophiam, atq; omnes ingenuas artes, ipsas denicq; duodecim legum tabulas à Græcis esse acceptas. Hoc itaq; meum consilium iuri destinatus adolescens uolo sequatur, ut quod M. Tullius filio suasit, ad suam utilitatem semper cum Græcis Latina coniungat. Quod & ipsum me aliquando, si per fata liceat, tentaturum spondeo. Cur enim id quoq; non sperem? cũm si Ciceroni, si Quintiliano credimus, M. Cato Censorius, idem Orator, idem historiæ conditor, idem iuris, idem rerum Rusticarum peritissimus, inter tot operas militiæ, tantas domi contentiones, rudi seculo, literas Græcas senex etiam, ætateq; iam declinata didicerit. Cur ergo spem abijciamus, cũm Deus Opt. Max. tot nos præceptoribus, tot exemplis instruxerit antiquitatis, ut possit uideri nulla fortẽ nascẽdi ætas felicior, quàm nostra, cui docendę priores elaborauerunt?

Iam Historias habere cognitas quantopere sit Iurisconsulto necessariũ, discere possumus unius D. Alciati exemplo, qui tot Antinomiarum modos, tot corrupta iuris responsa, tot denicq; leges, præsertim in ultimis Codicis, nõ aliunde quàm è fontibus, & rerum historijs expensis dissoluit, declarat, & suę luci,

hoc

hoc est, antiquæ, & ueræ lectioni restituit. Geometriæ uerò, & Arithmeticæ notitia quantum fructus ciuilis disciplinæ studioso sit allatura, nemo nõ intelliget, qui sublime illud, & penè diuinum opus Budęi de Asse & partibus eius euoluerit. Quid enim turpius, quàm si responsum iuris daturus, circa summas trepidauerit, si digitorum incerto aut indecoro gestu à computatione dissentiat? Illa uerò linearis ratio & ipsa quidem cadit frequenter in caulis, ueluti si de terminis, mensurisq; sint lites. Quid causabitur iuris interpres huius artis ignarus, si imaginaria repręsentatione Rusticorum prædiorũ Ichnographia Iudex in rem præsentem perducendus erit? Num hic iudicabitur indoctus? Vt interim taceam infinitas supputationes, legũ intellectibus eruendis necessarias, quas sine his artibus & antiquitatis notitia nemo cõfecerit, quãtumuis acri sit ingenio, id quod satis ac super ex eo de Asse opere deprehẽdere licet. Plurimum etiã adiumenti adfert degustata Dialectica, quæ (ut uerbis utar Ciceronis) docet rem unã uniuersam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretãdo, ambigua primùm uidere, deinde distinguere, postremò habere regulã, qua uera & falsa iudicarentur: & quæ quibus propositis essent, quæq; nõ essent cõsequentia. Sed circa eam summoperè cauendum est, ne radices nimis longas agat, nam si iuris campum occupauerit, obstabit melioribus, & sectas ad tenuitatem suã uires ipsa subtilitate cõsumet. Itaq; reperias quosdã in disputando mirè callidos: cùm ab illa uerò cauillatione discesserint, nõ magis sufficere in aliquo grauiore actu, q; parua quędam animalia, quæ in angustijs mobilia, in campo deprehenduntur. Et ne singulas artes persequi sit necesse, omnis generis bonos Autores euoluere tãm frugiferum futurum est, quàm honestum ei, qui concentum illum doctrinarum efficere uoluerit, qui diuinarum atq; humanarum rerum notitia, Iusti atq; iniusti scientia constat.

Vereor autem, ne aut magna nimiũ uidear exigere, qui eundem uirum bonum esse, ciuiliterq; sapientem, & diuinarũ humanarumq; rerũ notitia instructum uelim: aut certè multa, qui tot Artes discendas, præter ea quæ de iure Ciuili tradũtur, adiecerim, atq; adeo, ne quidã põdus rei perhorrescant, ac desperent ante experimentum. Quod tamen Iustinianus ipse ne fieret, maximè curatũ uoluit. Sed hi primùm renuncient sibi, quanta sit humani ingenij uis, quàm potens efficiendi quæ uelit: cũm maria transire, syderum cursus, numerosq; cognoscere, mundum ipsum penè dimetiri, minores sed difficiliores Artes potuerint. Tum cogitent quantã rem petant, quamq; nullus sit hoc proposito præmio labor recusandus. Denicq;, etiam si quis summa se assecuturũ desperet (quod cur faciat, cui ingenium, ualetudo, facultas, præceptor non deerunt?) pulchrũ tamen est, in secundis tertijsq; consistere. Neq; enim (ut Quintilianus ait) si quis Achillis gloriã in bellicis consequi non potest, Aiacis, aut Diomedis laudem aspernabitur. Haud paruæ difficultatis est hæc præstare fateor. At è regione cõsiderandum est, rerum ipsam naturam nihil uoluisse magnũ effici citò, præposuisseq; pulcherrimo cuiq; operi difficultatem: quæ nascendi quoq; hanc fecerit legẽ, ut maiora animalia diutius uisceribus parentũ continerentur. Nam quod ad illas ueluti ancillantes artes attinet, quas ciuilis prudentia sibi suffectas habet, quæri solet, an eodem tempore percipi ualeãt? Negant enim quidam, quia confundatur animus, ac fatigetur tot disciplinis in diuersum tendentibus, ad quas nec mens, nec corpus, nec dies sufficiat. Sed cur etiam non negant, posse agricolas arua simul, & uineta, & oleas, & arbusta colere, pratis & pecoribus, & hortis, & aluearibus curam accommodare? Cur pari argumento non refragantur, si quis dicat, se aliquid forensibus negotijs, aliquid desiderijs amicorum, aliquid rationibus domesticis, aliquid curæ corporis, nonnihil uoluptatibus quotidie dare? quarum tamen nos una res quęlibet nihil intermittentes fatigaret.

Profectò

Profectò non satis perspiciunt, quãtum natura humani ingenij ualeat, quę Fabio teste ita est agilis, & uelox, sic in omnem partem (ut ita dixerim) spectat, ut ne possit quidem aliquid agere tantũm unum: in plura uerò, non eodem die modo, sed eodem temporis momento uim suam impendat. An uerò Citharœdi non simul & memorię, & sono uocis, & pluribus flexibus seruiũt: cũm interim alios neruos dextra percutiunt, alios læua trahunt, continent, probant: ne pes quidem otiosus, certam legem temporum seruat. Quæ si uel uno conatu tam diuersa parent simul, cur non plurimis curis horas partiamur? cũm præsertim reficiat animos, ac reparet uarietas ipsa, lectionisq; tædium uicibus leuetur: quamlibet multa egerimus, quodam tamen modo recentes sumus ad id quod incipimus. Huc pertinet elegans illud Plinij Secundi carmen:

Vt laus est ceræ mollis, cedensq; sequatur,
Si doctos digitos, iussaq; fiat opus:
Et nunc informet Martem, castamq; Mineruam,
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum:
Vtq; sacri fontes non sola incendia sistunt,
Sæpe etiam flores, uernaq; prata lauant:
Sic hominum ingenium flecti, duciq; per artes
Non rigidas, docta mobilitate decet.

Porrò de ipsius iuris Ciuilis difficultate, sunt qui in utramuis partem disputarint: contendentibus nõnullis miram esse eius difficultatem tum ob uerborum proprias quasdam significationes, tum ex ipso plerunq; sermonis habitu, quo leges quædam ciuiles nobis traditæ sunt: adhæc trunca & mutila esse infinita propemodum iuris Responsa: Postremò uideri opus esse tam ingenti librorũ mole, quam nulla Bibliotheca, aut certè uix capiat. De multis legib. deq; librorũ numero paulò pòst dicemus: Sermonis uerò legalis structuram quantumuis difficilem, arbitramur esse prudentissimè concinnatam. Veteres enim illi Iureconsulti hac difficultate, uel sua Responsa, indoctis & imperitis operta celataq; esse uoluerunt, sic tamen ut doctis & diligentibus scrutatoribus nõ intercluderetur assequendi spes: uel cognouerunt illa hoc pacto plus habitura maiestatis, si sub inuolucrò proferrentur oculis, q̃ si prorsus retecta uiserentur. Nempè sunt quæ gratius per Crystallum pelluceant, quãm si nuda cõspiciantur: uel certè segnitiem nostram exercere uoluerunt. quãdoquidem utilissima est exercitationi difficultas. Nam & ipsa mens legũ sic diligentius excutitur. Non enim eas lectione secura transcurrimus, sed tractamus singula, & necessario conatu introspicimus, ut postea gratior sit fructus nõ sine negotio quæsitus: gratior denicq; ueritas, quæ nos prius torserit difficultatis alicuius inuolucro. Sunt è diuerso qui affirment, iuris Ciuilis studiũ obuiæ facilitatis esse. Vnde Cicero lib. de Oratore 1. de facultate perdiscendi iuris loquẽs: Omnia sunt posita, inquit, ante oculos, collocata in usu quotidiano, in cõgressione hominũ atq; foro, neq; ita multis literis ac uoluminibus magnis cõtinẽtur. Et paulò pòst: Accedit uerò, quò facilius percipi cognosciq; ius Ciuile possit (quod minimè plæriq; arbitrantur) mira quædã in cognoscendo suauitas & delectatio. Et quæ istic in eam sententiam reliqua sequuntur.

Verũm ego sic existimo, iuris Ciuilis cognitionẽ, siue illã facilem, siue difficilem dixerimus, nõ multos annos, nõ multos etiã libros, sed tres alias res necessarias poscere, naturã scilicet, exercitationem, et ordinem. Illud ergo in primis testandum est, nihil præcepta atq; artes ualere, nisi adiuuãte natura: quapropter ei cui deerit ingenium, non magis scripta est iuris Ciuilis cognitio, q̃ de agrorũ cultu sterilibus agris. Hac de re fusius à Cicerone, Quintiliano, & alijs Rhetoricæ professoribus disceptatur, an scilicet in disciplinis plus conferat ars, an natura. Et uerissimũ est, quod ipse Quintilianus lib. secũdo tradit:

Natura,

Natura, inquit, etiam sine doctrina multum ualebit, doctrina nulla esse sine natura potest: sicut terræ nullam fertilitatem habenti nihil optimus agricola profuerit: è terra uberi utile aliquid etiam nullo colente nascetur. Eodem pertinet illud Cicer. pro Archia Poëta: Ego multos homines excellenti animo ac uirtute fuisse, & sine doctrina, naturæ ipsius habitu propè diuino, per seipsos & moderatos & graues extitisse fateor. Etiam illud adiungo, sæpius ad laudem atque uirtutem naturam sine doctrina, quàm sine natura ualuisse doctrinam. Atque idem contendo, cùm ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quædam confirmatioq; doctrinæ, item illud nescio quod præclarum ac singulare soleret existere. Hactenus ille. Nihil itaq; perfectum erit, nisi ubi natura cura iuuetur. In hoc consentio, primas partes esse naturæ: illud tamen asserо, neminem esse repertum, qui sit studio nihil consecutus. Nec quisquam adeò fidat ingenio, ut quod cupit, id sibi speret incipienti statim posse contingere: Nam à paruis initijs paulatim, & gradibus quibusdam usu comparatis ad summum peruenire datur. Deuorandum quoq; initio tædium illud, & scripta & lecta sæpius reuoluendi, & quasi eundem cibum remandendi. Tum uerò illud nemo expectet, ut alieno tantùm labore iuris peritus euadat, uigilandum, pallendum, enitendum est. Studendum semper & ubiq;. Neq; enim ferè tam ullus est dies occupatus, ut nihil operæ ad scribendum, aut ad legendum rapi aliquo momento temporis possit. Et rectè Plinius auunculus, perire omne tempus arbitrabatur, quod non studijs impertiretur. At uide quantum nunc temporis nobis pereat, quantulum studijs impertiamur. Alias horas corporum nimia cura, & solicitior rei familiaris diligentia, alias datum fabulis ocium, alias uenandi uoluptas, alias conuiuia trahunt. Adijce tot genera ludendi, Musisq; infestissimos bellorum tumultus. Trahunt inde peregrinationes, rura, calculorum anxiæ solicitudines, multæ causæ libidinum, & uinum, ac flagitiosus omni genere uoluptatum animus. Tum uerò (si dijs placet) computamus annos, non quib. studuimus, sed quibus uixímus. Quid est, si hæc non insania est? Sed ut ad pensum nostrum reuertamur, Duæ sunt huius exercitationis partes, una audiendi, altera legendi. Licet enim satis responsorum iuris lectio suppeditet, tamen uiua illa (ut dicitur) uox alit plenius, præcipueq; præceptoris, quem discipuli & amant & uerentur. Alioqui si cut frustra sparseris in agrum semina, nisi illa præmollitus fouerit sulcus, ita iuris cognitio coalescere nequit, nisi sociata tradentis accipiētisq; concordia. Ipsa autem lectio magni fructus est, quæ libertate fruitur, ubi siue dubites, siue memoriæ affigere uelis, repetere sæpius licet. Legendus autem non nisi optimus quisque, & qui credentem sibi minimè fallat: nec per partes modò scrutanda omnia, sed perlectus locus aut liber, nonnunquam ex integro resumendus. Celsus Iurisconsultus tradit, inciuile esse, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula eius proposita iudicare, uel respondere. Sed nos alio loco qui legendi quiq̃ sequendi sint, declarabimus. Atqui exercitationem ipsam multò facilíorem leuioremq̃ reddet seruatus ordinati studij modus. Neque enim minima negotij pars est adeundi negotij uiam nosse. Docet Seneca, non referre quàm multos libros legas, sed quàm bonos. Varia, inquit, lectio delectat, certa prodest. Tu curas fortè quàm diu quotidie libris hæreas, cura potius quàm bene. Ergo mi amice, ut uiam habeas compendiariam, & certas aliquot studendi rationes, hanc inprimis obseruabis, ut quicquid legas (præter sacram scripturam, quam uolo multùm legas, & ex illius præiudicijs leges ciuiles moderari pro uiribus connitaris,) cæterùm quicquid legas, id omne ad tui instituti scopum, hoc est, ad iuris ciuilis disciplinam referas: locis etiam aliquot comparatis, & ordine tibi certo distinctis, neque alia legas, quàm huc pertinentia. In eam sententiam accipe Isocratis autoris grauissimi testimonium Budæo interprete: Quomodo apes uidemus

De qua reuide infrà carmen Alciati.

Isocratis locus pulcherrimus.

uarijs ſtirpium germinibus inſidentes ab unoquoq; deſumere, quod ſibi maxi mè ſit uſui, ſic eos qui doctrinæ deſiderio capti ſunt, ut nihil intactum relinquere, ſic undiq; colligere, quod ſit operæprecium, conuenit.

Poſt eam rationem conſtitutam, proximum eſt, ut prouideatur, ne nouus tyro, iuris campum ingreſſus, protinus ſeſe offerentib. animum addicat. Delectus. n. habendus eſt, & ingenij legũ ſcitis nõ aſſueti, uires examinãdę. Quõd ſi quis iudicio falli timeat, inſtitutiones Imperiales ipſo Iuſtiniano autore ſibi deligat, breues illas quidẽ, ſed faciles & apertas. Eas diligentiſsimè perlegat, & ex integro ſemel atq; iterum relegere ne pigeat. Eſt. n. latens quædam in his utilitas, quæ Pandectas uniuerſas reddítura ſit dilucidiores. Atqui uideat, dum Inſtitutionibus operam nauat, uti nullius cõmentarijs, ſed ſolius ſui prę ceptoris (ſi cubi hæreat, uel addubitauerit) interpretatione utatur. Malum em̃ uenenum iuris ciuilis candidato ſunt uulgarium ſcripturientium commenta rij, quippe qui immanib. opinionum & allegationum plauſtris ſoleant bonæ ſpei iuuenes, quantumuis reluctantes in tranſuerſum agere. Cuius rei declinandæ gratia præformatæ fuerant, quas dixi breues inſtitutiones, ne uidelicet rerum aſperiorũ tractatus, aut multitudo cœpti ſtudij deſertorem efficiat. Etenim uia opus eſt incipientibus, ſed ea plana, & cũm ad ingrediendum, tum ad demonſtrandum expedita.

Inſtitutiones Imperiales legendæ & relegendæ.

Tertio loco ciuilis diſciplinæ ſtudioſus, qui iam ſemel atq; iterum Inſtitutiones excuſſerit, & rerum ipſarum (non enim ſola eſt agenda cura uerborum) guſtum aliquem ſenſerit, hunc ordinem ſeruabit, ut generaliores iuris traditiones non ſegniter adnotet, perdiſcat, & quatenus fieri poterit, memoriæ mandet. Illasq; ab ea ſæpius repetat, donec incipiat eas ad manũ, in promptu, ac in numerato habere. Huiuſmodi generaliores traditiones in tres partes ſectæ ſunt â Caio iureconſulto: Omne, inquit, ius quo utimur, uel ad perſonas pertinet, uel ad res, uel ad actiones. Cuilibet harum partium certos menſes, aut (ſi tam felici fuerit ingenio) certos dies ſaltem dabit is, qui iuri deſtinatus eſt, proq; ſua uirili annitetur, ne harum partium ſtudium & tempora confundat. Auſpicantib. ſcribo, prouecti enim & his reb. aſſueti id in uniuerſum obſeruare nequeunt. Quandoquidem ſic ferè omnes leges cohærent, ut æqui & boni norma ſeruata omnes leges dici ualeant una lex. Verũm ut paulõ clarius quas diximus partes explicemus, tribuendos cenſeo primos menſes perſonarum cognitioni. Illa patriam ac dominicam poteſtatem, tutelarem, eamq; ę multiplicem, ac magiſtratus, iuriſq; ciuilis autores complectetur. Huc conferendi ſunt omnes tituli de perſonis loquentes, quos mihi nouus tyro obiter, & perfunctoriè quidem, ſed ſic tamẽ legat, ut generaliorum ac magis uniuerſalium doctrinarum habeat rationẽ, easq; in locos ſuos, quos parandos admonui, pro ſuo captu cogat. Verũm in his decernendis, colligendisq; uideat, ne ſolum Accurſium, aut qui eum ſecuti ſunt, ſępius etiam ipſo Accurſio deteriores autores conſulat, ſed ubiq; fontes petat. Quemadmodum ſi legis ſecundæ de origine iuris intellectum deſideret, Liuium, Feneſtellam, Ciceronem, & alios priſcæ, hoc eſt, probioris monetæ autores adeat. Neq; formidet illos potius, q̃ Accurſium, & totam ſuæ hæreſeos turbam ſequi & amplecti. In quo diligenti lectione & iudicio opus erit. Ne tamen Scyllam hac in re fugientes in Charybdim incidamus, reijciendum eſt præcox, & præmaturum iudicium, præſertim ſi quem nouarum opinionum morbus, nimiaq; libido teneat. Quã uis enim (ut Budæus ait) qui diſcendi cupidi ſunt, probatiſsimi cuiuſq; ſcriptoris maieſtatem conſeruare debeant, ſi quid tamen in eorum cuiuſq; libros irrepſerit, quod dubitationem moueat, adnotato loco hærendum erit: ut cunctatorum more iudicium ſuſtineamus potius, quàm ut quicq; imprudenti arrogantia ſtatuamus de claſsicis autorib. & citra controuerſiã receptę autoritatis.

Sed & in antiquorum ſcriptis expendendis, temporum obſeruata uarietas,

mirum

mirum in modum profuerit, ordine, & successu quodam in hoc seruato, ut si de iure Romanorum addubites; memineris Lacedæmoniorum, Atheniensiumq; iura fuisse priora, deinde leges duodecim tabularum, post quas reliquũ ius ciuile & prætorium &c. Similiter si de patrum in liberos, aut dominorum in seruos potestate quæras, temporum ordinem seruabis. Hunc ordinem historici, præsertim qui de Cæsaribus & republica Romanorum scripsere, ministrabunt, quibus potissimũm adiunges Ciceronem, Pedianum & Gellium: qui labor tantò minor erit, quantò uiri illi excellentissimi Budæus & Alciatus feliciorem quãm quisquam alius in hac re operam præstiterunt. Ad huius partis, quæ personarum studium complectetur, exemplum facilè poterunt reliquæ duæ partes, quæ de rebus & actionibus tractant, in suam quoq; discendi rationem trahi. Hoc triplici studio generaliori perfecto, resumendæ erunt generales traditiones, quas in angulos, seu locos suos reijciendos prœmonui, hæq; ad singulares legum doctrinas applicandæ: ut si circa titulum quempiã, aut materiam aliquam, generalem regulam in priore studio exceperis, uideas, an omnes eiusdem tituli leges ad eam regulam possint referri: aut si quæ non possint, cur id fieri nequeat, quæq; sit illius exceptionis ratio, diligenter attende: tum regulam tuam memoriæ commenda, exceptionemq; illam separatim. Id cũm præstiteris, scias te illum titulum rectè excussisse. Post supradictas sectiones, tametsi uariæ præceptiones, quæ in uniuersum circa ciuilem disciplinam obseruentur, tradi ualeant (optime amice) ex ea tamen farragine hunc centonem æqui bonique facies. Principiõ spectare oportet, ut omnia prudentum responsa, omnes denique constitutiones ad simplicis æquitatis normam quoad fieri poterit, reflectamus. De prætorum edictis nihil dico, quandoquidem id eis pronunciandi genus peculiare semper fuit, ad quorum exemplum satagendum est, ut quod Cicero de Caio Aquilio scriptum reliquit, iuris ciuilis rationem nunq; ab æquitate seiungamus, ut non disciplina solũm, sed natura consulti uideamur, ac ex iure ciuili, non scientia solũm, uerũm etiam bonitas nata comprobetur: ut denique quicquid ex iure haurimus, purum liquidumq; sit, nisi fortè multis grassantibus opus sit exemplo, aut aliqua ex circumstantijs, de quibus paulò põst tractabimus, nos ad strictioris iuris obseruationem compellat. Qua in parte uidendum erit, ne clementiæ aut seueritatis gloriam affectemus, quin ubi dubio locus erit, pœnas molliamus potius, q̃ exasperemus. Immò usq; adeò uitanda est rigidioris interpretationis seueritas, ut priusquàm in re nonnihil ancipiti atros calculos in urnam mittamus, ampliatione uel comperendinatione uti debeamus, pronunciareq; nobis non liquere. Quo consilio usus est Gellius, ut ipsemet refert libro xiij. Idem etiam tradit Pomponius Iurisconsultus lib. xviij. ad edictum.

Illud quoq; generale fuerit, ut meminerimus scire leges non hoc esse, uerba earum tenere, sed uim ac potestatem habere. Verbum enim ex legibus sic accipiendum est, tam ex legum sententia, q̃ ex uerbis, circa quem articulum, diligentem lectorem cupio, Ne aut uerborum aucupijs (quæ Cicero pro A. Cecinna egregiè ludit, eleuat, ac reijcit) utatur, aut nimium in re clara ã uerbis discedat, scriptiq; sensum aliò deflectat, q̃ quò oporteat. Hinc enim oriuntur periculosi illi loci, ã scripto contra sententiam, & ã sententia contra scriptum. Hinc etiam ut barbarissimæ, & nobili ingenio indignissimę, ita uaferrimæ illæ iuris cautelæ, præcipuum nunc forensium Rabularum pabulum. *Cautelæ iuris Rabularum pabula.*

Immensum uerò dubitationum mare, tribus potissimũm è fontibus promanat. Primũm ex abusu eorum locorum, quos iam dixi, dum quisq; pro sua libidine, aut etiam pro eorum necessitate, ã quibus uultur aliquis prædam acceperit, uerba sententiasq; legum torquet, ac retorquet: quod non rarò in consilijs (quæ uocant) accidit. Testis est copiosus And. Barbacia, si reliqui dissimulent. Secundò, ex illis pronunciatis, seu notabilibus, ut uerbo illorum u-

tar,aut ut magis barbarè loquar,ex Brocardicis illis,sæpius ex una simplici lege,quæ nihil fortasse tale uoluerit,sumptis. Et dictu mirum,quàm in hoc sibi quidam acutuli,& ingenioſi uideantur,dum ueluti hydræ caput incidentes ex uno articulo olim controuerſo,iam deciſo,& præiudicato,ſeptem, aut fortaſsis centum alios nobis infelici fœcunditate pariunt. Et quòd in his peſſimum eſt uenenum,non modò ſuum cuique pulchrum uidetur, ut ſua quoque Simiæ proles,ſed mutuum etiam ſenes fricant,ſeqũe inuicem ineptis eu logijs paſsim citant,& quaſi Delphica oracula proponunt. Imò alter ab altero integras lineas,pagínas,aut certè nonnunquam integra folia,& uolumina ſumit,ſæpiusqũe repetit,uel mutuo uel furto,clam uel precario: adiectis nouis opinionibus,aut interdum erroribus,ne nihil mali attuliſſe uideatur. Hinc illa ingentium uoluminum,quæ multi aſini clitellarij non ferant,uaſta multũm diuqũe deplorata immenſitas &c. Tertius opinionum fluctus hinc ſurgit,quòd non uno in loco iuris textus mutili,truncí,& imperfecti uiſuntur,quod quidem nimis diligens Tribunianus præſtitit,qui nihil,niſi repurgatum exhibere uolens,mancas,ieiunas,& aridas leges non raro tribuit. Quibus locis reſtituendis aliud nihil quàm ſtudium antiquitatis,& hiſtoriarum cognitio mederi poteſt,tantum abeſt,ut in Accurſij Scholijs conſeneſcamus,quem aliquando uideas in uerbo plano,& Latinè ſcientibus dilucido,ceu in uerbo abſtruſiſsimo multum eſſe: ita ut nec ſic ſibi conſtet,quadruplici expoſitione adducta. Idem reperies,ubi inuerſione unius dictionis, uel literæ,apertiſsimum legis intellectum habere potes: quod ſcribentium uulgus non animaduertens,uix dici poſsit,ut ſeſe in leuicula re torqueant. Verùm enimuerò,quò magis apertiuscꝫ ſemel in uniuerſum de legum dubiis,de iureconſultorum,de illorum commentarijs,& opinionibus,deꝯ diuiſionibus liberè quod ſentio proponam,ſingula capita paucis perſtringere libet.

Principiõ,quod ad iuris dubia ſpectat,uideo legalium ambiguitatum duas eſſe radices,unam,quæ uitioſa ſit,quæ ſcilicet ẽ tribus illis fontibus paulò antè recitatis originem ducit. Alteram propemodum ineuitabilem, quod quidem ut omnes intelligant,ſciendum eſt,huius radicis aut roboris complures eſſe ramos,in quibus diſtinguendis,& ubi opus eſt,æqui & boni falce putandis,latet bona pars ciuilis prudentiæ. Poſthabitis igitur tribus illis priorum dubitationum fontibus,de radice poſteriore uideamus. Primùm in confeſſo eſt,legem omnem,litem habere aut propter ſeipſam,aut propter alteram. Legem uerò in genere ſumptam uolo,ut quicquid in iure ciuili ſcriptum eſt,cõplectatur. Idem accipi uolo de Teſtamentis,pactis,ſtipulationibus,omni deniqꝫ ſcripto,& idem de uoce. Quæſtio eſt aut in ſcripto,aut in uoluntate. Scriptum aut apertum eſt,aut obſcurum,aut ambiguum. Ex ſcripto & uoluntate pars magna controuerſiarum iuris pendet,nam utercꝫ locus fulgentibus armis inſtrui poteſt. Id quod dudum ã me declaratum eſt in Topicis meis. Super obſcuro ſcripto diſceptatur,ubi in lege aliqua ſit obſcuritas. Et in ea uel utercꝫ ſuam interpretationem confirmat,uel aduerſarij ſubuertit,ut hic,fur manifeſtus quadruplum ſoluat,duo furripuerunt pariter decem millia,petuntur ab utroqꝫ quadragena,illi poſtulant ut uigena conferant. Huic litis generi proximum eſt illud,quod ẽ legibus contrarijs oritur,quia cũm lex legi obſtat,aut certè obſtare uidetur: utrinqꝫ contra ſcriptum dicitur,& quæſtio eſt de uoluntate: in utraqꝫ id ambigitur,an uticꝫ illa lege ſit utendum. Sunt enim dubio procul plæraqꝫ in iure ciuili,quæ pugnantia primis oculis appareant, ſed quæ,ſi ad medullam manum admoliaris,ex iuſto conciliari poſsint: præſertim ſi celeberrimi D. Zaſij prudens conſilium ſecuti fuerimus,qui hac de re non minùs uerè ꝯ eruditè in Antinomiarum diſſolutionibus diſſerit. Neque uerõ id ideõ mirum eſt,quandoquidem in ſacris etiam Codicib. (in quibus tamen mirabilis ille orbis & conſenſus utriuſcꝫ teſtamenti conſpicitur) inuenias,

inuenias, quæ prima ſpecie pugnare inter ſe uideantur, quod genus ſunt illa: Non reſurgent impij in iudicio, &: Omnes quidem reſurgemus. Attendite ne iuſtitiam ueſtram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis, & uideant opera ueſtra bona. Et illud: Mea doctrina, non eſt mea, atque eius notæ ſexcentæ, quæ ſi quis uerborum ſummam modò cutem attendat, uidentur ſibi non conſtare. At quemadmodum in ſcriptura ſacra huiuſmodi ſcrupi ſi quando inciderint, non oportebit offendi, aut de fide ſcripti dubitare, ſed magno Eraſmo autore penſitatis omnibus circumſtantijs explicandæ difficultatis ratione quærere: ſic in legalib. ſcitis, ſi quid eſt quod parũ cohærere uideatur, prouidendum id, ne aliquo ſit conſilio factum, quo ex ingentibus circumſtantiarum coniecturis apparentem contrarietatem diſſoluere oporteat. Sed de his plenius aliquantò dicemus, ſi paucis oſtenderimus, qualiter ex ambiguo ſcripto quæſtio proponatur.

Ex ambiguo lis oritur, cũm aut ſcriptæ legis ſtructus uariat, aut diuiſio coniunctæ orationis ſenſum ancipitem reddit, aut uaria uerborum poteſtas incidit, ut interim alias ſpecies tranſeamus, quæ, ſi Fabio credamus, ſunt innumerabiles. Is enim capite decimo libri ſeptimi refert quoſdam fuiſſe, quibus nullum uidebatur eſſe uerbum, quod non plura ſignificare poſſet. Structus ſcripturæ ambiguus eſt, ſi accuſandi caſus concurrant, ut, aio te Aeacida Romanos uincere poſſe. Orationis coniunctæ diuiſio ambiguitatem parit, cũm dubitatur, quæ dictio quõ referri debeat, ut in illa controuerſia: Quidam teſtamento iuſsit poni ſtatuam auream haſtam tenentem. Varia uerborum poteſtas propriè eſt in æquiuocis, qualia ſunt, curſus, canis, taurus, uerbum cerno, & id genus. Porrò autem omnes hæ lites ſiue ex obſcuro, ſiue à contrarijs legibus, ſiue ex ambiguo, originem habent ex ſcripti & uoluntatis generali quæſtione. Sed & aliæ complures ſunt quæſtiones iſtinc fluentes, ueluti ſi dubitetur, an quod ſemel ius eſt, idem & ſæpius, aut ſemper: An quod in uno, in pluribus: Quod antè, an poſtea: Quod in toto, an in parte, uel contrà: Quod in uno, an in alio: An quoties propria lex non eſt, ſimili ſit utendum: an quod affertur, ſimile ſit. In his omnibus uoluntatis eſt quæſtio, ſed æquitatis potiſsimùm. Verũm has quæſtiones ad ultimam ſpeciem, id eſt, ad ſingulas lites, controuerſiasqũe perſequi non uacat: Conabimur fortaſsis aliquando, ſi quidem hæc minutula placido uultu & candido excepta fuiſſe cognouerimus. Ne tamen de diſſoluendis huiuſmodi dubijs nihil attuliſſe uideamur, libet nonnihil generali quadam ratione ſcribere.

Præcipuum erit, conſiderare, quid æquitatis norma ſuadeat, idq; ex multis. Nam eſt in tempore quæſtio, puta, æquum fuit, ſed non nunc: Et in loco, non hic: Et in perſona, non nobis, non contra hos: Et in genere agendi, non ſic: Et in modo, non in tantum. Videndum etiam quæ cauſa ſcribentem, aut loquentem permouerit, quæ fuerint illius temporis dum ea ſcriberentur, aut loci, aut perſonarum circumſtantiæ. Quare intuebimur non rem tantũm, ſed perſonam quoque. Nam & multum intereſt, homínem puer occiderit, an prouectæ uir ætatis, prudens, an imprudens. Ad qualitatem quoque frequenter pertinet locus. Neque enim ubique idem aut licet, aut decorum eſt. Quinetiam refert, in qua ciuitate quicq; queratur, moribus enim & legib. haud rarò diſtant. Deinde quomodo factum ſit, ferro an ueneno. Et quo tempore, bello, an pace. Huc etiam pertinet, quod Claudianus iureconſultus reſpondit, aut facta puniri, ut furta, cędesq;: aut dicta, ut conuicia, & infidę aduocationes: aut ſcripta, ut falſa, & famoſi libelli: aut conſilia, ut cõiurationes. Sed hæc quatuor genera conſideranda eſſe ſeptem modis, cauſa, perſona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu. Itaq; regnat in hac parte circumſtantiarum, & cõiecturarum acuta & æqua perſcrutatio, præſertim in ambiguo, quod

quidem semper coniectura explicari necesse est. Quia cùm sit manifestum, uerborum duplicem esse intellectum, de sola quæritur uoluntate. Non deerant plura, quæ de his diceremus, sed omnia complecti neque in hac parte, neque in cæteris possumus: contenti, rationem maiora quæsituris ostendisse. Tametsi cui hæc nostra non satisfaciēt, perlegat Fabij librum septimum, profectò ad ambas usque aures implebitur. His confinia sunt alia quædam, non tam obscura uel ambigua, quām ā plerisque haud satis animaduersa: quæ quidem segniorem lectorem frequentissimè fallere possint.

Neque ea quæ de coniecturis, atque scripti & uoluntatis rationibus dicta sunt, præstabunt: ut nusquām in iuris ciuilis cognitione hæreas, nisi quæ sequuntur simul comperta habueris. Inter hæc primus dabitur legum mutationi locus. Quamuis enim nulla lex (ut Liuius ait) satis commoda omnibus esse possit, & id modò quæratur, si maiori parte, & in summā prosit: & ex ijs legibus quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateamur, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis reipublicæ inutilem fecit. Sic quas tempora aliqua desiderauerunt leges, mortales (ut ita dicam) & temporibus ipsis mutabiles esse uidemus. Quæ in pace latæ sunt, plerunque bellum abrogat: quæ in bello, pax non secus ac in nauis administratione, alia in secunda, alia in aduersa tempestate usui sunt. Huic sententiæ suffragatur, quod Cicero pro Cn. Plancio scriptum reliquit: An cūm uideam, inquit, nauem secundis uentis cursum tenentem suum, si non ea eum petat portum, quem ego aliquando probaui, sed alium non minus tutum atque tranquillum, cum tempestate pugnem periculosè potius, quām illi, salute præsertim proposita, obtemperem & paream? Ego uerò hæc didici, hæc uidi, hæc scripta legi, hæc de sapientissimis & clarissimis, & in hac Republica & in alijs ciuitatibus monumenta nobis literæ prodiderunt, non semper easdem sententias ab eisdem, sed quascunque Reipub. status, indignatio temporum, ratio concordiæ postularet, esse defendendas. Idem Cicero Philippica xij. Quod si est erratum P. C. spe falsa atque fallaci, redeamus in uiam. Optimus est portus pœnitendi mutatio consilij. Itaque sunt in legibus permulta, quæ pro temporum illorum usu instituta, pòst obliterata sunt, aut mutata: complura tum non obseruata, quæ nunc iubemur obseruare.

Verūm hic perspiciendum erit, aliam dici legem obliteratam, aliam immutatam. Obliteratur, quæ abrogatur, & in totum reuocatur: Immutatur, cui derogatur, quod contingit, si in aliqua parte mutet. Quę differentia non oscitanter prætereunda est. Nam ut Modestinus Iurisconsultus autor est, falsi reus censetur, qui lege abrogata se defendit, uel etiam derogata, in ea parte, quæ detracta & mutata est. Quapropter & hic, & in coniecturis perpendendis acri & sano iudicio opus fuerit, ne quis incerta pro certis habeat, uel temeritate quadam pronunciet: solet enim temeritas hoc audacius pronunciare, quò minus exactè dijudicat: néue animum adferat sordibus, gratia, ira, simultate, aut alijs priuatis corruptum affectibus. Sed ē diuerso unumquenque meminisse oportet iuris professorem, qui super re controuersa, aut nodo iuris aliquo consulitur, bonum uirum (quod initio diximus) esse debere, qui ut ab unguibus leo, de fructu arbor, sic ā suis responsis agnoscetur. Accedit ad hæc uerborum plurima in iure diuersitas, quæ iuris studiosum nonnunquam remorari possunt, & ob id maximè discernenda. Nam ipsorum etiam uerborum (quanquam rerum maximè) habendam censeo rationem. Veterum enim iurisconsultorum, præsertim Vlpiani, summus circa uerborum proprietatem labor fuit, quòd uerba rerum sint imagines, & sensuum inuolucra, quę quām maximè effingi congruenter, & accommodatē rebus debent. Inde illud Gellij testimonium de Labeone Antistio iureconsulto Noct. Attic. lib. xiij.

xiij. capite decimo: Labeo, inquit, Antistius iuris quidem ciuilis disciplinam principali studio exercuit, & consulentibus de iure publicè responsitauit, cæterarumq; bonarum artium non expers fuit, & in Grammaticam sese, Dialecticam, literasq; antiquiores penetrauerat, Latinarumq; uocum origines, rationesq; percalluerat, eaq; præcipuè scientia, ad enodandos plerosq; iuris laqueos utebatur. Cura ergo uerborum, rerum erit solicitudo.

Sed iam de uerborum differentijs dicamus. Quædam in iure uerba sunt mediæ significationis, ut dolus, fides, uenenum, exautorare, & similia. Quędam plenioris significationis, ut hæres, iustum. Quædam ā Græcis petita, & latinitate donata, qualia sunt, hypotheca, sycophanta, thesaurus. Quædam ā uetustate repetita, ut nexus, res mancipi, libripens, familiæ emptor, expensum acceptumq; ferre, redimere faciendum. Nonnulla in aliam significationem transiere, ut fiscus, hospes, perduellio, ordo pro statu, publicum pro uectigali. Quædam sunt peculiaria iurisconsultorum, ab alijs scriptoribus non recepta, ut repetita die non repromittere, per aduersionem locare, uel cō ducere, castratus pro eunucho natiuo, uespertilio pro luscioso. Alia etiam autoribus alijs communia, sed à iureconsultorum uulgo perperam intellecta, ut annua, bima, trima die. Sed & alia sunt iuris uerba apud reliquos probatos autores, quæ in Pandectis, ut puto, non reperiantur: saltem in significatione propria, ut fiducia, sponsio, mancipatio, mancupi emptio, sectio. Interdum uerbum pluratiuum pro singulari, uel contrā, & tempus pro tempore positū legas. Quæ omnia diligenter expendere, & si quando inter legendum occurrerint, annotare, uigilantis frugiq; adolescentis fuerit. Sed ut hæc paucis indicari possunt, ita nimis prolixum fuerit singulatim explanare.

Nunc ad reliquas particulas accingamur. Si quęras de iurecoss. & ipso Accursio, quæ sit mea sententia, qui uidelicet potissimūm legendi, & quatenus eorum dicta sequenda sint, sic habeto. Primūm omnium non arbitror me interrogari de ueteribus, illis iurecoss. qui Pandectis coagmentandis sua symbola contulere, quorum nomina & lucubrationes in quadā epistolarum suarū refert uir ętate sua doctissimus Angelus Politianus. Hos. n. fuisse constat uiros omni genere literarum instructissimos: gratuitam, non quęstuariam iurisprudentiam habentes, qui in publicum quotidie prodeuntes unicuiq; ciui cōsulēdos se antiquo instituto præbebant, & tanq; oracula iustitię promebant, hoc est, responsa boni & æqui plena. De his nihil aliud iam dico, quām deberi illis omnia quæcunq; præclara sunt in ciuili prudentia. Quorum scripta, hoc est, pandectas ipsas, si quis cum Accursij & aliorum recētiorum (Alciatum & Zasium primi nominis iurecoss. excipio) scholijs, glossematib. & commentarijs conferat, uidebit illic aureum quoddam ire flumen: hic tenues quosdam riuulos, eosq; nec puros admodum, nec suo fonti respondentes. Illic solidis fundamentis innixum fundamentum surgit in altum: hic futilibus interdū argutijs, aut etiam adulationibus (præsertim in Cōsilijs ut uocāt) superstructa machina tollit in immensum. Illic uelut in felicis. hortis affatim tum oblectaberis, tū expleberis, dum hic inter spineta sterilia (nisi ex loculorum tuorū arte qualibet augendorum compendio, studium tuum metiri uelis) miserè dilaceraris ac torqueris. Illic maiestatis plena omnia: hic adeō nihil splendidū, ut plerąq; sordida, parumq; digna dignitate legali comperias. Tametsi ipsum Accursium, Bartolos, Baldos, & eius classis interpretes sublimis ingenij, acerrimi etiam iudicij in legum sententijs uestigandis (quatenus uidelicet sine antiquitatis, sine bonorū autorum, sine historiarū, aliarumq; disciplinarum notitia præstare potuit) tum uerō memorię fidelissimę fuisse, nemo est qui iure negare uelit. Atq; adeo quicquid in eorum operib. uitiorū est, id omne illorum temporum infelicitati acceptū est ferendū. Perierāt enim assiduis bellis nō solū græcę literę, sed & latinę, nec eorum ingenia, sed tempora degenerabant. Imō ne illud

quidem ibimus inficias, hos recentiores interpretes non tantum inutilium gloſſarum congeſsiſſe, quin ſimul attulerint pleraque honoris commendatione digna. Tenebris enim iuris quantum potuere ſuccurrerunt, & inueniendi meliora campum aperuerunt, ut etiam per illorum errores doceamur. Atqui fatendum eſt ingenuè, eorum doctrinas, quoties declinarint ā uia, uel diſtinguendas eſſe, uel cum temperamento accipiendas: ac tum illis eſſe auſcultandum, ubi Vlpianum, Papinianum, & alios ueterum iuriſperitorum proceres, non modō ipſi auſcultaſſe, ſed etiam exaudiſſe uidebuntur.

Cæterūm opinionum fluctus, aut uerius fumos, ſummo conatu iuris ciuilis ſtudioſus adoleſcens euitabit, non ſecus ac Cypariſsi fructus, aut cœca inſomnia, ne quid durius dicam. Ipſe me in alia quàm prius habuerim opinione nunc eſſe confiteor. Et fortaſſe minus uitiligatorum hoc meum opuſculum erat habiturum, ſi nihil ex eo mutaſſem, quod multis annis non ſenſiſſem modō, uerumetiam probaſſem, ſed non ſuſtineo eſſe conſcius mihi diſſimulanti in ulla parte iudicij mei, in eo præſertim, quod ad bonorum iuuenum utilitatem, quantumuis tumultuariē congeſsi. Etenim ſuperuacuus foret in ſtudijs longior labor, ſi nihil liceret melius inuenire præteritis, atq; ob eam cauſam poſt tot ac tantos ſcriptores non pigebit meam quibuſdam locis poſuiſſe ſentētiam. Nec enim me cuidam ſectæ uelut quadam ſuperſtitione imbutus addixi, nec in alicuius quantumlibet celebratæ famæ uerba iuraui. Sed ut de opinionibus dicam, prima ſit curarum, ne id ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia quæ omnes iuris profeſſores dixere, utique eſſe perfecta. Nam & ſæpe labant, & indulgent ingeniorum ſuorum uoluptati, & oneri cedunt, ac fatigantur, nec ſemper intendunt animum. Vnde ijs, qui quicquid apud illos repererunt, æqui & boni legem eſſe putant, accidit, ut deteriora imitentur (id enim eſt facile) ac ſe abundē ſimiles putent, ſi uitia magnorum conſequantur. Neque minus habebit periculi, ſi quis ſeſe alicui, quem per omnia ſequatur, uelut religione quadam aſtringere uelit, ſic ut nefas ducat, ā ſuſcepta ſemel perſuaſione diſſentire. Quod hodie factitant complures, quorum nonnulli adeō ſe addixere Bartoli placitis, aut Panormitani decretis, ut malint etiam aliquando falſa tueri, quām ab horum dogmatis latum (ut aiunt) unguem diſcedere: haud diſsimiles infantibus, præformatas literas perſequentibus, & ut quidam dicere ſolent, quem mater amictum dedit, ſollicitè cuſtodientibus. Eoq; progreſſum eſt, ut quēq; pro ſuę hęreſeos opinionib. acrius depugnare non pudeat, magno interim clientum & damno & malo.

Ob eas cauſas omnes nolim iuris auditorem in cuiuſquam iurare leges. Maius enim opus atq; præſtantius, ad quod ipſe tendit, & cuius eſt uelut candidatus, ſi quidē eſt futurus ciuilis iuriſprudentię laude perfectus. Illud aūt optauerim, ut nouus tyro, huiuſmodi anfractib. omiſsis, purgatis & arrectis auribus ſeſe ad textuū intelligentiā conferat. Quæ quidem ita comparabitur, ſi iuris ſtudioſus plurima rerum cognitione diues, & expenſis cum iudicio ijs, quę de circumſtantijs, uoluntatis coniecturis, ac uerborum differentijs diximus, ſcita legalia ad actus humanos ſecundum æqui & boni regulam accommodare conſueſcat: ſic tamen ut Lesbios fabros non imitetur, plumbeam normam pro arbitratu (ut Budæus ait) flexibilem, & ſubinde immutabilem habentes, ut interdum ſi lapidis natura non facilè ad ſtructuram æquabilis peruicerit, normam ad ſtructuram inflectant: Et ſtructuræ normam, non normæ ſtructuram coaptent: quo in iuriſconſulti Reſponſis, dictis, aut factis nihil iniquius eſſe poteſt.

Quin & illud admonendus eſt Ciuilis prudentiæ candidatus, ut appoſitè citare condiſcat ſcriptæ legis Teſtimonia, non ē Summulis, aut Elenchis, aut ſordidis Indicibus, ſeu (ut uocant) Repertorijs, Repetitionibus, Conſilijs, Singularib. aut alijs id genus collectaneis iam ſexcenties aliunde a-

liō

liõ confusis ac refusis, sed ex ipsis fontibus. Neque imitetur quosdam, quos non pudet sapientissima ueterum iurisconsultorum responsa uiolenter detorquere ad alios sensus, aliquoties & ad contrarios. Sunt qui uel Bartoli, uel Iasonis, uel alicuius alterius decreta afferũt, & uulgaribus infecti opinionib. his seruire cogunt, uel prætorum edicta, uel æquissimas iureconsultorũ interpretationes, cũm ex his potius petenda sit negotij controuersi iustitia. Postremum est, ut de iuris ciuilis diuisionibus nonnihil proferamus. Qui iuris ciuilis partes euoluerit, non dubium est, quin exploratum habeat, frequentes esse in legali disciplina diuisiones, quandoquidem & multum ualent in ijs, quæ didicimus continendis, & faciliorem uiam ad singularum rerum intellectum præparant. Nam qui rectè diuiserit, nunquam poterit in rerum ordine errare. Certa sunt enim in omni diuisione, si modõ rectè distinxerimus, prima, ac secunda, ac deinceps: cohæretqũe istic distributa rerum computatio, adeõ ut ei nihil nec subtrahi, sine manifesto intellectu, nec inseri possit. Erit autem diuisio primũm aperta atque lucida. Nam quid sit turpius, quàm id esse obscurum ipsum, quod in eum solũm adhibetur usum, ne sint cætera obscura? Tum breuis, nec ullo superuacuo onerata uerbo. Nam in diuisionibus non quid dicamus, sed quid dicturi simus, ostendimus. Obtinendum etiam, ne quid in ea desit, ne quid supersit. Sic etiam Iuris studiosum reficit certo singularum partium fine, non aliter, quàm facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata in scriptis lapidibus spacia. Nam & exhaustis laboribus nosse mensuram, uoluptati est, & hortatur ad relíqua fortius exequenda, scire quantum supersit. Nihil enim longum uideri necesse est, in quo, quid ultimum sit, certum est. Atqui è regione prouidendum, ne quosdam imitemur, qui inani diligentia per minutissimas partes omnia secant. Nihil enim dilucidæ diuisioni æquè contrarium est, ac tenuis illa, & scrupulose in partes sectæ diuisionis diligentia. In qua re ubi sunt iuristæ nostri? qui quantò plura membra diuidunt, & subdiuidunt, tantò uidentur insigniores: cũm interim propemodum aliud nihil agant, quàm quòd sæpius in re alioqui aperta & conspicua Cimerias tenebras, & confusissimum Chaos inuehunt. Tum uerò autoritati plurimum detrahunt minuta illa, nec iam membra, sed frusta: & huius gloriæ cupidi, quõ subtilius, & copiosius diuisisse uideantur, & superuacua assumunt, & quæ natura singularia sunt, secant: Nec tam plura faciunt, quàm minora. Deinde cũm fecerint mille particulas, in eandem incidunt obscuritatem, contra quam diuisio inuenta est. Quæ res quantumuis exiguum initio malum, eò progressa est, ut iuris studiosi toties diuidentes, & iterum atque iterum subdiuidentes Mandrabuli more in deterius abeuntes nonnunquàm mirentur, se multa quidem legisse, & in eodem tamen luto (quod aiunt) hæsitare, sicq; hęsitare, ut nullus inter eos iure nõ ualeat aduersus hos subtiles subdiuisores, Socratis uti querimonia. Is apud Platonem in Hippia minore sic ait: Circa hęc semper sursum deorsumqũe reuoluor, nec in eadem persisto sententia, neque mirum est, me, rudesqũe alios ad contraria circumuagari, & si sapientes uos oberretis. Id autem nobis graue malum, si neque etiam ad uos profecti errare cessemus. Hæc ille.

Sed quoniam exercitatio maxima est ars memoriæ, quæ rectè compositis diuisionibus plurimũm fouetur, non erit inutile, si iuris Ciuilis candidatus, sese non solùm ijs diuisionibus, quas in Pandectis, aut alijs iuris uoluminibus repererit, sed & illis, quas ipse suo sibi Marte comparauerit, effinxeritqúe, nonnunquàm exerceat: sic tamen, ut conetur diuisionem coercere, ne extra numerum ternarium effluat, quòd ea res plerunque turbat & ordinem & memoriam. Qua in parte subiectæ materiæ, quam partiri uolumus, ratio habebitur. Neque enim, ut Fabius docet, hoc nume-

ro uelut lege est alliganda diuisio, cũm possit causa plures partes desiderare.

Verũm ut aliquando uela complicemus, finem huius extemporarij laboris faciemus, si prius formulas aliquot reponẽdarum iuris diuisionum ostenderimus. Ad hunc igitur modum adolescẽs, cui iuris ciuilis studium cordi fuerit, aliq̃t sibi iuris partitiones pręformabit, Velut si sic dixerimus: Omne ius aut est certum aut dubium. Certum constat scripto, morib. Scriptum uersatur in uerborum interpretatione, uel in recti prauiq̃ discrimine. Vel hoc pacto: Quęstio iuris omnis continetur uerborum proprietate, ęqui disputatione, uoluntatis coniectura. Aut ita: Ius ciuile quoddam est naturale, quoddam legitimum, uel legale. At legitimum uel est distributiuũ, uel emendatiuum, uel talionis. Porrõ distributiuum honoris, pecuniarum, munerum, cæterarum rerum, quæ distribui inter eos possunt, qui eiusdem ciuitatis consortes sunt.

CHRISTOPHORI
HEGENDORPHINI DE COMPENDIARIA DISCENdi iura ciuilia ratione, ad Mauricium Breunlerum Consilium.

CVM nuper mi doctissime Maurici, apud me prandêres, & ut inter prandendum accidere solet, de rebus uarijs confabularemur, tandem de iuuẽtutis nostræ studijs sermo ultrõ citroq̃ inter nos habetur. Vbi tu inter cætera dicebas tibi ualde placere, q̃ iuuentus hoc tempore ad grauiora studia contenderet. Nam alios ad Theologiam animum adijcere, alios Medicinæ studio se tradere, tertios Iurisprudentiæ nomen dare. Verũm hoc tibi displicere aiebas, q̃ cũm tam Theologiæ q̃ Medicinę studiosis multę adeõ, & certæ professionem utranq̃ felicíter auspicandæ uiæ à doctissimis quibusq̃ & Theologis & Medicis præscriptæ sint, nullus inter Iurisconsultos nostri seculi certam iura ciuilia ingrediundi methodum iuuentuti præmonstraret. Addebas, te plerosq̃ non postremi nominis Iurisconsultos sæpe consuluisse, quo nam pacto iuris ciuilis studia feliciter auspicanda essent, sed neminem adhuc aliquid certi tibi ostendisse, nec in ratione accedendi iura ciuilia consensisse. Nam alium ab Institutionibus iuris ciuilis hoc studium auspicandum esse consuluisse, alium ab interpretum lectione in hæc studia ingrediendum esse, suasisse: tertium iuris candidatum, ab initio statim professores iuris omnes diligenter audiendos esse, autorem fuisse: breuiter alios aliam, qua horum studiorum cursus instituẽdus esset, uiam monstrasse. Et cũm, qua es facundia, multorum consilia, quę ijs, qui iuri ciuili se dedere, erant data, nobis inter prandendum disertè exposuisses, tãdem nos intuitus, Ecquid tu Christophore consuleres, ais, si rogareris à iuuene, ut dux ei itineris ad ius ciuile perdiscẽdum esses? Ego uerò in præsentia id, quod mihi commodum & rectum uidebatur, dixi, interim rem mecum altius & accuratius repetens, concepi animo rationem quandã, quæ mihi non omnino absurda, & iuris ciuilis candidato non infrugifera uisa. Cæterũm ut tu istius meæ rationis disceptator esse possis, eam in literas relatam ad te mittere uolui. At ne inter legendum rerum turba onerareris, & tam fortasse fideliter, q̃ salubriter his, qui iuris sacris inaugurari cupiunt, consulatur, dispicere nequeas, in capita quædam uniuersi consilij mei summam redegi.

Primõ, Si in ulla alia re instituenda animo obuersari debet illud, q̃d nescio quis tandem dixit, Deliberandũ esse diu, q̃d statuendũ est semel, in iurisprudẽtia adeunda animo obuersabit, quod moneat iuuenẽ, ut prius secũ deliberet, q̃ ad ius ciuile discẽdum, animum adiungat. Primõ omniũ deliberabit secum,

an

an huic disciplinæ adeundæ maturus sit. Tunc uerò se maturum esse ferat, quando iam omnibus bonis literis se exornauit, quando iam Græcæ, iuxtà Latinæ literaturæ gnarus est. Citra enim bonarũ literarum cognitionem, citra linguarum peritiam, in legum studia, nihil nec spe sua neq; aliorum expectatione dignum effecerit. M. Cicero Tabulas xij. legum, omnium philosophorum bibliothecas uocat, quòd in his omnis philosophiæ partes repositæ & reconditæ sunt. Iam in 50. Pandectarum libris fusius & uberius à ueteribus Cæsaribus, à priscis iurisconsultis partes τῆς φιλοσοφίας expositæ extant. Quòd si igitur illæ Tabulæ xij. uniuersam philosophiam complectuntur, & pandectarum libri ex illis tabulis ceu fontibus promanarunt, omnis philosophiæ gnarus sit oportet, qui in Digest. libr. feliciter uersari uolet. Sed ut quid uelim intelligatur, philosophia mihi finienda est. Philosophia nõ est hoc studij genus, quod sophisticas, & quę Neronis thermas refrigerare possent, nugas persequitur, sed est artiũ dicendi, morum ciuilium, & philosophię cognitio. Dictionẽ, hoc est, orationem tres artes informant, Grammatica, Dialectica, Rhetorica. Grammatica docet, ut uerba uerbis aptè inter loquendum copulemus, ne generibus, ut inquit Cicero, numeris, temporib. personis, casibus, perturbetur oratio. Iam quis negare potest, quin Grãmatices cognitio necessaria sit iuris candidato, quippe sine qua nec uerborũ in ll. contextum obseruare, nec ipse, ut quod dicat, auditor assequatur, efficere potest. Taceo hic de propria & natiua uocum cognitione, cuius quoq; Grãmatica magistra est. Quõ igitur uoces legum intelliget is, qui ẽ Grammatica uocum significationem non unq; perdidicit? Rhetorica orationis cultum, & elegantiam docet. Cultus orationis in hoc situs est, ut id quod dicere uelimus, nitidè, politè, & uenustè dicamus. Elegantia orationis aliud nihil est, q; natiua sermonis puritas, & uenustas. In iure ciuili quanto orationis cultu omnia niteant, quanta orationis elegantia omnia fluant, norũt ij, qui pandectarum libros, uel extremis, ut dicitur digitis attigerunt. At uerò, quid faciet in istis libris iuuenis, omnis cultus, omnis elegantię orationis rudis & expers? Nihil profectò aliud, q̃ homo rusticus in cubiculo uestium cultissimarum, uasorũ Corinthiacorum, rerum omnium elegantissimarum instructissimo facere potest: mirabitur quidem illum omniũ rerum mundum & ornatum, sed illo uti, homo his rebus non exercitus, non nouit, sed nec quid artis in re qualibet sit, præ inscitia intelligit. An nõ etiã hoc omnis elegantię orationis rudi iuris candidato in Pandect. libris omni rationis supellectile elegantissima, omni natiua dictionis puritate refertissimis usui uenire poterit? Nimirum, ut mireẽ quidem ueterum iurisconsl. in dicendo & nitorem & elegantiã, sed præ ignorantia latinę dictionis res quas tantopere admiratur in usum suũ conuertere nesciat, tum quod in hac, uel ista lege artificij intextum sit, prorsus non assequaẽ. Quando in natura comparatum, ut nemo rei, cuius ignarus existit, artem intelligere queat. Nec igitur sermonis artificium, nisi sermonis artifex intelliget. Porrò si iurisconsl. aliquando, ubiubi tandẽ sit, ea facienda erunt, insuaue quid, & ingratum aurib. offundet, si non inescãdarũ aurium illecebras, quæ ẽ rhetoricis discunt, perspectas habuerit. Quid commemorem hic, quòd admodum disertè & distinctè, res uniuersæ in legibus tradant, id quod iuuenis dialecticus imperitus nunq; quoq; intelliget. Dialectica est, n. ars, qua ea, quę disertè & distinctẽ tractata sunt, cognoscimus. Accedit huc, q; in legũ studio subindè probationum iam ἐνστέχνων, iam ἀστέχνων fit mentio: has q̃q; nec assequetur, nec pro dignitate tractare poterit iuuenis, qui Dialecticam nunq̃, uel, ut in prouerbio est, ã limine salutauit. Etenim Dialectica est organũ quoddam, quo & argumentorum formas intelligimus, & rectè argumẽtis uti ualemus. Et hic quidẽ est tam Rhetorices, q̃ Dialectices usus in legib. ipsis tractandis. Quid uerò iurecos. dialectices rudis aget, uel in foro, uel in cõcione ad populũ habenda, uel in cõsilijs dandis? Certè cõfusè

&

& utut impetus quidam mentis dictat, effundet omnia, nec aut quid ipse dicat, si subitò dicendum sit, in promptu habebit, nec quid dixerit, alij intelligent. Nec iniuria, siquidem illius artis expers est, quę statim quid de qualibet re dici debeat, & quo ordine ut intelligatur dicendum sit, cõmonstrat. Venio ad Ethicen, cuius adeõ Pandectarum libri referti sunt, ut mirer, alicui iuueni tam parum esse frontis, ut Philosophiæ Moralis nudior, cẽ leberis carniũ est, ius ciuile attingere audeat. Et audi, Philosophia moralis uirtutum cultum docet, regna, urbes, domos, familias, homines denique ipsos ad optima quęque informat & dirigit. Eadem ius ciuile profitetur. Iuris enim præcepta sunt, honestè uiuere, neminem lædere, ius suum unicuique tribuere. Quid uerò aliud est, honestè uiuere, quàm uitam omnibus uirtutibus excultam traducere? Quid aliud est neminem lædere, cẽ de omnibus bene mereri, male de nullis? Regno suo contentum esse, & alium è regno suo, non ui, non dolo malo exturbare, non alienas domus expugnare, inuadere: non urbibus aliorum uim inferre, eas diripere, ui occupare. At ius suum cuique tribuere, est magistratus uenerari, colere, metuere, uectigal eis persoluere, neminem re sua defraudare, unicuique ius suum illæsum relinquere. Iam cũm Philosophia illa moralis, & ius ciuile eadem doceant, multùm retulerit, in philosophiæ moralis autoribus prius diligenter uersatum esse, cẽ iuris ciuilis studia adeantur, Cũm quantum ad leges naturæ attinet, è quibus Cicerone autore omnia iura ciuilia emanarũt, illæ certè plenius apud Philosophos, cẽ apud iurisconsultos traduntur, Tum quòd quid & uirtutes, quas præmijs ius ciuile ornat, & quid uitia, quæ punit, existant, rectius & accuratius philosophorum, cẽ iurisconsultorum libri explicant. Cæterũm, sunt in iure ciuili multa de ueneficijs, de abortionibus, de homicidijs, de causis rerum uariarum, quæ singula citra philosophiæ naturalis cognitionem nec capi, nec tractari possunt. Nam Philosophia naturalis est, quæ causas, energias ueneni, medicamentorum, quibus abortiones excitentur, cędis ex uulnere inflicto factæ docet. Illa est quoque philosophię pars, quę quid causa, quid effectus, quorum usum & apud Iurisconsultos esse testatur Cicero, commonstrat. Necessaria igitur iuris studioso huius philosophię partis cognitio existit. Enimuerõ cũm in Pandectarum libris aliquando Platonis, aliquando Homeri testimonium ad leges corroborandas adducatur: Cũ omnes Digestorum libri adeõ Græcis uocibus pleni sint, ut uix Athenis tot ululæ fuerint: Cũm subinde â priscis iurisconsultis ad Græcorum literas tacitẽ alludatur, Gręcam linguam calleat oportet is, qui iuris ciuilis adyta penetrare concupiscit. De elegantia Latini sermonis, quo leges conscriptæ sunt, quid multa commemorem? cũm antehac dictum sit, legibus nihil uenustius, nihil latinius existere. Eat igitur aliquis, & ius ciuile se ad unguem intellecturum speret, etiamsi omnis Latini sermonis imperitus sit. Quis nunc igitur tam stupidus est, ut non intelligat, se tunc maturum legibus ciuilibus adeundis fore, quum totius philosophiæ, cũm tam Græcæ quàm Latinæ linguæ peritiam sibi compararit? Sub hæc iuuenis ius ciuile aditurus cogitet, an uoce, memoria, facundia polleat, quæ si in eo desiderantur, nisi forsitan nunquàm in solem proditurus sit, sed semper in umbra secum aut διατριβήν, aut consilijs tantùm conscribendis operam suam impendere uelit, nescio an ad ius ciuile animum appellere debeat. S.A. ten Brink 1936

Ridetur iurisconsultus si in publico agat, & non uoce leui, suaui, flexibili auditorum demulceat aures. Turpiter se dat iuri ciuili, si Coruino obliuiosior sit, nihil uel ipse memoriter reddere, uel nihil, quod ab aduersario dictum est, memoria complecti queat. Nunquàm se publico committere audebit is, qui infacundiæ suæ conscius est. Semper enim metuet, ut anceps orationis euentus est, ne aut pudore suffusus interfilescat, aut balbutiendo procerum, qui auscultant, aures enecet.

Secundò,

Secundò. Nec illud iuris ſtudia aditurus ignoret, Iuriſprudentiam à Deo concedi, & Dei donum exiſtere, proinde bona conſcientia eam & excoli & exerceri poſſe. Nam cũm Magiſtratus à Deo ſit, ad Rom. 13. nec Magiſtratus ſine legibus officio ſuo fungi queat, ſiquidẽ è legibus quæ iuſta, quæ iniuſta ſunt condiſcit, ẽ legibus quæ pœna, quę prę̃mio digna exiſtunt facta hominũ percipit. Leges igitur Ciuiles, ut quæ partes omnes Magiſtratus ſunt, à Deo profectæ ſunt, & à Chriſtiano quoq; tractari cõſcientia bona queunt. Id quod hac gratia moneo, ut è pectoribus quorundam opinionem illam prauam radicitus euellam, qua ſibi legũ ciuilium tractationem & ſcientiam Chriſtiano homine indignam perſuadent, ut cui Deus prorſus infenſus ſit. Quę opinio duo mala parit, Vnum, quòd neminem & Chriſtianum, & Iuriſcõſultum eſſe poſſe efficit, Vnde etiam uox illa nulli non in ore emanauit, Omnis Iuriſconſultus malè de religione ſentit: Alterum, quòd permulti ignari hãc profeſsionẽ à Deo ordinatam eſſe, in hac citra omnem conſcientiam prorſus ἀθεότητι uolutantur, quippe qui præter unum lucrum quo iure quaq; iniuria partum aliud quærunt nihil. Nec deerunt hic ſanè homines abſq; fronte, qui me ridebunt, quòd Iuriſconſultum pium quoq; eſſe uelim. Sed quid mea refert, quid impiũ Lucriſugarum genus in me deblateret, modò illa Pauli ſentẽtia uera ſit apud Roma. 14. Vnuſquiſq; ueſtrum de ſe ipſo rationem reddet Deo. Vnuſquiſq;, dicit Paulus, ſiue igitur Iuriſcõſultus es, ſiue Medicus, ſiue Theologus, de factis tuis tibi rationem reddendam eſſe certõ ſcias. Proinde unicuiq; ita agendum erit, ne ubi Dominus nobiſcum rationem poſiturus ueniat, rationem uitæ noſtræ reddere non poſsimus.

Tertiò. Rectè monuit quidam, dum in quauis re finem ſpectari uult. Sic enim fit, ut quis & de re cui ſe dicare cupit, cõſilium capere queat, digna ne ſit cui ſe dicet. Tum fine rei ob oculos obuerſante, re aliter atq; æquum eſt, non temerè utetur. Proinde iuuenis iura Ciuilia aditurus, quis eorum finis ſit, ſecũ cogitet: & deinde ea uel amplectetur, uel fugiat: & ubi ea iam perdidicit, etiã ſtudeat ne aliorſum atq; debet, iuribus Ciuilibus utatur. Sũt uerò fines iuriſprudentiæ uarij, unus eſt, ut iuris Ciuilis cognitione parata Rempublicam rectè & prudenter gubernare poſsimus. Hunc finem iuriſprudentiæ ſtatuit Iuſtinianus Imperator in præfatione Inſtitutionum. Alius eſt, ut per iuris Ciuilis cognitionem tandem uiduis oppreſsis ſubueniamus, pupillis uexatis ſuccurramus: quæ opera & Deo apprimẽ cordi ſunt, & quæ à nobis in primis exigit Eſa. 1. Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillum, hoc eſt, defendite, Hebræorum more, defendite uiduam. Eſt quoq; & ille Iuriſprudẽtiæ finis, ut nobis conſtet quid noſtrum, quid aliorum, quid æquum, quid iniquum ſit. Sic enim Cicero in Oratione pro Cecinna inquit: Hoc uobis in mẽtem ueniat, nihil eſſe in ciuitate tam diligenter, quàm ius Ciuile retinendum. Etenim hoc ſublato nihil eſt, quare exploratum cuiquam poſsit eſſe, quid ſuum, aut quid alienum: nihil eſt quod æquabile inter omnes homines, atq; unum omnibus eſſe poſsit. Hæc ille. Iam quòd pleriq; iure Ciuili abutuntur, et quod ad hominum ſalutem repertum eſt, ad eorum perniciem & damnum cõuertitur, id non iuri Ciuili, ſed prauæ hominum uoluntati imputandũ eſt. Niſi fortè ſacroſanctam Theologiam damnabimus, quòd ea pleriq; Hierophantæ adeo abutuntur, ut nihil minus, quàm quod dicitur, uideri poſsit. Sed hoc prorſus ex animis hominum reuulſum eſſe debet, uti profeſsiones literarũ ex prauis hominum abutentium cupiditatibus uel damnent uel uituperent.

Quartò. Reliquum eſt, ut doceamus, quæ nam is qui iuri diſcendo animũ adiungit uel priuatim legere, uel publicè audire debeat. Ego quod mihi commodum & rectum uidetur, dicam: ſi quid commodius & rectius alicui uiſum fuerit, huic mea ſententia nihil præiudicatum eſſe uolo. Mea hæc eſt ratio: Iuriſconſulto futuro nihil eſſe melius, nihil cõducibilius, quàm ut primò omni-

um Institutiones iuris ciuilis & priuato Marte legat, & si præceptoris idonei copia est, audiat. Nam cũm Fabio autore ad summa præcedentibus initijs non perueniatur, & libri Institutionum elementa & initia iuris sint, meritò ab illis iuris Ciuilis studia auspicamur. Cæterũm Institutiones illas iuris ita à iuuene legi uolo, ut simplici uerborum Iustiniani sensu cõtentus sit. Accursij glossas, quæ sanè magna ex parte optimæ sunt, aliquandiu missas faciat. Idq; duobus nominibus, partim quòd rudimenta prima simplicissimè discenda sunt: partim quòd Glossæ Institutionum utilia quidem multa, sed etiam multa parerga, & difficilia producunt, quæ rudem adhuc animum, multitudine & uarietate onerare, & à studio illo prorsus absterrere queunt. Adhæc uolo iuuenem tam diligenter, tam crebrò Institutionum libros legere, ut nullus sit paragraphus in ullo titulo, quin eum melius quàm ungues suos teneat. Deinde nec mihi infrugiferum uidetur, ut iuuenis iuri Ciuili destinatus, Titulum de uerborum & rerum significatione, diligenter euoluat, legat, relegatq;. Nam quando quælibet professio sua peculiaria habet uocabula, quibus nõ perspectis, in ea professione feliciter uersari possit nemo, non iniuria Titulus ille à iuris Ciuilis candidato studiosissimè legetur: nempe è quo uocabula iuri Ciuili propria consecuturus est. Circumfertur uulgo Lexicon quoddã iuris Ciuilis, quod quamuis non omnino indignum est lectu, tamen iuuenem malim ad fontes statim rerum ab initio contendere, quàm circa riuulos consenescere. Postremò & illud mihi consultum primis discentium studijs uidetur, ut Regulas iuris memoriter discat. In legendis autem Regulis nolo quoq; iuuenẽ multum esse solicitum quid Glossarij adferant, satis sit, si Regulas simplicissimè & intelligat, & memoria teneat. Vbi aliquando plus uirium in legibus habuerit, tum si uolet Glossulariorum exegeses consulere potest. Hæc quæ aliquandiu iuuenem iuri Ciuili se destinantem quàm potest fieri & diligentissimè legere, & audire uelim.

Quintò. Cæterũm, ubi iam in Institutionibus, in Titulo de rerum & uerborum significatione, in Regulis iuris aliquandiu uersatus est, tum ad Codicem audiendum, si modò præceptor idoneus adsit, uel si præceptor desit, legendum, gradum faciet. In quo hoc primò omnium elaborabit, ut omnium titulorum Codicis elenchos & argumenta probè comperta habeat, quò si de aliqua re sermo oriatur, statim ubi aliquid de hac re conquirat, ei suppeditet: & tunc coniunctim tam Institutiones quàm Codicem & legere & audire poterit. Tunc quoq; tempus est, ut Glossas illas, quas Ordinarias uocant, adeat: & quàm aptè, & quàm disertè leges uel exponant uel adducant, cognoscere studeat: id quod non parum ad augendam iudicij acrimoniam conduxerit. Nolo ut iuuenis statim se interpretum turba coëmenda oneret. Si ei interpretes legere in animo est, illa Glossarum ὑπομνήματα legat. Bartolo, Baldo, & alijs interpretibus legendis tunc tempus erit, quando iam legibus exercitatus, iudicare queat, ubi interpretes legibus aut cõsentanea aut dissentanea scripserint. Alioqui dum quis diligentius & prius interpretes, quàm iura Ciuilia legit, euenit, ut non rarò in errorem ducatur, quãdo nemo negare potest interpretes sæpissimè in legum exegesi turpiter hallucinari & aberrare.

Sextõ. At cũm quis & multam & longam operam euoluendis & Institutionibus & Codice impendit, tum primũm Pandectarum libros uel ipse legat, uel prælegi audiat. In quibus legendis hoc quoq; iuuenem præstare uelim, ut Titulorum rationem habeat, & ad titulum leges quaslibet exigat. ita sanè futurum reor, ut ei leges Titulorum intellectu faciliores existant. Quod si iam interpretes emere uult, emat paucos, & eos quidem selectos, cuiusmodi est Bartolus, Baldus, Paulus de Castro, Philippus Decius, Zasius, Alciatus, quos iudicio quàm potest maximo leget, non statim ex Tripode, quod aiunt, prolatum esse existimans, si quid Bartolus uel Baldus dixerint: sed secum

cum expendat, an ea quæ affirmant, cum legibus congruant: item quibus orationibus utantur, qua fide leges legibus concilient. Breuiter in interpretibus legendis, Iuueni istæ regulæ positæ sint. Prima Regula: Inciuile est, non tota lege perspecta, aliqua eius particula proposita iudicare, uel respondere. Ex hac Regula deprehendet, Interpretes locis quàm plurimis, unum, aut alterum uerbum ex lege quapiam ad aliquid uel confirmandum, uel infirmandum decerpere: quod si tota lex perpendatur, uel ex diametro cum eo, ad quod citatum est, pugnare conspexerit. Secunda Regula: Is fraudem legi facit, qui saluis uerbis legis sententiam eius circumuenit. Hæc Regula eo facit, ne iuuenis temerè patiatur sibi aperta legum uerba in sensum planè alienum detorqueri.

Septimò. Volo quoq; iuuenem summo studio audire eos, qui iura profitentur. Notum enim est illud Ciceronis ad Trebatium, artem illam iuris lumen & Doctorem requirere: Vnde idem se in iure Ciuili M. Scæuola præceptore usum fatetur. Vbi iuuenis è prælectione domum redierit, tum hac ratione utetur. Primò omnium, thema legis à præceptore rectè ne, an perperam efformatum sit: Deinde, an & ad aliam speciem causæ hæc lex accommodari queat, secum cogitet. Postremò ubi legem rectè intellexit, eam memoriæ mandet. Et ut hæc obiter moneam: Nolo iuuenem se multis uel prælectionibus onerare, uel multis priuatim legendis obruere: quando memoria rerũ multitudine non rarò & hebescit, & deperit. Proinde unam aut alteram horam audiendis legibus impertiat. Pauca legat priuatim. Quæ audiuit, quæ legit, in memoriæ thesaurum reponat. Et ne uel audita uel lecta excidant, ea subinde à se exigat: succurrat ei id quod Alphenus fœnerator apud Columellam scribit, quamuis bona nomina mala fieri, nisi admoneas. Cogitet quãuis felici memoria prædítus sit, quamuis res bene memoria complectatur, effugere posse, si non eas subinde, quasi se de credito appellando, repetat. Cùm uerò omnes artes usu & parentur & confirmentur, uelim quoq; iuuenem iuri Ciuili deditum, aliquot progymnasmata habere, in quibus si quæ uel audit, uel legit, in Solem, quod aiunt, ex umbra producere queat. Progymnasma primum: Si iuuenis inter suos contubernales eiusdem studij æmulos uersatur, mox ea quę aut auditu, aut lectione priuata in legibus accepit, in medium proferat, & aliorum sententiam ac iudicium de his conquirat. Secundum: Non rarò & iuris Ciuilis candidati conueniant, & themate, ueluti malo contentionis in medium coniecto, inter se digladientur, & legibus leges oppugnent: Leges quæ inter se discordare uidentur, in concordiam redigere conentur. Quod si ultra uires eorum est, adeant præceptorem, qui disceptationem eorum de Antinomijs ortam dirimat. Tertium: Disputationibus publicis diligenter se exerceant, in quibus ut rectè uersari queant, profuerit Topica Ciceronis studioſè legisse, è quibus locos eos petere poterint, quibus instructi, rectè & facilè colligent, & ratiocinabuntur. Quartum: Non parum & illud iuris candidatis profuerit, si domesticis declamationibus contenderint, ita ut alter Actoris, alter Rei partes subeat. Qua ratione & ad usum forensem, & in publico agendum, magnam uiam aperuerint. Formulam talium declamationũ si quis requirit, is ex Alciato Iurisconsultorum nostri seculi Alpha depromat. Quintum: Velim, ut & iuuenes statutis horis cotidiè confluerent, & quod quisque de legibus in memoriam repositum esset, in commune expromeret: sic & præter hoc quod ipse didicit, usura quoque eorum quæ alij adferrent, quisque per se, in iuris Ciuilis cognitione locupletabitur.

Octauò. Porrò quando rerum quæ in legibus traduntur, tanta est multitudo, ut si uel Simonidem memoria uincas, rerum earum meminisse non possis, locos communes instruet iuuenis, in quos & ea quæ quotidiana lectione

obseruat, conferat: & ē quibus, si quæ excíderint, postliminio in memoriam reponet. Et sunt, fateor, Tituli ipsi iuris Ciuilis loci communes, tamen & alij comparari possunt: quorum ut iuuentus gustum quendam habeat, paucos subijciam.

Locus sit, Citatio. Ille in plures locos diuidi potest, quorū primus est, quando quis citandus sit. Secundus, quo loco quis citandus sit. Tertius, an citatio die festo facta aliquid momēti habeat. Quartus, An pars aliqua citra consensum iudicis, alteram partem in ius uocare queat. Quintus, Citatio peremptoria quid energiæ habeat. Sextus, qua mulcta afficiendus qui peremptorie citatus emaneat. Septimus, Formulæ citandi. Et si qui alij loci sunt, qui ex uno loco manant.

Item, sit locus communis, An Rescripta principum contra leges extorta, aliquid uirtutis obtineant.

Item, An creditor pignore debitoris uti possit.

Item, In qua re ius Ciuile cum Municipali discrepet.

Item, Varię uariarum ciuitatum consuetudines.

Item, Vbi in lege quadam exponenda Bartolus ab alio interprete dissentiat, ubi cum alio consentiat.

Item, Vbi Bartolus uel Baldus in lege quadam interpretanda, tota, quod aiunt, uia errauerit.

Item, Accursij errata in legum exegesi.

Item, Concordia iuris Ciuilis, & Canonici.

Possunt & alij loci innumerabiles parari. Ego hos pauculos monstrasse uolo, ut iuuenem ad alios instituendos commonefaciam.

D. FRANCISCI DVARENI ad Andream Guillartum, clarissimi uiri Andreæ Guillarti, libellorum in Regia magistri, filium, De ratione docendi, discendiq; iuris conscripta Epistola.

SAEPE mecū egisti Guillarte, ut quę tu, & ex æqualibus tuis nonnulli Ciuilis disciplinæ studiosi iuuenes, me aliquando de ratione docendi discendiq; iuris, extempore differentē audieratis, ea uobis paulò accuratius descripta traderē ac cōmunicarem: quò & diutius permanerent prodita literis, & facilius etiā à uobis repeti, ac per ocium cōsiderari possent. Quòd autē expectatione tua id tardius effecerim, una hæc causa mehercule fuit, quia uerebar, ut satis maturū nostrū istud consilium esset, quod in gratiam potissimūm tuam à nobis descriptū, ad multorum manus peruenturum augurabar. Itaq; ego aliquantisper cunctandum esse duxi, ut non solùm in eius rei cogitatione diutius uersari, uerumetiā cum uiris sapientibus & eruditis, de toto hoc genere colloqui, ac commentari possem: haudquaq; ignarus, quantum ea συζητησις, & communicatio opinionum, ad quanq; rem cognoscendam percipiendamq; momentum habeat. Illud uerò percommodè cecidit, quòd sicut M. Cicero de optimo Reipubl. statu scripturus, Romanā tantūm Rempubl. sibi describendā esse putauit, quòd ea omnibus alijs antecelleret: ita & mihi quodnam esset optimū illud iuris docendi genus inquirenti, quo etiā magna ex parte eiusdē discēdi ratio uidetur cōtineri, nō aliud tandem mihi hoc tēpore præstātius occurrit, q̄ quod in nostra schola haudita pridem institutum, & à te cæterisq; felicioris ingenij atq; indolis iuuenibus magno cum plausu exceptum fuit. Sic enim futurum spero, aut confido potius, ut nostrū hoc institutum, quod uel primoribus degustatū labris tantopere placuit, ubi uariā, multiplicemq; eius utilitatē ac suauitatē ostendero,

oſtendero, ſingulari quodam ſtudio & amore complectamini. Atq; utinam ego tam graphicē rem totam depingere, uobisq; uelut oculis ſpectandā proponere poſsim, quām uehementer quamq; ex animo de ueſtris, omniumq; proborum adoleſcentium ſtudijs bene mereri ſtudeo. Nō enim ſum neſcius, quam perſonam in hac celebri ſchola ſuſtineam, & quantum expediat iuuentuti de his rebus, quæ ad ſtudiorum rationem pertinent, ſubinde admoneri: Cūm præſertim hodie quām pauciſsimi ſint, qui ea recto conſilio aggrediantur, & in quos illud non conueniat, καλῶς μὲν τρέχουσιν, ἀλλ' ἐκτὸς τῆς ὁδοῦ. Inde fit, ut ſedulò quidem plæroſq;, ſed irrito labore, & admodum infeliciter moliri uideamus: quos ab errore in uiam reuocare, boni præceptoris eſſe exiſtimo. Sed cūm uos iam cohortatione noſtra excitati, rectam, niſi fallor, uiam ingredi cœperitis, non adeo fortaſsis neceſſarium uobis hoc noſtrum officium uideri poſsit. Attamen ut currentes, quod aiunt, inſtigemus, dabimus operam, ut quæ nos ad rectam ſtudiorum inſtitutionem idonea atq; utilia eſſe comperimus, ea ſi minus eleganti & ſplendida oratione, ſimplici certè, & non nimis ut ſperamus, abiecta, nunc breuiter exponamus.

Verūm antequam ad eius rei tractationē aggrediamur, quædam de uulgari illo profeſſorum in legibus interpretandis more, qui etiamnū ubiq; in ſcholis retinetur, dicturi ſumus, Iſmeniamq; tibicinem imitaturi, qui diſcipulis ſuis non tantūm bene, ſed etiam male canentes oſtendebat, dicens, hoc modo canendum eſt, illo nequaquam. Nam & hac ratione aduerſariorum calumnias refellemus, quos utiq; nobis æquiores fore confidimus, ubi intellexerint ueterem receptamq; docendi conſuetudinem non temerè à nobis, nec qualibet de cauſa, immutatam fuiſſe. Scimus enim quanta nos premant inuidia apud imperitam plebeculam nonnulli, duorum ſcilicet uitiorum inſimulātes, quorum unum Græci φιλόκαινον, id eſt, nouarum rerum appetentiam, alterū huic germanum ac propinquum ἀψίκορον uocant, quo mox faſtidiuntur paulò antè adamata. Quibus uitijs haud ſcio an aliud in Repub. ſit periculoſius. Et utinam accuſatores noſtri à maledicentia, & obtrectandi libidine tam alieni eſſent, q̄ nos hæc uitia odimus ac deteſtamur. Etenim tantum abeſt, ut res bonas atq; utiles innouantibus faueamus, ut ne eas quidem, quæ aliquid habēt incōmodi, modò nimis intolerabile non ſit, facilè mutari patiamur. Nec adeo Plautinum illud uſq; quaq; improbamus, quod à quibuſdam accepimus nobis obijci ſolere: Nota res mala, optima eſt. Veruntamē ſi quid tempore ipſo admoniti in ueteribus inſtitutis deprehendimus, quod ſeculi noſtri moribus parum conueniat, idq; emendatione aliqua dignum iudicauimus, equidem non arbitror iure id nobis uitio uerti poſſe. Nam & in legibus publicis idem uſuuenire ſcimus, quæ, ut ait Liuius, mortales, ac temporibus ipſis mutabiles ſunt, ut quæ in bello latæ ſunt, pax: quæ in pace, bellum plærunque abroget. Sic & in nauis adminiſtratione, alia in ſecunda, alia in aduerſa tempeſtate uſui eſſe uidemus & experimur. Iam uerò cūm inter omnes ſanos, & eruditos homines, qui ſeſe huic ſtudio dediderunt, conſtet eam interpretandi iuris conſuetudinem inoleuiſſe, ut nullo unquam ſeculo ferri à quoquam debuerit, nedum hoc feliciſsimo, & præcellentium ingeniorum feraciſsimo tempore, quis tam iniquus in nos iudex, ut cauſam noſtram, bonorum omnium fauore ac patrocinio magis, quām inſectatione dignam eſſe non protinus iudicet? Nec ſanē opus eſt, quæ peccantur in ea re, ſingula copioſius hic recenſeri, quæ uobis non ignota eſſe reor. Memini ſiquidem ex uobis audire, cūm nuper in huiuſmodi Doctores incidiſſetis, tantum iſtius corruptiſsimæ doctrinæ odium animo concepiſſe, ut parum abfuerit, quin ſtudio iuris, multa ſalute dicta, ad quamuis aliam ex inferioribus ac leuioribus diſciplinis animum applicaretis: idq; uos facturos

fuisse, nisi noua nostra docendi ratio, aut, ut uerius dicam, uetus, sed à nobis longo interuallo repetita, ac renouata, cuius fama uos in scholam auditorium̄q; nostrum pertraxerat, eosdem repressisset, & continuisset. Dicam igitur ex multis, ac propemodum infinitis pauca, ex quibus nostrum de ea re iudicium à uestro non multum discrepare cognoscetis: & uos istius incepti, quasi ex certa ratione magis, quàm errore aliquo, ac leuitate iuuenili profectum sit, minus (ut spero) pœnitebit. Ac in primis illud magnoperē improbandum ducimus, quòd proprietas Latini sermōnis, cuius meritò tribuitur laus ueteribus Iureconsultis, hodie in omnibus ferè gymnasijs negligitur. Nam pro latinis, proprijs, & elegantibus uocabulis, noua eadem̄q; inepta, & monstrosa à professoribus cuduntur, ex quibus conflata oratio, quia præ nimia obscuritate non intelligitur, idonea ad docendum esse non potest. Idq; factum esse à plærisq; scio, qui cūm uerbis proprijs, & apud scriptores probatos, quos quotidiè manibus tererent, usitatis, satis commodè & dilucidè cogitata sua efferre possent, tamen quō disputationes suas obscuriores redderent, & offusa rudioribus caligine maiori in uulgus essent admirationi, noua atque inaudita comminisci maluerunt, quæ nemo, nisi ab ipsis per multos annos edoctus, aut in huiusmodi scriptis diu multumq; uersatus, intelligeret. Erunt fortasse qui dicent rudi adhuc & impolito seculo uerbis ex medio sumptis utendum fuisse, quæ ab idiotis & plebeijs hominibus, quales tum plærique huius artis studiosi erant, minore negotio perciperentur. Balbus enim, ut in prouerbio est, balbum rectius intelligit. Sit ita sanè: Non enim summo iure cum ijs, qui ista defendunt, contendere cupio. Sed quæ, malum, dementia est, uobis uestrisq; similibus, id est, bonarum artium linguarum̄q; peritia non leuiter instructis iuuenibus, quales hodie magna ex parte uidemus eos, qui ad iuris Ciuilis studia se conferunt, hasce ineptias obtrudere, & ea oratione uti, quæ rebus obscuris nullam addat lucem, claris uerò & perspicuis tenebras obducat. Accedit hoc etiam mali, quòd ea sermonis rusticitas, & plusquàm Scythica barbaries, auditores ipsos elegantioribus perpolitos literis, ab hac disciplina prorsus alienat, & auertit: quos ad eam potius, utpotè seueriorem, & primo aspectu inamœnam, orationis nitore & puritate uelut illecebris quibusdam, & lenocinijs allici conueniebat. Nec tantùm ideo nocet iuuentuti horrida, incultaq; istorum oratio, quòd nullis eam blanditijs demulceat, uerumetiam quia nullius ferē creduntur esse iudicij, qui tam ineptè, & inquinatè siue scribunt siue loquuntur. Nam incredibilis illa infantia, eos in rectè dicendi studio, & ijs autoribus legendis, quibus prudentia & iudicium acquiritur ac confirmatur, seriam operam non posuisse, ac ne puerilibus quidem disciplinis imbutos esse satis arguit. Itaque talibus professoribus si qui dant operam, uel inopia meliorum, uel aliqua fortasis necessitate adacti, quia contemptim & oscitanter audiunt magis, quàm auscultant, minore cum fructu id faciant necesse est. Cæterūm ista corruptē loquendi ac scribendi consuetudo quos errores quasq; contentiones pariat, tam facilè mihi esset hic demonstrare, quām liquidò confirmare possum, ingentem illam commentariorum molem, qua totum penè ius obrutum est, magna ex parte ex futilibus & ociosis altercationibus, quas puri sermonis contemptus & ignoratio peperit, natam esse. Sed quia instituti nostri ratio fusius hæc differi non patitur, ad reliqua iuris professorum uitia atq; errata iam nostra festinat oratio. In quibus illud nō minimum est, quòd methodus, & ars docendi nō minus quàm sermonis proprietas apud eos contempta iacet, licet utraq; res ad docendum æquè sit necessaria. Nā, ut præclarè inquit Cicero, nō solū aliquid scire artis est, sed est quędā ars etiā docendi, in qua Seruiū Sulpitium ualde exercitatum fuisse, ideoq;

cæteris

cæteris excelluisse iureconsultis, idem autor est. Fieri enim non potest, ut sine ea methodo, quam Aristoteles, Galenus, & alij eruditissimi uiri docuerũt, quaq; in scriptis suis nunquam non usi sunt, quicquam rectè doceatur. At in istorum doctrina, Dij boni, quàm confusanea, ut (uerè dicam) monstrosa sunt omnia. Miscentur & cõfunduntur, quæ oportebat secerni, & quæ natura cõiungi postulat, seiunguntur, ac distrahuntur: ut quod de ueteribus quibusdã Iureconsultis scriptum reliquit Cicero, multò rectius in istos torqueri posse uideatur: Sed iureconsulti, inquit, siue erroris obiiciendi causa, quò plura & difficiliora scire uideantur: siue quod similius ueri est, ignoratione docendi sæpe quod positum est in una cognitione, id in infinita dispertiuntur. Nónne uidetis, ut omnes in omnium interpretum, qui propẽ innumerabiles sunt, commentarijs magis, quàm legibus interpretandis occupati, de re paucissima, præter rem infinita tum scribunt tum loquuntur? ut alienissimis locis inculcant quæcunq; libet? ut unius uoculæ arrepta occasione euagãtur à proposito, nihil pensi habentes, ut rectè quidam ait, quid quoq; loco aut dicatur aut scribatur? ut deniq; Bartolis, Baldis, Paulis, Fulgosijs, Alexandris, Iasonibus, Socinis, Curtijs, Decijs, Purpuratis, alijsq; multò ignobilioribus appellandis, eorumq; recensendis opinionibus sibi placent? quasi uerò non cuiuis homini ingenioso & mediocriter in his studijs uersato id factu perquàm facile sit: aut obscurum sit, eos ad inanem quandam memoriæ ostentationem, nõ ad studiosorum utilitatem id facere. Titus Quintius imperator populi Romani, cũm Aetolorum legati in concilio quodam Achæos à fide Romanorũ abducere uolentes, uires suas supra modum extollerent, ac uarijs generibus armorum & inauditarum gentium nominibus commemorandis ipsos terrerent, facetè sic eos elusisse fertur: Res, inquit, simillima est cœnæ Chalcidensis hospitis mei, hominis & boni, & sciti conuiuatoris, apud quem solstitiali tempore conuiuio accepti cũm miraremur, unde illi eo tempore anni tanta suppeteret uenatus copia, tum arridens homo non, quàm isti sunt, gloriosus, ex uno sue domestico uarietatem illam & speciem ferinæ carnis factã esse confessus est: non secus isti faciunt, inquit, qui uarijs & horrendis nominibus uos territant, cũm una gens sit. Hi enim omnes Syrij sunt, sed armis inter se ad speciem ingentis exercitus distincti. Idẽ & uos de hac tam magnifica & fastuosa uariorum iuris interpretum, librorum, tractatuum commemoratione proculdubio existimare debetis, quæ sine ullo fructu & commodo ad miraculum excitandũ fieri solet. Eadem enim descripta sunt à plurib. sed paucis commutatis uerbis, ac plerunq; ne commutatis quidem, toties repetita, ut non dubitem quin omnia huiusmodi scripta quamlibet prolixa & uerbosa, si quis in eo modicẽ sibi elaborandum esse duxerit, ad paucissimum numerum librorum facilè redigi queant. Est & aliud, idq; tertiũ, in quo ita grauiter, meo iudicio, peccatur à multis, ut cætera, quæ per se grauia sunt errata, præ hoc uno leuia, ac propè contemnenda uideãtur: nempe quòd illis impostoribus non satis est barbarè & cõfusè omnia tractare, nisi etiam disputationibus suis sophisticen perpetuò admisceant. Summam enim ingenij laudem esse ducũt, non uera explicare, sed bonas, utiles, & receptas aliorum sententias petulãter euertere, quasi ipsos pudeat usquam cum quoquam consentire, & nihil uerũ, nisi idem diuersum sit. Et quia turpe sibi existimant homines plus satis ambitiosi, quæ recta & simplicia sunt, quia nimiũ scilicet uulgaria & facilia sequi, quibus præstigijs (dij boni) & commentis ueritatem obruunt, quò aliquid paulò argutius, nec ab alijs antè excogitatum (id enim palmarium est inter eos) in medium adduxisse uideantur. Itaq; de huiusmodi doctoribus illud uerè dici potest, quod Antonius apud Ciceronem de Philosophis scribit: Ipsi se compungunt suis acuminibus, & multa quærendo reperiunt non modò ea, quæ iam non possint ipsi dissoluere, sed etiam quibus antè exorsa & po

tius detexta propè retexantur. Hæc quia non intelliguntur à iuuenibus, nec adeo intelligi possunt, uidentur plærisq; ingeniosa, qui ea sola mirantur & habent in precio, quæ non intelligunt, & subtilissimam oportere rem esse arbitrantur, quam ipsi non cernant. Quę uerò simplicia atq; perspicua sunt, quęq; plus operis habent, quàm ostentationis, ipsis ut puerilia sordent, ac nihili fiunt. Ego uerò tantum abest ut acumen istud magnopere mirer, ut etiam bonorum omnium uirorum & eruditorum odio & insectatione dignum esse putem. Nam plæraq; id genus inuenta, quæ magno illi cum fastu, ut noua atque inaudita in cœlum efferunt, huiusmodi esse certò scimus, ut mirum uideri non debeat, si homini sano & integri iudicij nullo unquam tempore in mentem uenerint. Quæ quidem ut arguta sint atq; ingeniosa, quia tamen inanissima prudentiæ sunt, nullum adferunt studiosis fructum: quin potius ita iudicium omne peruertunt, & corrumpunt, ut uulgus hominum rectius ac sinceriùs, quàm qui talibus argutijs sophisticisq; cauillis assueuerunt, de ciuilibus ac serijs rebus iudicare soleat. Quid enim aliud eos facere uideas, quàm λεπτολογεῖν, καὶ πόδα κατανῦ στολεχεῖν, ut de philosophis Aristophanes ait: id est, non tantùm de rebus tenuibus ac friuolis disputare, sed etiam de meris nugamentis anxiè torqueri. Euclidis schola, quòd arguta quidem, sed ad rectè uiuendum inutilia docere uideretur, χολὴ, id est, bilis ac molestia à quodam uocitata est: cùm tamen discipulis suis ea traderet, quæ si minus ad mores, & rectam uitæ institutionem, saltem ad id ipsum, quod profitebatur, magnopere pertinerent. Quo igitur nomine istorum scholam uocari par est, qui ueram germanamq; philosophiam, id est, boni & æqui scientiam professi, non tam iustitiæ & æquitatis, quàm litigandi monstrant uias? Quædam fortassis augendi criminis causa nonnullis confinxisse uidebor, uerùm non dubitò, quin homines sani & eruditi, quibus hæc σοφιστομανία ignota non est, multò parcius q̃ res tanta postulet, de ea me loqui existiment. Ac breui futurum auguror, ut fucus ille, quem pauci tantùm hodie perspiciunt, non minus innotescat hominibus, quàm Aristotelicæ (ut de Christiana taceam) philosophiæ professorum impostura nostro seculo omnibus patefacta atq; explorata est. Eò enim iam euaserunt istorum præstigiæ, ut nulla dissimulatione tegi diu possint, quas ne ipsi quidem omnino probant: sed eos id piget confiteri, tum quia seram esse pœnitentiam credunt, tum etiam quia nisi omnia perturbent, & de industria nebulas offundentes artem reddãt obscuriorem, uerentur ne in tenui & expolita omnibus scientia uersari, nec tanta mercede, quanta plærique eorum docent, id est, amplissima digni uideantur. Scitum est illud Catonis, qui mirari se aiebat, quòd non rideret aruspex, quoties aruspicem uidisset: sentiens hoc genus diuinationum nihil aliud quàm meram impostura esse. Nobis uerò longè aliud accidit, quãm Catoni, qui iuuentutis imperitæ stultitiam & patientiam facetè & suauiter eos uidere solitos non ignoramus. Malam eorum mentem atque improbitatem magis demiramur, quos non pudet studiosorum iuuenum simplicitate sic abuti, & in ea re, quæ maximè omnium seria est, maximiq; momenti, tam procaciter ludere, idq; uel in ipsis Institutionum libris, qui elementa iuris Ciuilis uia & ratione perquam eleganter accurateq; descripta continent. Quo quid indignius dici cogitariue potest? Hæc sunt mi Andrea, quæ de corruptissima illa iuris interpretandi consuetudine, quæ uulgò in gymnasijs hodie recepta est, quantum instituta breuitas, & modus epistolæ patiebatur, imò uerò magis quàm patiebatur, dicenda putaui. Ex quibus (opinor) intelliges, quantoperè hæc pestis discentium studia remoretur, quantumq; detrimenti qua publicè qua priuatim adferat. Vnde fit, ut cùm scientia iuris omnium facilima meritò à ueteribus existimata sit, nullus tamen labor, nulla ætas ad percipiendam eam satis esse credatur.

datur. Menedemus quidam Eretrienſis dicebat, plurimos nauigare Athenas ſtudiorum gratia, qui primùm eſſent ſapientes, deinde philoſophi, hoc eſt, ſapientiæ amantes, poſtea Rhetores, denicq; progreſſu temporis euadere idiotas. Idem de huius diſciplinæ ſtudioſis uulgò iactari ſolere quis neſcit? nimirum quòd primo anno ſint Doctores, altero Licentiati, tertio Baccalaurij, poſtremò rerum omnium imperiti. Quod uticq; de his, qui à ſycophantis iſtis & præſtigiatoribus inſtituuntur, qui frigidiſsimis neſcio quibus argutijs inſtructi arcem iuriſprudentiæ ſolos ſe tenere iactitant, ueriſsimum eſſe puto. Nec tamẽ inficias eo, ex illis tenebris quamlibet denſis ac planè Cymmerijs quoſdam fortaſsis emergere, & ad culmen eruditionis aliquando aſpirare: id quod ſi fortè nobis obijciat aliquis, in promptu eſt quod reſpondeam, qui hoc exemplo adducti à methodo & recta diſcendi ratione abhorrent, ijs hominibus perſimiles uideri, quos accepimus, cùm ipſis Romam contendentibus tuta, plana, compendiaria, & facilis mõſtrata eſſet uia, per aliam nihilominus aſperiorem, longioremq; ac longè periculoſiorem iter facere maluiſſe, quòd eo itinere plæroſq; cum ingenti ſudore ac ſummis difficultatibus eò peruenirent. Supereſt ut illam ipſam uobis commonſtremus uiam, quæ facilè & ſine ullo, aut certè quàm minimo errore, ut quidem noſtra eſt opinio, ad ſummum doctrinæ ciuilis faſtigium conſcendere poſsitis. Qua in re uereor, ne ſi fortè reconditum quiddam, aut ualde difficilè & magnificum à me expectatis intellecta oratione conſilioq; noſtro protinus audiam, ὦδ' ὑνεμὸυρος ἦτορ μὺν ἀπέκλεκεν. At uidendum eſt uobis, ne quod plæriq; faciunt, rei utilitatem & fructũ ex ſpecie eiuſdem metiamini, idemq; uobis eueniat, quod cani Aeſopico, qui umbram carnium, quòd ea maior appareret, captans, ueras amiſit carnes. Quæ enim hac de re à nobis dicentur, etſi primo aſpectu tenuia fortè appareant, ea tamen multò plus habere in receſſu, quàm in fronte polliceantur, confirmare auſim. Sed iam ad inſtitutum reuertor meum. Si igitur mihi iuuenis in iure Ciuili detur inſtituendus, explorabo primùm ac perſpiciam, an his literis, quibus tinctum eum eſſe oportet, qui non tam leguleius, quàm Iuriſconſultus, ac, ut Græci dicunt, πολιτικὸς ſit futurus, mediocriter ſaltem inſtructus ſit. Nam ſicut Arceſilaus dicebat, in officinam fullonis lanam deferendam non eſſe, ita magno in errore uerſari eos exiſtimo, qui cũm literis Græcis, ac Latinis ne imbuti quidem ſint, intempeſtiuè & illotis (quod aiunt) pedibus ad iuris Ciuilis ſtudium irrumpunt. Ac ſi mihi quidem uidebitur ab ijs rebus non omnino imparatus eſſe, quæ uiam ad cognoſcendum ius Ciuile muniunt, hortabor eum ante omnia, ut libros quatuor Inſtitutionum accuratè legat atque ediſcat, quos magna ex parte uel abſque doctoris opera per ſe ipſe aſſequi & intelligere poterit. Quia tamen uiua præceptoris uox maiorem ferè uim habet, quàm lectio, nec ſicut præceptor, ita libri dubitantibus nobis (ut ait Plato) ſatis commodè reſpondent, hoc quoque adiumento laborem eius minuere ac ſubleuare conabor: ſed ita ut præter ſimpliciſsimam quandam & breuiſsimam obſcuriorum uocum & propriarum huius artis explanationem nihil à me accipiat. Quod cũm paucis menſibus perfectum à nobis fuerit, is ſi me audiet, eandem crebrò repetet lectionem, ac tandiu leget, relegetq;, quoad memoriæ penitus hæſerint, quæcunque illis libris deſcripta ſunt. Eſt autem ea Iuſtiniani Iſagoge tàm artificioſè contexta, ut ſi quis οἰκονομίαν eius atque ordinem, quo nihil eſt ad memoriam iuuandam utilius, conſiderauerit, adhibita mediocri diligentia facilè totam recitare memoriter queat. Hoc ueluti iacto gradu ad Pandectarum lectionem progrediendum erit, quæ ut nomen ipſum indicat uniuerſam boni & æqui ſcientiam atque doctrinam complectuntur.

Sed ne rerum infinita propẽ multitudine & uarietate obscuriorum præsertim & perplexarum, quæ ijs libris disputatæ sunt, paulò rudius adhuc ingenium obruatur, facturus mihi uideor operæpretium, si titulos ipsos eo ipso quo descripti sunt ordine à Tribuniano leui ac simplici interpretatione percurrero, & tanquam in tabula depinxero, quid sub quoq; summatim contineatur. Ac in singulis ferè edictum aliquod à prætore propositum uideas, cui ex Vlpiano alijsq; ueteribus consultis subiecta sit interpretatio. Quod qui non animaduertunt, quia scopum non uident, ad quem referenda sint omnia, maximis sæpe & grauissimis erroribus implicantur. Itaq; demonstrata serie ac dispositione titulorum, quam uulgò continuationem uocant, eius edicti tum auditorem admoneri, tum uerba, si quæ sint quæ lucem interpretationis desiderant, breuiter & perspicuè declarari sufficiet. Quod munus in nostro gymnasio quanta cum laude obierit collega meus Doctorq; uester, nomine Baro, sed doctrina & eruditione Varro, nemo uestrum est qui ignoret. Earum uerò quæstionum omnium quæ ex singulis edicti uerbis existunt, & ab Vlpiano ac cæteris diligentissimè explicantur, in aliud tempus tractatio reijcienda est. Huiusq; consilij mei sanè grauissimas causas habeo. Nam eruditorum consensu receptum est, in docendis artibus ab ijs quæ uniuersalia & nobis notiora sunt, ad singularia procedendum esse, Ac sæpenumero expertus ipse sum, quantum ea res fructum studiosis adferat. Legendo siquidem ac docendo in plærasq; Iurecõsultorum responsa crebrò incidi, quæ etsi breuissima sint, & ad titulum unum specialem maximè pertineant, nemo tamen ex eis sensum aliquem idoneum, nisi perceptis quinq; sexũe alijs titulis, elicere possit. Titulos cũm dico, capita & summas rerum intelligo, quas tenere ac uelut in cõspectu habere mirũ in modum prodest iuris studioso, antequam uastissimum illud pelagus præceptionũ, quę circa singula uersantur, ingressus fuerit. Tantaq; est huius rei utilitas, ut confirmare non dubitem, si quis ita se bona fide exercuerit, eum in iure Ciuili rudem habendum nõ esse. Verũm ut operi inchoato fastigium imponatur, nihilq; prætermittatur eorum, quæ iuris nostri autores prodiderint, quæq; ad cumulandam Iurisprudẽtiam pertineant, conabor equidem eum, quem (ut dixi) instituendum suscepero, quasi decurso spacio à calce, ut ita dicam, ad carceres reuocare. Itaq; iam inde ab initio repetita pandectarum prælectione omnia sic excutiam, ut nihil tam minutum sit in his libris, quod non persequar & explanem. Nam etsi prima illa, de qua iam diximus, informatio mirẽ utilis sit, non tamen ea est, ut hominem ciuilis disciplinæ auidissimum omnino explere & satiare queat. Nec uerò hæc paulò subtilior disputatio, ut ingentem eius fructum mittam, aut iniucunda, aut omnino difficilis ei futura est, si ratione ac modo gubernetur: id est, si explosis primũm argutissimis illis (si Dijs placet) interpretũ nugis, omnia ad boni & æqui normam sincera & commoda interpretatione exigantur, deinde disponantur, & artificiosè digerantur ea, quæ sparsim, & sine ullo ordine à Tribuniano sub singulos Pandectarum & Codicis Iustiniani titulos congesta sunt. Tametsi enim de titulorum collocatione neminem iure conqueri posse arbitror, tamen res ipsa loquitur, Tribonianum in tractando cuiusq; tituli argumento nullam ordinis aut methodi rationem habuisse. Quamobrem ad professoris munus maximẽ hoc pertinere existimo, ut quæ sic diffusa ac dissipata sunt, generatim describere, & tum diffinitionibus tum diuisionibus ex arte petitis digerere atq; illustrare studeat. Ita enim fiet, ut quæ infinita ac innumerabilia uidentur, in certa eademq; paucissima cogantur genera, nec solũm commodius doceri & percipi, sed etiam multò facilius memoria comprehendi possint. Idq; ego pluribus ostenderem, nisi ad quos hæc à me scribantur cernerem. Nam ex quo hanc iuris discendi uiam in publico auditorio iuuentuti præmonstrare atq; adeò præire cœpi, equidem facilè

Iã animaduerti, quàm cupidẽ eam secuti sitis, ut iam nõ possit tota nostra ratio uobis perspecta non esse, quam quò uehemẽtius amare & amplecti in animũ induxeritis, eò maiorem ac uberiorem ex ea fructum uos percepturos speramus atq; cõfidimus. Confecto enim hoc cursu, librisq; Pandectarum & Codicis Iustiniani hac ratione atq; arte cõpositis & cõclusis, si quis tertio, aut quarto quoq; mense nõ oscitanter eos perlegerit, quod fieri cõmodissimẽ posse nõ semel expertus sum, non dubito, quin omnia tandem, quęcunq; eisdẽ uoluminibus continentur, uelut ungues digitosq; suos in memoria, & tanquam in numerato habiturus sit. Itaque quod cæteri toto uitæ suæ tempore uix credendis laboribus & uigilijs, ac permagno ualetudinis incommodo aut rarõ aut nunquam assequuntur, facilẽ & cum tanta uoluptate, quanta ex cuiusque artis studio maxima percipi potest, breui tempore perueniet. Quod tamen non ita accipi uelim, quasi eõ aspirare quenquam hoc studio posse contendam, ut omnes casus, qui quandoq; inciderint, quidq; de singulis respondendum sit, in promptu habeat. Natura enim rei non patitur hæc ullis literis aut scriptis comprehendi, tantũm abest, ut hominis memoria contineri possint. Quapropter eorum stultitiam admirari soleo, qui in uulgatissimis interpretum commentarijs omnem ætatem terunt, ut inde singulorum negotiorum cognitionem hauriant, ei profectõ non absimiles, cuius meminit Lucianus, qui in maris littore sedens conabatur singulas undas pernumerare, donec undas undis trudentibus obrueretur, animoq; angeretur, quòd eas numero complecti non posset. Nam ut quis memoriæ mandet quæcunque à Bartolo & cæteris scripta sunt, quod fieri profectò nequit, quota tamen erit portio eorum, quæ quotidiè inter mortales contingunt, nec ullis adhuc scriptis definita sunt. Ex hoc igitur studio præceptionum quarundam & theorematum uniuersalium, quibus ad iudicandum ex bono & æquo de singulis negotijs præparemur, & informemur, cognitio tantũm speranda est. Nam singularia, quia infinita sunt, sub nullam artem, aut præceptionem cadunt. Verũm ut certius atq; expeditius boni & æqui artem ad negotia singula accommodare queamus, adhibendus est usus, sine quo disciplinæ fructus omnis perit: ut uice uersa usus absque methodo & uia minimum ualet: alterius sic altera poscit opem res & coniurat amicè. Iis igitur qui ad perfectionem huius artis consequendam aceruum ingentem librorum sibi parant, periculum est, ne idem quod illi medico eueniat, quem Galenus scribit, cũm nullam unquam methodum componendorum pharmacorum didicisset, amissis libris, quibus multæ huiusmodi compositiones descriptæ erant, tabe confectum perijsse. Sed uerba ipsa Galeni, quibus ille diuinus uir nos docet, quàm infeliciter in quibusq; artibus & disciplinis uersetur is, qui duabus hisce rebus nõ utitur, in uniuersalibus methodo, in singularibus exercitatione, subijciam. Τῆς προκειμένης πραγματείας σκοπὸν ἐχόσης σὺμ τοῖς ἄλλοις καὶ τόδε, ὡς ἐὰμ ἀπολέσωμεν ποτὲ τὸ βιβλίον, ἐν ᾧ τῶν φαρμάκων οἷς χρώμεθα τὰς συνθέσεις γεγραμμένας ἔχομεν, αὐτὸς ἡμᾶς δύναδθ συνθεῖναι παραπλήσια τοῖς ἀπολωλυμένοις, ἀναγκαῖόν ἐσι, πρῶτον μὲν ἡμᾶς καθόλου τινὰ τύπον ὁδὸν μεμαθηκέναι, δι' ἧς δυνησόμεθ' ὁ προεθέμεθα. Δεύτερον δὲ, γεγυμνάδθαι κατὰ τὴν ὁδὸν ταύτην ἐπὶ πολλοῖς τῶν κατὰ μέρος, εἰδότας ὅτι χωρὶς τὸ τοιοῦτο γυμνάσιον, οὐδὲν τῶν ἔργων ὀρθῶς πράττεται. Δεινὸν δὲ καὶ τὸ συμβαῖνον ἤδη τισίν, ὧν ἐγὼ γινώσκω, δύσιν ἰατροῖν: ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ λύσεις, ἐπὶ τῇ τῶν τοιούτων γραφῶν ἀπωλείᾳ συντακείς, ἀπέθανεν, ὁ δὲ ἀπέσχε τῶν ἰατρικῶν ἔργων. ὑπάρχει δὲ τοῖς γυμνασθεῖσιν, ὡς ἐγὼ λέγω, πρὸς τῶν δύναδθ συντεθέναι φάρμακα χρήσιμα, καὶ τὸ κριτικοῖς εἶναι τῶν γεγραμμένων τοῖς πρὸ ἡμῶν ἰατροῖς, ἐπιτηδείως τε χρῆσθαι πᾶσι τοῖς ὑπ' ἐκείνων γεγραμμένοις, οἷς τ' ἂν αὐτὸς εὑρεθῇ τὴν δι' ἀσκήσεως μέθοδον. Expectas forsitan à me, ut quid de Bartolo, Baldo, Iasone, & alijs eiusdem notæ scriptoribus sentiam, quoq; in numero apud me sint: & an eorum scripta existimem ad id quod instituimus profutura, planius explicem.

Quod

Quod an facturus essem, hoc tempore multum addubitaui. Qui enim istorum autoritatem aut conuellere omnino, aut labefactare studeant, quanta etiam nunc flagrent inuidia, quantaq; cum inscitiæ, tum arrogantiæ & temeritatis suspicione laborent, non sum tam imperitus rerum, ut non intelligam. Quosdam item scio clari nominis lureconsultos mandasse literis, adeo necessaria huiusmodi commentaria esse, ut sine illis tueri se non possit iuris Ciuilis disciplina. Quorum autoritatem, ac iudicium eleuare, hominis confidentis, atq; impudentis esse uidetur. Attamen quia non ego is sum, qui me falli non putem posse, neq; hoc mihi assumo, ut quēquam ex his qui aliter quàm ego sentiunt, ad meam opinionem traducam, equidem in nullius hominis iustam reprehensionem incursurum me putaui, si de rebus utilissimus & cognitione dignissimis, qui meus sit sensus, tibi id efflagitanti familiariter & humaniter, ut singularis tua in me beneuolentia atq; obseruantia, & meus in te amor postulat, explicarem ac patefacerem. Hæc igitur mea ratio est, ut quamuis non nemo ex eorum autorum lectione aliquid fortè utilitatis referre possit, si quis tamen uia à nobis monstrata ad ueræ solidæq; eruditionis laudem grassari uolet, nulla re uehementius cursum eius tardari atq; impediri existimem, quàm si in huiusmodi scriptis hæreat. Quæ qualia sint, quia abundè iam à nobis disputatum est, hoc loco nihil attinet dicere. Ne tamen hęc ad uiuum, ut dicitur, resecare uideamur, Platonicæ cuiusdam legis in hac re exemplum secuturi sumus. Sicut enim in legibus suis aquam alienam uicinis haurire prohibet, antequam in suis fundis ad argillam usq; terram effoderint, regionemq; aqua carentem inuenerint: ita & nos huius disciplinæ studioso permittimus, ut cùm se in ueterum iuris autorum lectione diligenter exercuerit, si doctrina eorū suauissima non uorata modò, sed concocta etiam, & in succum & sanguinem conuersa, nondum expletus fuerit, ad præclaros hosce magistros se conferat, eorumq; doctrina arbitrio suo se ingurgitet. Verùm non puto, ut dicam ingenuè, cuiquam mortalium hoc accidere posse, ut tam lautis innutritus epulis, istorum mensas unquam expetat. Quanquam enim homini in ueterum scriptis feliciter uersato, multa ex facto proponi poterunt, in quibus hærere uidebitur, subsidium tamen non ab huiusmodi commentarijs, sed ab usu & exercitatione magis petendum sibi esse cogitabit. Rectè siquidem & uerè Anaxagoras dixit, manum esse causam sapientiæ, his uerbis innuens eam sine usu & experientia parari non posse. Sed quia non paucos huic nostræ sententiæ adeo refragaturos esse satis perspicio, ut nullis possint rationibus flecti, quibus uidelicet persuasum est, omnia quæcūq; in quæstionem uenire possunt, ex lectione & libris discenda esse: autoris grauissimi & locupletissimi Ciceronis iudicium ipsis opponam, qui libro ij. de Oratore ita scribit: Sic statuo, ut in cæteris artibus, cùm tradita sunt cuiusq; artis difficillima, reliqua quia aut faciliora, aut similia sint, tradi non necesse esse, ut in pictura, qui hominis speciem pingere perdidicerit, posse eum cuiusuis uel formæ uel ætatis, etiāsi non didicerit, pingere: neq; esse periculum, qui leonem, aut taurum pingat egregiè, ne idem in multis alijs quadrupedibus facere non possit, neq; est omnino ars illa, in qua omnia, quæ illa arte effici possunt, à doctore tradantur: sed qui primarum & certarum rerum genera ipsa didicerint, reliqua persequuntur. Similiter arbitror in hac siue ratione siue exercitatione dicendi, qui illam uim adeptus sit, ut eorum mentes, qui aut de republ. aut de ipsius rebus, aut de ijs contra quos, aut pro quibus dicat, cum aliqua statuendi potestate audiant, aut suum arbitrium mouere possit, hunc de toto illo genere reliquarum orationum non plus quæsiturum esse quid dicat, quàm Polycletum illū, cùm Herculem fingebat, quemadmodum pellem aut hydram fingeret, etiamsi hęc nunquam separatim facere didicisset.

Habes mi Andrea omnem rationem consilij mei, quæ ut grauior sit apud uos,

uos,atq; etiam gratior,illud uerè dixero,non tantũm me,si ita tulerit occasio, libenter ea usurum,ut illa apud Homerum Calypso loquitur,

Αλλὰ τὰ μὲν νοέω κὰι φράσσομαι, ὅσσ' ἂν ἐμοί περ
Αὐτῇ μηδ' οἰμῃ, ὅτε μὲ χρειὼ τόσσον ἵκοι.

Verumetiam post quindecim,& eo amplius annos,quos euoluendis interpretum omnium quamlibet leuium, ac plebeiorum cõmentarijs consumpsi, cũm me profectus mei maximè pœniteret,alijs prius tentatis diligẽter omnibus usjs,in hac una tandẽ me conquieuisse,nec portũ ullũ adhuc,qui me tanq; ex lõgo errore diu iactatum exciperet,aliũ reperire potuisse.Cũm igitur tantum in hac studiorũ ratione commodi deprehendisse mihi uidear,quantũ uix eloqui possum,nõ solũm tibi sæpius idem rogãti cõsilium tibi impertiri meũ uolui,sed hortari etiã & admonere, ut ab ea, quam pleno iã gradu me autore ingressus es,uia ne unq; deflectas. Tametsi enim me errare,& labi posse cogito,tamẽ quia te propter suauissimos mores,eximiamq; tuã ac uerè heroicam indolem unicè dilígo,meq; tibi charissimũ esse sentio,facere profectò nõ possum,quin te ad id studiorũ genus extimulem atq; incendã,quod cũm longo usu & meditatione optimum esse iudicaui,tũ usq; eò mihi probatũ est, ut præcæteris id mihi amplectendũ esse duxerim. Excitat me præterea non mediocriter hinc muneris mei,illinc generis ordinisq; tui recordatio,ut tibi, quem sapientissimus,clarissimusq; pater mihi in disciplinam tradidit,honestissima quæq; & utilissima suggeram. Si enim longè utilior est is,qui multos reddit idoneos gubernandæ Reipubl.quàm qui ipse rectè gubernat, ut Socrates dicebat,tantò certè felicius operam in studijs tuis promouendis positurus sum, quãtò doctrina tua ob splendorem fortunæ patriamq; simul & auitã amplitudinem illustrior & magis conspicua futura est, eiusq; fructus & utilitas latius diffundetur.Marcus Cicero quondam Romæ Senatum decreuisse scribit,ut de principum filijs sex singulis Etruriæ populis in diuinandi arte instituendi traderentur,ne ars,ut ipse inquit,tanta propter tenuitatem hominum à religionis autoritate abduceretur ad mercedem atq; quæstum. Sic mihi uidetur iurisprudentia (quam eorum hominum conditione, qui lucri tantũm causa illi se dedunt,uulgò obsolescere uidemus) non aliter dignitatem maiestatemq; suam retinere posse,quàm si nobilitas capessendæ Reipubl.auida,studio iuris præcipuè excolatur,& uelut interdicto aliquo in ueterem restituatur possessionem.Nam priscis temporibus ita se huic studio nobiles adolescentes dabant,ut eius ordinis proprium quodammodo esse uideretur. Quod ut summè optandum est hoc tempore,ita maiore quodam studio & alacritate in id incumbẽdum esse duximus,ut tritam à maioribus uiam, quæ asperitate sua non te solũm,sed quoscũq; alios generosioris animi iuuenes ab itinere susceptо deterrebat,aut industria nostra complanaremus,aut certè,quemadmodũ id commodè perfici queat,ostenderemus.Quod etsi fortè nos usq; quaq; assecuti non sumus,honestam tamen uoluntatem nostram & conatum,qui in magnis rebus plærunq; laudari solet,te alumnũ disciplinæ nostræ boni & æqui consulturum non diffidimus. Vale.

EGVINARIVS BARO IVRECONS.

De Ratione docendi discendiq; iuris Ciuilis, ad iuuentutem.

M. TVLLIVS Cicero, de uia & ratione uerba faciens, qua artes, quæ literis continentur, doceri disciq; oportet: nullam sine interprete,& sine aliqua exercitatione percipi posse, autor est: etiamsi,q; plenissimè scribi possint,in manus hominum scriptæ ueniant.Quod nominatim de iure Ciuili eodem loco,nimirũ quadam ad Trebatium Testam epistola affirmat his uerbis: Num ius Ciuile uestrum

ueſtrum ex libris cognoſci poteſt? qui quanquam plurimi ſunt, doctorem tamen, lumenq; deſiderant, Qui tamen mox uelut exceptione quadam ſententiam ſuam corrigit, de Topicis ſuis ad Trebatium eundem ſcriptis ſentiens: quanq;, inquit, tu ſi attentè leges, ſi ſæpius, per te omnia conſequere, ut certè intelligas: ut uerò etiam ipſi tibi loci propoſita quæſtione occurrant, exercitatione conſequere. Sed quid ego M. Ciceronem profero? etſi ſine controuerſia inter latinos optimus diſciplinarum tractandarum cenſor habitus ſit. Extant publicæ leges aquæ & ignis interdictione, relegationibus, pœnis, multiſq; uariis ſanctæ, quibus eadē uia quam Cicero cōmonſtrat tibi præſcripta eſt. Nam cūm penè ad duo millia librorū, uerſuum uerò pluſq; tricies centena ius Ciuile olim excreuiſſet: Flauij Iuſtiniani Cæſaris cura effectum eſt, ut in ſexaginta ſex libros, quatuor nimirum Inſtitutionum, quinquaginta Pandectarum, & duodecim Conſtitutionum, cum paucis nouellis legibus redigeretur. A quo etiam quid quibuſq; temporibus tradi ā profeſſoribus, diſciq; abs te oporteret, diligentiſsimè præcipitur. Etenim primo profeſſionis anno, quatuor libros Inſtitutionum, cum totidem Pandectarum libris Iuſtinianeis nouis ab uno eodemq; Doctore tradi par eſt: ſecundo anno libros ſeptem de Iudicijs, cum quatuor ſingularibus: tertio, octo de rebus, & tres ſingulares: quarto anno libros ſingulares decem. Eos qui ſuperſunt quatuordecim Digeſtorum libros cum duodecim Conſtitutionum, & authenticis legibus per te conſequi anno quinto potes. Et hæc quidem de ratione tuorum ſtudiorum Iuſtiniani Magni, cuius leges ſcire cupis, lex eſt, cui ſtatuto moribūsue priuatorū hominum neq; abrogari, neq; quicq; derogari fas eſt. Ex qua lege ſiue terni ſiue quaterni Doctores intra ſtatutū numerum ſint, in ſingulis Academijs: ita profiteri oportet, ut ſingulis annis ſinguli qui iam quadraginta libros à Iuſtiniano præſcriptos, interpretati ſint, Inſtitutiones, & τὰ πρῶτα ſibi rurſus ſumant: alijs iam unius anni profeſsione, alijs duorum antecedentibus. Ita enim fiet, ut quotannis in gymnaſium euntes, ſibi deligere Doctorē poſsint, qui modo & ordine à legumlatore conſtituto quantū cuiq; ſatis ſit, intra quadriennium explicet: atq; adeo ſequentes, ſi lubet, audire, & ter uel quater intra præſcriptū quadriennium Inſtitutiones cum quinq; ex ſeptem partibus Digeſtorū præeunte magiſtro, ordine perlegere. Nō ignoro ſi quis diſſerendi artem, literarum ſcientiā, & reliquam philoſophiam, ad ius Ciuile attulerit, eū per ſe partim ex iuris libris, partim ex qualibuſcūq; commentarijs conſequi poſſe, ut tandem intelligat: ſed doctus profeſſor in ijs uerbis, quæ iuris Ciuilis propria ſunt, longo alioquī perferendo labore ex tempore leuabit. Sed & his annua profeſsio ſatisfaciet: etſi Iuſtinianus rationem ſtudiorū, pluribus potius quàm paucis egregiè præter cæteros doctis accōmodet. Vtram quanq; uiam ingrediare, totius operis diſpoſitionem inter progrediendū obſerues neceſſe eſt, quòd ea res (uti in cæteris) mirū in modum memoriam iuuet. In ſingulis uerò titulis ut nautæ ad cynoſurā ſolent, ad legem, S.C. plebiſcitū, cōſtitutionem, edictum, reſpicies perpetuò, quō Iureconſultorum reſpōſa, quæſtiones, commentarij ſub eundem titulum congeſti per Iuſtinianum, ſpectant. Quam quidem ad rem nonnihil (niſi fallor) adiumenti in commentarijs ad Pandectas tibi adfero, certè promouere tua ſtudia bona fide conor: ualde te obſecrans, ut uel me adhuc uiuo, uel mortuo, rudia quandoq; polias, & conſummes imperfecta, qualia hominis opera eſſe ſolent. Et hæc quidem rectè docendi, diſcendiq; iuris Ciuilis ratio eſt: de qua mihi parcius dicendum fuit, quòd Franciſcus Duarenus idem argumentum & ornatè & copioſè nuper explicauerit, cui (ut ueterum Conſultorum more dicam) idem quod mihi uidetur. Quæ quamuis ita ſe habeant, aduerſus præſcriptam à legumlatoribus, & ſapientiſsimis hominibus rationē, omnia præpoſterè in gymnaſijs tractari uideas. Nā & ā fine iuris plærunq; incipere, & neparū more

ad

ad cætera regredi,illis magnis professoribus placet: & glossas(quod indignius ferendum est hoc doctissimo seculo) legibus ipsis anteponere: quas tamẽ omnino eis asscribere uetuit Iustinianus,ut omittã ex omnibus hisce libris, quibus ius Ciuile continetur,uix senos,singulis quadriennijs in singulis academijs interpretari: quos & ipsos passim,& contra edicti perpetui ordinem profitẽtur: repertis in hoc magnificis uerbis, cum apparatu, ordinaria lectio &c.quibus persuadent id demum esse iureconsulti, quod Vlpianus ab inferis fortè suscitatus sine interprete non intelligat. Quid uerbis opus? In hoc conspirasse ad unum dixeris,ut contrà quàm legum latori placuit, doceant, & nescio quodnam docendi cacoẽthes hac in re legibus ipsis præponant. Vt si rectam discendi rationem propria oratione explicare atq; euoluere uelis,eã dicas ei contrariam,qua miseri auditores utantur hoc tempore in gymnasijs. Ergo destinata hisce studijs iuuentus,rectè discendi studium optimã uiuendi rationem cum Pomponio consulto existima,& utrũmue legum latoribus, & sapientissimis quibusq;, an illis nullo duce præter inueteratum barbariæ morem,glossemata profitentibus de studiorum ratione audiendum sit, etiam atq; etiam uide.& Vale. Datum Biturigibus,Calendis Maij.Anno M.D. XLVI.

D. ANDREAE ALCIATI iudicium,quos legum interpretes potissimũm parare sibi studiosi debeant.



EXTAT Volcatij Sedigiti antiqui autoris iudiciũ de Comicis poẽtis carmine iambico factũ,quod Aulus Gellius, Macrobius, Donatus,tanquam iustissimum probant. Extat & aliud de omnibus poëtis generaliter ã Marullo summa cũm examinis diligentia cõpositum,quod & ipsum ab omni studiosorum classe laudatur.Cur & nos de interpretibus nostris,quos adeõ multos in iure habemus,idem non experiamur? non quidem de doctrina eorum (id enim periculosius & fortè temerarium) sed de utilitate,quam quisq; studiosus maiorem ex eorum dictatis consequi possit.Id existimamus omnibus perpensis sic rectè fieri:


In iure primas comparatus cæteris
Partes habebit Bartolus.
Decisiones ob frequentes,actio
Baldum forensis sustinet.
Non negligenda maximẽ est tyronibus
Castrensis explanatio.
Opinionum tutius symplegadas
Superabis Alexandro duce.
Ordinis Iason atq; lucis nomine
Videndus est properantibus.
His si quis alios addideris interpretes.
Onerat quàm honorat uerius.

FINIS.

FRANCOFORTI, Apud Christianum Egenolphum,
Mense Aprili. Anno 1552.

nem habens uitæ præ-

Pietas ad omnia utilis est, promissio-



sentis & futuræ. 1. Tim. 4.

Sacrificium Deo, cor humiliatum. Psal. 50.